~~11~~

Soy del Dor. Dn. Andres Ortiz Ygual, Presbytero, Notario del Santo Officio de la Inquisicion de Cordova, Examinador Synodal de la Vicaria General de Estepa &c.

Hoi del Coleg.o R.l de S.ta Cruz de la Fe de Granada

3
8-34

10 a 1 11

4

Biblioteca Universitaria
Sala A
Estante 37
Número 16

7-8-34

Está completa mal encuadernados sus tomos

R. 11707

(1)

al Coleg.º R.l de S.ta Cruz de la Fe de Granada

FRATRIS HECTORIS PINTI LVSITANI, HIERONYMIANI,

SACRÆ THEOLOGIÆ
Doctoris, & in Academia Conimbricensi
sanctæ Scripturæ professoris,

OPERVM OMNIVM LATINORVM,
Quæ ad hunc vsque diem in lucem peruenerunt,

TOMI PRIMI, ET SECVNDI, PARS PRIMA:

Quæ in ESAIAM, THRENOS, & EZECHIELEM: secunda verò in DANIELEM, & [illegible] Commentarios comprehendit.

Ad finem secundæ partis, pro quarto Tomo, IMAGINIS VITÆ CHRISTIANÆ DIALOGORVM OPVS, *recèns Latinitate donatum, accessit.*

Nouissima Editio, ad faciliorem, meliorem, vtiliorémque formam quàm superioribus, operâ virorum non mediocriter eruditorum, digesta, mendísque omnibus, quibus scatebat, perpurgata.

Præter sacræ Scripturæ INDICES, *alij Rerum & Verborum, meliori modo quàm anteà dispositi & locupletiores redditi, ad calcem cuiusque Tomi, sunt inserti: in quibus nihil in toto Opere desiderari potest, quod his facillimo negotio, potissimùm ad Hæreticorum, nouorúmque Sectariorum falsa dogmata refutanda, non possit indagari.*



DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
Æ. 4.º C. 83. N. 2.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

LVGDVNI,
APVD HÆREDES BARTHOLOMÆI HONORATI,
AD INSIGNE VASIS AVREI.

CIↃ. IↃ. XC.

R. 11704

VIRO AMPLISSIMO, MERITISSIMO, ET NOBILITATE CONSPICVO,

D. CLAVDIO DE CHALMASEL,

Comiti, & Decano Metropolitanæ Eccleſiæ Lugdunenſ.

IOANNES VEYRATVS BIBLIOPOLA LVGDVN.

SALVTEM.

VTILITATI *publicæ (vir Ampliſſime) quæ ad doctrinam pietati conſentaneam, religionis comitem, fideique propugnaculum ſpectat, potiſſimùm hacce noſtra tempeſtate, formidoloſiſq; Reip. temporibus, in quibus inter inteſtinum bellum, eluuies quædam Hæreſiarcharum, Chamaleontibus mutabiliorum, Lerneo ſerpente truculentiorum, generatio denique praua & adultera, nonnullis antè annis, in Chriſtianum pecus irrumpens, virus ſuum in hoc afflicto Galliæ regno euomuit, Opus aliquod authoris eximij mentis oculis luſtrans, quod non tantum ad conuellendos illorum falsò diſſeminatos errores, authoritatibus tùm ſacræ Scripturæ, tum ſanctorum Patrum vallatis, conduceret: verumetiam ad ridiculam & deteſtandam Iudæorum doctrinam confutandam, ad enodandas occultiorum Veteris Teſtamenti Prophetarũ difficultates, vt apes ex floſculis hæc doctiſſima, profundiſſima & vtiliſſima eximij viri Fratris* HECTORIS PINTI *Luſitani, Conimbricenſis Academiæ publici profeſſoris, Opera delibaui. Quæ quidem opera (vt à ſapientibus, probatis, & eruditiſſimis hominibus didici) tantoperè ab optimo quoque Theologiæ profeſſore & ſtudioſo ſunt expetita, vt vnuſquiſque doctrinam ſuam, quam ſummis vigilijs, lucubrationibus, & ſudoribus, ex optimis Academiarum fontibus exhauſit, quibuſdam caliginoſis tenebris obductam exiſtimet, niſi illius clariſſimi viri lumen accedat, eiúſque radijs omnium iudicium illuſtretur. Nec ſanè iniuria. Nam relictis politioribus humanæ eloquentiæ verbis, quibus nec melioribus nec ſuauioribus, nec felicioribus vti poſſe viſus eſt, nulla habita ratione tot hiſtoriarum & fabularum varietatis, quibus animos legentium mirifica oblectatione cumulat: ſilentio prætermiſſis tot tantiſque philoſophorum, præcipuè illorum, qui ἐφεκτικοὶ nominantur (quorum mos eſt nihil definire, & de rebus ita diſputare, vt comprehendi non poſſint) tum in vniuerſum, Phiſicorum, Dialecticorum, & Ethicorum, dictis, ſententiis & apophthegma-*

tibus, aliisque quamplurimis Ethnicorum exemplis, quibus Christiani Orthodoxæ fidei sequaces, vitiorum sordes, velut in pellucido speculo queant eluere, lubricásque voluptates, quibus homines, teste Platone, vt hamo pisces capiuntur, auerruncare. Itaque hic præclarus vir, & doctrinæ non expers & rerum cognitionis haud ignarus, quò faciliori via Iudæorum omnium eorúmque Rabbinorum, commentitias nænias, ridicula deliramenta, & blasphemias, retunderet, dissiparet, & supprimeret, ex sacris Bibliis, quæ illi appellant, מקרשיה, macdeschija, id est, Rem sanctam Dei, siue ארבעהועשרים, Arbaaueesrim, id est, Quatuor & viginti, quod vigintiquatuor contineat libros: maturo sagacique iudicio selegit, נביאים אחרונים, Neuiim aharonim, id est, Prophetas Postremos, nempe, ESAIAM, IEREMIAM (in cuius THRENOS, siue Lamentationes commentarios edidit) & EZECHIELEM, & ex בהובים, Chetuuim, id est Ariographis, Prophetam DANIELEM: postremò ex libro תרי עשר, Treasar, id est duodecim Prophetarum minorum, Prophetam NAHVM: quos omnes doctissimis Commentarijs cùm ad explicationem sacræ Scripturæ, tum ad Hebraismorum interpretationem perornauit. Quòd autem fabulas Poeticas, inter explicanda hæc loca commiscuerit, ratio in promptu est. Non enim (vt arbitror) vir ille literatissimus erat nescius, quanta vtilitas ex his fabulis percipi posset: quod fortassis acceperat à Dionysio Halicarnassæo: libro primo rerum antiquarum, dicente, Καὶ μυθεῖς ὑπολάβοι με ἀγνοεῖν ὅτι τῶν ἑλληνικῶν μύθων εἰσί τινες ἀνθρώποις χρήσιμοι: οἱ μὲν ἐπιδεικνύμενοι τὰ τῆς φύσεως ἔργα δι' ἀλληγορίας. οἱ δὲ παραμυθίας ἕνεκα συγκείμενοι τῶν ἀνθρωπίνων συμφορῶν. οἱ δὲ τραχὰς ἐξαιρούμενοι ψυχῆς, καὶ δείματα, καὶ δόξας καταιροῦντες ἀκ ὑγιεῖς. οἱ δ' ἄλλης τινὸς ἕνεκα συμπλασθέντες ὠφελείας. Hoc est, Neque mihi obscurum esse quis existimet, quòd è Græcis fabulis nonnullæ sunt hominibus perutiles: aliæ siquidem sunt, quæ naturæ opera sub allegoriis contineant: aliæ humanarum calamitatum habent consolationem: aliæ terrores, animorúmque perturbationes à nobis depellunt, opinionésque parum honestas destruunt, aliæ alterius cuiuspiam vtilitatis causa fuerunt inuentæ. Quòd etiam præter innumeras sanctorum Patrum & Philosophorum sententias, ijs historias ex Chronicis, aut Priscorum, aut Recentiorum authorum depromptas, subnexerit, sapiens quisque (si quodam iudicio polleat) hoc facilè deprehendet, illud ad fidem rerum faciendam, & amplioribus Testimonijs veterum Prophetarum historiam fulciendam, præstitisse: Ratus cum Tullio, historiam esse vitæ magistram, morum disciplinam, lucémque veritatis: qua sublata, omnis eloquentia conticescit, omnísque sermonis & orationum splendor obscuratur. Porrò si Lutherani Caluinistæ, alijque Sectarij quemquam reformidant, hunc præcæteris, PINTVM, debent reformidare, cuius Operum quot sunt paginæ, tot sunt mallei ad eorum ceruicem, quantumuis multiplicem, confringendam. Et vt olim Madianitæ, audita illa voce: Gladius Domini, & Gedeonis, opprimebantur: sic illi auditis tantis huius viri argumentis, tanta doctrina comprobatis, tantisque solidissimis authoritatibus suffultis, exanimantur, absterrentur, conuincuntur. Agnoscent itaque hîc veri Reges & Principes (quorum corda in manibus Dei sunt) qua clementia, comitate, & benignitate populum debeant moderari, quo pacto à tyrannide abhorrere, & misericordiam, ac veritatem in omnibus vitæ actionibus (prout sapiens Salomon rectè admonet) custodire. Agnoscent Præsules & omnes Ecclesiastici pastores, qua reuerentia, honore, veneratione, mentisque candore, sacra mysteria debeant pertractare, sanctissima sacramenta administrare, qua cura, solicitudine & studio, Gregi, cuius cura à summo omnium pastore IESVCHRISTO illis demandata est, inuigilare oporteat: quo animi ardore, quo desiderio & virtute populum bonorum operum exemplis imbuere, eúmque sanctis fidei documẽtis ac diuinis præceptis initiari: qua etiam liberalitate, neteßitate compulsis opitulari. Agnoscent Concionatores verbum Dei ita omnium animis esse disseminandum, vt illius socordia, torpentique oscitatione, nulla zizania in Auditorum cordibus enascantur, vt herbæ illæ infrugiferæ sarriantur, earúmque radice: stirpitùs euellantur. Agnoscent Iudices & Magistratus in eam curam & cogitationem esse incum-

bendum

bendum, quæ gloriam immortalem poßit adferre, æqua lance ius æqui & boni trutinent, munerum quorumcumque illecebris haudquaquam capiantur, flagitiosorum ac nefariorum conatus virga ferrea (vt ait Regius Psaltes) coerceant, insontésque in eam libertatem & facultates, quibus Legum iudicio digni censentur, asserere non grauentur. Agnoscent Rerumpub. Gubernatores in eos Rempub. esse repositam, non modò ad tuendos, sed etiam ad ornandos, honoribúsque amplificandos illos viros, quorum totius vitæ cursus, optimúmque consilium, ad æquitatem & ad communem salutem prospexit, futuræq; gloriæ igniculos sibi coaceruauit. Agnoscet demùm Politicus (hunc intelligo Politicum, qui vt ait Isocrates in Oratione in Bigis. Ὁ καὶ πρὸς τὰς πράξεις ἐῤῥωμένως ἔχων, καὶ πρὸς τὸ πλῆθος πιστῶς διακείμενος ἐμποδὼν ἂν γένοιτο τοῖς κινεῖν τὰ βουλομένοις των καθεστώτων, *id est*, Vir & in rebus gerendis acer, & populo fidelis, qui obstare potest ijs qui res nouas moliuntur, *à quo penitus discrepant ij quos vulgus Politicos in hoc Galliæ regno nuncupat, qui potius Antipolitici, quàm Politici, nominandi sunt:) agnoscet, inquam Ciuis, & quicunque Reipub. membrum dicitur, sic sibi esse persuadendum, illos dies & noctes nihil aliud agere, nihil curare, nisi vt populus saluus & incolumis ab omni perfidia, seditione, & tyrannide liberetur. Quocirca (vir eximie) cùm hæc* PINTI *Opera adeò docta, pia, & pernecessaria esse à non mediocriter eruditis hominibus acceperim, tantaque approbatione iamiam per totius Europæ fineũ & amplexa & flagranti Theologorum, necnon cæterorum studiosorum desiderio expetita, nullum officium prætermisi, quin illa typis, ad confectionem vsque committerem, confectisque Tuæ Dignitati & Amplitudini dedicarem. Insuper* DIALOGOS MORALES *qui nunquam antehac visi fuerant pro virili parte in Latinum sermonem transferre curaui, qui quidem Dialogi Doctrinam Authoris, eiusque in historiis euoluendis vigilantiam dilucidius patefacient. Non igitur possunt hæc Opera non gloriari, quòd tam firmißima Metropolitanæ Ecclesiæ Columna sustententur: neque satis admirari, quod tanto fauore, tantóque patrocinio senili prudentia dignißimæ personæ, in lucem prodeant, dispergantur, ac diuulgentur. Illa igitur ad tuam amplitudinem, dignitatem, liberalitatem, qua te scio libentißimè solere frui, pertinent. Nouit hæc Lugdunens. Ciuitas animum tuum Reip. & Christianæ fidei amicißimum, tum in perfidos ac duplices corde homines maleuolentia suffusum, tum iam magis & excelsum, tum etiam apertum & simplicem: præsertim hac tempestate, in qua quanta vis in Repub. temporum sit, quanta varietas rerum, quam incerti exitus, quàm flexibiles hominum voluntates, non dubito quin cogites. Omnes denique vires huius Ciuitatis (quæ se ad sacrosanctæ Ecclesiæ Vnionisque fidei ductum applicauerunt) sic existimant, quasi lumen aliquod, extinctis cæteris, elucere sanctitatem, prudentiam, & dignitatem tuam. Sustipe iterum atque iterum (vir summa prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum vsu) Opus quod te prudentem, Doctum, vsuque maturum decet: cuius authoritate freti illud in conspectu omnium literatißimorum virorum, & dignitate præstantißimorum, infracto vultu offerre, minimè dubitabo: atque in posterùm, si præpotens ille ac Maximus Deus, cuius nutu omnia reguntur, pacatis bellorum turbinibus, triumphanti victoria consopitis, nos malacia potiri patiatur, dummodo hoc tibi periucundum esse, mihi innotescat, tanto impulsus beneficio, alia tuo nomine commodo salutique sacrosanctæ Ecclesiæ Catholicæ prospicientia, peruulgare non verebor. Vale,* LVGDVNI *Kal. Ianuarij* CIↃ. IↃ. XC.

DOMINO HENRICO
PRINCIPI ILLVSTRISSIMO,
INVICTISSSIMI REGIS EMANVELIS
FILIO, CARDINALI ET ARCHIEPISCOPO
amplisſimo, hęreticæ prauitatis ſupremo, in
Luſitania inquiſitori integerrimo,

FRATER HECTOR PINTVS,
LVSITANVS, SALVTEM, ET
æternam fœlicitatem.

COgitanti mihi ſæpenumero, clariſsime Princeps, & varia hominum ſtudia in memoria verſanti, illi fœlices maximęq; laudabiles videntur, qui omnes ſuas actiones in Deum referunt, totóſque ſeſe in optimæ vitæ ſtatu exquirendo & conſequendo collocarunt. Intelligentes enim mundi gloriam, potentiam, & opes, ad quas plerique mortales auiditate inflammati aſpirant, non eſſe in rebus expetendis & præclaris numerandas, quippe cùm eas caducas & incertas aſpiciant, virtutem amplectuntur, quæ altiſsimis defixa radicibus, neque poteſt incendio amitti, neque direptioni committi, neque vlla temporum varietate labefactari. Inter omnes qui hunc fœlicem vitæ curſum conficiunt, tu vnus emines, princeps Chriſtianiſsime, qui in inſigni dignitate conſtitutus, rerúmque maximarum gloria præſtantiſsimus, virtutem mirabiliter ſectaris. Omni enim humana ſuperbia & arrogantia contempta, ad cœleſtia aſpiras, & non ſolùm tuos Luſitanos, ſed alias etiam nationes, ad quas fama tua, nominiſque celebritas & ſplendor euolauit, vſque adeò tua vita & exemplo inſtruis & deuincis, vt admirabilis illis quædam amoris in te & obſeruantiæ exardeſcat magnitudo. Eſt enim virtutis proprium homines allicere ad diligendum, cùm ob illius amplitudinem eos etiam, quos nunquam vidimus, diligamus, eorúmque memoriam cum beneuolentia & veneratione vſurpemus. Eſt igitur ea vita fœlix & expetenda, quæ non in falſa mundi gloria nititur, ſed in virtute diuiníque numinis imitatione conſiſtit, ex qua verus honor minimè contemnendus dimanat. Quod tu intuens, illuſtriſsime princeps, eas opes ardenter quæris, quæ animum amplificent, ex quibus intelligis, poſſe veram gloriam redundare. Tu es rectæ iuſtitiæ, dulcíſque pacis conſeruator. Ad te tanquam ad ſingulare præſidium confugiunt afflicti. Te omnes intuentur, & prudentiam atque virtutem tuam admirantur. Tu es vnus, in quo nititur Luſitaniæ ſalus. Quid plura? Tu es verè princeps Chriſtianus. Hæc eſt vera gloria, & illuſtris nominis claritas & amplitudo, quæ vigebit memoria omnium ſeculorum, quam poſteritas alet, & ipſa perpetuitas ſemper intuebitur. Cui igitur niſi tibi debeo labores meos dedicare? Sed vt meipſum planè cognoſcas, rationem vitæ meæ tibi paucis exponam. Ego cùm fuiſſem ab ineunte ætate in literis Latinis verſatus, & poſtea nonnullos annos & Salmanticæ & Conimbricæ iuri ciuili operam dediſſem, cœpi mecum cogitare, eſſe illum vitæ ſtatum, ad quem ego aſpirabam, multis atque turbulentis negotijs oppreſſum, &

Mat.6. infinitis animi periculis expositum. Versabatur mihi ante oculos illa Dei nostri sententia. Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hęc omnia adijcientur vobis. Ethęc in animo versans existimabam, id quod erat, esse religionem rectam viam ad vitam immortalem consequendam. Eam ob causam ingressus sum ordinem Diui Hieronymi, vbi viget solitaria quędam tranquillitas, & religionis obseruantia. Et interfluxis nonnullis annis missus à primate meo totius ordinis moderatore ad ordinis collegium, tanquam ad bonarum artium mercaturam, mea studia longo interuallo intermissa reuocaui. Ibi octo continuos annos auidè & ardenter dedi operam literis, in quibus totum cursum & Philosophię & Theologię sub excellentibus pręceptoribus virtute & sapientia pręstantibus perfeci, & vtriusque linguę Grecę & Hebraicę notitiam comparaui. A collegio reuersus ad monasterium, vnde profectus fueram, quantum potui, me abduxi ab omni negotio humano, totumque me dedidi studio diuinarum literarum. Et consideranti mihi, atque sępenumero memoria repetenti Prophetę Esaię vtilitatem, magnificentiam, & amplitudinem, essęque eius expositores pauciss imos, eósque breuissimos, eúmque multis in locis indigere explanatione, oriebatur desiderium quoddam eius explanandi. Sed cùm eius profunditatem, meíque ingenij imbecillitatem perspicerem, cadebam animo equidem, longéque ab scri-
Ezec.2 bendo abhorrebam. Est enim diuina scriptura liber ille inuolutus, quem vidit Ezechiel scriptum intus & foris: foris, propter sensum in primo & aperto orationis argumento apparentem: intus, propter spiritualem intelligentiam, & alta atque
Exo.32 diuina mysteria. Et eam ob causam ait Gregorius Nazianzenus fuisse legis tabu-
Ioan.5. las ex vtraque parte scriptas. Et cœlestis ille magister Christus Deus noster, Scrutamini, inquit, scripturas: significans non satesse eas legere, sed opus esse earum
Mat.13. arcana & profunda mysteria altè perspicere, & diligenter inuestigare. Quam ob
Ios. 3. causam eas thesauro abscondito cõparauit. Et quemadmodum Hebræis sein promissam terram conferentibus, & fœderis arcam secum asportantibus se obijciebat Iordanis, impediens illis ingressum, sic mihi ante oculos ponebatur huius diuini vatis difficultas. Sed quod me terrebat, idipsum mihi animum excitabat. Intuebar enim Deum illis magnum illum fluuium aperuisse, & viam mirabiliter parasse: quo fretus sperabam fore, vt Deus sui Prophetæ sensum mihi aperiret, quo valerem illum securè penetrare. Sed hæc mihi cogitanti alia multò difficilior occurrebat
Ps.18. dubitatio. Sciebam Dauidem dicere in Psal. esse legem Domini immaculatam a-
Rom.7. nimásq; conuertentem: & Apostolum Paulum in epistola ad Romanos eam sanctam & spiritualem appellare. Cùm autem ego me ipsum peccatorem maculis inquinatum cognoscerem, quî fieri potest, vt auderem ad diuinarum literarum in-
2. Reg. 6. terpretationẽ contaminatis manibus accedere? Si Oza fuit à Deo percussus, quòd arcam, in qua lex fuerat recondita, tetigisset, vt literæ diuinæ contestantur, quas
1. Paral.13. pœnas essem ego meæ temeritatis daturus, si non arcam, sed ipsam sanctam scripturam attingerem, & explanare contenderem? At ex altera parte videbam ipsam scripturam ita in Ecclesiastico dicentem: Qui elucidant me, vitam æternam ha-
Ecc.24. bebunt. Hæc erant quæ versabant in deliberando meum animum, illíque efferebant ancipitem curam cogitandi. Sed illis circunspectis & exploratis, facta summa omnium mearum cogitationum, decreui tandem diuino fauore implorato, hunc diuinum vatem aggredi, sperans Deum me in hoc opere pro eius honore suscepto adiuturum. Sequor communem versionem ab Ecclesia approbatam, & in fine vniuscuiusque capitis adijcio ex Hebræo nonnullas annotationes. Vaticinatus est Esaias in Iudæa non solùm ante Babylonicam, sed etiam ante decem tribuum captiuitatem. Est eius præcipuum institutum prædicere nostræ

fidei

fidei myſteria, præſertim Chriſti Dei noſtri aduentum, & acerbiſsimam mortem, vocationem gentium, & veteris legis ſacrificium abrogationem. Vt enim qui vult aliquam conflare campanam, prius efficit formam quandam luteam, eam ingeniosè vertendo & verſando: ſed conflato tintinabulo, forma reijcitur & frangitur, & pedibus conculcatur, quippe quę ſolùm ad tintinabuli vſque completionem erat profutura & duratura: ſic effecturus Deus Eccleſiam ſuam, quę eſt admirabilis quędam campana totum orbem terrarum ſonitu ſuo adimplens, inſtituit prius antiquę legis cerimonias & ſacrificia, tanquam formam luteam, quę non niſi ad Eccleſię vſque formationem durarent. Eccleſia autem conſtituta, Euangelióque nuntiato, omnia illa vetera ſacrificia fuerunt reiecta, & finita, & pedibus conculcata. Habebat enim lex vmbram futurorum bonorum, vt ait in Epiſtola ad Hebręos D. Paulus, non ipſam imaginem rerum. Et ad Corinthios ſcribens illa omnia aſſerit Iudęis in figura contigiſſe. Fuit hic Propheta nobilis, & vt aiunt, frater regis Amaſię, tanta eloquentia pręditus, tot ſapientię ornamentis excultus, vt omnes alios Prophetas dicendi copia & amplitudine, mea ſententia, facilè vincat. Flagrauit tanto ſtudio veritatis nuntiandę, vt pro ea à rege Manaſſe, qui ſe ſcelerum miniſtrum prębuerat, & in republica violanda teterrimas fraudes conceperat, fuerit interfectus. Cui igitur eram dedicaturus Prophetam, qui fuit princeps illuſtriſsimus, virtutúmque pręſidio ſeptus, niſi alteri principi ſimiliter, clariſsimo, virtutúmque maximarum abundantia cumulato? Quare, princeps Chriſtianiſsime, hoc exiguum munus, quod tibi dicare conſtitui, vt meam erga te incredibilem pietatem oſtenderem, pro tua ſingulari humanitate velim benignè ſuſcipias.

Vale.

* *
*

Simile.

Heb. 10.
1. Cor. 10.

Isaias.

BIBLIOPOLA.

LECTORI.

S.

SATIS vnicuique compertum esse reor, quantam, omnes qui sacrosanctæ Theologiæ operam nauant, concionandíque munus profitentur, vtilitatem ex Operibus Fratris HECTORIS PINTI Lusitani potuerint expiscari. Quod sanè nũc demùm ea Typographo committere me impulit, vt quoad posset fieri diligentia, nullis parcentes expensis & sumptibus ad ea pernecessarijs excuderentur. Cùm autem, an aliquid limatione, prælectione, aut mutatione egeret, ad maiorem tuam vtilitatem, faciliúsque proficiendi negotium, rimaremur, certiores sumus redditi, Annotationes ex Hebræo, longiùs quàm par esset à sectionibus textus sacræ Scripturæ & ordine ab Aurhore obseruato, esse remotas, imò ipsas annotationes sensum Scripturæ enucleantes, non satis commoda methodo posse inuestigari. Quam ob rem viros eruditos nacti, vt hoc onus eorum humeris imponeremus, tantum ij oleo & operę (vt dicitur) operam nauarunt, vt illas annotationes ex Hebræo iuxta priores sacræ Scripturæ collocarint; ita vt quod in Textu contineatur, illas etiam ex Hebræo annotationes amplectatur: imò Textus ipse nonnullis, cùm literularum, tùm numerorum notis exprimatur, quarum primæ ad priores, reliquæ verò ad posteriores referantur. Quod tibi faciliori disquisitioni, breuioríque intellectui profuturum speramus. Insuper ad Operis calcem IMAGINIS VITÆ CHRISTIANÆ DIALOGOS, in Latinum sermonem versos, nunquam anteà excusos, subnectere nobis visum est: certò scientes, quàm gratissima tibi priora Opera fuerint, nec dubitamus quin maiorem iucunditatem animique oblectamentum, ex his DIALOGIS percipere possis: quippe qui, præter multas antiquitates, rerumque rationes & disputationes, ex vtraque parte, testimonijs Sacræ Scripturæ, veterum Patrum, Historiographorum, Mathematicorum, ac cæterarum artium & disciplinarum professorum, probatas, tota Philosophorum Academia, mirabili quodam artificio, in his inclusa videatur. Taceo similitudines tam subtiliter inuentas, tam bellè appositas, támque ingeniosè explicatas, vt ausim dicere, secuti Magnus ille Alexander lectionibus Iliados Homeri Græcorum Poëtarum principis obdormiuisse dicitur: sic tu tanta dulcedine captus tam suaui, eóque mirabili dicendi genere allectus, non solum eorum lectionibus obdormias, verùm in admirationem etiam rapiaris. Monitum tamen te velim, si legendo quidpiam rude, inconcinnum, inelegans, mendísque circumfusum, tuis auribus displiceat, ne quæso rationem habeas verborum: at sensus: Cùm enim hac sit noua Traductio, non tanta pollet venustate & elegantia, sicuti Authoris dicendi genus, nec emendatione, sicuti Tomi Operum, quæ multoties in lucem prodierunt. Cæterùm INDICES rerum & verborum superiores in Operibus anteà impressos raptim, immaturóque iudicio confectos esse deprehendentes, in meliores mutare cordi fuit, in quibus nihil in totis Operibus desiderari queat, quod inuentu non perfacillimum esse comprobetur. QUOS INDICES, ita separare voluimus, vt quisque Tomus, ad calcem suum habeat, Tomos autem in duas partes digessimus: primam Commentarios: in ESAIAM, THRENOS, & EZECHIELEM: alteram in DANIELEM, NAHVM, & DIALOGOS comprehendentem.

Hæc igitur candido animo accipe, felicíque cursu perlege.

VALE.

* * *

AVTHO-

AVTHORES, QVI IN HIS COMMENTARIIS IN ESAIAM CITANTVR.

A.

Culisaus.
Æmilius.
Augustinus.
Ambrosius.
Alexander Papa
Antonius Sabellicus.
Ælianus.
Alexander ab Alexandro.
Apollonius.
Ausonius.
Ammonius.
Ammianus.
Æchilus.
Æneas Syluius.
Æneas Vicus.
Alexander Aphrodisæus.
Alcinous Platonicus.
Aristoxenus.
Augustinus Eugubinus.
Architas Tarentinus.
Athanasius.
Aristoteles.
Anthistenes.
Andræas Fuluius.
Aquila.

B.

Bernardus.
Berosus Chaldæus.
Basilius Magnus.
Baptista Mantuanus.
Baptista Fulgosius
Blondus Flauius.
Bion Boristenites.
Budæus.
Bartholomæus Camerarius.
Bruno Ambermachius.

C.

Cyprianus.
Chrysologus.
Cassiodorus.
Clemens Alexandrinus.
Clemens Papa.
Claudianus.
Cœlius Rodiginus.
Chrysippus.
Chrysostomus Dion.
Cassiodorus.
Cornelius Ianscnius.
Columella.
Cæsarius Arclatensis.
Cuspinianus.
Chilo Lacedæmonius.
Callimachus.

D.

Dionysius Areopagita.
Diogenes Laertius.
Diodorus Siculus.
Dionysius Carthusianus.
Dionysius Halicarnasseus.
Diodorus Tharsensis.
Dicearchus.
Demetrius Phalereu
Dion Cassius.
Dionysius Alexandrinus.
Dioscorides.
Didymus Alexand.
Democritus.
Didymus Brachmanes.
Dion Nicæus.

E.

Eusebius Cæsarienſis.
Eucherius.
Eustathius.
Euripides.
Epictetus.
Epicharmus.
Eusebius Emissenus.
Epiphanius.
Egesippus.
Ephren Syrus.
Erasmus Roteroda.
Empedocles.
Euthimius.
Epemenides.

F.

Finus Adiranus.
Fœlix.
Fauorimus.
Fulgosus.
Florus.
Festus.
Fabius Pictor.
Fenestella.
Franciscus Petrarcha.
Fulgentius.

G.

D.Gregorius.
D.Gregorius Niscenus.
Galatinus.
D.Gregorius Nazianz.
Gregorius Turonensis.
Gratianus.
Galenus.
Gerson.
Gellius.
Glossa ordinaria.
Guido Carmelita.

H.

D.Hieronymus.
D.Hilarius.
Hesiodus.
Herodotus.
Horatius.
Hieronymus ab Oleastro.
Hieronymus Osorius:
Hugo Cardinalis.
Hugo de S. Victore.
Homerus.
Hypocrates.
Hubertus Herbipolita.
Herodianus.
Haymo.
Heraclitus.
Historia Tripartita.

I.

D.Ireneus.
D.Iustinus Martyr.
Iustinus historiographus.
Iosephus.
Ionathæ Targum.
Ioannes Chrysostomus.
Ioannes Eccius.
Ioannes Monachus.
Ioannes Damascenus.
Ioannes Picus Mirand.
Innocentius iij.
Isidorus Hispalensis.
Isidorus Brixianus.
Isichius Hierosolymitanus.

Ioannes

Ioannes Cassianus.
Ioannes Stobæus.
Iuulenalis.
Iulius Solinus.

L.

Lactantius.
Leo Papa.
Lippomanus.

M.

Menander.
Marsilius Ficinus.
Macrobius.
Marcus Tullius.
Maximus Monachus.
Marcellinus.
Marulus.
Methodius.
Manilius.
Michael Bijzantinus.

N.

Nonius Marcellus.
Nicolaus Lyranus.
Nicephorus Callistus.
Nigidius Figulus.
Nicomachus.

O.

Origenes.
Ouidius.
Orontius.
Onkeli Thargum.
Optatus episcopus.
Oecumenius.

P.

Plato.
Pindarus.
Panætius.
Plutarchus.
Priscianus.
Pomponius Mela.
Ptolemæus.
Plinius.
Plotinus.
Philo Platonicus.
Petrus Nonius.
Petrus Crinitus.
Prudentius.
Palladius.
Pomponius Lætus.
Pseusippus.
Pyndarus.
Philo Iudæus.
Philostratus.
Pausanias.
Polycritus.
Panætius.
Prosper Aquitanicus.
petrus Galatinus.
pythagoras.
petrus Comestor.
photius.
porphirius.
phocilides.
pheneides.
polybius.
psellus.
petrus Lombardus.
petrus de Natalibus.
platina.

Q.

Quintilianus.
Quintus Curtius.

R.

Reuchlinus.
Rabanus.
Rupertus Abbas.
Rufinus Aquileiensis.
Richardus de S. Victore.
Raphael Volaterranus.
R. Dauid.
R. Kimhi.
R. Abraham.
R. Ioseph.
R. Selomoh.
R. Moyses Ægyptius.
R. Moyses Gerundiensis.
R. Aben Ezra.
R. Simon.
R. Sadius.
R. Iuda filius Amon.
R. Alba.
R. Iosue Galilæus.
R. Samuel Ber Nahaman.

S.

Seneca.
Strabo.
Salustius.
Sabellicus.
Septuaginta Interp.
Symmachus.
Stephanus.
Stephanus papa.
Socrates philosophus.
Sixtus Senensis.
Suetonius Tranquillus.
Sophocles.
Sibyllæ.
Soranus.

T.

D. Thomas.
Theophilactus.
Tertullianus.
Trogu.
Theopompus.
Theodotion.
Theodoretus.
Therentius.
Thalmud.
Thargum.
Trebellius pollio.
Titus Liuius.
Tacianus.
Trismegistus.
Thales Milesius.
Titelmannus.
Theophrastus.
Tomas Vualdensis.

V.

Virgilius.
Valerius Maximus.
Volaterranus.
Vlpianus.
Victorinus.
Vitruuius.
Vegetius.

X.

Xenophon.
Xenocrates.
Xiphilinus.

Z.

Zeno philosophus.

FRATRIS HECTORIS

PINTI LVSITANI HIERONYMIANI

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS ET

in Academia Conimbricensi Sacrarum literarum

professoris in Esaiam Prophetam

Commentarius.

Argumentum primi capitis.

1 Explicat diuinus vates genus operis: nomen authoris, materiam, & tempus. 2 Iu dicit Deum loquentem, & Iudæorum scelera, eorúmque sacrificia execrantem. 3 Inuitat peccatores ad pœnitentiam. 4 Aperit mysterium redemptionis humanæ per Christum seruatorem nostrum. 5 Deplorat Hierosolymæ flagitia & miserias. 6 Inuehitur in eius principes & magnates, qui cum tanquam parentes boni, & tutores fideles esse deberent, eam opibus spoliabant, eiusque dignitatis patrimonium diripiebant. 7 Tandem prædicit Iudæos infideles suorum impiorum facinorum esse pœnas graues iustasque persoluturos.

CAPVT PRIMVM.

VISIO Esaiæ[b] filij Amos, quam vidit[c] super[1] Iudam & Ieruſalem[d] in diebus Oziæ, Ioatham, Achaz, & Eſechiæ regum Iuda. [e] Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniã dominus locutus eſt. [f] Filios enutriui & exaltaui, [g] ipſi autem ſpreuerunt me. [h] Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui, Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. [2i] Væ genti peccatrici[k] populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis: dereliquerunt Dominum, [l] blaſphemauerunt [3] ſanctum Iſrael, [m] abalienati ſunt retrorſum. [n] Super quo percutiam vos vltra addentes prævaricationem? [o] Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. [p] Vulnus, & liuor, & plaga tumens, [4] non eſt circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.

EXPLANATIO.

A a *Viſio Eſaiæ.*) Inter omnes ſẽſus nullus eſt qui certiorem & euidẽtiorem cognitionem obtineat, quàm viſus. Illud enim certum nobis & perſpicuũ eſſe abſque dubio aſſerimus, quod oculis aſpicimus. Eam ob cauſam dicebat regina Saba regi Salomoni, vt in libro tertio Regum memoriæ proditum eſt: *Non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis.* Et diuus Thomas apoſtolus apud diuum Ioannem dicentibus aliis diſcipulis vidiſſe Dominum, dicebat non crediturum ſe eſſe, niſi eum videret. Vnde illud Saluatoris noſtri: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti.* Eam ob cauſam prophetæ appellabantur quondam videntes, vt in libro primo Regum literæ diuinæ teſtantur. Et de Abrahamo nobili patriarcha, eximia fide & obedientia præſtanti ait Chriſtus Deus noſter apud diuum Ioannem: *Exultauit vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt.* Quamobrem prophetia appellatur viſio quaſi res certiſſima. Ita

C Nahum ſuam prophetiam appellat dicens in eius principio & inſcriptione: *Onus Niniue: liber viſionis Nahum.* Et Abdias, *Viſio*, inquit, *Abdiæ.* Ezechiel etiam: *Cùm eſſem*, inquit, *in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar, aperti ſunt cæli, & vidi viſiones Dei.* Ezechieli viro ſanctiſſimo aperiebantur cæli qui illis clauſi erant, qui flagitiorum vinculis captiui detinebantur. Non enim decebat, vt cœleſtem illam claritatem & admirabilẽ viſionem intueretur impiorum animus caligine turpium cupiditatum obcæcatus, ſcelerúmque deprauatione irretitus. Et noſter Eſaias. *Viſio*, inquit, *Eſaiæ filij Amos, quam vidit ſuper Iudam & Ieruſalem.* Quibus verbis oſtendit vaticinium hoc ſummam habere certitudinem & firmitatem. Et vt viſus lucem requirit, ſine qua eſſe non poteſt, cùm omnes alij ſenſus etiam in tenebris ſuos effectus obtineant: ſic diuini vates abſque diuino lumine vaticinari non poſſunt, nec Dei viſiones mentis oculis aſpicere. Qui enim fieri poteſt, vt in illum eximium ſplendorem diuinarum viſionum mentis aciem intendat ille, qui ſit diuino lumine deſtitutus? *Reuela*, inquit diuinus ille vates & clariſſimus rex Dauid, *oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Nam vt oculis ſolem ſine ſolis luce intueri non valet, ſic mens hominis rerum diuinarum cognitionem capere non poteſt, niſi fuerit diui-

a ni

A ni auxilij radio illustrata. Et alio in psalmo volens
Psal.44. ostendere prophetiam suam esse diuinitus inspiratã, *Lingua mea*, inquit, *calamus scribæ velociter scribentis*. Quibus verbis quid aliud significat, quàm seipsum esse instrumentum, sanctum verò spiritum præcipuũ effectorem? Ideo multis in Psalmis præfigitur hæc inscriptio, מזמור לדויד *moymor le Dauid*: Psalmus Dauidi. Significat enim sanctus vates Psalmorum authorem Deum esse, qui eos sibi inspirauit. Articulus enim, *le*, Hebraicus cum datiuo coniungitur: quanquàm non desint, qui dicãt, posse etiam genitiuo copulari. Sed Septuaginta interpretes datiuum esse apertè significarunt vertentes: Ψαλμὸς τῷ Δαβιδ. Et diuus Petrus Apostolorum princeps in epistola sua se-
2.Pet.1. cunda hæc verba scripta reliquit: *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu Sancto*
Mala.1. *inspirati locuti sunt sancti Dei homines*. Apud Malachiã prophetam vbi communis versio, quam vulgatam editionem appellamus, habet: *Onus verbi Domini ad Israel in manu Malachiæ*, habet versio Septuaginta: *Assũptio verbi Domini super Israelem in manu angeli eius*. Vbi vides vaticinationem appellari assumptionẽ, quòd eam vates à Deo assumant. & visionem, quòd sit cer-
B ta, & mentis oculis diuino lumine illustratis perspecta, ac diuinitus inspirata. Visio aut est naturalis, aut
Visionis quatuor genera. per fidem, aut prophetica, aut beatifica: prophetica est inferior visione ea, quam appellant beatificã, sed superior naturali, & ea, quæ est per fidem eorum, qui prophetæ non sunt.

b *Filij Amos.*) Hic Amos non est propheta ille tertius in ordine prophetarum. Illi nanque ita scribitur עמוס: hic verò modo אמוץ. Præterea ille fuit humili loco natus, hic verò nobilis, & frater Amasiæ regis, vt viri docti memoriæ prodiderunt.

c *Super Iudam & Ierusalem,*) Nomine Iudæ intelligitur etiam Beniamin. Separatis decẽ tribubus, quæ Israel & Ephraim appellantur, & in Samaria habitabant, semper Beniamin adhæsit tribui Iudæ, de quibus duabus Esaias præcipuè loquitur, quæ Hierosolymæ & in Iudæa habitabant. Est enim eius præcipuũ institutum loqui de messia, cuius mysteria Hierosolymæ & in Iudæa futura esse præuidebat. Ibi enim natus est, ibi mortem acerbissimam toleranter tulit, & suo purissimo sãguine pro nobis fuso peccata nostra deleuit. Ibi fuit sepultus, & redditus ad vitam, & ascendit in cœlum. Ibi denique ea operatus est mysteria, quibus hominum genus à miserrima seruitute,
C qua oppressum tenebatur, eriperet, & ad cœlestem ęternámque patriam perduceret. Dicens autem propheta: Super Iudam & Ierusalem, indicat vaticinari de rebus tam prosperis quàm aduersis, quas præuidebat esse, & Hierosolymæ & in Iudæa futuras.

d *In diebus Oziæ.*) Hic appellatur etiam Azarias,
4.Reg.15 vt libro quarto Regum licet videre. Est igitur sensus huius inscriptionis: Hoc libro cõtinetur prophetia Esaiæ filij Amos, quam Deo reuelante mentis oculis aspexit, qua de rebus super Iudam & Ierusalem
Quatuor huius exordij mẽbra. venturis vaticinatur, regnantibus succeſſiuè in Iudæa Ozia Ioathamo, Achaz & Ezechia. Vbi vides quatuor in hoc exordio à Propheta explicari: primũ, genus operis, est enim visio siue prophetia: secundũ, nomen authoris, est enim Esaias filius Amos: tertiũ, materia, agit enim de rebus Iudæorum prosperis, & aduersis, & de mysteriis, quæ in Iudæa futura intuebatur: quartum, tempus, quod fuit in diebus regum, qui hic commemorantur. Sed de inscriptione hactenus.

e *Audite cœli, & auribus percipe terra.*) Intuere huius principij amplitudinem & maiestatem. Voluit sanctissimus vates & eloquentissimus orator cœlum terrámque in exordio inuocare, vt rerum dicendarũ magnitudinem ostenderet, & auditorum animos at- D
tentos redderet. Sed si totum prophetam legas, videbis apertissimè totam operis seriem principio respondere. Sublimi enim quadam & heroica dicendi magnificentia & amplitudine fertur, & in omni genere amplificationis inflammatur. Est igitur horum verborum sensus: Audite angeli & reliqui cœlites, vósque homines adestote animis, aures vestras erigite, & dicentem attendite, quoniam Dominus locutus est. Metonymicως, vt per continens id, quod continetur, intelligatur. Potest etiam ita explanari. Moyses postquàm populo Israelitico legem Dei dedit, testatus est cœlum & terram, vt in Deuteronomio ap- *Deut.30.*
paret. Nunc fracta & contempta diuina lege citat *& 31. &*
diuinus noster vates, & vocat eosdem testes, vt vi- *32.*
deant omnes creaturæ esse Deum meritò illis iratum, qui legem suam pro nihilo putarunt, & in republica violanda dolos pestilentes conceperunt. Poteris
præterea per cœlos homines intelligere, sed eos, *Cœlum.*
quorum familiaritas in cœlo est, qui in corporibus humanis vitam cœlestem imitantur, qui, humanis rebus contemptis, ad quas homines cupiditate incensi rapiuntur, ad cœlum semper aspirant. Per terram ve- *Terra.*
rò homines flagitiis astrictos, qui terram semper spectant, & in prœmiis humanis spem rerum suarum po-
nentes humana diuinis anteponunt. Solent enim di- E
uinæ literæ viros animi celsitudine præditos iustitiã & pietatem colentes cœlos appellare, eos verò, qui scelere & maleficio pascuntur, terram vocant. Ita enim viri docti explanant locum illum Esaiæ: *Cœlum* *Inf.66.*
sedes mea est. iuxta id, quod ait Paulus Apostolus, *Vos* *2.Cor.6.*
estis templum Dei viui. Et alibi: *Templum Dei sanctum* *1.Cor.3.*
est, quod estis vos. Et id, quod dicitur in Psalmo: *Cœli* *Psal.18.*
enarrant gloriam Dei, de Apostolis & viris sanctis intelligitur, vt videtur ex diuo Paulo deduci qui id, quod statim sequitur. *Non sunt loquelæ nec sermones,* *Rom.10.*
quorum non audiantur voces eorum, de Apostolis in epistola ad Romanos interpretatur. Appellari autem peccatorem terram, apertè indicat scriptura dicens: *Corrupta est terra coram Deo, & repleta est iniquitate.* Et ita interpretatur Chrysostomus locum illum Gene- *Gen.6.*
sis: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Hæc enim *Gen.3.*
verba dixit Deus serpenti, postquàm primus parens noster Euæ deceptæ obediuit, quando illa eum ad funestas epulas inuitauit. Est enim homo mortifero flagitio contaminatus cibus diaboli, iuxta illud Petri Apostoli: *Aduersarius vester diabolus tanquam leo* *1.Pet.5.*
rugiens, circuit quærens quem deuoret. Vbi vides hominem flagitiosum terram esse, & ab antiquo serpente deuorari. Ergo nomine cœli & terræ intelligit iustos F
& peccatores. Vel ita: Vosô res insẽsibiles alloquor. Audite me orbes cœlestes, præbe mihi aures tu terra infimum elemẽtum. Vos voco ô res inanimatæ, nam homines sunt multò vobis insensibiliores. Clauserũt aures suas diuinis monitis velut aspides surdæ, nolũt me audire, vos mihi aures date, & dicentem attendite. Hic videtur esse huius loci germanus sensus. Non enim recedit à litera, & ostendit vehementem impetum à diuino amore productum, quo erat vir sanctis-
simus inflammatus. Eodem modo alius propheta vi- *3.Reg.13.*
dens regem Ieroboam idolum venerantem, verúm que Deum contemnentem, diuino quodam amori incensus non homines impios, sed ipsum altare insẽsibile in hunc modum alloquitur: *Altare altare: hæc dixit Dominus: Ecce filius nascetur domui Dauid Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt.* Quid ais propheta, lapidẽ alloqueris? Lapidem. quoniam homines multo insẽsibiliores lapide facti sunt. Et statim altare mirabiliter scissum est verbis prophetæ obtemperans, & cinis effusus est. Lapis audiuit, & fuit confestim fractus:

homines

A homines autem non frangi, ſed neque audire voluerunt. Habes hanc hiſtoriam tertio libro Regum. Imperabat Chriſtus vento, & mari fluctibus exagitato, *Matth.8. Luc.8.* & ſtatim parebant, vt euangelica cõteſtatur hiſtoria, & fiebat tranquillitas magna: homines autem nec Chriſto imperante volunt quieſcere, nec à turbulentis ſcelerum tempeſtatibus deſiſtere, inconſtantiores vento fluctuoſiores mari, duriores lapidib', ſurdiores illis, qui ea loca accolũt, quæ Catadupa nominantur. *Cicero. in hom. Scip.* Hoc intuens diuinus vates quaſi ignorãs quò ſe verteret, vbi quereretur, quos imploraret, vt eum audirent, non homines, ſed res ſenſu audiendi carentes alloquitur.

f *Filios enutrini & exaltaui.*) Hebræos vocat Deus filios ſuos. Et in Exodo, *Filius*, inquit, *primogenitus meus Iſrael.* *Exod.4.* Populus gentium filius etiam eſt, ſed non primogenitus, ſed ſecundo genitus. At ſi diuinas literas volueris attentius intueri, & veterum hiſtoriarum memoriam replicare, inuenies multis in locis, non primogenitos accepiſſe hæreditatem, quin potius filios ſecundos Deo fuiſſe chariſſimos. Primogenitus fuit Cain: ſed Abel iuſtitiam coluit & pietatem, *Gen.4.* & ad illum, eiúſque munera, non autem ad Cain Deum reſpexiſſe diuinæ literæ conteſtãtur. *Gen.21.* Primogenitus fuit Iſmael, ſed Iſaac accepit hæreditatem. Primo genitus fuit Eſau, ſed Iacob præripuit benedictionẽ. *Gen.27.* Itaque Hebræi filij vocantur. Sed quoniam Deum
B clementiſſimum patrem ſpreuerunt, eiúſque filium Chriſtum Ieſum Deum verum cruci affixerunt, & acerbiſſimis cruciatibus ad mortem vocarunt, fuerũt optimo iure hæreditate expulſi, & reprobati. Eos autem, qui ex gentibus crediderunt, adoptauit Deus, & in cœleſtem hæreditatem vocauit, & eos etiam, qui ex Iudæis ipſum Chriſtum receperunt. *Rom.8.* *Accepiſtis*, inquit Paulus Apoſtolus, *ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei: ſi autem filij,* *Ioan.1.* *& hæredes.* Et Ioannes Euangeliſta, *Quotquot autem*, inquit, *eum receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Sed animaduerte. Explicaturus Deus Iudæorum ingratitudinem, cæteráque nefaria ſcelera, prius cõmemorat beneficia ab eo in illos collata, vt eorum culpa emineat, & tetrior atque grauior appareat. Tria beneficia commemorat: generationis, dicens *filios*: nutritionis, dicens *enutrini*: dignitatis, dicens *exaltaui*. Genuit eos doctrina & gratia: enutriuit eos non ſolum terreno cibo, ſed etiam cœleſti, iuxta id, quod dicitur in Pſalmo: *Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducauit homo.* *Pſal.77.* Extulit eos victoriis & triumphis, atque memorabilibus trophæis & monimẽtis. Adduxit illos ad terram vberrimã, quam
C illis promiſerat vt eam victis mirabiliter gentium regibus poſſiderent. Superauerunt diuino præſidio muniti & domuerunt gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, omni copiarum genere abũdantes. Sed totam hanc dignitatem deformauerunt, & penitùs amiſerunt, quoniam cœleſtem illum doctorem de cœlis ad terram miſſum, qui eos è tenebris errorum vindicatum, & à peccatorum vinculis liberatum venerat, ad excidium crudeliſſimum falſis criminibus vocarunt.

Tria Dei in Iudaicam gentem beneficia.

g *Ipſi autem ſpreuerunt me.*) Aduerte, *ipſi*, *me*. Vtraque dictio ſuam habet emphaſim. Ipſi ingrati filij, me pium patrem, nutritium, authorem ſuæ dignitatis, & Deum. O cæcitatem deplorandam. O nefariam ingratitudinem, & immanem hominum impietatem, qui poſt tot beneficia à Deo accepta ipſum Deum aſpernati ſunt. Quæ autem ea ſint, in quibus Deus fuerit ab illis ſpretus, non eſt opus commemorare, cum illis plena ſit hiſtoria Euangelica. Nam etſi hæc verba Dei poſſint ad tempus illud referri, quo Eſaias ea literis mandauit, proprie tamen magis ad Chriſti tem- D
pus referuntur.

h *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum.*) Arguit Iſraelis ingratitudinem & ignorãtiam brutorum comparatione. Quid ſtolidius boue? Quid ſtupidius aſino? Et nihilominus eos cognoſcunt, qui eis tribuunt beneficia. At Iſrael Deum, à quo innumerabilia beneficia acceperat, non cognouit. *Et populus meus non intellexit.* Si eſſet populus extraneus, non eſſet ita mirum. Sed eſt meus, quod amplificat criminis grauitatem. Non fuiſſe autem Chriſtum notum à Iudæis, ipſe apud Ioannem in hunc modum teſtatur: *Hoc faciunt vobis, quia nõ nouerunt Patrem nec me.* Et iidem Iudæi *Ioan.16.* dicebant apud Ioannem: *Hunc autem neſcimus, vnde* *Ioan.9.* *ſit.* Et apud Lucam alloquens Chriſtus Hieroſolymã *Luc.19.* *Non relinquent*, inquit, *ſuper te lapidem ſuper lapidem, eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ.* Egreſſis Iudæis ex Ægypto dedit illis Deus in deſerto panem de cœlo, de quo ait diuinus vates: *Pluit illis mãna ad manducandum, & panem cœli dedit eis, panem an-* *Pſal.77.* *gelorum manducauit homo.* Viſo cœleſti pabulo dicebãt filij Iſraelis: *manhu?* Quod ſignificat: quid eſt hoc: Ignorantes & rei nouitate commoti quid illud eſſet, inuicem quærebant, Habes hanc hiſtoriam Exodi capite ſextodecimo. *Exod.16.* Et quoniam illa, vt ait Apoſtolus, *1.Cor.10* illis in figura contingebant, per panem illum cœleſtem Chriſtus ſignificabatur, qui de ſeipſo, *Ego ſum*, *Ioan.6.* inquit, *panis viuus, qui de cœlo deſcendi.* Quid igitur E
per illa Iudæorum verba ſignificabatur, niſi venturũ eſſe tempus, quando Iudæi de pane illo cœleſti Chriſto ſeruatore noſtro dicerent: Quid eſt hoc? Tu quis *figura: Num.21.* es? *Hic neſcimus vnde ſit. Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Voluit Spiritus ſanctus figura illa oſtẽdere, Iudæos non eſſe Chriſtum cognituros, quod hic per Eſaiam ipſe teſtatur. Non cognouerunt autẽ eum, quia malitia obſtinati eum cognoſcere noluerunt. De illis enim eſt in libro Sapientiæ monimentis mandatum: *Excæcauit illos malitia eorum, & ſacra-* *Sap.2.* *menta Dei ignorauerunt.*

i *Væ genti peccatrici.*) Deplorat propheta Iudæorũ miſeriam & calamitatem, æternumque eis minatur interitum. Non vnius tantum aut duorum, ſed totius populi, flagitia deplorat. Reſpice congeriem rhe *Peccatorum nomina.* toricam, qua ſignificat eſſe Hebræos omni ſcelerum genere contaminatos. Gens peccatrix, populus grauis iniquitate, ſemen nequam, filij ſcelerati, idem diuerſis verbis ſignificant. Sed voluit hæc ad ampliorẽ exaggerationem coniungere. Tu verò conſidera quę nomina Deus peccatoribus imponat. Multi ſunt improbi, & impiorum facinorum maculis notati, qui, vel quòd illuſtri loco nati ſint, & maiorum opinione
F nitantur, vel quòd rempublicam adminiſtrent, vel quòd aliqua alia de cauſa illuſtri aliquo honore in hominum cœtu celebrentur, magnificis nominibus appellantur. Sed talia nomina ſunt inania & fallacia, quippè ab hominibus impoſita, qui & alios fallunt, & ipſi longe opinione falluntur. At vera & apta impiorum nomina ſunt ea, quæ hoc in loco verus ille iuſtiſſimus ac ſapientiſſimus Deus illis imponit. Cõtrà verò viros iuſtos, omnibus virtutum ornamentis *Iuſti epitheta.* decoratos, & ardenti charitate præſtantes nominibus illuſtribus appellat *Vos*, inquit, *ille, eſtis ſal terræ. Vos eſtis lux mundi. Vos eſtis ciuitas ſuper montem poſita.* *Matth.5.* Quibus ampliſsimis nominibus voluit Deus Apoſtolorum laudem oſtendere, eóſque incitare ad omnes tẽpeſtates atque procellas forti & erecto animo ſubeundas.

k *Populo graui iniquitate.*) Homines ſceleratos appellat graues iniquitate. Eſt enim peccatum onus & pondus vſque eò graue, vt animas in inferos deprimat. Nam vt graue ſuapte natura tẽdit deorſum vſ-

A que ad centrum, sic mortiferum peccatum animas ad ima, & profunda tartara secum ducit, multo grauius omni plumbo absque vlla comparatione. Hoc peccati pondus voluit Zacharias propheta significare, ita capite quinto dicens: *Ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ: & dixit: Hæc est impietas.* Et Dauid, *Quoniã*, inquit, *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Quibus verbis apertè ostendit se peccati pondere adeò obrui, vt animi vires tã graui oneri ferendo pares non habeat. Et paulo post, *Miser*, inquit, *factus sum, & curuatus sum vsque in finẽ.* Et alio in loco exclamat idem propheta: *Filij hominũ vsquequo graui corde?* Vt enim nauigia nimis grauata & onusta pondere premuntur, & naufragium faciunt, sic animi nostri peccatorum onere succumbunt, & in mediis fluctibus corruunt, priúsque in ipso cursu obruuntur, quàm portum conspicere potuerunt. Et vt Charitas est ignis sursum tendens, sic peccatum est terræ centrum petens. De eius pondere illud etiam intelligitur, quod in hunc modum Deus per Ieremiam ait: *Ne portetis onus, & ne inferatis per portas Ieruſalem in die sabbati.* Hierosolymæ portæ sensus nostri sunt, per quos in ciuitatem regiam, hoc est in animam nostram ad imaginem Dei factam sarcinas grauissimas ferimus, cũ deliberatè peccatis assentimur.

Zach. 5. Psal 37. Psal. 4. Compara tio. Ierem. 17.

B 1 *Blaphemauerunt sanctum Israel.*) Israel est genitiui casus. Sanctus Israelis est, Dei periphrasis, qui ideo sic vocatur, quia Israeliticum populum, quem sibi elegerat, sanctificauit, & coram eo se sanctum ostendit. Eum Iudæi blasphemauerunt, quando eum Samaritanum, dæmoniúmque habentem vocauerunt, in eúmque odium ad sanguinem excitauerunt. Lege Euangelicam historiam, si impias Iudæorum in Christum Deum nostrum Blasphemias videre volueris.

m *Abalienati sunt retrorsum.*) Non solum non secuti sunt Deum, sed etiam ab eo fugerunt, & defecerunt: quam ob causam in infernum præcipitati sũt. Ait enim scriptura: *Qui elongant se Domine à te peribunt.* Defeciſſe Iudæos à Domino, & terga vertisse, multis in locis diuinæ literæ contestantur. Apud Ieremiam emittit Deus has voces: *Elongauerunt à me, ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt.* Et paulo post. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Et Oseas: *Dereliquerunt*, inquit, *Dominum non custodiẽdo.* Et multis aliis in locis. Sed quid loquitur de Iudæis, cùm nos ipsi Deum quotidie derelinquamus, ab eóque animos nostros alienemus? Quid facis homo? quẽ relinquis? cur te in fugam turpissimam coniicis? Quò is, quem quæris, ad quem confugis? Quæ potest esse maior insania quàm ab eo fugere, qui est summè bonus, qui te ad æternam gloriam vocat, & eum sequi, qui est pessimus, qui cogitat de tua pernicie & vastitate, qui suis falsis illecebris te ad æternos cruciatus perducere conatur?

Psal. 72. Ierem. 2. Ose. 4.

C n *Super quo percutiam vos vltra?*) Quoniam poterat aliquis ita Deo obiicere. Si hic populus se tam impiis sceleribus contaminauit, quare eum non punis, vt flagellis ipsis ad te conuertatur? Huic tacitæ obiectioni videtur respondere Deus, iam hoc remedium adhibitum esse, sed nihil profuisse. Ait igitur: Sæpe vos percussi, vt corrigeremini, vos autem ipsã medicinam in venenum conuertistis. Tantum abest vt supplicium vestros nefarios conatus coerceat, vt etiam scelera sceleribus addatis. Vbi ergo vos feriã, cum nulla sit in vobis pars, quæ iam non sit percussa? Ostẽdit Deus ideo nos affligere, vt oculos aperiamus. & vitia relinquentes cœlestia contemplemur, & ad Deum conuertamur. Solent enim aliquando peccatores conuerti, quando afflictionibus & calamitatibus premuntur. Hoc intelligens Dauid, *Conuersus*, inquit, *sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Ex quo perspicis magnam esse Dei iram, quando nobis non irascitur: quemadmodum quando per Ezechielem dicebat: *Zelus meus recedit à te, & non irascat tibi amplius.* Et per Oseam: *Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras, cum adulterauerint.* Tunc vltio Dei est grauissima, cum dimittit hominem in manu sui deprauati appetitus. De qua vltione ipse in Psalmo, *Dimisi*, inquit, *eos, secũdum desideria cordis eorũ.* Eam ob causam viri sapientes virtutéque prestantes afflictionibus delectantur. Diuus Paulus, *Gloriamur*, inquit, *in tribulationibus.* Et alibi: *Quod in præsenti est momentaneũ & leue tribulationis nostræ, supramodum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Nam vt in semine fructus est, sic in afflictione gloria. In Apocalypsi diui Ioannis Apostoli de beatis illis, qui Deo sempiterno æuo fruuntur, dictum est. *Isti sunt qui venerunt de tribulatione magna.* Non sine causa veteres sapientes fictis fabulis memoriæ prodiderunt, solem pasci aquis amaris, lunam vero dulcibus. Qua in re significare volebant, virum sapientia excultum, virtutúmque ornamentis decoratum, qui per solem intelligitur, amara quærere, afflictionibúsque delectari, stultum vero & flagitiis coopertum, inconstantem lucéque aliena resplendentem, qui per lunam significatur, mundi voluptates appetere, falsis illecebris pasci & deliniri, & ardenti inanis celebritatis cupiditate inflammari.

D Psal. 31. Ezec. 16. Ose. 4. Psal. 80. Rom. 5. 2. Cor. 4. Apocal. 7. Fabula.

E o *Omne caput languidum, & omne cor mœrens.*) Allo quitur Deus Iudæorum populum, ac si esset corpus vnum, cuius caput esset rex, cor antistes & sacerdos, reliquum corpus omnes alij tam nobiles quàm obscuri. Et volens ostendere esse eos incurabiles ait: *Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est circunligata, neque curata medicamine, neque fota oleo.* Acsi diceret: Cum tam grauibus animi morbis laboretis, nullam tamen vultis adhibere medicinam. Id iis verbis deplorabat Ieremias: *Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Indurauerunt facies suas super petram & noluerunt reuerti.* Hæc propriè de Iudæis illis possunt intelligi, qui percussi à Deo, traditi Romanis, vastata Hierosolyma, incenso templo, in sua infidelitate & perfidia permanserũt. Est igitur sensus: Nullas inuenio plagas, quibus duritiem vestrã confringam, siquidem nullis vultis corrigi verberibus. Nam à planta pedis, hoc est ab infima plebe, vsque ad verticem, hoc est vsque ad regem, estis corrupti, flagitiisque contaminati. Illud est aduertendum, regem, vocari caput & sacerdotem cor, quæ sunt in toto corpore præcipua membra. Volens ostendere esse totum populum corruptum, satis esse duxit indicare, principes & præsules corruptos esse. Nam quales in republica principes sunt, tales solent esse ciues, quod Plato eleganter scriptum reliquit. Sed grauius diuinæ literæ in Ecclesiastico iis verbis affirmant. *Secundum iudicem populi, sic & ministri eius, & qualis rector est ciuitatis, tales & habitantes in ea.* Nam vt colũnæ vmbra ipsam columnam imitatur, vt si columna recta sit, vmbra in rectitudinem tendat: si vero curua & obliqua, eodem modo vmbra se habeat: sic populus principem & præsulem imitatur. Ex quo efficitur, vt populi peccata sæpenumero principi & antistiti meritò tribuantur. Inueniens Moyses populum colẽtem vitulum, fratrem suum Aaronem ita obiurgauit: *Quid tibi fecit populus hic vt induceres super eum peccatum maximum?* Ascribit sacerdoti & præsuli populi flagitium, quòd ei non omni conatu restiterit. Intellexit enim vir sapiens & iustus, debere præsulem vi ac potestate cæcum impetum imperitæ multitudinis coercere. Ideo non ait: Quid fecisti? Sed, *quid tibi fecit*

F Rex caput, sacerdos vocatur cor. Ecclesi. 10. simile Exo. 32.

A *fecit populus hic?* Quasi maximum sit genus sui vlciscendi non coercere subiectorum deprauatum appetitum. Peccauerat populus, & sacerdos obiurgatur.

Si horologium plenas habuerit rotas, pondera, & cætera ad suum artificiũ necessaria, quibus orbes siros, circulósque conficiat mirabili certitudine & constãtia, vt possit horis certa temporis spatia & interualla distinguere, & nihilominus horæ intemperatè sonuerint nulla certitudine, nulla moderatione, talis error potius moderatori tribuendus est, qui horologium temperandum susceperit, quàm ipsi horologio. Sic errante populo, & à temperantia & moderatione discedente, illi qui eum gubernandum susceperit, est absque dubio culpa tribuenda, est enim princeps veluti horologij moderator. Illud est præterea considerandum, antistitem & sacerdotem appellari cor: quoniã quemadmodum cor est fons quidam omnium sensuum, in quo est perennis quædam motio, ex qua arteriarum cursus proficiscitur, sic ex antistite exire debent crebræ precationes, solida atque sancta doctrina, insignes virtutes, quibus populus adiuuetur, & ad virtutẽ moueatur. Et vt cor habet sedem in medio corporis, sic præsul debet esse in medio, omnibus cõmunis & æqualis. Et vt cor est veluti medium inter animam & corpus, sic præsul debet esse mediator inter Deum & homines. Incolumi corde possunt mẽbra saucia sanitatem recuperare: at saucio & percusso corde nulla est spes salutis recuperandæ. Eodem modo si populus in vitiorum ægritudinem inciderit, poterit sanitatem obtinere, sed corrupto præsule & vitiis contaminato, quæ erit spes salutis recuperandæ? Si ceciderit lapis ex pariete, facile restituetur, sed labefactato & euerso templi fundamento, qui fieri potest, vt totum ædificium non corruat, & funditus euertatur? Si lucerna extinguitur, si lux obscuratur, si nauclerus mergitur, si dux amittitur, quid facient cæteri? Imò, ipse præsul quid faciet? *Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* *Math. 5.*

Similia.

p *Vulnus, & liuor, & plaga tumens.*) Poteris per vulnus apertum scelus intelligere, per liuorem occultum, per plagam tumentem superbiam & elationem.

ANNOTATIONES EX Hebræo in aliquot loca primi capitis.

4. Reg. 9. Psal. 2.

1 Super Iudam & Ierusalem.] *Pro* super, *est in Hebraico* עַל *Quæ dictio significat* super, *vt quarti Regum nono.* Lenticulam olei fundes super caput eius. *Significat etiam aduersus, vt Psalmo secundo:* Aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. *Qua ratione adducti Septuaginta interpretes verterunt hoc in loco:* Cõtra Iudam & Ierusalem. *Sed quoniam non omnia quæ hic sunt literis mandata sunt, contra Iudam & Hierosolymã, imò multa de illis prospera & ad voluntatem fluentia prædicuntur, videtur melior esse hoc in loco editio vulgata.*

B

2 Væ genti peccatrici.] *In Hebraico pro væ est* הוֹי: *quæ particula significat, væ, heu, & ô aduerbium vocãdi. In hoc eodem capite paulo post vertit interpres noster per heu interiectionem dolentis & plorantis, hic vero per interiectionem comminantis, quanquam hæc comminatio sit misita cum gemitu & luctu.*

3 Blasphemauerunt sanctum Israel.] *Pro* blasphemauerunt *est in Hebraico* נאצו *à verbo* נאץ, *naats, quod significat blasphemare. vt capite quinto in hoc eodẽ propheta.* Et eloquium sancti Israel blasphemauerũt. *Sed quoniam in coniugatione Piel quemadmodum est hoc in loco, verba aliquando alteram insuper actionem significant, potest verti, fecerunt indignari sanctum Israelis, vel multo melius, Irritauerunt, & ad iram prouocauerũt sanctum Israelis. Nam Septuaginta verterunt:* Prouocastis, *seu iratum fecistis,* sanctum Israel. *Et Pagninus.* irasci fecerunt. *Vult propheta significare Iudæos suis sceleribus Deum ad iram prouocasse.* *Infrà. 5.*

E

4 Non sunt circumligata.) *In Hebraico est* לוזורו *lo zoru, à verbo* זור *quod significat circumligare & cõstringere, quam ob causam vertit Pagninus:* Non sunt constricta. *Significat etiam frangere, ideo poterat Latinè reddi: non sunt fracta, hoc est aperta & compressa, vt educeretur sanies.*

---

a Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ igni: regionem vestram coram vobis alieni deuorant: & desolabitur sicut in vastitate hostili. Et derelinquetur [b] filia Sion & vmbraculum in vinea, & [c] sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas quæ vastatur. [d] Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus: [e] Audite verbum Domini principes Sodomorum: percipite auribus legem Dei vestri populus Gomorrhæ. *infrà. 5. d* *Rom. 9. f* *Gen 19. c* *Iere. 6. c* *Amos 5. f*

C [f] Quo mihi multitudinem victimarum vestrarũ, dicit Dominus? [g] Plenus sum [h] Holocaustã arietum, & adipem pinguium, [i] & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cum veneritis ante conspectum meũ, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atriis meis? Ne offeratis vltra [k] sacrificium frustra. [l] Incensum abominatio est mihi. [m] Neomeniam, & sabbatum, & festiuitates alias non feram. Iniqui sunt cœtus vestri: calendas vestras, & solennitates vestras [n] odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. F

a *Terra vestra deserta.*) Hæc omnia referuntur ad tempus Titi Vespasiani, quando Iudæi fuerunt à Romanis capti, & occisi, & Hierosolyma fuit deleta, & templum incendio flagrauit. Est igitur sensus: Quoniam vos ô Iudæi cœlestem medicinam estis neglecturi, & in vestra malitia & contumacia permansuri, ideo terra vestra deseretur, & vrbes vestræ igne flagrabunt.

b *Filia Sion.*) Hoc est Hierosolyma: quæ ob eam causam vocatur filia Sionis, quia in monte Sione sita erat, ex quo quasi nasci videbatur. Vel quoniam phrasis est Hebræa, ciuitates sic filias appellare. Hebræis enim idem valet filia Sion, ac ciuitas Sion, & filia Babylonis ac ciuitas Babylonis. Fuit igitur Hierosolyma derelicta quemadmodum ita dixerat Deus per Ieremiam, *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatẽ meam, dedi dilectã animam meam in manus inimicorum eius. Facta est mihi hereditas mea quasi leo in sylua, dedit contra me vocem, ideo odiui eam.* Et Christus Deus noster apud Matthæum, *Ecce*, inquit, *derelinquetur vobis domus vestra deserta.* Et apud Ioannem, *Eamus hinc*, Ac si diceret: Relinquamus Iudæos in fideles, *Matt. 23. Ioan. 14.*

BIBLIOTECA ... GRANADA

A ciuitatem ingratam, templum materiale, & ab hoc loco discedamus.

c *Et sicut ciuitas quæ vastatur.*) Vt finita vindemia, & collectis cucumeribus, vineæ atque cucumerũ custodes derelinquunt humiles ac rusticas casulas, quas ad vitandos æstus atque imbres constructuerant: sic Hierosolyma instar abiecti tugurioli erit euersa & derelicta. Neque solum vt vilis habitatiuncula deseretur, sed etiam ab acerrimis hostibus vastabitur. Hęc etsi de Hierosolyma in aperto orationis argumento dicuntur, possunt tamen in ea intelligendi ratione, quam moralem vocant, ad animam nostram aptissimè referri. Quando enim anima vulnere flagitiorum saucia cœlestem medicinam aspernatur, Deúmque relinquit, deseritur ab ipso Deo, & ab hostibus immanissimis, hoc est à dæmone, mundo, & carne, crudeliter vastatur.

d *Nisi Dominus exercituum.*) Sẽsus est: Tantum erit excidium, tantis calamitatum angustiis prememur, vt nisi Deus nobis opem ferat, omnes pereamus. At clementissimus Pater relinquet superstites quasdam reliquias, ne sicut Sodoma & Gomorrha consumamur. Ostendit propheta prius Dei iustitiam, deinde misericordiam. *Rom. 9.* Diuus Paulus in epistola ad Romanos apertè ostendit, hunc locum esse ad tempus gratiæ referendum: Ex quo apparet eos in errorem grauem incidere, qui totum hoc de tempore illo solum interpretantur, quando post Babylonicam captiuitatem pauci ex Hebræis sub Zorobabele duce, & Iesu filio Iosedec sacerdote ad patriam, ex qua erant magna iactati tempestate expulsi, redierunt. Volens Apostolus ostendere, non omnes Iudæos repulsos esse, hunc citat locũ, intelligens per hoc semen Christi apostolos, & cæteros, qui ex Hebræis in Christum crediderunt. Hos appellat alio in loco Esaias reliquias, ita dicens: *Si fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo.* *Infrà. 10.* De quibus reliquiis loquitur in hũc modũ, Apostolus: *Nunquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam ego Israelita sum ex semine Abrahæ, de tribu Beniamin. Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit:* *Rom. 11.* Et paulò post, *Sic in hoc tempore,* inquit, *reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sũt.* Illos igitur paucos, qui ex tã innumerabili Iudęorum multitudine Christum receperũt, semen vocat, sumpta metaphora à re rustica. Quando enim coloni paruam & exiguam messem conqueruntur, solent dicere, vix semen superfuisse. Per hoc semen Christus etiam intelligitur. Ait enim Apostolus in epistola ad Galatas: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, &* *Gal. 3.* C *semini eius.* Non dicit & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Vide sit ne prima expositio literæ conuenientior, & sensui Apostoli in epistola ad Romanos accõmodatior.

e *Audite verbum Domini principes Sodomorum.*) Et si hoc propheta ad homines suæ memoriæ referebat, mentis tamen oculis intuebatur scribas & Pharisæos, ad quos hoc dirigebat. Cum prædixisset seruandos esse Apostolos, & reliquos, quos semen & reliquias vocat, conuertit sermonem ad scribas & Pharisæos homines effrenatos, sibíque præfidentes, qui cum nulla ratione & virtute, sed cæca atque turbulenta cupiditate suorum animorum dominatrice mouerẽtur, Christi seruatoris nostri sanctissimi infinitam bonitatem maculare voluerunt. Hos vocat principes Sodomorum, reliquos vero infideles & contumaces populum Gomorrhæ: quòd essent sceleribus obstricti, & omni flagitiorum genere contaminati. Et alio *infrà. 5.* in loco eodem nomine eos appellat, *Peccatum suum,* inquiens, *quasi Sodoma prædicauerũt, nec absconderunt.* Nec est mirum tam acriter Esaiam fuisse Iudæos allocutum, nam dolor animi, innata libertas, ardentissima charitas, prompta excellénsq; virtus, magnanimum virum, sanctissimúmque vatem cohortabantur, vt tam vehementi impetu in eos inueheretur. D

f *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum.*) Sacrificia veteris legis erant figuræ & vmbræ earum rerum, quæ postea in lege gratiæ futuræ erant. *Hæc autem omnia,* inquit Apostolus, *in figura contingebant illis.* *Corin. 25* Loquens Moyses cum Domino de iis, quæ ad tabernaculum pertinebant, audiuit hæc verba: *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte ostẽsum est.* *Exod. 25* Exemplar illud erat Dei ecclesia, quam Moyses mentis oculis aspexit in monte. priusquàm enim legis veteris tabernaculum fieret, iam Christi ecclesia erat in mente diuina constructa: & per tabernaculum illud, ea quæ erant posteà in ecclesia futura, significabantur. Sed cum Moyses alloqueretur populum, faciem velo operiebat, quia non poterant filij Israelis claritatem vultus eius respicere. Quod significabat eos non intelligere ea, quæ ipse tradebat cum mentes non puræ tantum sapientiæ splendorem capere non valerent. Et eodem velo est nunc Iudæis cooperta lex antiqua, quæ per Moysem significabatur. *2. Cor. 3.* Sed cum conuersi fuerint ad dominum, vt ait Apostolus, auferetur velamen. Ex quo colligitur, res illas veteres figuras fuisse & vmbras quasdam verarum rerum. Ob eam causam appellat Diuus Paulus in epistola ad Hebræos vetus tabernaculum vmbram cœlestium, & alio in loco in eadem epistola, *Vmbram,* inquit, *habens lex futurorum bonorum, non* *Hebr. 10.* *ipsam imaginem rerum.* Acsi dicat: Lex vmbram veri sacrificij tantum habet non ipsum verum sacrificium, quod est Christus verus Deus & verus homo, qui nos patri reconciliauit, seipsum in cruce immolans, vt cunctas nostras iniquitates suo purissimo ac pretiosissimo sanguine deleret. Cum autem veteris legis sacrificia Christum & ecclesiam adumbrarent, permittebantur à Deo, illíque placebant, si bono animo atque spiritu fiebãt: sed non qua ratione carnalia erant. Ait enim Dauid: *Si voluisses sacrificium dedissem, vti-* *Psal. 50.* *que holocaustis non delectaberis.* *Mich. 6.* Et Micheas: *Nũquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguiũ?* Quasi dicat, Nequaquã. Et Hieremias *Holocausta vestra nõ sũt accepta, & victimæ vestræ nõ placuerunt mihi.* Ideò loquẽs Christus cũ Patre has voces emittit: *Holocaustomata pro peccato non* *Psal. m.* *tibi placuerunt: tunc dixi: ecce venio.* *39.* Ita Diuus Paulus hunc locum in epistola ad Hebræos interpretatur. *Heb. 10.* Nõ ergo veteres hostiæ deo placebant quatenus carnales erãt, sed quatenus Christi eiusque ecclesiæ mysteria figurabant, & idololatriam excludebãt, & quatenus significabant debitũ ordinẽ mentis humanæ in Deũ, & candido animo fiebant. Sed cũ tẽpore Esaiæ populus Israeliticus esset sceleribus irretitus, & flagitiis deprauatus, nolebat Deus eorum sacrificia, quoniam ea absque fide, & pietate, & animi candore offerebant. Sed quoniam præcedentia de Pharisæis intelligebantur, existimo etiam hæc esse ad eos referenda. Est igitur sensus: Vos Scribas & Pharisæos alloquor, cæteróque Hebræos, qui Christum recipere negligitis: Nolo sacrificia vestra, quoniam iam verum sacrificium, cuius illa erant vmbra, in ara crucis immolatum est. Ne amplius immoletis paschalem agnũ, nam verus agnus qui tollit peccata mundi, cuius ille alter imaginem gerebat, humana crimina suo sanguine luit. Respuo sacrificia, quæ morientе Christo cessarunt, & volo Euangelicam puritatẽ. Nec mirum est Deum vetera sacrificia, respuere quoniam post Euangelicam prædicationem & diuulgationem sunt mortifera, & æternam damnationem secum afferentia. Est enim lex vetus cum suis cerimo- *simile.* niis & sacrificiis antiquata, & sepulta: nec erat nisi F

vsque

A vsque ad Christum & Ecclesiam. Ad construendum tectum lapideum alicuius templi, ad faciendam eius testudinem, fit prius quoddam artificium ex lignis, tabulis, & funibus, quod simplex testudinis nuncupatur. At perfecta testudine & fornice: constructo & consummato templo, euertitur simplex testudinis, & totum illud tabulatum & artificium decidit, & omnia ambulatoria pensilia cum trabibus & funibus deiiciuntur: quippe quæ solum ad templi vsque cõstructionem & perfectionem seruiebant. Ecclesia catholica est templum quoddam pulcherrimum & excellentissimum, quod verus ille Salomon, verus rex pacis Christus Deus noster construxit & perfecit, & suo sanguine decorauit: Lex vetus cum suis iudiciis, *Ioan. 19.* sacrificiis, & ceremoniis, fuit simplex testudinis & fornicis huius amplissimi templi. Sed ædificata ecclesia, constructo templo, cùm Christus in cruce pendens dixit: *Consummatum est*, cecidit lex antiqua, cessarũt eius victimæ & ceremoniæ, deiecta sunt in terram illa ambulatoria lignea, quæ non erant duratura nisi ad Christi mortem, donec ædificaretur ecclesia, templum hoc celeberrimum & magnificentissimum, cuius illud Salomonis templum imaginẽ gerebat. Et ideo cessauit, quia adueniente substantia, non opus est imagine: & adueniente figurato, nõ est
B opus figura, quemadmodum non est necessaria vmbra adueniente veritate. Est enim lex vetus vmbra, vt ex Diuo Paulo ostendimus. Euangelium autem veritas, quemadmodum ait Diuus Ioannes: *Lex per* *Ioan. 1.* *Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.*

g *Plenus sum.*) Hoc est diues sum, vestris sacrificiis non egeo. Vel sic: Satur sum, pariunt mihi nauseã sacrificia vestra. Non me placabitis nisi Euangelicam D
puritatem amplectamini.

h *Holocausta arietum.* Holocausta tota in altari cremabantur, victimæ non item. Sacrificium comprehendit holocaustum & victimam, siue hostiam.

i *Sanguinem vitulorum.*) Non omnem sanguinem repudiat, sed eum, qui ex brutis fundebatur animalibus: Christi autem sanguine placatur.

k *Sacrificium frustra.*) Ideo Iudæorum sacrificium cassum siue mendax appellat, quia cum esset figura, & vsque ad Christi mortem duraret, iam nunc mendax est, quoniam eum innuit venturum, qui iam venit.

l *Incensum abominatio est mihi.*) Capitur incensum pro holocausto, erat enim holocaustum totum incẽsum. Vel pro thure, quod in templo propter eius odorem cremabatur. Et est sensus: Fœtet mihi odor vester. Loquitur Deus more humano. Tu verò vide quanta sit peccati deformitas & fœditas, cùm efficiat vt odoriferum thus in fœtorem conuertatur. *Peccati deformitas.* Contrà verò virtus odorem mittit suauissimum, & ipse vir pius, virtutum ornamentis munitus odor appellatur. quemadmodum dicebat Diuus Paulus: *2. Cor. 2.* *Christi bonus odor sumus Deo.*

m *Neomeniam.*) Festum erat quod Iudæi celebrabant in principio mensis, vel in nouilunio, quod apud Iudæos idem erat: vtebantur enim lunis pro mẽsibus. E

n *Odiuit anima mea.*) Loquitur Deus more humano, vt eum intelligamus, quemadmodũ paulò post: *Laboraui sustinens*, & alio in loco: *Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* *infrà. 42.*

ANNOTATIO.

1 Neomeniam.] *In Hebraico est* חדש, *à verbo* חדש, *quod significat renouare, vt in Psalmo*: Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. *Et quoniam in vnoquoque mense renouatur Luna, accipitur hoc nomen pro mense, & pro principio mensis, siue pro nouilunio. Nam apud Hebræos menses numerabantur per Lunas, & in nouilunio incipiebatur mensis, qui quidem dies erat celebris apud eos, & solennis. Hoc nomine vtitur etiam propheta paulo pòst in numero plurali, pro quo interpres Latinus vertit*, Calendas vestras. *Vbi aduerte non dixisse calendas & solennitates odiuit anima mea*: sed calendas vestras & solennitates vestras. *quasi dicat Deus: Non sunt meæ hæ solennitates & festa, quoniam in illis vos nefariis sceleribus coinquinatis. Id statim ostendit dicens:* Iniqui sunt cœtus vestri. *Vbi significat eos iniquitatem cum festorum celebritate solitos esse coniungere. Hoc nomen neomenia Græcum est à νεος nouum, μὴν luna, quasi noua luna.*

F

C [a] Et cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis. Et cùm multiplicaueritis o- *infrà. 59. a.* rationem, non exaudiam. [b] Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. [c] Lauamini, mundi estote, *1. Pet. 3. b* [d] auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. [e] Quiescite agere peruersè: discite bene facere. [f] Quærite iudicium. [g] subuenite oppresso: iudicate pupillo: defendite viduam. [h] Et venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut luna alba erunt. [i] Si volueritis, & audieritis me, [k] bona terræ comedetis. Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, [l] gladius deuorabit vos, [m] quia os Domini locutum est. [n] Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, [o] plena iudicij? iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. [p] Argentum tuum versum est in scoriam: [q] vinum tuum mistum est aqua. [r] Principes tui infideles, socij furum. [s] Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum [t] fortis Israel: [u] Heu, consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis. [x] Et conuertam manum meam ad te, [y] & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stãnum tuũ. [z] Et restituam iudices tuos, vt fuerunt prius, [a a] & consiliarios tuos sicut antiquitus. [b b] Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis. [c c] Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iustitia: & conteret sceleratos & peccatores simul, & qui dereliquerunt dominum consumentur. [d d] Confundentur enim ab idolis quibus sacrificauerunt, & erubescetis [e e] super hortis quos elegeratis, [f f] cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus absque aqua. [g g] Et erit fortitudo vestra vt fauilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla: & succendetur vtrumque simul, & non erit qui extinguat. *Isa. 5. g.*

A a *Et cum extenderitis.)* Mos fuit apud antiquos, quemadmodum nunc apud nos, in precationibus fundendis manus leuare. Ita Dauid, *Expandi*, inquit, *ad te manus meas.* Et alio in psalmo: *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Sic pugnantibus Iudæis Moyses manus ad cœlum tollebat. Significamus hac corporis actione, misericordiam diuinam implorare, & ad sanctissimum numen tanquam ad arcem tutissimam confugere. Et ideo ad Deum manus leuamus, vt ipse eas suis manibus accipiat, nósque diuino præsidio muniat & sustentet. Sed si manus nostræ sint coinquinatæ, si opera nostra sint impia, quomodo Deus suis purissimis atque sanctissimis manibus suscipiet nostras immundas & contaminatas? Est igitur horum verborum sensus: Cum ad me confugeritis pressi afflictionibus & calamitatibus, meum præsidium implorantes, nec vos videbo, nec exaudiam. Id sentiebat ille, qui apud Ioannem dicebat: *Scimus quia peccatores Deus non exaudit.* Est tamen hoc de illis peccatoribus intelligendum, qui nolunt se à sceleribus abducere, nec de sua conuersione cogitare. Hos non exaudit Deus, quia non animo eum quærunt, sed solum lingua. Eos vero exaudit, qui ad eum animo attrito confugiunt. Talis fuit publicanus ille, quem Christus apud Lucam asseruit egressum fuisse è templo iustificatum. Ad cuius pleniorem intellectum ea poteris videre, quę sequuntur.

Psal.42. *Psal.40.* *Exod.17.* *Ioan.9.* *Luc.18*

B b *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.)* Reddit causam cur auertat oculos à peccatoribus, cũ ad ipsũ manus extendant, nimirum quia eorum manus sanguine, hoc est cæde prophetarum, aliorúmque hominum sint pollutæ, ideo eas non vult suis manibus attingere: quin potius oculos auertit, eorúmque preces non exaudit. In Prouerbiis ita ait scriptura: *Qui declinat aurem suam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Et Esaias, *Non est*, inquit, *abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, nec aggrauata est auris eius, vt non exaudiat, sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.* Quibus verbis ostendit diuinus vates esse peccatum nostrũ murum quendam nos à Deo diuidentem & separantem. Et Ieremias Dominum alloquens, *Posuisti*, inquit, *nubem, ne transeat oratio:* vbi vides esse peccatũ nostrũ cum nube comparatum. Nam vt nubes fumus est eleuatus, à terra egressus, sic peccatum fumus est, à nobis qui terra fumus, consurgens. Et vt nubes radiorum solis splendorem impedit, sic peccatum ob suam caliginem & densitatem est nobis impedimento, ne diuinæ gratiæ splendida luce collustremur. Ex quo efficitur vt anima peccatoris flagitio mortifero cooperta iaceat in

Prou.28. *Isa.59.* *Thren.3.* *simile.*

C obscuro, diuino hoc lumine priuata, & à Deo non exaudita. Considera peccati pondus. Contrà vero vir iustus & pius in afflictionibus suis exauditur à Deo, ad quem tanquam ad certissimum defensorem confugit. *Clamauit ad me*, ait Deus per regium vatem, *& exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.* Et alio in psalmo scriptum est: *Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & de omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.* Et apud Esaiam ait Dominus: *Antequam clament ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiã.* Et quamuis Deũ offenderis, ne peccatis tuis desperationem adhibeas, sed animo pœnitenti & contrito clama, Deum ardenter obsecra, & ipse te exaudiet. Contemplare Ionam, qui cum Deum offendisset, & proiectus esset in mare, & à pisce magno deuoratus, tamen animum erexit, & ad Deum leuauit, precationes fudit, & liberatus est. Intuere viri huius admirabilem in Deum fiduciam. Tumebat mare, fluctus ab imis sedibus ad cœlum rapiebantur, sęuientibus ventis procella terribilis interitum miserabilem, ac triste naufragium minabatur. Proiicitur Ionas in mare, ruit præceps in pelagi profunditatem, diglutitur à pisce, descendit ad ima maris, nulla spes salutis apparebat. Et tamẽ ipse, vbi omnia desperata videbantur, speranit, Deum vehementer obsecrauit, eumque toto animo, quæsiuit, & fuit à periculo ingenti mirabiliter ereptus. Imò id quod eius necis causa videbatur, eum eripuit: piscis qui eum deglutiuit, eum seruauit. Talis est enim affli ctio humana, quæ cùm videatur tranquillitatem eripere, est ipsius tranquillitatis animi & quietis conseruatrix. Calamitas qua flagitiosi homines viro iusto perniciem moliuntur eum mirabiliter à vera pernicie custodit. Nunc considera quid peccatum secum afferat ponderis & detrimenti. Nec mare immẽsum, nec piscis ingens, nec profundissimæ abyssi cauernæ impediuerunt Ionæ precationes, & peccatum eas impedit. Propter peccatum repudiat Deus sacrificia, quibus antea placabatur, non exaudit preces, non vult videre manus ad eum leuatas, quin potius oculos auerti. Ita enim ait: *Cùm extenderitis manus vestras auertam oculos meos à vobis.* Si tu Domine nos non videris, si nos oculorum tuorum fauore non fueris prosecutus, quid faciemus? Peribimus absque dubio. Id intelligens clarissimus ille vates Dauid, canebat: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Et alio in psalmo: *Ne auertas faciem tuam à me.* Et in alio: *Respice in me, & miserere mei.* Et Iob, *Cur*, inquit, *faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuũ?* Et Ieremias, *Intuere*, inquit, *Domine, & respice opprobrium nostrum.* Medecinam suarum calamitatum in Dei visu collocabat. Vidit Deus Petrum, qui eum negauerat, & in se reuersus exiuit foras, & vim lachrymarum profudit. Visus à Domino Matthæus reliquit telonium, & caducas opes, eumque secutus est. Quid opus est plura? Vt magnes ad se ferrum trahit admirabili vi, sic Dei visus, eos, quos vult, ad se mirabiliter rapit. Relinquemus igitur peccata nostra, vt Deus nostra sacrificia acceptet, preces exaudiat, & oculos illos suos misericordes ad nos conuertat. Illud est præterea aduertendum, cur tantum hoc in loco Deus obiiciat Iudæis sanguinem manuum suarum. Mirum enim videtur non obiecisse illis superbiam, auaritiã, ambitionem, idolorum cultum, multaque alia scelera, quibus ipsi erant irretiti & coinquinati, sed tantum sanguinem, quo manus suas maculauerant. Ad quod scio posse respondere multos, per sanguinem intelligi peccatum in communi, quemadmodum dicitur in psalmo: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* Ego verò etsi hanc explanationem non reiicio, aliam tamen libentius amplector. Existimo enim Deum hoc in loco ad Scribas & Pharisæos sermonem dirigere, & ad cæteros Iudæos infideles, qui in Iesum Christum irruerunt, eius sanctissimum sanguinem postulantes & dicentes: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Effuderunt sanguinem iusti, & vineæ hæredem verum Dei filium, seruatorem nostrum pessimi coloni occiderunt. Ideo hoc peccatum tantummodo hoc in loco illis obiicit, quo nullum aliud potest maius & scelestius excogitari.

D

Psal.29. *Psal.26.* *Psal.85.* *Iob.13.* *Thre.3.* *Luc.12.* *Matt.9.* *Luc.5.* *simile*

E

F *Psal.50.*

Mat.27. *Mat.21.*

c *Lauamini, mundi estote.)* Lauate manus vestras sanguinolentas & pollutas, si vultis, vt ego ad eas oculos conuertam. Lauate animas vestras lachrymis & pœnitentia, & mundi estote: hoc est, in puritate perseuerate. Date operam vt vos iterum non contaminetis. Multi se abluunt, sed mundi non sunt, quia statim eadem peccata admittunt, & post lachrimas, quibus sordium maculas deleuerant, ea, quæ deplorauerant, iterum repetũt. Hos appellat Diuus Petrus Apostolus in epistola su asecũda canes ad vomitũ reuertẽtes. Id quod Salomõ in Prouerbiis scriptũ reliquerat. Abluamus

A bluamus igitur nosipsos,& in puritate manere studea
Iere.4. mus,iuxta id quod ait Ieremias: *Laua à malitia cor tuũ Ieruſalẽ,vt ſaluafias.* Sed vide obſecro,& attento animo cõſidera pœnitentię vim & excellẽtiã. Inuocauit Propheta cœlum & terram, contemplans memoriáque repetẽs populi flagitia. Plorauit,ingemuit,& interitum æternũ minatus eſt. Oſtẽdit Deus iram ſuam dicens,non ſuſcepturum eſſe ſceleratorum ſacrificia,quin potius thus eſſe illi abominationem, & eorum ſolennitates odiſſe, & ſe non eſſe eos exauditurum, nec viſurum, quamuis manus ad cœlum extuliſſent, & preces multiplicaſſent. Nónne vides peccatorũ vlcera propè inſanabilia? Nonne vides ægritudinem incurabilem? Vide quid nunc dicat: *Lauamini,mundi eſtote,* & cætera quæ ſequuntur. Quid hoc eſt? Nonne dixerat Deus ſe eos non eſſe exauditurum? Dixerat: Sed tanta eſt pœnitentiæ amplitudo, vis,& excellẽtia, vt per eam peccatores teterrimi ad animi candorem & puritatem perueniant, & ab omnium ſcelerum maculis expurgentur. Per Ezechie-
Ezech.18 lem ita ait Deus: *Si impius egerit pœnitẽtiã ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea,& fecerit iudicium & iuſtitiam, vita viuet, & non morietur: Omnium iniquitatum eius,quas operatus eſt,non recordabor.* Et per Zachariam: *Conuertimini*
Zach.1. B *ad me, & ego conuertar ad vos.* Poteſt etiam hoc ita explanari. Poſtquam Deus oſtendit ſe reſpuere veteris legis ſacrificia,nunc pro eis dicit ſe velle Eccleſiæ ſacramenta, quorum primum baptiſmus eſt. Ac ſi diceret, Baptizamini, & permanete in gratia, quam confert baptiſmi ſacramentum. Vt enim non poteſt, conſequi aliquis honores & dignitates, priuſquam naſcatur, ſic nec ſpiritualium donorum eſſe particeps,niſi fuerit per baptiſmum renatus. Filij Iſraelis ex AEgypto diſcedentes, prius mare rubrum tranſierunt, deinde panem Angelorum manducauerunt, demum Iordanem tranſeuntes terram promiſſam ſunt mirabiliter conſecuti. Sic tendentibus ad cœleſtem patriam primò occurrit baptiſmus cuius figura fuit mare rubrum, quemadmodum Apo
1Cor.10 ſtolus in prima ad Corinthios aſſeueranter affirmat. Ibi obruũtur peccata,iuxta id,quod dicitur in Pſal-
Pſalm.77 mo: *Cuotriuiſti capita draconum in aquis.* Poſt baptiſmum ſequitur manna,hoc eſt dulcis animi oblectatio. Tandem tranſacto Iordane,finito itinere,ſequitur vt animæ pœnitentiæ ſacramento ablutæ, aliiſque ſacramẽtis roboratæ ex hac vita migrãtes æter-
C nam illam beatitudinem, veram promiſſionis patriam conſequantur.

d *Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis,*) Docet hic locus cogitationes noſtras à Deo videri, noſque non ſolum omne maleficium vitare debere, ſed etiam operam dare, vt omnem animi co-
ſimile. gitationem puram integrámque ſeruemus. Aquila,vt ferunt,pullos ſuos, quos habet in nido, aduerſus ſolem ponit,vt illum veluti authorem vitæ cognoſcãt.
Ariſto.1. de Anima. Sol enim & animal, vt aiunt phyſici,animal gignunt: & eos, qui ſolis radios non ferunt, nec valent ipſum ſolem intueri, è nido tanquam ſpurios aut alienos eiiciunt. Sic nos paruas adhuc cogitationes verſus iuſtitiæ ſolem dirigamus, vt ad Deum oculos leuantes, eum authorem atque dominum cognoſcamus. Eas verò, quæ Deũ intueri noluerint,nec in eũ oculorum aciem dirigere, tanquam extraneas & illegitimas ab animi nido eiiciamus, eáſque, dum paruæ ſunt,ad petram,hoc eſt ad Chriſtum allidamus,iuxta
Pſal.136 id,quod dicitur in Pſalmo: *Beatus qui allidit paruulos ad petram.* Hoc enim eſt auferre malum cogitationum noſtrarum.

e *Queſcite agere peruerſè.*) Id eſt, ceſſate à maleficiis, nolite amplius iniquè agere. Sed quoniam non ſat eſt deſiſtere à malo, ſed neceſſe in virtutis actio- D
nes incumbere,addidit: *Diſcite benefacere.* Et animaduerte non dixit, diſcite benedicere, ſed *benefacere.* Plus Deus exaudiuit grauiorem atque ſubmiſſiorem tonum noſtrorum factorum, quàm acutos atque magnos clamores vocum noſtrarum. Qui docet, nec id efficit,quod docet,cotis vſurpat officium,quæ ferrum reddit acutum,cùm ipſa inutilis ſit ad ſecandum. Et vt pictor pulchram atque elegantem pingit imaginem, cum ipſe ſit turpi quadam fœditate inſignitus, ſic eſt qui virtutem verborũ coloribus exornat,cùm ipſe nullo virtutis colore,nullis veris honeſtatis ornamentis ſit decoratus. Quid tibi prodeſt altos in portum dirigere, eiúſque viam demonſtrare, cum tu nolis è mediis fluctibus diſcedere? Ex hoc loco colliges virtutem non eſſe nobiſcum natam, ſed neceſſe eſſe vt eam diſcamus, & comparemus. Nihil enim quod natura inſitum & innatum eſt, aliter atque eſt aſſueſcit, vt Ariſtoteles in libro ſecundo de moribus aſſeruit. Ex quo preſpicuum eſt, nullam omninò moralium virtutum, vt ibidem Ariſtoteles conteſtatur, nobis ingenerari natura, ſed conſuetudine comparari. Sunt tamen in nobis ſemina quædam innata virtutum, vt igniculi quidam, quos nos celeriter malis moribus ita ferè reſtinguimus, vt virtutis lumen nuſquam appareat, niſi accedat regina ratio, cui obtemperantes virtutem conſuetudine comparamus. Non loquor de virtutibus infuſis, ſed de moralibus,quas acquiſitas vocant. E

f *Quærite iudiciũ.*) Petite à Domino ſciẽtiã,qua muniti iuſtè ac ſapiẽter iudicetis. Id qđ fecit Salomõ: de *Pſal. 71.*
quo dicitur in Pſalmo: *Deus iudiciũ tuũ regi da,& iuſtitiam tuam filio regis.* Vel ſic: *Facite omnia cum iudicio, date operã vt omnia maturè atque ordine geratis,* nõ repentino quodam quaſi vento impetu animi incitati.

g *Subuenite oppreſſo.*) Ferte opem indigentibus,iniuriámque ab iis,quibus infertur,propulſate. Ita di-
Prouer. citur in Prouerbiis: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem,*
4. *& qui trahuntur ad interitum,liberare ne ceſſes.* Et Iob, *Oculus,* inquit, *fui cæco,& pes claudo, pater eram pauperum,* &c. Et in eodem capite: *Liberaui pauperem vociferantem,& pupillum cui non erat adiutor.* Iuxta ſententiam Diui Ambroſij libro primo Officiorum, qui non repellit à ſocio iniuriam, ſi poteſt,tam eſt in vicio,quàm ille qui facit. Colliges hinc in quàm deprauata opinione verſentur illi,qui alios nõ curant, qui de fratrum ſalute nunquam cogitant, qui dicunt cum Cain: *Nunquid cuſtos fratris mei ego ſum?*

h *Et venite, & arguite me.*) Facite quæ modo nu- *Geneſ. 4.*
meraui, inquit Deus, incumbite in virtutes, opera charitatis exercete,& ſi vos non fuero remuneratus, *Mich. 6.*
intendite mihi litem, & me quaſi ingratum arguite. F
Adeſtote & diſceptemus in iudicio. Ita apud Michæam: *Iudicium Domini cum populo ſuo,& cum Iſrael diiudicabitur.* O ſummam clementiam,& infinitam Dei noſtri bonitatem, qui cum nos propter ſcelera noſtra poſſit optimo iure euertere, vult tamen nobiſcum in iudicio contendere. Vbi vides non eſſe vi atque oppugnatione conficiendum id, quod prius poteſt rationibus effici & concludi. Eſt autem magnopere aduertendum quantam fiduciam præſtet Deus bonis operibus noſtris,ad cuius rei maiorem euidentiam vide ea,quæ ſequuntur.

Si fuerint peccata veſtra vt coccinum.) Senſus eſt: Si feceritis quæ dixi, ego vobis peccata veſtra etiam grauiſſima condonabo. Loquitur Deus cum peccatoribus, quibus dicit ſe illis peccata dimiſſurum, ſi bona opera exercuerint. Aſpicis hic apertiſſimum locum contra eos, qui omnia tribuunt fidei, operibus *Cõtra hæreticos noſtri ſeculi.*
autem nihil. qui cum nihil minus ſint quàm fideles, ſemper fidẽ habent in ore. Hoc tamen dicimus, nul-

la opera

A la opera noſtra ex condigno mereri gratiam, qua iuſtificamur, cum ex impiis iuſti efficimur. Si enim gratia eſt, iam non ex operibus, alioquin, vt ait Apoſto-
Rom. 11. lus, *gratia iam non eſt gratia.* Eſt tamen neceſſe vt in huiuſmodi iuſtificatione concurrat motus liberi arbitrij, quod quidem fatemur. At poſt iuſtificationem cum gratia gratum faciente de condigno meremur, in diuina tamen pollicitatione ſtatumen & firmamentum noſtrorum operum collocantes. Cæterum opera primam iuſtificationem præcedentia, etſi iuſtificationem ipſam non mereantur, prouocant temen Dei miſericordiam ad illam homini dandam, ipſúmque hominem diſponunt ad ipſam recipiendam. Et ante iuſtificationem etſi quis habeat fidem, tamen talis fides mortua eſt. Et poſt iuſtificationem ſi ſe mortiferis ſceleribus inquinauerit, amittit gratiam, manente
Iacob. 2. fide, quæ, vt ait diuus Iacobus Apoſtolus, *ſine operibus mortua eſt.* Quî enim fieri poteſt, vt viua dicatur, quæ
Gal. 5. vita, hoc eſt, charitate caret? Illa fides viua eſt, quæ vt ait diuus Paulus, *per charitatem operatur.* Illam verò quæ ſine charitate eſt, non prodeſſe per ſe ſolam ad æternam vitam conſequendam, indicat apertiſſimè idem apoſtolus ita ad Corinthios ſcribens: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes trans feram, charitatem autem non habuero, nihil ſum:* Quid ad hæc reſpondebunt
B *Contra Lutheranos.* Lutherani, qui ſola fide gloriantur, opera autem charitatis reiiciunt, nõ eſſe neceſſaria affirmãtes. Quî fieri poteſt, vt non ſint neceſſaria opera, ſi nos Deus eſt ſecundum ea iudicaturus? Vide quid dicat diuus
Rom. 2. Paulus in epiſtola ad Romanos: *Deus reddet vnicuique ſecudum opera ſua.* Vbi vides nullam hîc de fide fieri mentionem, ſed de operibus. Sed quid cito Paulum? Ipſa veritas, ipſe Chriſtus Deus noſter in hunc
Matt. 16. modum apud Matthæum loquitur: *Filius enim hominis venturus eſt in gloria patris ſui cũ angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecũdũ opera eius.* Hęc apud Matthęũ c. 16. nihil muto, ipſa verba formalia ſcribo. Quid põt eſſe clarius contra Lutherũ? Si ſola fides ſatis eſt, cur
Matth. 7. ait Chriſtus apud Matthęũ: *Multi dicẽt mihi in illa die: Domine Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquã noui vos. Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Et paulo pòſt: *Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam.* Vbi Chriſtus apertiſſimè docet, neminem eſſe vitam æternam conſecuturum, niſi ſit charitate præditus, etiam ſi tantam fidem habeat, vt
C in nomine Chriſti vaticinetur, & dæmonia eiiciat. Id
1. Ioan. 3. intelligens diuus Ioannes, *Qui*, inquit, *non diligit, ma-*
Iacob. 1. *net in morte.* Et diuus Iacobus, *Eſtote*, inquit, *factores verbi, & non auditores tantum, fallentes voſmetipſos: quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo, &c.* Vbi vides non auditores verbi tantum, ſed factores eſſe iuſtos. Sed dicis Luthere hanc epiſtolam non eſſe diui Iocobi Ego certe potius credo Eccleſiæ illam eſſe diui Iocobi aſſerenti, quàm tibi. Sed quid re-
Rom. 2. ſpondebis ad epiſtolam ad Romanos, quam eſſe diui Pauli tuipſe fateris? Ita enim illic ait Apoſtolus: *Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* Lege ſcripturam, vbique inueniesMath. 20 opera commendari. Apud Matthęum Chriſtus nos ad
Matt. 5. operandum in vineam mittit. Et alibi, *Sic luceat*, in-
Mat. 24. quit, *lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Et alibi reddens rationem quare perducturus eſt iuſtos ad regnum ſempiternum, opera charitatis commemorat, nulla facta mentione de fide: ſine qua tamẽ, vt ait Diuus Paulus, impoſſibile eſt Deo placere.
Hebr. 11 *2. Petr. 1.* Diuus Petrus princeps Apoſtolorum in epiſtola ſua ſecunda ita ait: *Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Et Diuus Pau- D
lus in ſecunda ad Corinthios, teſtatur ituros nos eſſe *2. Cor. 5.* ante tribunal Chriſti, & ibi manifeſtandos, vt referat vnuſquiſque propria corporis, porut geſſit ſiue bonum ſiue malum. Et hoc in loco aſſerit Deus per Eſaiam daturum ſe eſſe gratiam impiis, eíſque peccata remiſſurum, ſi in vitutum opera incubuerint: nam ſeipſum præparanti, & quod in ſe eſt facienti Deus non denegat gratiam. Et tamen aſſerit Lutherus opera non eſſe neceſſaria, ſed ſolam fidem: cùm opera nõ ſolum valeant ad gratiam conſequendam, ſed etiam ad eam conſeruandam, & cùm fides ſine operibus ſit mortua. & Deus nos ſecundum opera noſtra ſit iudicaturus. Si ergo hæc ex meo ſenſu depromerem, non mirater adhiberi mihi fidem: Sed cùm hæc ſint ex diuinis literis apertiſſima, eſt ad mirandum eſſe homines tam ſtupidos, qui tanta nube teſtium non moueantur. O inſipientes Lutherani cur Luthero creditis homini perditiſſimo, potius quã Diuo Paulo doctori gentium? potius quàm Diuo Petro Apoſtolorum principi? potius quàm Chriſto cœleſti atque ſummo doctori? qui ideo humanam naturaminexplicabili ratione ſibi copulauit, vt hominum genus doceret, & à E
tenebris vindicaret, & viam veræ ſalutis conſequendæ aperiret. Sed iam ad literam explanandum accedamus, cuius hic eſt ſenſus: Si peccata veſtra ſanguinea & rubra veluti coccinum & vermiculus fuerint, tamen velut nix & alba lana dealbabuntur: Videtur alludere ad id, quod dixerat: *Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* ac ſi dicat: Et ſi anima veſtra contaminata fuerit, ego tamen eam lauabo, ſi vos opera bona exercueritis, eíque candorem tribuam. Coccinum color eſt ſplendorem ruboris oſtendens: dicitur Luſitanè, *gram.* Vemiculus eſt minium: appellatur à Luſitanis Vermelham. Capitur etiam pro colore purpureo, quàm ob cauſam poteſt verti: Si fuerint inſtar purpuræ.

i *Si volueritis & audieritis.*) Non dicit: comedetis neceſſario bona terræ. *Sed ſi volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod ſi nolueritis, &c.* Vides *Confirmatio liberi arbitrij.* hic apertiſſimè liberum nobis arbitrium relinqui. Præter hoc teſtimonium ſunt multa alia in diuinis literis liberum arbitrium planè conteſtantia, quorũ duo tantum commemorabo. Alterum eſt Eccleſia- *Eccl. 15.* ſtici, cuius ad literam hæc ſunt verba: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliqnit illum in manu conſilij ſui. adiecit mandata & præcepta, ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam ſeruare. Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quam volueris porriges manum tuam. Ante hominem vita & mors, bo-* F
num & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Alterum teſtimonium ſimile huic eſt in Deuteronomio, vbi *Deut. 30* ita ſcriptum eſt: *Conſiderato quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & econtrario mortem & malum, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & cuſtodias mãdata illius, ac ceremonias, atque iudicia, & viuas ac multiplicet te, benedicatque tibi in terra, ad quam ingredieris poſſidendam. Si autem auerſum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque errore deceptus adoraueris deos alienos, & ſeruieris eis, prædico tibi hodie quòd pereas, & paruo tempore moreris in terra ad quam Iordane tranſmiſſo ingredieris poſſidendam. Teſtes inuoco hodie cœlum & terram, quòd propoſuerim vobis vitam & bonum, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & ſemen tuum.* Aſpicis hęc loca apertiſſimè indicare arbitrij libertatem. Eſſent enim penitus ſuperuacanea & ridicula, niſi liberum eſſet arbitrium. His adde præcepta & conſilia, quibus plenum eſt vetus ac nouum Teſtamentum, quæ eſſent omnino inutilia, & prorſus exſibilanda & riden-

A ridenda, si nihil esset in nostra potestate, sed omnia fataliter, vt aiunt, & necessario euenissent. Ex quo sequeretur, nullam esse omnino religionem. Quis enim locus precationibus, quis votis, Quis sacrificiis relinqueretur, si cuncta ineuitabili necessitate futura esse crederemus? Aristoteles in libro de interpretatione apertè ostendit non omnia necessario euenire, sed esse liberum hominum arbitrium: quod à Socrate, & Platone aliisque excellentibus philosophis iam antea fuerat assertum. Fuerunt tamen hæretici nonnulli, qui aduersus sacrarum literarum euidentissima testimonia liberum arbitrium negarũt: quorum sectam ab Ecclesia damnatam & sepultam renouauit modo Martinus Lutherus hæreticus detestabilis, errorum ac vitiorum ingens ac propè infinita vorago, qui articulo trigesimo sexto suarum hæresum liberum arbitrium ait esse rem de solo titulo, sed re vera nihil prorsus esse.

k *Bona terræ comedetis.*) Hoc est, Eritis in hac vita fœlices, opibus affluentes. Potest etiam hoc de illa terra intelligi, dequa dicebat diuinus psaltes: *Credo videre bõa Domini in terra viuẽtiũ*, Hęc est ęterna beatitudo, de qua Christus seruator noster. *Beati*, inquit, *mites, quoniã ipsi possidebunt terrã*. Hęc est vera illa terræ promissionis, quã Deus Ægyptũ relinquentibus, & mũdi tenebras atq; vanitates aspernãtib. promittit.

Psal 26.

Mat. 5.

l *Gladius deuorabit.*) Id est, gladio hostium vestrorum interficiemini. Poteris per gladium quamcunque calamitatem intelligere. Sed si per bona terra gloria cœlestis intelligatur, consequens erit, vt nomine gladij æternum supplicium significetur.

B

m *Quia os Domini locutum est.*) Ac si diceret, Hoc est certissimum, quoniã Deus qui nec fallit, nec fallitur, illud dicit. In libro Numerorum ita scriptũ est: *Non est Deus vt homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur.* Poteris per os Domini Prophetam intelligere, iuxta id, quod ait Deus per Ieremiam: *Si separaueris preciosum à vili, quasi os meum eris.* Ac si hic diceret Esaias: Hęc dico nõ quatenus homo sed quatenus Propheta: ideo certissima absque dubio sunt.

Num. 23. Iere. 15.

n *Quomodo facta est meretrix.*) Miratur Propheta & deplorat Hierosolymę calamitatem, quæ cùm olim fuisset fidelis, imò fidelium domicilium & receptaculum, facta esset meretrix, hoc est infidelis. Sciebat propheta fuisse ciuitatem illam quondam florentissimam, virtutum præsidio munitam, religione & iustitia veluti mœnibus septam, ideo non poterat cõtinere lachrymas, videns eius casum & ærumnas: cùm pro religione idolorum cultus, pro iustitia iniquitas, pro charitate homicidia, pro aliis denique virtutibus nefaria scelera successissent. Et si hic locus possit de corporis fornicatione intelligi, existimo temen esse eũ de animi fornicatione, hoc est de idololatria intelligendum. Illa ciuitas & illa anima est meretrix, quæ sponsum suum Deum derelinquit, seque cum idolis coniungit. Ita intelligitur locus ille Ieremiæ: *In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Et illud Ezechielis: *AEdificasti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis.* Hinc est illud, quod Dominus Iesus apud Matthæum obiiciebat Iudæis: *Generatio mala & adultera signum quærit*, generationem adulteram illos vocat, quia eo ipso contempto mundum, dæmonem, & carnem sequebantur. Et quãquam hic locus Esaiæ de Hebræis suæ ætatis intelligitur: ego tamen existimo, esse præcipuè ad Scribas & Pharisæos, cæteróque Iudæos, infideles tempore Christi referendum.

C

Ierem. 2. Ezech. 16 Mat. 12. & 16.

o *Plena iudicij.*) Hoc est, in qua olim æquissimi iudices extiterunt.

p *Argentum tuum versum est in scoriam.*) In literis diuinis nomine argenti sacra doctrina intelligitur, iuxta illud, quod dicitur in Psalmo: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum.* Ideo sensus est: Heu ciuitatem infœlicem, vbi pro vera doctrina regnat mẽdacium, & pro diuinis præceptis Phariseorum traditiones.

D

Psal. 11.

q *Vinum tuum mistum est aqua.*) Hoc est, nulla est mera atque germana virtus, iustitia mista est crudelitate, vltione, & malitiosa quadam iuris interpretatione. Fortitudo mista est temeritate, & animi elatione: temperantia coniuncta est cum negligentia & ignauia: prudentia malitiam sibi & calliditatem copulauit. Nullam denique virtutem tenes puram ac solidam, vmbra tantum virtutum, atque imaginibus veteris. Qui vitam monasticam profitetur, tunc dicitur aquam miscere vino, quando mundi oblectationibus delinitur, quando rebus sanctis & feruentibus inserit res viles & frigidas, quando denique propriam retinet voluntatem. Qui populo concionantur, aquam vino miscent, si reprehensionibus adulationes adiungant, & puram atque vtilem veritatem silentio transeant.

r *Principes tui infideles.*) Potest referri ad fidem theologalem, vel ad eam quæ est dictorum conuentorúmque substantia, quæ est fundamentum iustitiæ. Hi principes Pharisæi erant, qui omnia iura diuina & humana peruertebant, propter eum, quem ipsi cõcupiebant, principatum. Socij erant furum, quoniã fures defendebant, & ipsi rapinis vsurísque pascebãtur. Vnde ipsa veritas Christus Deus noster intrans in templum, eiiciens vendentes & ementes dicebat: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

E

Mat. 12.

s *Omnes diligunt munera.*) Retulit propheta in tabulas vitiorum, & numerauit in catalogo scelerum, munera diligere. Et alio in loco ait: *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo.* In Exodo scriptum legimus: *Non accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes, & subuertunt verba iustorũ.* Quæ sententia est etiam scripta in Deuteronomio capite sextodecimo, & multis aliis in locis. Principes ac iudices qui omnia suis commodis metiuntur, non reipublicæ vtilitate, ipsam rempublicam euertunt, nisi ipsi prius euertantur. Id quod sequitur, *Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos*, in promptu est: Nam cùm omnia pro muneribus agant, facilè pauperes, pupillos & viduas contemnunt. Idipsum obiicit illis Ieremias in hunc modum: *Causam viduæ non iudicauerunt, causam pupilli non direxerunt.*

Infrà. 5. Exod. 23.

Deut. 16.

Ier em. 5

t *Fortis Israel.*) Id est, qui olim Israelem fortissime liberauit.

u *Heu cõsolabor.*) Prædicit Deus se Iudæos punitorum, & loquens humano more dicit se consolatione afficiendum esse. Solent enim homines iniuria lacessiti vltione inimicorum suorum delectari. Tu vero contemplare Dei nostri summam pietatem. Volens pœnas sumere, prius ingemit & plorat. Est enim particula *Heu* interiectio dolentis & plorantis. Plangit clementissimus pater Iudæos infideles & sceleratos. Eodem modo appropinquans Hierosolymæ, videns eam, vim lachrymarum profudit, quoniam erat eam per Romanos euersurus. Hanc Dei misericordiam significauit alio in loco iis verbis Esaias: *Vt faciat opus suum, alienum opus eius, vt operetur opus suum peregrinum opus eius ab eo.* Opus alienum ab eo & peregrinum vocat vltionem quam erat de reprobis sumpturus: Opus autem suum appellat misereri & parcere quemadmodum canit Ecclesia dicens: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere*: Non punit Deus ex animo, sed quia ita exigunt peccata nostra. *Vult enim*, vt ait Apostolus, *omnes homines saluos fieri.* Hoc intelligens Ieremias ita de Deo loquens ait: *Nõ enim*

F

Luc. 19.

infrà. 38.

1. Tim. 2. Thren. 3.

A *enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominum.* Habac.3. Et Habacuc: *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Psal. 19. Et Dauid: *Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Psal.144. Quæ loca ostendunt Deum misereri nostri, non solum quando in nos confert beneficia, sed etiam quando nos punit. Et hoc modo in omnibus suis operibus vtitur misericodia. Quod sentiens Dauid, *Miserationes*, inquit, *eius super omnia opera eius.* Quem locum Diuus Hieronymus ita vertit: Misericordiæ eius in omnia operá eius. Ac si diceret: Nullũ est opús Dei, in quo ille non vtatur misericodia. Merito ergo Diuus Paulus Deum patrem misericordiarum appellat, & Deum totius consolationis. 2.Cor. 1.

x *Et conuertam manum meam ad te.*) Hoc est, te percutiam. Ponere in aliquo manum, est eum punire. Psal.20. Hunc sensum habet id, quod dicitur in Psalmo. *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat eos, qui te oderunt.* Gen. 37. In libro Geneſis vbi editio vulgata habet: *Manúsque vestras seruate innoxias*, potest verti de Hebræo: *Manus ne mittatis in eum.* 1.Reg.24 Ita dicitur primo libro Regum: *Non sit manus mea in eo.* infrà.9. Hoc est, non eum percutiam. Eundem sensum habet id, quod capite nono ait Esaias: *Sed adhuc manus mea extenta*: Hoc est, non cessat eos pcutere & punire.

B Cõuertere manum, extẽdere manũ, mouere manum, ponere manum significant punire phrasi Hebraica.

y *Et excoquam ad purum scoriam tuam.*) Hoc est, te affligam & percutiam. idem sensus cum superiore. Promittit Deus se flagellaturum Hierosolymam, vt quę beneficia nõ cognoscebat, supplicio corrigeretur. Et quoniã supra dixerat: *Argentum tuum versum est in scoriam*, permanet in eadem translatione, dicens se illi purgaturum scelerum sordes, vt separato stanno, ablata scoria, purum remaneat argentum. Fornax in qua erant igni examinandi, afflictio est. Hæc est fornax illa puerorum Babylonis, in qua aurum remanet purius & splendidius, paleæ vero fumant & consumuntur, in qua iusti illustriores redduntur, im pij autem incendio flagrant. Nam eadem afflictione iustus Deum precatur & laudat: impius autem in blasphemias prorumpit: quemadmodum in eadẽ area sub eadem triture stipulæ conminuuntur, frumenta purgantur: Et ex eadem olea sub eodm prẹlo oleum & amurca egrediuntur: & pari atque eodem vento saluia & mellitena exagitatæ fragrãt, & odorem suauem emitunt, cicuta verò & ruta fœtorem exhalant. Euenit tamen aliquando, vt improbi afflictione corC rigantur, quemadmodum argentum sordibus contaminatum igne perpolitur. Cur autem dicat Deus se ablaturum esse stannum, ratio est, quia stannum speciem habet argenti, cùm sit vilis quędam materia: cuius nomine hyprocrisis significatur: quemadmodum scoriæ nomine alia peccata. Hanc dicendi exornationem, & metaphoram ab aurificibus sumptam Mal. 3. inuenies apud Malachiam capite tertio, & apud Ezechielem vigesimo secundo. Ezec.22. Sed quoniam argenti nomine diximus veram doctrinam significari, poteris hic per scoriam & stannum falsas hominum doctrinas intelligere.

z *Et restituam iudices tuos, vt fuerunt prius.*) Hoc referunt nonnulli ad tẽpus post captiuitatem Babylonicam. Ego vero eorum sententiam libentius amplector, qui dicunt esse hoc ad tempus gratiæ præcipuè referendum. Quando Deus pro patriarchis, & prophetis, & sanctis iudicib. dedit Apostolos, alioſque viros in diuinarum literarum sapientia excellentes. virtute & charitate præstantes. Hos intuens alius propheta dicebat in Psalmo: Psal.44. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes sup omnem terram.* Mat. 19. Hos dicit Christus apud Matthęũ sessuros esse & duodecim tribus Israelis iudicaturos.

aa *Et consiliarios tuos.*) Colliges hinc Dei esse beneficium, esse principum consiliarios sapientia præstantes, & ad rectam rationem consilia sua referentes, Vt grauius puniendus est, qui venenum in communem fontem coniicit, quàm qui in particulare poculum: sic grauiori supplicio afficiendi sunt, qui suis depraua- D tis consiliis principem corrũpunt, quàm qui hominem priuatum. est enim princeps veluti quidam publicus fons, quo infecto, & veneno contaminato corrumpuntur omnes, qui ex eo perniciem exhauriunt. Oportet principem vti consiliariis iustis & prudentibus. Nam sine consilio rempublicam facile labefactabit effrenata temeritate concitatus. Poteris per consialirios omnes intelligere, qui non solum principes, sed quoscunque alios consiliis instruunt.

bb *Post hæc vocaberis ciuitas iusti.*) Hoc est Christi. Iusti enim nomine in diuinis literis Christus significatur. Sapien.2. vt in libro Sapientiæ: *Circunueniamus ergo iustum.* Et in Actis apostolorum: *Occidebant eos, qui prænuntiabant de aduentu iusti.* Act.7. Hęc ciuitas, quæ pro Synagoga cõstituitur, Ecclesia est Catholica, ex Gentibus & Iudæis congregata, quę ob Christi fidem fidelis appellatur. Quam iis verbis præcinit eloquentissi- Psal.86. mus atque clarissimus vates: *Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Po E teſt verti ex Hebræo: *ciuitas iustitiæ*: & ita vertit Pagninus. Quæ versio nostræ fauet explanatiõi. Est enim Iesus Christus iustitia nostra, vt ait in epistola prima 1.Cor. 1. ad Corinth. Diuus Paulus.

cc *Sion in iudicio redimetur.* Hoc est, Ecclesia catholica erit sanguine Christi redempta in iudicio, quia pro ea ipse patietur. Non dicit, omnes, redimentur, sed Sionem, hoc est Dei ecclesiam, redimendam prædixit. Quia etsi Iesus Christus Deus noster *vult omnes homines saluos fieri*, 1.Tim.2. vt ait Apostolus, *& ad agnitionẽ veritatis venire*, (vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus,) tamen multi nõ sunt huius gratię participes ob suam ipsorum culpam. Nullus enim extra Ecclesiam salutem Gen.7. consequitur. Ecclesia est arca illa, quæ sola ex diluuio euasit. Et vt omnes, qui erant extra arcam, submersi sunt: sic omnes, qui extra Ecclesiam moriũtur, in pœnas æternas, quæ eorum scelera sequuntur, incurrent. Dicit autem Sionem redimẽdam in iudicio, quoniam opus redemptionis factum fuit per iudiciũ & iusticiam. Sunt qui hoc referant ad tempus post captiuitatem Babylonicam, quando restaurata fuit Hierosolyma. Sed in diuinarum literarum studium F incumbentibus illud est satis perspectum & exploratũ, hæc in primis dicta esse à diuino vate de Ecclesiæ ædificatione & Christi regno, quarum rerum erãt vmbrę & imagines vetera illa de templi & Hierosolymæ instauratione. Quid enim significare volebat illustrissimus ille ac sapientissimus rex Dauid, nisi Ecclesiæ sanctæ & Christianæ religionis constitutionem, quando hæc verba præcinebat: *Quia ædificabit Dominus Sion, & videbitur in gloria sua?* Psal.102 Tunc enim visus est Deus in gloria sua, cùm eius sanctissimum nomen fuit in omni terrarum orbe celebratũ, & homines à vera religione abhorrentes relicta superstitione, contempto idolorum cultu, Christũ verum Deum coluerunt, eiúsque sanctissimo numini se totos, dedicarunt.

dd *Confundentur autem ab idolis.*) Hoc est à peccatis, quæ idola appellantur. Melius tamen existimo ea de sculptilibus & falsis diis intelligere: quemadmodum dictum est in Psalmo: *Confundantur omnes* Psal.96. *qui adorant sculptilia.*

ee *Super hortis.*) Lucos intelligit locáque amœna, vbi

A vbi idolis immolabant, & actus turpes exercebant. ff *Cum fueritis velut quercus.*) Id eſt, Cum fueritis omni gloria ſpoliati. Comparat Iudæos infideles cũ quercu arida nec fructus habente nec folia. Refert
Matt.21. Diuus Matthæus maledixiſſe Chriſtum ficui perpetua ariditate, cum in ea quæſiſſet fructum, & ſolum folia inueniſſet. Ficus illa populus erat Iudaicus, qui tunc foliis, hoc eſt ceremoniis vtebatur & ornabatur, licet fructum charitatis non ferret. Sed modo aridus eſt omninò & non ſolum charitate, ſed etiam
infrà.58. ceremoniis deſtitutus. Ideo quercus ſine foliis à propheta appellatur, & hortus abſque aqua. Contra verò de viro iuſto alibi ita ait vates noſter. *Et erit quaſi*
Pſal.1. *hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficiẽt aquæ.* Et ab alio propheta vir iuſtus cum arbore fœcunda comparatur ſemper virente, & florente, vberrimorúmque fructuum abundantia exornata: quæ cũ perennium fontium, & amœnorum fluuiorum aquis irrigetur, nullo vnquam æſtu areſcit, nulla ſiccitate labefactatur. *Et erit*, inquit, *tanquam lignum, quod plã-* D
tatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuũ dabit in tempore ſuo, & folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet, ſemper proſperabuntur. Hæc arbor ſẽper virens videtur eſſe palma, quemadmodum dicitur in Pſalmo: *Iuſtus vt palma florebit.* Eſt igitur iu- *Pſal.91.*
ſtus non quercus ſine foliis, ſed palma ſemper foliorum pulchritudine cooperta, & fructibus pulcherrimis ſuo tempore ornata.

gg *Et erit fortitudo veſtra.*) Idola, quibus fidebant fortitudinem eorum appellat: Acſi diceret: Idola veſtra, in quibus omne veſtrum præſidium collocatis, tanquam ſtupa comburentur. Et omne opus veſtrũ, domus, mœnia, & reliqua alia igne conſumentur. Et ſuccendetur vtrunque nempe fortitudo veſtra & opus veſtrum. Hæc omnia ſcimus fuiſſe cõpleta, quãdo in euerſione Hieroſolymæ per Titum vrbs fuit funditus deleta, & mœnia cum idolis incendio flagrarunt.

ANNOTATIO.

1 Principes tui infideles.] *Pro infidelibus eſt in Hebraico* סוררים *ſorerim: à verbo* סרר *quod ſignificat declinare, recedere, & peruertere. Vnde Aquila vertit,* rece-
B dentes. *Pagninus verò* declinantes. *quod idem eſt, hoc eſt à recta via diſcedentes. Poteſt verti principes tui peruerſi. Et quoniam verbum hoc ſignificat etiam rebellare & non obedire, ideo Septuaginta verterunt:* non obediẽtes, *ſiue non obediunt: quibus aſſentitur Diuus Hieronymus, qui in verſione ſua cui adiecit commentaria, habent:* inobediẽtes. *Et ita habent nonnulli codices editionis vulgatæ ad marginem. Sed mirum videtur tribuere inobedientiam principibus iniquis, iuſtis autem obedientiam, cùm obedientia ſubiectis, non autem principibus conuenire videatur. At altè ſpectare ſi voles, & ad veritatem reuocare rationem, videbis abſque dubio proprium eſſe boni principis obedire. Vt enim populus paret principi, ſic ille Dei legibus parere debet. Populo præeſt princeps, principi autem*
Deut. 17 *lex. In libro Deuteronomij præcipit Deus, vt qui rex conſtituereturhaberet ſecum legem ſcriptam, quam legeret*
4.Reg.11 *cunctis diebus vitæ ſuæ. In libro quarto Regum ſunt hæc verba monimentis mandata:* Produxítque filium regis, *nimirũ ſacerdos,* & poſuit ſuper eum diademata & teſtimonium, fecerúntque eum regẽ. *Per teſtimonium lex intelligitur, quæ deſignato principi ſimul cum regia corona dabatur. Vides igitur apertiſſimè oportere regem legi obedire, eámque ſemper memoria tenere. Quo enim die Rex fuerit conſtitutus, debet legem ſumere, & iuxta eam gubernare. Nec ſolum literæ diuinæ hoc dicunt, ſed etiam*
C *gentium philoſophi conteſtantur. Interrogatus Bias quiſnam eſſet verè princeps, eum reſpondit, qui primus ſe legi ſubiiceret. Et rectè quidem, nam, vt ait Pindarus, lex eſt omnium mortalium regina: quem locum refert Plato in eo dialogo qui Gorgias inſcribitur. Et hac de re multa in primo dialogo de legibus, & aliis in locis diſſerit ſcitu di-*
gniſſima. Nam cùm iuſtitia ſit finis, contempta lege fieri E
non poteſt quin princeps iuſtitiam contemnat: contempta autem iuſtitia, neceſſario ſequetur ſeditioſus ac turbulentus reipublicæ ſtatus: ex quo conflabitur regni pernicies, & certiſſimus interitus. Ex quo colligitur eſſe obedientiam bono principi propriam, & ſummè neceſſariam. Sed quoniam verbũ hoc סור *ſignificat fœtere & putreſcere, poteſt verti ex Hebræo: Principes tui putridi ſeu fœtidi. Et id, quod eſt apud Oſeam 4,* Separatum eſt cõ- *Oſ.4.*
uiuium eorum, poteſt verti: Putidum ſeu fœtidum factũ *ſimile*
eſt conuiuium eorum. Nam vt in piſce, corrupto ac putrido capite totum corpus corrumpitur, ſic in republica deprauato principe alij in prauitate verſantur. Qui videre vult ſitne piſcis corruptus aut contaminatus, aſpicit caput, hoc enim eſt, quod prius labefactatur & corrumpitur. Vis cognoſcere reipublicæ ſtatum, intuere principem, contemplare caput. Si princeps iuſtitiam coluerit & pietatem, omniáque ad rationis normam direxerit, videbis ſubditos legibus obediẽtes, animorumque motus rectæ rationis imperio ſedantes. Cõtrà verò deprauato principe, turpi voluptate & effrenata dominandi cupiditate corrupto, videbis populũ ab omnibus virtutum ornamẽtis deſtitutum, & indomitis appetitibus atque vitiis inflammatum. Aduentu magorum ait Diuus Matthæus turbatũ *Matth.2*
fuiſſe regem Herodem, & omnem Hieroſolymam cum illo. Turbato rege ſtatim fuit tota ciuitas cũ illo turbata. Cõparat igitur diuinus vates rempublicam cum piſce, cuius caput princeps eſt, corpus autem populus. Et ſignificare F
volens Hieroſolymæ corruptelam ait eius principes eſſe corruptos & contaminatos.

Auferte malũ cogitationum veſtrarũ.] *In Hebraico eſt: Auferte malum* מעלליכם, *quod poteſt etiã verti: Operum veſtrorum: & ita vertit Pagninus. Vel ſtudiorum veſtrorum: Omnia enim hæc dicta Hebraica ſignificat.*

Argumentum capitis II.

1 *Prædicit Chriſti Dei noſtri aduentum è cælis in terram miſſi, vt hominum genus infinitis erroribus implicatum, & ſceleribus aſtrictum doceret, & liberaret, eique viam veritatis oſtenderet.* 2 *Deſcribit gentium vocationem, & Euangelicam pacem, & Iudæorum nefaria delicta: ob quæ eos in luctuoſiſſimas miſerias, & acerbiſſimas calamitates eſſe incurſuros, & Hieroſolymam funditus euertendam prænuntiat.* 3 *Tandem Iudæos hortatur vt ab impietate & contumacia deſiſtant: nolintque Chriſtum verum Deum, & verum hominem falſis criminibus in interitum vocare.*

CAPVT II.

VErbum quod vidit Eſaias filius Amos ſuper Iudam & Ieruſalem. [a] Et erit in nouiſſimis diebus [b] præparatus mons domus Domini [c] in vertice mõtium, & eleuabitur ſuper colles: [d] & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: [e] Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, [f] & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ſuis: [g] quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de

b Ieru-

A Ierusalem. [h] Et iudicabit gentes, [i] & arguet populos multos. [k] Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. [l] Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Dei nostri. [m] Proiecisti enim populum tuum domum Iacob: [n] quia repleti sunt vt olim, & augures habuerunt vt Philisthiim, & [o] pueris [p] alienis adhæserunt. [q] Repleta est terra auro & argento, & non est finis thesaurorum eius: & repleta est terra eius [r] equis, & innumerabiles quadrigæ eius. Et repleta est terra eius idolis: opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum. [s] Et incuruauit se homo, & humiliatus est vir. Ne ergo dimittas eis. D

EXPLANATIO.

Quoniam prædixerat propheta capite superiore impiorum Iudæorum venturum excidium, ac piorum hominum salutem & redemptionem: nunc explicat id futurum esse Christi tempore, quãdo Euangelium prædicaretur, & multi ex Iudęis, pluresque ex gentibus in Ecclesiam conuenirent. Et vt fidem sibi conciliet, idque certum & infallibile esse affirmet, ait: *Verbum quod vidit Esaias:* Ac diceret: Sequitur prophetia Esaiæ vera & certissima, nam ipse id, B quod dicturus est, mentis oculis aspexit.

a *Et erit in nouissimis diebus.*) Solet vetus Testamentum tempus Messię dies nouissimos appellare. Cùm Iacob eximius patriarcha & propheta ad exitum vitæ vocaretur, filios suos in hunc modum allo- Gen. 49. cutus est: *Congregamini vt annuntiem, quæ ventura sunt in nouissimis diebus.* Et conuersus ad Iudã, *Non auferetur,* inquit, *sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittẽdus est, & ipse erit expectatio gentium.* Quæ verba intelliguntur de Christo, quem hic vult Propheta nomine montis significare. Hi nouissimi dies sunt fines illi seculorum, de quibus ait Apo- 2. Cor. 10. stolus in epistola prima ad Corinthios: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt.* Hos seculorum fines & vltimam ætatẽ appellat idem Apostolus in epistola ad Galatas temporis plenitudinem dicens: *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus* Gal. 4. *filium suum, &c.* Et Diuus Ioannes in prima epistola 1. Ioan. 2. sua horam nouissimam dicẽs: *Filioli nouissima hora est.*

b *Præparatus mons.*) Hic mons Christus est, qui, vt Dani. 2. est apud Danielem, lapis est qui abscissus de monte sine manibus, hoc est de virgine Maria sine humano C opere, sed virtute Spiritus sancti, creuit in montem magnum, & repleuit terram. Hic est mons ille, super quem ædificata est ciuitas Dei, id est, Ecclesia, de qua Matt. 5. ait Christus apud Matthæum: *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Hæc ciuitas appellatur hic 1. Cor. 3. ab Esaia domus Domini, & Christus mons huius domus, in quo sita est Ecclesia. Est enim Christus Ecclesiæ fundamentum, vt in epistola prima ad Corin- 1. Tim. 5. thios Apostolus asserit. Idem etiam Ecclesiam in epistola prima ad Timotheum domum Dei appellat. Aspicis Esaiam statim in principio tractare de Messia, quod est eius præcipuum institutum.

c *In vertice montium.*) Per hos montes & colles intelligit Prophetas & Patriarchas, cæterósque sanctos, qui ob animi altitudinem & celsitatem montes appellãtur: quia contemptis mundi illecebris & voluptatibus ferebantur in sublime, & charitate, sapiẽtia & contemplatione rapti in corporibus humanis vitam cœlestem imitabantur. Sed filius Dei vnigenitus Iesus Christus Deus noster montes omnes transcendit & superauit. Quod Propheta volens ostẽdere, dicit esse hunc montem, nimirum Christum, in vertice montium & collium: vt eius sublimitatem & excellentiam super omnes sanctos significaret. Poteris per montes eos sanctos intelligere, qui fuerunt excellentiori virtute & sapientia prædiți: per colles verò eos, qui ad tantam sanctitatis altitudinem non peruenerunt.

d *Et fluent ad eum omnes gentes.*) Tanta erit huius montis sublimitas & altitudo, vt sit vniuerso orbi conspicuus, & ad illum veniant omnes gentes, eius amplitudine, charitate, & excellentia excitatæ. Prædicit diuinus vates congregandam esse Ecclesiam catholicam ex gentibus in magnam multitudinem, & E coagmentandum esse corpus vnum pulcherrimum, cuius caput & magister est Iesus Christus, qui nomine montis significatur, eiúsque fidem esse per vniuersas terrarum regiones longè latéque propagandam. Plenum est vetus Testamentum huiusmodi vaticiniis. Vnum tantum aut duo loca citabo. In Psalmo scriptum est: *Omnes gentes seruient ei.* Et in alio: *Omnes* Psal. 71. *gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te* Psal. 85. *Domine, & glorificabunt nomen tuum.* Vbi diuinus vates gentium vocationem præcinit, & de Christi regno vaticinatur, sub quo omnes gentes erant ad veritatem venturæ. Est tamen aduertendum non dicere, Omnes homines venient. Multi enim ad Christũ non venerunt: sed, *omnes gentes.* Nulla enim fuit gens, quæ non veniret ex omnibus quatuor mundi partibus, tam ex Oriente quam Occidente, tam ex Meridie quàm ex Septentrione: Non tamen omnes illarum gentium homines venerunt. F

e *Venite ascendamus.*) Sedentes in peccatis ad Christum non veniunt. Oportet surgere, ire, & ascendere. Qui eunt ad Christum, ascendere dicuntur. Considera piorum hominum voluntatem, qui nõ solùm propriam salutem desiderant, sed alios ad eandem cohortantur. Thesauri terræ communicati exhauriuntur: at spirituales thesauri, quò magis communicantur, eo magis augentur. Ideo in Apocalypsi Ioannis hęc Apoc. vl. verba scripta sunt: *Spiritus & sponsa dicunt, veni: & qui audit, dicat, veni: & qui sitit, veniat.* Nos igitur ascendamus, quæ sursum sunt quærentes non quæ super terram, & alios ad altissimarum rerum cõtemplationem & feruentem charitatem inuitemus.

f *Et docebit nos vias suas.*) Vt nos doceat vias suas, oportet ascendere ad eum tanquam ad cœlestem doctorem. Prius vias Dei discere debemus, & postea in illis ambulare. Et obserua has vias Christi non doceri nisi in domo Dei Iacob, quæ est Ecclesia Catholica columna veritatis: nam extra eam nec est fides, nec salus. In Ecclesia magister est Christus, qui nobiscũ est vsque ad consummationem seculi. Vę illis qui talem respuunt magistrum. Extra Ecclesiam magistri sunt homines impij & seductores à diabolo edocti & decepti, quemadmodum fuit nostris tẽporibus Martinus Lutherus infamia nostri seculi, homo impius & pestilens, natus ad seditionem, natura factiosus, & pernicioſarum nouitatum amantissimus. Ad huius amicitiam conuolauit Philippus Melanchthon detestabilis

A ſtabilis hæreticus, cæteríque homines flagitioſi, vt ſuis vitiis & voluptatibus ſeruirent. Et quod ſine lachrymis dici non debet, in apertas Lutheri fraudes, & peſtiferas atque diaholicas hęreſes libentiſſimè iurarunt: vias autem Dei, quibus ad cœleſtem patriam peruenitur, dereliquerunt.

g *Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.*) Repetitio eſt: Lex enim & verbum Domini idem eſt ac Euangelium, quod hîc apertè prædicitur. Nam lex vetus data fuit in monte Sinai, non autem in monte Sion. Euangelium verò exiuit de Sion & Ieruſalem. Hæc eſt noua illa lex, quam Dominus apud Ieremiam in cordibus noſtris ſcripturum ſe eſſe pollicebatur. *Dabo*, inquit ille, *legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Quem locum Diuus Paulus in epiſtola ad Hebræos de Euangelio interpretatur. Hieroſolymæ prædicauit Chriſtus, & docuit Euangelium ſuum, & inde egreſſum eſt. Ideo non ait: In Sione & Hieroſolymæ manebit verbum Domini: *ſed exibit*: vt de illo fonte omnes gentes ſignificet eſſe rigandas, & non concludendum eſſe Euangelium intra ſepta Hieroſolymæ, ſed longius eſſe progrediendum & propagãdum: Non enim ſolùm pertinet ad populum Iudaicum, ſed etiam ad omnes gẽtes. Ideo eas Propheta facit mutuò ſe hortantes vt ad Chriſtum aſcendant, qui erat legem omnibus daturus.

Ierem. 32.

Hebr. 8. & 10.

B

h *Et iudicabit gentes.*) Hoc eſt, dabit ius Euangelicum gentibus. Vel iudicabit in iudicio diſcretionis, diſcernens qui ſint boni, qui verò mali: & non omnes infideles paripœna dãnandos, ſed proſcelerũ diuerſitate diuerſis tormẽtis cruciãdos eſſe. Vel *iudicabit gẽtes*, hoc eſt, pro gentibus ad fidẽ conuerſis ſententiã feret contra calumniatorem dæmonem, eaſque in ſua iuſtitia abſoluet. Non enim ſemper iudicare aliquem eſt contra eum ſententiam ferre, ſed aliquando pro eo. Quod aperte indicat locus ille Dauidis in Pſalmo. *Iudica me Deus & diſcerne cauſam meam.* Vel vt poteſt etiam verti ex Hebraico: *defende cauſam meam.* Vbi Dauid vir iuſtus pietate & ſapientia præditus Deum orat, vt cauſam ſuam defendat, eumque ab hoſtibus liberet, à quibus ſe videbat falſis criminibus in inuidiam, & capitis periculum vocatum. Nec ſolùm hoc in loco, ſed in aliis inquit Eſaias Chriſtum gentes iudicaturum. Ita enim ait capite nono: *Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia.* Qui locus aperte de Chriſto intelligitur. Et capite trigeſimotertio: *Implebit Sion iudicio & iuſtitia*, Et capite quadrageſimoprimo: *Iudiciũ gentibus profert.* Et Ieremias in hunc modum inducit Deum patrem loquentem: *In tempore illo germinare faciam Dauid germen iuſtitiæ, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra.* Cum his locis pugnare prima ſpecie videtur id, quod ait Chriſtus apud Ioannem: *Non miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Quæ verba falſam Iudeorum opinionem redarguunt, exiſtimantium Meſſiam ſuum fore iudicem, regemque terræ, quemadmodum fuit Dauid & Salomon. Ipſe Chriſtus verus Dei filius cuidam de quodam mundi negotio eum interroganti reſpondit: Quis me conſtituit iudicem & diuiſorem inter vos? vt eſt apud Lucam capite duodecimo. Et Ioannes refert eum aufugiſſe, cùm eum regem vellent conſtituere. Et Pilato reſpondit eſt: *Regnũ meum non de hoc mundo.* Præterea Eſaias capite ſextodecimo, non in iudicio, ſed in miſericordia præparandum eſſe Chriſti ſolium prædixit, *Præparabitur*, inquit, *in miſericordia ſolium eius.* Et in Pſalmo ſcriptum legimus: *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas*: Quamuis hæ authoritates cum ſuperioribus pugnare videantur, tamen attentius cõſiderare ſi voles, videbis apertiſſimè nullam eſſe inter eas repugnantiam. Nam quotiens in diuinis literis hæ duæ voces copulantur, iudicium & iuſtitia, ſignificare ſolent non rigorem iuris, nec iuſtitiam, quam vindicatiuam appellant, ſed excellentem quandam adminiſtrandiviam & rationem, cùm omnia ordine gubernantur, & ad rectã normam diriguntur. quod maximè conuenit excellentiſſimo illi rerum omnium moderatori & conſeruatori Deo noſtro, cuius conſilio & ſapientia mundi pulchritudo regitur & conſeruatur. Et quoniam hæc optima adminiſtrandi via in regno Chriſti conſpicitur, ideò prædictum fuerat à ſanctis vatibus eum impleturum eſſe Sionem iudicio & iuſtitia, hoc eſt, Eccleſiam ſuam præclarè gubernaturum. Quæ gubernandi ratio non repugnat nec aduerſatur miſericordiæ. Præterea iuſtitia accipitur in ſcriptura ſæpe pro iuſtificatione, quando gratia Dei iuſtificamur. de qua iuſtitia poſſunt explanari authoritates prędictæ, quę de iuſtitia loquebantur. In hanc ſignificationem, eam accipit Apoſtolus, cùm ait in epiſtola ad Romanos, *Iuſtitia Dei reuelatur in eo ex fide in fidem.* Et in alio capite: *Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt: iuſtitia autem Dei per fidem in Ieſum Chriſtum.* Et ad Galatas: *Si per legem eſt iuſtitia, Chriſtus igitur gratis mortuus eſt.* Et iuſtitia in hac ſignificatione nequaquã miſericordiæ aduerſatur. Imò fieri non poteſt, vt ſine Dei miſericordia quis à peccatis reſurgat, & iuſtificetur. Iudicium etiam ſæpenumero ſignificat actionem, qua quis ſeipſum iudicat: quemadmodum ait Apoſtolus: *Si nos ipſi iudicaremus, non vtique à Domino diiudicaremur.* Significat etiam ipſorum damnationem: cùm enim peccator eripitur, damnatur peccatum. *Deus*, inquit Apoſtolus, *mittens filium ſuum, de peccato damnauit peccatũ.* Hoc autem iudicium, quo damnãtur peccata, non eſt abſque Chriſti gratia & miſericordia. Colliges ex his Chriſti aduentum non fuiſſe in hominum iudicium & damnationem, ſed ſcelerum, de quo ea loca intelliguntur, quæ de primo Chriſti aduentu loquebantur. Ita poteris intelligere id, quod ait Chriſtus apud Ioãnem: *Ego in iudiciũ veni in mundum.* Et in alio capite *Nunc iudicium eſt mundi.* Igitur hic locus Eſaiæ: *Et iudicabit gentes*, & ille: *Iudicium gentibus proferet*, & ſimiles, hunc poſſunt habere ſenſum: Chriſtus in Eccleſia gentes ad fidem conuerſas rectè ac pulchrè gubernabit. Vel ita: Chriſtus gentes iuſtificabit. Vel, gentium peccata damnabit. Aſpicis igitur etiam in his locis, quæ pugnare videbantur, maximam cohærentiam & concordantiam inueniri.

Pſal. 42.

infrà. 9.

infrà. 33.

Infrà. 41.

Ierem. 33

Ioan. 4.

Luc. 12.

Ioan. 6.

Ioan. 18.

infrà. 16.

Pſal. 24.

C

Rom. 1.

Rom. 3.

Gal. 2.

D

E

Rom. 8.

1 Cor. 11

Rom. 5.

Ioan. 9.

Ioan. 12.

F

i *Et arguet populos multos.*) Arguiſſe Chriſtum Iudæorum ſcelera planè indicat Euangelica hiſtoria. Nec per ſe ſolum, ſed etiam per diſcipulos ſuos, quibus Spiritum ſanctum promittens dixit: *Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, &c.* Hoc eſt vos diſcipuli mei Spiritu ſancto inflammati mundi ſcelera arguetis. Aſpicis hîc ſcelera reprehendere eſſe munus Dei, eiúſque concionatorum. At multi ſunt, qui improborum ſcelera tegentes, & diſſimulantes, & quod peius eſt, laudantes, in hominum piorum vitam inuehuntur.

Ioan. 16.

k *Et conflabunt gladios ſuos in vomeres.*) Deſcriptio eſt futuræ pacis: Ac ſi diceret: Tempore Meſſiæ magna pax ſpiritualis vigebit. Id prædictum fuerat in Pſalmo: *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.* Nam viri iuſti & pij in mediis afflictionibus & calamitatibus ſpirituali & Euangelica pace gaudẽt, quam impij nullo modo aſſequuntur. Vbi eſt gratia, ibi pax eſt. Eam ob cauſam diuinus Paulus in exordio ſuarum epiſtolarum gratiam & pacem precatur: pax enim ſine gratia eſſe non poteſt. De hac Chriſti pace intelligitur id, quod dicitur in Pſalmo: *Audiã*

Pſal. 71.

Pſalm. 85

A *quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor.* Viderat vates non omnes hanc Euangelicam pacem esse habituros, ideo ait: *Super sanctos suos, & super eos, qui conuertuntur ad cor.* Hanc pacem cœlites annuntiarunt, quando nascẽte Christo cecinerunt: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hæc est pax illa, quã Christus moriturus in testamento suo discipulis suis reliquit dicens: *Pacem meam do vobis: pacem relinquo vobis.* Sed considerandum est cur describens hoc in loco Esaias hanc Euangelicam pacem, dicat conflandos esse gladios in vomeres, & hastas in falces conuertendas. Diuus Paulus in epistola ad Romanos, *Nõ exhibeatis*, inquit, *membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo.* Ex quibus verbis Apostoli apparet, membra homini flagitiosi esse gladios, & hastas, quibus animam suam sauciat & vulnerat, cum deberent esse arma iustitiæ, quibus aduersus vitia pugnaret, & in quibus Deum portaret, iuxta id quod ait idem Apostolus. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Nihil igitur aliud est, gladios in vomeres conuerti, & hastas in falces, quàm sensus omnes omniáque nostra membra, quæ

B sine Christi gratia in homine flagitioso arma sunt diaboli, mundi & carnis, quibus anima nostra transfigitur, effici vomeres, agrum Domini operibus charitatis scindentes & arantes, vertique in falces fructus pietatis Deo gratissimos metentes. Et hoc modo spirituali atque Euãgelica pace gaudebimus. Coercebit ratio appetitum, & omnium nefarium cupiditatum ardorem sedabit. Sunt qui hoc referant ad pacem, quæ fuit tempore Augusti, quando Christus natus est. Tunc enim Iani fores Romæ clausæ sunt, quod nisi in summa pace fieri non solebat.

l *Domus Iacob venite.*) Prædixit Propheta montem illum altissimum Christum Deum nostrum, qui venturus erat, vt nobis viam veritatis ostenderet, & in ea gressus nostros dirigeret. Prædixit gentium vocationem, & Euangelicam pacem, ac spiritus tranquillitatem: nũc se ad populum suum conuertit, quẽ domum Iacob in præsenti vocat: Inuitat igitur Iudæos, & hortatur vt accendant ad Christum, recipiãt Euangelium, & ambulent in eius lumine, doctrina, & veritate. Nos verò omissis Hebræis ad nos ipsos sermonem conuertamus. Nos qui hactenus Deum offendimus, qui indomitis cupiditatibus incensi, fui-

C mus in magna prauitate versati, qui in tenebris iacuimus peccatorum, accedamus ad veram lucem, eamus, & ambulemus in lumine Dei nostri. *Accedite ad eum*, inquit diuinus Psaltes, *& illuminamini.* Non enim patietur Deus, nos lumen sapientiæ requirentes oberrare, quin potius oculos nostros aperiet, & errantibus viam consequendæ immortalitatis ostendet.

m *Proiecisti enim.*) Sensus est, Eam ob causã Hebræos hortor Domine Deus, vt mecum tui luminis fiant participes, quia eos video in tenebris versari: tu enim propter eorum scelera eos proiecisti. Quæ autem ea sunt scelera explicat cùm ait: *Quia repleti sunt*, nempè peccatis, vt olim quãdo vitulum coluerunt, séque nefariis vitiis contaminauerunt, & auguriis, magicisque artibus more Palestinorum coinquinarunt. Præceperat enim Deus illis, ne talibus artibus vterentur.

n *Pueris alienis adhæserunt.*) Quidam hoc de turpissimo contra naturam crimine explanãt. Quidam verò de idololatria. Ac si diceret: Iunxerunt se Iudæi Gentibus idolorum cultricibus, vt simul cum illis idola colerent. Qui enim idola colunt alieni à Deo in scriptura sancta dicuntur. Poterit ita explanari: Cõ- D
municauerunt cum alienigenis infidelibus, eorúmque familiaritate & consuetudine vsi fuerunt, quod erat illis prohibitum.

o *Repleta est terra argento & auro.*) Damnat auaritiam. Nemo enim, vt ait Christus, potest seruire Deo & mammonę. Et quoniam auarus nunquam satiatur, inquit thesaurorum non esse finem, hoc est nunquam expleri sitim cupiditatis. Quò enim magis auari diuitiis abundant, eò ardentius eas appetunt. *Auarus*, vt ait Salomon, *non impletur pecunia.* Animaduerte. Non dicit repletum est cor auro & argento, *sed repleta est terra.* Fieri enim potest, vt terra impleatur diuitiis, & hominis auari animus nunquam implebitur? Non sine causa Plato & Archytas Tarentinus animum hominis cupidi perforato vasi similem esse dixerunt ob insatiabilem atque infinitam voraginem appetendi. Totus mundus cor hominis non implet, quoniam mundus figuram habet rotundam, cor verò pyramidalem. Est enim perspicuum figurã sphæricam pyramidali non quadrare. Tunc satiabimur, cùm Deo fruemur in gloria. *Satiabor*, inquit vates sãctus, *cum apparuerit gloria tua.* Cùm igitur caducæ diuitiæ non solùm animum non expleant, sed in dies accendant, cur eas tantoperè concupiscis? cur Deo neglecto ad eas aspiras & raperis incredibili cupiditate inflammatus? Cur quæris thesauros in terra, cũ E
patrem habeas in cœlo? Pereunt Christi pauperes fame & nuditate, premuntur inopia, & ærumnarum angustiis, & tu pecuniam, qua illi poterant viuere, in arcula recondis. Nónne intelligis te, habere inclusã vitam pauperum? Quid dico? imò sepultam. Quid est arcula auari nisi sepulchrum, vbi sepelitur vita pauperum? Cur sepelis vitam? Sed quid loquor? imò cur sepelis teipsum? Gazophylacium tuum tumulus est tuiipsius. *Vbi est thesaurus tuus ibi, & cor tuum.* Non ego hoc dico. Ille hoc asserit, qui fallere nõ potest, qui est ipsa veritas. Cùm autem thesaurus tuus sepeliatur, apertissime colligitur teipsum esse cũ eo sepultũ. Aspice quid hoc loco dicat Esaias: asserit eã ob causam esse populum à Deo proiectum, quia repleta erat terra auro & argento, nec erat thesaurorũ finis: *est enim auaritia*, vt ait Diuus Paulus, *idolorũ seruitus.* Et in alio loco asserit cupiditatem esse omniũ malorum radicem. Vt terra quæ auri & argenti venas habet, aliis in rebus sterilis est & inculta, sic auari diuitiis affluẽtes, metallaque in animo portãtes nullum bonum fructum producere consueuerunt. Fit enim plerúnque vt magnas diuitias insolentia & impietas consequantur.

simile.

Matth. 6.

Eccl. 5.

Psal. 16.

simile.

Mat. 6.

Colos. 3.
1. Tim. 6.
simile.

F

p *Equis.*) Respuit Deus & redarguit fastũ, & superuacaneã equorum multitudinem. Idem scriptum legimus Deuteronomij capite decimo septimo. Vult Deus vt in ipso, non autem in equis & quadrigis, & apparatu militari, omnem nostram fiduciam collocemus.

Deut. 17.

q *Incuruauit se homo, & humiliatus est vir.*) Per hominem intelligit eum, qui est obscurus, & humili loco natus: per virum verò, nobilem, & illustri laude celebratum. Ait igitur tam plebeios quàm magnates idola coluisse, & ad sculptilia, quę ipsi finxerant, supplices accessisse, verumque Deum repudiasse.

r *Ne ergo dimittas eis.*) Non est imprecatio, sed vaticinium. Non petit à Deo ne parcat Iudæis, sed vaticinatur non esse Deum peccata illis condonaturũ, quoniam ipsi in sua prauitate & pertinacia erant permansuri. Eodem modo id, quod dixerat regius vates: *Fiant eius dies pauci, & Episcopatum eius accipiat alter*, non fuit inprecatio, qua obsecraret Deum vir sanctus vt aliquẽ tali pœna mulctaret, sed fuit vaticinatio prædicens excidium Iudæ & Mathiæ electionem.

Psal. 108

Ita

Psal. 33.

Deut. 18.

Rom. 6.

1. Cor. 6

Iuc. 2
Ioan. 14.

A Ita enim locum illum interpretatur in Actis Apostolorum eorum princeps & Ecclesiæ pastor. Sunt præterea multa alia eiusmodi in diuinis literis, quę non ita accipienda sunt, quasi mala imprecentur: sed ea prædicunt vates, quæ mentis oculis ventura esse intuebantur. Huic expositioni fauet versio Paguini habens: *Et non parces eis.* Non dicit: Ne parcas: sed non parces. D

Act.1.

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT II.

1 Repleti sũt vt olim.] *In Hebraico est* מלאו מקדם *maleu mikk dem. Nomẽ* קדם *significat anterius, initium, antiquum, vt in Psalmo* Cogitaui dies antiquos. *Vnde accipitur aliquando aduerbialiter, & significat olim, in quam significationem accipitur ab interprete nostro. Sed quoniam mundi pars Orientalis appellatur anterior, & mundi principium, quemadmodum Occidentalis appellatur posterior, & mundi finis: Ideo hoc nomen pro Oriente siue Orientali plaga accipitur, vt Numerorum 23.* De montibus Orientis. *Et illud Exodi:* Flante vento vehementi, poterat verti: *flante vento Orientali: est enim ibi hoc nomen. Hac ratione ductus conuertit in hunc modum Pagninus:* Superstitione repleti sunt præ Aramæis, *qui sunt ad Oriẽtem Israelis. Multa verba addidit quæ non sunt in Hebraico, vt sensum, quem Hebraico contextu inclusum putauit exprimeret. Non enim verbum ex verbo transtulit, vt nonnulli existimant, sed sæpe potius ad sensum, quàm ad verba respicit. Poteris vertere: Repleti sunt præ Chaldæis, subaudi superstitione, vel magica, vel peccatis in communi. Vel ita: Abundant magica plusquam Orientales.*

Psal.76. *Num 23.* *Exod.14.*

B

2 Et pueris alienis adhęserũt.] *In Hebraico est:* וישפיקו בילדי נכרים *Vuialde nochrim iaspiku. Tota huius loci difficultas est in nomine hoc* ילד *ob eius æquiuocationem. Significat enim puerum, vt 4. Regum 4.* Cernit autem puer. *Quam significationem secutus est noster interpres. significat etiam filium, vt 1. Regum 1.* Hannæ autem nõ erant liberi. *Deriuatur enim à verbo* ילד, *quod significat gignere & parere. Et quoniam cor generat cogitationes, consilia, inuentiones, & scientiã, ideo omnia hæc ieladim appellantur. Vnde potest verti: Et cogitationibus, aut consiliis. aut inuentionibus, aut scientiis alienorum adhæserunt, vel se totos dediderunt. Reprehendit Iudæos quia omissis diuinis monitis, contempta Dei lege magicis artibus, & gentium superstitionibus operam dabant: eorúmque consilia & inuentiones sequebantur, qua eos à vera virtutis via, ab honesta viuendi ratione, & à religione ac pietate abducebãt. Hoc deplorabat alius propheta dicens:* Et commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum. *Pagninus vertit:* In scientiis alienis fuerunt sufficientes. *Sed quoniam nomen* ילד *significat etiam imaginem, potest rectissimè verti: Et imaginibus alienorum applauserunt, seu operam dederunt. Cotidie enim nouas imagines, noua idola & simulachra conficiebant: nulla erant gentium sculptilia, nulla idola, quæ Iudæi non colerent. Est enim impium scelus imagines latria adoratione, qua soli Deo debetur, adorare. Quanquam est pium & debitum sanctorũ imagines venerari & suspicere, non tanquam idola, sed tanquam eorum repræsentatrices, quí in hac vita Deo seruierunt, eóque in altera fruuntur.*

4.Reg.4. *Psal. 17.* *Psal.105.*

E

---

[a] Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo [b] à facie timoris Domini & à gloria maiestatis eius. [c] Oculi sublimis hominis humiliati sunt, & incuruabitur altitudo virorum: [d] exaltabitur autem Dominus solus in illa die. Quia [e] dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem: & humiliabitur. [f] Et super omnes cedros Libani sublimes & erectas: & super omnes quercus Basan: & super omnes montes excelsos, & super omnes colles eleuatos: & super omnem turrim excelsam: & super omnem murum munitum: & super omnes naues Tharsis: & super omne quod visu pulchrum est. [g] Et incuruabitur omnis sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum. [h] Et eleuabitur Dominus solus in die illa. Et idola penitus conterentur. Et introibunt in speluncam petrarum, in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius [i] cùm surrexerit percutere terram. [k] In die illa proiiciet homo idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat sibi, vt adoraret talpas & vespertiliones. [l] Et ingredietur scissuras petrarum, & in cauernis saxorum à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cùm surrexerit percutere terram. [m] Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus est, [l] quia excelsus reputatus est ipse.

Psal. 26. *Luc.23.d* *Ose. 10.b* *Apoc.9.b* *infrà.31.d* *Luc.23.c*

C F

a *Ingredere in patrã.*) Hortatus est Propheta Iudæos, vt in Christum crederent. sed quoniam præuidit eos in sua infidelitate, & perfidia permansuros, innuit eorum peccatum nulla venia dignum esse: & eam ob causam esse Hierosolymam à Romanis euertendam. Hoc intelligens Esaias hortatur eos, vt ingrediantur rupes, séque ab exercitu Romanorum in speluncis & cauernis subterraneis se abscondant. Huius timoris & vastitatis meminit Diuus Lucas, apud quem ita Christus ait: *Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos.* Quidam hoc intelligũt de euersione Hierosolymæ per Chaldæos. Nos in nostris ærumnis ingrediamur petram: petra autem Christus est. Ad eum confugiamus: ingrediamur in eius vulnera, vbi refugium inueniemus, & portum tutissimum contra omnes huius mundi procellas & tempestates.

Luc. 23. *1.Cor.10*

b *A facie timoris Domini.*) Vastitatem Hierosolymę Domini timorem appellat, quoniam ibi se ostendit Deus iratum & valde timendum. Appellat etiam gloriam maiestatis eius, quoniam ipse per Romanos Iudæis infidelibus, omnique scelerum genere astrictis interitum & perniciem inferebat. Tunc enim Deus suam potentiam & gloriam ostendit, quando impios opprimit & euertit. Id indicat paulò pòst verbis aliis.

c *Oculi sublimis hominis humiliati sunt.*) Describit Hierosolymæ luctuosum excidium. Ibi, inquit, non solum homines obscuri & abiecti in gemitu & lachrymis versabuntur, sed etiam nobiles & potentes in ærumnas incident acerbissimas. Supplicio & interi-

A tu pœnas suæ impietatis luent, & tota ciuitas ferro & flamma vastabitur, funditus delebitur. Vtitur præteritis pro futuris, vt multis aliis in locis, & vt Prophetiæ certitudinem ostendat, quemadmodum mos est Prophetarum.

d *Exaltabitur autem.*) Iudæi abiicientur & prosternentur: solus autem Deus magnus & sublimis apparebit, cùm ab eius ira nullus Iudæorum possit fugere nec liberari. Idem ait capite quinto iis verbis: *Exaltabitur Dominus exercituum in iudicio, & Deus sanctus sanctificabitur in iustitia.* Non differt ab hoc testimonio id, quod iis verbis canit clarissimus vates: *Cognoscetur Dominus iudicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Quidam hoc referunt ad extremum iudicium, quorum sententiam etsi non reiicio: non tamen ita amplector, vt eam priori anteponam.

Infrà. 5.

Psal. 9.

e *Dies Domini exercituum.*) Sensus est: In excidio Hierosolymæ omnes elati diuitiis affluentes, & potentia præstantes, in quos oculi omnium erant coniecti, ferro, aut flammæ, aut captiuitati subiicientur. Eos cõparat propheta cedris, quercubus, montibus, collibus, turribus, muris, nauibus Tharsis, & rebus aliis pulchritudine sua oculos videntium oblectan-

B tibus. Diem Domini exercituum super omnem superbum appellat Iudæorum vastitatem, quos cedrorum nomine vocat. Nec est nouum homines improbos & elatos cedris Libani comparari. *Vidi*, inquit Dauid, *impium super exaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani.* Et Zacharias, *Vlula*, inquit, *abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt.* Significari autem nomine quercuum Basan homines diuites, ostendit eodem loco Zacharias dicens: *Vlulate quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus.* Quasi diceret: Plorate vos qui diuitiarum copia abũdatis, quoniam Hierosolyma delebitur bello luctuosissimo vestris sceleribus conflato. Illud est sciendum, Libanum, vt ait Diuus Hieronymus, montem esse altissimum Phœnices: Basan verò regionem esse Arabiæ, cui imperauit Og, qui appellatus est rex Basan.

Psal. 44.

Zach. 11.

f *Et super omnes montes.*) Nomine montium significari homines improbos ostendit locus Ezechielis ita habens: *Hæc dicit Dominus Deus montibus & collibus: Ecce ego inducam super vos gladium, & disperdam excelsa vestra.* Intelligi etiam eosdem per turres significat locus apud Esaiam capite 30. inquiens: *Et erunt*

Ezech. 6.

Infra. 30.

C *super omnem montem excelsum, & super omnem collem eleuatum riui currentium aquarum, in die interfectionis multorum, cùm ceciderint turres.* Hoc est, Dabit tibi Deus bonorum abundãtiam, cùm adeptus fuerit victoriam, & hostes tui fortissimi corruerint. Fortitudine quoque & potentia pollentes murus appellantur. Ita apud Ieremiam: *Ego dedi te murum æreum super omnem terram.* Appellantur præterea naues, vt est apud Esaiam, *Vlulate naues maris*: quod alij verterũt, naues Tharsis. Non naues vlulant, sed homines nauibus comparati. Vides igitur locos è media scriptura depromptos & repetitos ostendẽtes homines potentes & diuites cedris Libani, quercubus Basan, montibus, collibus, turribus, muris, & nauibus Tharsis esse comparatos.

Ierem. 1.

Infrà. 23.

g *Et incuruabitur omnis sublimitas hominum.*) His verbis ostendit præcedentia de hominibus dicta esse.

h *Idola penitus conterentur.*) Fuisse sæpe Iudæos idolorũ cultores, & vitiis te terrimis contaminatos, & eam ob causam fuisse à Chaldæis captos & afflictos, est omnibus vetus Testamentum legentibus planum & perspicuum. Prædicit ergo Esaias in illa Hierosolymæ vastitate per Chaldæos, esse idola, in quibus Iudæi spem suam collocauerant, conterenda. Poterit etiam hoc de euersione per Romanos explanari: & per idola possunt intelligi diuitiæ. Id enim in quo D quis beatitudinem constituit, & quod colit, relicto Deo, potest idolum appellari. Et Diuus Paulus auaritiam, idolorum seruitutem appellat.

Ephes. 5.

i *Cùm surrexerit percutere terram.*) Id est, cùm Deus euerterit Hierosolymam. Potest etiam de extremo iudicio intelligi. Existimo tamen priorem esse primam interpretationem, quòniam in principio capitis non ait se super vniuersum orbem, sed super Iudam & Hierosolymam vaticinari.

3. Colos.

k *In Die illa proiiciet homo idola.* Tantus erit metus, vt homines diuitiarum suarum, & idolorum auri & argenti obliuiscantur, dúmmodo vitæ consulant. Hæc idola appellat talpas & vespertiliones. Ad id amentiæ & cæcitatis perducti sunt Iudæi, vt imagines colerent serpentiũ, & aliorũ brutorũ animaliũ. Vide quid adorabant: talpas & vespertiliones, animalia cæca, abiecta & inutilia. Cùm ipsi in tenebris iacerẽt, ea colebant animalia, quæ solem videre nequaquam possunt, eisque preces & cultus sanctissimo numini debitos adhibebant.

l *Et ingredietur scissuras petrarũ.*) Repetit id, quod dixerat, vt firmiter in memoria auditorum inhæreret. Opus enim erat, vt tantæ calamitatis memoriam E nulla vnquam deleret obliuio.

m *Quiescite ergo ab homine.*) Epiphonema est totius huius capitis. Ac si diceret: Qm̃ in nouissimis diebus ostẽdetur mõs ille altissimus Ecclesiæ fundamẽtum omnes alios mõtes facile superans, ad quẽ concursuræ sunt omnes gentes eius celsitate & amplitudine excitatæ, quoniam laturus est nouam legẽ, quoniam vos ô Iudæi, si eum non receperitis, estis in luctuosissimum excidium incursuri, & in perpetuas tenebras relegandi: quoniã veniẽt dies in quibus Hierosolyma ob vestra impia facinora est penitus euertenda: vos magnopere hortor ne Messiam vestrum ad interitum vocetis. Quiescite ergo offendere hominẽ, cuius spiritus in naribus est: id est, qui iram suam vobis ostendet: quia excelsus reputatus est ipse. hoc est, quia magnus & potens est, qui vos poterit facilè vastare. Habere spiritum in naribus est iratum esse. Dicens: *Quiescite ab homine*, ostendit Christi humilitatem: dicens autem: *Quia excelsus reputatus est ipse*, ostendit eius sanctissimum numen. Ac si diceret: Videte ne Christum contemnatis verum Deum & verum hominem, qui iratus poterit vos facilè perdere, F & omnem vestram rempublicam labefactare, & penitus extinguere. Potest hoc ita etiam explanari: Quiescite, à Christi blasphemiis, qui etsi in naribus habet spiritum, hoc est, etsi homo est, & spirat, & halitum naribus trahit, vt cæteri homines: tamen secũdum diuinam maiestatem excelsus est & altissimus. Præuidebat diuinus vates esse Hierosolymam ciuitatem florentissimam euertendam ob Iudæorum in Christum odium & impietatem. Vt enim in seminibus causa est plãtarum, sic luctuosissimi excidij Hierosolymæ causa fuit scelus illud teterrimũ & impiissimum, quod in Christi nece admiserunt. Et eam ob causam eos hortatur propheta, vt saltem cùm se viderint afflictos, contemptos, omni ignominia & dedecore notatos, suúmque statum labefactatum & radicitus euulsum, oculos aperiant, & aspiciant aliquando se ob suam impietatem in tam acerbis ærũnis versari: & desistant à sua contumacia non à magnitudine animi orta, sed à malitia, perfidia, & superbia inducta. At obstinati homines nolunt moneri, nec se hoc saluberrimo prophetæ consilio instruere: imò in suis synagogis Christum blasphemant, & in suis animis iterum atque iterum occidunt.

similè

ANNO-

A D

ANNOTATIO.

1 Quia excelsus reputatus est ipse.] *Pro* qui excelsus, *est in Hebraico* גבהה בי *Ci vammeh. Hæc dictio* גבה *significat excelsum, in quam significationem accipitur primo Regum nono* : Antequam ascendat excelsum : *& in Psalmo.* Et super excelsa statuens me: *& aliis in locis. Quam significationem in præsenti secutus est, & rectè quidem, Diuus Hieronymus, qui ita transtulit, vt est in vulgata editione. Sed quoniam dictio* מה *significat quid, &* ב *significat in, existimauit Aquila hoc in loco esse duas dictiones: qua ratione adductus transtulit*: in quo, *dicens: Quia in quo reputatus est ipse? Pagninus vertit* : Quid enim reputationis est ipse? *Ego credo multò rectiorem esse nostram versionem communem: & quia nomen Hebraicum excelsum significat, vt ostendimus, & quia literæ textus magis congruit, & Christi celsitudinem & excellentiam ostendit. Miror Pagninum virum doctissimum hoc in loco & à vero sensu, & à veritate Hebraica recessisse. Tolerabilior est Aquila versio hoc in loco. Sed primæ sunt communi versioni, meo quidem iudicio, hoc in loco tribuendæ.*

1 Reg. 9. Psal. 17.

Argumentum capitis III.

1 *Prædicit diuinus vates Iudæorum excidium, eorumque reipublicæ turbulentum ac seditiosum statum ob nefariam in Iesum Christum Deum nostrum ingratitudinem, & effrenatam immanitatem.* 2 *Præmit Dei iustitiã & misericordiam, ostendens esse impios suorum scelerum pœnas daturos, iustos vero præmijs afficiendos.* 3 *Inuehitur in adulatores.* 4 *Minatur diem extremi iudicij.* 5 *Tandem Hierosolymæ luctuosissimam euersionem & vastitatem prænuntiat.*

CAPVT III.

B

ECce [a] enim dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem & à Iuda [b] validum & fortem, [c] omne robur panis, & omne robur aquæ, & fortem, & virum bellatorẽ, [d] iudicem, & [e] prophetam, & [f] ariolum, & [g] senem, [h] principem super quinquaginta, & [i] honorabilem vultu, & [k] consiliarium, & [l] sapientem de architectis, & [m] prudentem [n] eloquij mystici. [o] Et dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis. [p] Et corruet populus, vir ad virum, & vnusquisque ad proximum suum. Tumultuabitur vir contra senem, & ignobilis contra nobilem. [q] Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui, & dicet: Vestimẽtum tibi est, princeps esto noster: ruina autem hæc sub manu tua. [r] Respondebítque in die illa dicens: Non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimẽtum, nolite constituere me principem populi.

E

EXPLANATIO.

a *Ecce enim.*) Hortatus fuerat Iudæos propheta Esaias in fine superioris capitis ne Christum offenderent: Nam etsi verus homo esset, excelsus tamen est: verus enim est Deus, *splendor gloriæ*, vt inquit Diuus Paulus, & *figura substantiæ eius.* Ipse est infinitæ sapientiæ pelagus, ille Dei sapientia, de qua idem Paulus, *Loquimur*, inquit, *Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram.* Et quoniam Esaias diuini luminis radio illustratus sciebat Iudæos non esse Christum recepturos, prædicit hoc capite excidium, quod illis eam ob causam venturũ præuidebat. Et est sensus: Quoniam vos ô Hebræi contempturi estis Messiam vestrum: ideò in luctuosissimam calamitatem incidetis. Auferet à vobis Dominus viros fortes, prophetas, nobiles, prudentes, consiliarios eloquentes: & regnabunt pueri, & labefactabitur reipublicæ status, & tota denique ciuitas corruet, & funditus delebitur. Que quidem ego non existimo Esaiam sine lachrymis scripsisse. Nam cùm ille Hebræorum populus in maxima celebritate, & in oculis cæterarum nationũ quondam vixisset, neque esset natio vlla tam ampla & illustris, quę deos præsentes haberet, quemadmodum Hebræi Deum suum præsentem, & in votis ac precibus occurentem habuerunt, & vidisset eos religionem impiè violaturos, & in summam calamitatem incursuros, non possum credere, eum cùm hæc literis mandaret, potuisse lachrymas continere. Videbat enim fore vt funditus deleretur respublica illa Hebræorum quondam florentissima, qua nulla alia fuerat vnquam & prudentiæ opinione grauior, & sapientia illustrior, & rerum gestarum gloria præstantior. Sed fuit æquum, vt Iudæi, qui veram lucem neglexerunt, qui lumen illud de lumine Christum Deum nostrum repudiarunt, lumine cælesti priuati in tenebris versarentur, & hostiles insidias, luctuosissimum excidium, infamiam, & dedecus, malorumque omnium tempestatem declinare nequaquam possent. Sed fuerũt à Romanis victi, & oppressi, atque amplissimis Dei beneficiis orbati. Quod cernens propheta has voces emittit: *Ecce enim dominator, &c.* Particula, Enim indicat hoc caput à superiore pendere.

Hebr. 1. 1. Cor. 2.

C

F

b *Validum & fortem.*) Abstulisse Deum à Iudæa õnes viros bellicosos, & corporis fortitudine præstantes asserunt apertè historiæ, & antiquorum monimenta. Poteris etiam per validos & fortes eos intelligere, qui animi fortitudine valent, qui res arduas nõ corporis, sed animi viribus pulchrè aggrediuntur, appetitum vincentes, & aduersus vitia pugnantes, qui nec aduersis franguntur, nec prosperis eleuantur. Nec mirum est hos ablatos fuisse à Iudæa: vbi namque Christus non est, ibi deest vera fortitudo. Solùm ille, qui verè fortis est, potest dicere cum Paulo: *Omnia possum in eo, qui me confortat*: hoc est, qui me fortem atque potentem efficit. *In te*, inquit regius vates, *eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.*

Philip. 4. Psal. 17.

c *Omne robur panis.*) Hoc est spoliaturus est Deus Iudæos cibo & potu, quibus rebus corpus reficitur & sustentatur. Fuit enim in obsidione per Titum & Vespasianum, vt refert Iosephus, incredibilis fames. Per panem & aquam intelligi omne alimentum indicat locus libri quarti Regum capite sexto, ita habens:

4. Reg. 6

A bens: *Pone panem & aquam coram eis, vt comedant & bibant, & vadant ad domum suam: Appositáque est ciborum magna præparatio, & comederunt & biberunt.* Et
1.Re.14. libro primo Regum narrat diuina historia, Ionathã comedentem fauum mellis præceptum patris fregisse dicentis: *Maledictus qui comederit panem vsque ad*
Luc. 14. *vesperam.* Vbi vides nomine panis intelligi etiam fauum mellis, & omnem cibum. In hanc significationem accipitur à Diuo Luca dicente: *Cùm introisset Iesus in domum cuiusdam principis sabbato manducare panem.* Nam apud Hebræos panis appellatur lechem à verbo lachã, quod significat comedere. Vnde quic-
Ioan. 6. quid comeditur panis appellatur. Poteris etiã perhúc
Prou. 14. panẽ Christum intelligere de seipso dicentem: *Ego sũ panis viuus qui de cœlo descẽdi.* Hic est panis ille, de quo Salomon in Prouerbiis, *Iustus*, inquit, *comedit, & replet animam suam, venter autem impiorum insaturabilis est.* Quem locum Diuus Cyrillus de Christo interpretatur. Poterit præterea nomine panis verbũ Dei
Amos. 8. intelligi, vt hæc fames ea sit, de qua ait per aliũ prophetam Deus: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & emittam famem in terram, non famẽ panis, neque sitim aquæ,*
Gen. 11. *sed audiendi verbum Dei.* Qui tali fame laborant carẽ-
B tes epulis cœlestibus, peregrinantur, & in Ægyptum descendunt, vbi Pharaoni deseruiunt. Refert diuina scriptura descendisse Abrahamum in Ægyptum, ibíque fuisse peregrinatum: cúmque Ægyptij Saram eius vxorem viderent, eiúsque excellentem pulchri-
figura: tudinem contemplarentur, eam Pharaoni tradiderunt: Qui, vt Abrahami mœrorem leniret, eum muneribus oblectauit. Fames hæc causa fuit, vt Abrahamus patriam relinqueret, & ingrederetur Ægyptum, vbi vxore rapta, traditáque Pharaoni peregrinaretur. Etsi Abrahamus in descensu illo non peccauit, eorum tamen imaginem retulit, qui ad mundi vitia descendũt. Aegyptus mũdus est, Pharao diabolus, Sara, anima nostra, serui Pharaonis illi animã nostram tradentes, nostri effrenati appetitus sunt. Nos illi sumus, qui fame verbi Dei oppressi, omissa diuina lege in Aegyptum, hoc est, in mundi scelera descendimus, vt ibi peregrinemur à vera patria, & capta anima nostra ab indomitis appetitibus, & effrenatis cupiditatibus, diabolo seruimus nos falsis voluptatibus mulcenti, vt eius illecebris deliniti raptum animæ nostræ aut non sentiamus, aut saltem dissimulemus. In quibus verbis est magnoperè aduertendum,
Nota. non dixisse scripturam Abrahamum in Aegyptum i-
C uisse, sed descendisse. Peccare enim descendere est, & in præceps ruere. Id existimo significare scripturam, cùm refert dixisse Deum Isaac, ne in Aegyptum descenderet. Est etiam attendendum, & menti ac memorię mandandum, non dixisse scripturam, vt ibi ha-
Genes. 12. bitaret: sed vt ibi peregrinaretur. Cùm mortifero peccato astringimur, à cœlesti patria exulamus. At viri iusti etsi corpore in terra viuunt, animo tamen
Philip. 3. Psal. 121 simile. in cœlo commorantur. Id sentiebat diuinus ille Paulus dicens: *Nostra conuersatio in cœlis est.* Et regius ac sanctus vates: *Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem.* Vt enim Sol, licet terram radiis contingat in cœlo tamen est: sic vir optimus, animi magnitudine & celsitate præditus etsi terram hanc pedibus terat, mente tamen ea, quæ cœlestia sunt contemplatur, & ad eas æternas mansiones aspirat, ibíque iam tanquam in patria quodammodo habitat, vbi illi in perpetuum viuunt, qui è corporum vinculis tanquam ex carcere ad oras illas beatas & immortales euolauerunt. Est igitur verbum Dei & sacra scriptura panis. Sed aduerte. Nõ dicit propheta: Auferet à vobis Deus, ô Iudæi panem & aquam, sed *omne robur panis, & omne robur aquę.* Habent enim Iudæi panem & aquam, sed absque robore & fortitudine. Habent veteris Testamẽti scripturam, sed abs- D
que intellectu: quoniam Christum Iesum saluatorem nostrum in scriptura significatum amiserunt. Quare est eorum miseria & insania deploranda, qui in tanta panis abundantia siliquis porcorum vescantur, quæ nec famem illis expellunt, nec vires animi tribuunt.

d *Et iudicem.*) Nam cùm Romani imperium terrarum obtinerent, imponebant Iudæis reges & gubernatores, qui eorum causas iudicarent. Et hoc modo fuerunt Iudæi suis iudicibus priuati.

e *Prophetam.*) Propter cędes prophetarum, aliáque scelera grauissima, in quæ Iudæi inciderunt, fuerunt capti, & septuaginta annos in Babylonica captiuitate detenti: quo tempore non illis defuerunt prophetæ, qui futura prædicerent, eosque consolarentur. At post Christi mortem nullum penitus prophetam habuerunt. Ex quo colligitur quantò grauius & tetrius fuit detestãdum scelus, quod in Christi cæde admiserunt, siquidem propter illud fuerunt prophetis priuati, & à Romanis capti & afflicti, & per totum orbem terrarum dispersi & vagi, plusquam mille & quingentos annos, viuentes sine propheta, sine rege, sine templo, sine diuina oblectatione.

f *Ariolũ.*) Id est, præscium, & coniectorẽ futurorũ, qui coniectura, signis, & prouidentia, futura tanquã E
ex aliqua specula præuidet. Accipitur hoc in loco in bonam partem. Septuaginta verterũt, coniectorem.

g *Senem.*) Eum, qui longo rerum experimento sapientiam fuit assecutus. Eam ob causam Thales Milesius, vt refert Laërtius, tempus sapientissimum esse dicebat. Prædicit propheta spoliandam esse Hierosolymam omnibus ornamentis ad pulchrum & magnificum reipublicæ statum pertinentibus. Vt enim Simile.
aqua vino admista illud reddit moderatius, sic in republica senes adolescentibus admisti eos grauitate sua moderantur, eorum temeritatem & impetum coercentes. Poteris etiam hanc senectutem non ad annos & ætatem, sed ad virtutem & consilium referre. In diuinis enim literis id sæpe significat senectus. Apud Iudæos multi senes reperiuntur ætate, nullus tamen virtute & sapientia. Apud Danielem duos se- Dan. 13.
nes inuenies, si caniciem respicias: iuuenes verò, ꝙ Num. 11.
eorum effrenatam libidinem intuearis. Moysi præcepit Deus vt eligeret senes, quos sciret esse senes. Non igitur canos, sed prudentes, & virtute præditos intelligebat. Non enim ait: quos populus videt esse, senes & canos, sed quos tu nosti senes populi esse ac magistros. Canicies enim hominis est prudẽtia & vir- F
tus: & vt in libro Sapientiæ scriptum est, *Cani sunt sen* Sapien. 4.
sus hominis.

h *Principem super quinquagita.*) Ita vocabatur qui in bello quinquaginta militibus præerat, quemadmodum centurio qui centum. Est igitur sensus: Auferet à vobis Deus omnem virum, qui bellum ducere & instruere possit.

i *Honorabilem vultu.*) Hoc est grauem, quem populus vereatur, & cuius authoritatem suspiciat.

k *Consiliariũ.*) Id est, Nõ erit Hierosolymæ qui alios instruat consilio. In catalogum calamitatum, in quas Iudæi erant incursuri, retulit Propheta inopiam consilij. Nisi enim habeas, qui tibi consilij copiam faciat, teque monitis iuuet & instruat, facilè rues & in errores varios incides: Si rempublicam gubernes, eam facile labefactabis & scindes. Nam vt gu- Similia.
bernator nauis optimos quærit nautas, & architectus peritissimos inquirit ministros, sic princeps & rector eos viros quærere debet, quorum consilio vtatur, qui opibus sapientiæ floreant, & in excellentissimarum virtutum studia incumbant. Salomon ille, qui non solùm homines suæ ætatis, sed posteros etiam, & antiquitatis memoriam sapientia superauit, ita in Pro- Prou. 14.
uerbiis

A uerbiis ſcriptum reliquit: *Qui agunt omnia cum conſi-*
Prou. 15. *lio, reguntur ſapientia.* Et paulò pòſt: *Aſtutus omnia agit*
cum conſilio Et alio in loco: *Diſſipantur cogitationes,*
vbi non eſt conſilium: vbi verò ſunt plures conſiliarij, cō-
ſimile. *firmantur.* Homo abſque conſilio eſt nauis gubernaculo deſtituta, omnibus ventorum agitationibus expoſita, Sed in electione conſiliariorum eſt magna cura adhibenda. Non minor prudentia requiritur ad conſilium petendum, quàm ad dandum. Tales conſiliarios poteris eligere, qui tibi perniciem molian-
Eccleſ. 6. tur. Eam ob cauſam dicit ſcriptura in libro Eccleſia-
Simile. ſtici: *Multi pacifici ſint tibi, & conſiliarius ſit tibi vnus*
de mille. Vt enim Zeuxis pictor inſignis imaginem
Cicero. 2. *de Inuen.* Iunonis picturus inſpectis puellis omnibus Agrigẽtinis quinque ſolùm elegit, quarum pulchritudinem imitaretur, vt viri docti approbatis hiſtoriis memoriæ prodiderunt: ſic à pluribus pauci nobis eligendi ſunt, quorũ conſilio & ſapientia inſtruamur, & quo-
ſimilie. rum vitam imitemur. Vt quemadmodum pretioſus adamas nihil amittit nec ex virtute, neque ex pretio, ſi puro auro inferatur & copuletur, imò æſtimationem auget: ſic viri prudentia non vileſcit, ſi alieno conſilio nitatur: quim potius quò magis ſapientium adhęret ſententiæ, eò redditur illuſtrior & pręſtãtior. Sed vt non decet excellentem gemmam cum ſordi-
3. Reg. 12. do ferro coniungi, ſic non decet ab hominibus im-
B puris & inſanis conſilium ſuſcipere. Eam ob cauſam referunt diuinę literæ regem Roboam decem tribus amiſiſſe, quia repudiatis ſenibus, iuuenes in conſilium adhibuit, quibus libenter acquieuit. Socrates apud Platonem in dialogo, qui inſcribitur Theages, conſilium rem ſacram vocat.

l *Sapientem de architectis.*) Quanquam hoc intelligitur de artificibus mechanicis, poteſt tamen ad ſpirituales magiſtros referri, qui Eccleſiaſtici ædificij
1. Cor. 3. ſtructuris præſunt. Talis erat Apoſtolus Paulus, qui de ſe ipſo, Vt ſapiens, inquit, *architectus fundamentum poſui.* Amiſſis Iudæorum architectis omnis ædificandi gratia ad Eccleſiam tranſlata fuit.

m *Prudentem eloquij myſtici.*) Hoc eſt oratorem eloquentem. Eſt enim perſpicuum, multum prodeſſe eloquentiam cum virtute coniunctam. Nam ſi prę-
13. *11.* terita tempora reſpiciamus, & annalium memoriam replicemus, inueniemus fuiſſe multa bella eloquentia & dicendi facultate reſtincta, & firmiſſimas ſocietates atquè excellentes amicitias comparatas.

n *Et dabo pueros principes eorum.*) A principio capitis vſque ad hunc locum loquebatur Propheta: nunc autem repentè Deus introducitur loquẽs more Prophetarũ. Non ſolùm, inquit Deus, auferã à vobis viros fortes, Prophetas, ſenes conſiliarios, ſapientes, &
C eloquẽtes: ſed etiam, quod eſt veſtræ vaſtitatis apertiſſimũ ſignũ, dabo vobis pro eis pueros effœminatos, qui dominentur. *Væ tibi terra*, inquit Salomon,
Eccle. 10. *cuius Rex puer eſt, & cuius principes manè comedunt.*
Beata terra cuius Rex nobilis eſt, & cuius principes veſcuntur in tempore ſuo, ad reficiendum, & non ad luxuriam. Et quemadmodum paulò antè ſenem non ætate, ſed prudentia & virtute iudicandum eſſe dicebamus, ſic hoc in loco puero dicendum eſt. Timotheus
1. Tim. 4. adoleſcens erat. ait enim illi Apoſtolus: *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat*: nihilominus tamen ab ipſo Apoſtolo Epiſcopus conſtitutus eſt potius quàm multi alij, qui eum annis & canicie anteibant, quoniam erat ſapientia & virtute canus. Quid opus eſt multis? Idem Apoſtolus in epiſtola prima ad eũdem
1. Tim. 3. Timotheum deſcribens Epiſcopi qualitates nullam omnino facit ætatis mentionem. Nam ſi Epiſcopus eſt iuſtus, & pius, & prudens, ſenex eſt. Oportet tamen eam habere ætatem, quæ eſt à pontificio iure
Ierem. 1. conſtituta. Lege primum Ieremiæ caput, & videbis Deum Prophetæ dicenti ſe eſſe puerum ita reſpon- D
dentem: *Noli dicere quia puer ego ſum, quoniam ad omnia, ad quæ mittam te, ibis.* Illud eſt præterea aduertẽdum, vt ex hoc loco colligitur, Deum permittere, vt iniqui homines imperent propter populi ſcelera. In
Iob. 44. libro Iob ita de Deo ſcriptum eſt: Qui regnare facis hypocritam propter peccata populi.

o *Et corruet populus, vir ad virum.*) Hoc eſt vir cõtra virum. Regnantibus pueris, ablatis è medio ſenibus & ſapientibus neceſſe eſt labefactari reipublicæ ſtatum, & rerum ſequi confuſionem. *Vbi non eſt gu-*
Prou. 11. *bernator, corruet populus*, ait Salomon in Prouerbiis.
Prou. 28. Et alio in loco in iiſdem Prouerbiis: *Regnantibus impiis ruinæ hominum.* Deſcribit hîc Eſaias ſeditioſum ac turbulentum reipublicæ ſtatum. Nullus, inquit, erit ordo. Tumultuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem: nulla erit ratio nec ætatis, neque dignitatis, nec ſapientiæ. Pueri inſolentes furore cæco commoti magiſtratus poteſtatem ſibi vindicabunt, & in ſenes, quos ſuſpicere deberent, impetum facient. Hęc omnia acciderũt in obſidione Hieroſolymæ per Romanos: cùm populus, vt refert Ioſephus, fuit in tres partes diſtractus & diuiſus, & ad inteſtinas ſeditiones conuerſus.

p *Apprehendet enim vir fratrem ſuum.*) Fratres in E
diuinis literis dicuntur non ſolùm ex iiſdem parentibus orti, ſed etiam ex eadem familia. Abraham & Lot cùm non eſſent ex iiſdem parentibus geniti, ſed
Gen. 13. ex eadem familia, fratres appellantur. Non eſt ergo neceſſe intelligere hunc locum de germano fratre, ſed de cognato aut propinquo. Eſt igitur ſenſus: Vnuſquiſque volet regem conſtituere ſibi propinquum & familiarem. Et dicent ſingulis, quos viderint ditiores: Quoniam veſtes habes, hoc eſt, quoniã opes tibi ſunt, eſto rex noſter Tuere nos ab hac miſeria & ruina. Non quærebant publicam vtilitatẽ, ſed omnia ad ſua propria commoda referebãt. Vnuſquiſque eligere cupiebat non eum, qui eſſet rebus geſtis illuſtrior, aut virtute ſublimior, aut ſapientia præſtantior: ſed eum, qui cum eſſet familiaritate aut cognatione coniunctior, vt ſuis propriis rebus conſuleret: cum Deus in libro Deuteronomij ita dicat:
Deut. 17. *Eum regem conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit.* Animaduerte. Nõ dicit: quem tu appetitu ductus elegeris: *ſed quem Deus elegerit.* Non enim omnes e-
Oſe. 8. ligit: ipſe enim per Oſeam inquit: *Ipſi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & ego ignoraui.* Tunc ruent congregationes, ſi in præſulibus eligẽdis vnuſ- F
quiſque non Dei honorem, & communem vtilitatẽ, ſed proprium commodum reſpexerit. Iudæi, cùm gubernarentur à iudicibus, hæc verba fecerunt Samueli, vt in libro primo Regum eſt literis mandatũ:
1. Reg. 8. *Conſtitue nobis regem, vt iudicet nos, ſicut & vniuerſæ habent nationes.* Qua petitione, vt ibi narrant literæ diuinæ, Deum grauiter offenderunt. Non quòd regẽ habere vellent, vt nonnulli dicunt, hoc enim aiunt eſſe illis permiſſum: ſed quia nõ Dei honorem, & iuſtitiæ conſeruationem, ſed propria commoda quærebant. Non dicunt: Conſtitue nobis regem, vt poſſimus Dei religionem melius conſeruare: ſed *ſicut vniuerſæ habent nationes.* Ideo regem volebant, vt viuerent ſicut gentes à vero Deo alienatæ. Videte quem regem conſtituere volebant, qui eos ſuis voluptatibus & prophanis ritibus ſeruire permitteret. Et in
Num. 14. libro Numerorum dicebant: *Conſtituamus nobis ducẽ, & reuertamur in Ægyptum.* Attende quem ducem volebant, qui eos ſineret in Aegyptum reuerti: cùm Deus Deuteronomij 17. præciperet ne rex populum
Deut. 17. in Aegyptum reduceret. Væ illis qui tales eligunt præſules, qui illis permittant ad Aegyptum, hoc eſt, ad tenebras, & mũdi vanitates & voluptates reuerti:

qui

A qui in electionibus non animarum salutem, sed corporis vtilitatem ab honestate seiunctam quærunt.

q *Respondebitque in die illa.*) Qui principem constituere desiderabant, eum locupletiorem esse comparatione sui videbant: electus verò intuens suam inopiam & imbecillitatem, indignum se esse asseuerat, dicens se nec esse medicũ, nec opibus abundantẽ. Tu verò qui præsul constitueris, aspice miseriam tuam & si neque medicus es, vt possis animorum languoribus mederi, quin potius ægritudinibus laboras, nec dies es virtute & sapientia, vt possis esurientibus alimentum spirituale tribuere, cur præfecturam concupiscis? cur non cessas magistratus ambire? cur dignitates perquiris? cur fragilitatem tuam non intueris? Quot hodie sunt, qui falsæ gloriæ & dignitatis stimulis agitati, se diuites & medicos iactant, amplissimis honoribus dignissimos, se esse gloriantur: cùm D inopia & omni ægritudine laborent, sintque omni dignitate penitus indigni? Fit enim, vt dum ambitiosi homines principatum ardenter appetunt & inquirunt, omnia ornamenta veræ dignitatis amittant. Dicant id, quod dicebat Moyses ille virtute & sapientia præstanti: *Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto?* Et paulò post: *Obsecro Domine mitte quem missurus es.* Dicãt id, quod hic habetur: Non sum medicus, & in domo mea non est panis, nec vestimentum. Hæc domus anima est, hic panis est salutaris doctrina, hæc vestis charitas est, de qua Christus apud Matthæum, *Quomodo*, inquit, *huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Et Petrus Apostolus: *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

Exod. 3.

Mat. 22.

1. Pet. 4.

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT III.

1 Prudentem eloquij mystici.] *Pro eloquio mystico*
B *est in Hebraico* לחש *à verbo* לחש, *quod significat sub-*
Psal. 40. *missa voce loqui & susurare, vt in Psalmo*, Aduersum me susurabant omnes inimici mei. *Et quoniam incantationes fiunt verbis submissis, significat etiam incantare. Vnde* מלחשים *malachaxim significat incantatores, vt*
Psal. 57. *in Psalmo*: Quæ non audit vocem incantantium. *Eam ob causam conuertit hic Pagninus ex Hebræo*: intelligẽtem incantationis. *Theodotion*: prudentem cantatorem. *Et quoniam incãtationes conficiuntur verbis occultis & arcanis. vertit noster interpres, & rectè, pro incantatione* eloquium mysticum. *Poteris pro prudente eloquij mystici vertere oratorem: neque inepte quidem. Nã eloquentes oratores, graues, copiosi, vehementes, & ad dicendum instructi ac parati, possunt quodammodo incantatores appellari. Alliciunt enim homines, voluntates impellunt quò volunt, vnde autem volunt deducunt. Quod maius potest esse incantamentum quam nõ solum populi motum, sed etiam senatus grauitatem conuertere? Potest præterea capi, & rectius meo quidem iudicio, pro theologo concionatore in vtroque testamento perito, qui salutari doctrina homines à vitiis ad virtutem, & à turbulentis perturbationibus, ad statum animi tranquillum diuino fauore reducit. Inquire Iudæorum synagogas, nullum talem inuenies concionatorem. Quis debet cohortari ad virtutem ardentius? Quis à vitiis reuocare acrius? Quis impietatem vituperare asperius? Quis religionem laudare ornatius? Quis mœstos consolari dulcius, quàm Euangelicus concionator, qui oratione, & eloquij mystici prudentia hoc est diuinarum literarum non solum literali, sed etiam spirituali intelligentia debet auditores ad rerum humanarum tolerantiam & despicientiam mouere, & ad rerum cœlestium contemplationem & desiderium excitare? At multi ex auditoribus sunt animo tam obstinato, & tot sceleribus astricto, vt hos incantatores nolint penitus audire. Tales peccatores comparat diuinus ille vates, &*
C *illustris rex Dauid aspidi, venenoso serpenti aures obthu-* *Psal. 57.*
ranti quoniam nolunt audire consilia salutaria. Alienati sunt, *inquit*, peccatores à vulua, errauerunt ab vtero E loquentes falsa, venenum illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ obthurantis aures suas, quæ non exaudit vocem incantantium.

2 Non sum medicus.] *Pro medico est in Hebraico,* חבש *chobuex à verbo* חבש *quod significat ligare, & imperare siue dominarij, quod qui imperat suis præceptis liget & coerceat. Hinc capitur pro mederi, &*
pro curare vulnera, quòd soleant chirurgi vulnera, li- *infrà. 30.*
gare. Vt Esaiæ 30. In die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui. *Ex quo efficitur, vt hoc nomen choucx capiatur pro chirurgo siue medico, quod nomen propriè significat alligantem & dominantem. Ex hac significationum varietate fluxit versionum varietas. Interpres noster transtulit*: Non sum medicus. *Septuaginta*: Non ero princeps, *Pagninus*: Non ero Dominus: *Quidam*: Non ero curator: *Potest verti*: Non ero ligans. *Sumpta translatione à chirurgis. Paraphrastes Chaldaicus*: *Non sum dignus vt sim caput aut princeps. Colliges ex iis principem siue præsulem esse caput, & medicum, & chirurgum, & debere non solùm subditos iustis præceptis ligare, sed etiam eorum vulneribus & animi languoribus mederi. Ob eam causam rex & gubernator ab antiquis* F
anax apdallabatur, ab acos. quod nomen significat medelam, pharmacum, & sanitatem: quòd regis & præsulis sit subditis mederi. Authores sunt Plutarchus & Eustathius.

---

a Ruit enim Ierusalem, & Iudas concidit quia [1] lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius. [b] Agnitio [2] vultus eorum respondebit eis: & peccatum suum quasi Sodoma præiudicauerunt, nec absconderunt. [c] Væ [3] animæ eorum, quoniã reddita sunt eis mala. [d] Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet. Væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei. [e] Populum meum exactores sui spoliauerunt, & [4] mulieres dominatæ sunt eis. [g] Populo meus qui te beatum dicunt, ipse te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. [h] Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicãdos
Apoc. 1. b populos. Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & principibus eius. [i] Vos enim de-
Luc. 21. f pasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra. [k] Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum?

a *Ruit enim Hierusalem.*) Verba sunt Prophetę causam reddentis cur homines oblatum imperium recusarent, quoniam tanta erat calamitas, vt nullum propè remedium appareret. Dicit ergo tam calamitosi

A toſi & crudelis excidij cauſam fuiſſe Iudæorum impietatem & contumaciam, qui Deum linguis ſuis graiter offenderant. Vocauerunt eum Samaritanum, dæmonem habentem, ſeductorem, & alia multa, quibus eius nomen gloriamque extinguere conabantur. Docet hic locus peccata eſſe cauſam cur Deus tot ciuitates deleuerit, quæ olim florentiſſimæ extiterunt. Propter Græcorum ſcelera permiſit Deus totam Græciam & ſapientiæ, & rerum geſtarum gloria quondam celeberrimam, vbi vixerunt viri ſancti, in omni virtutum genere excellentes, & ſapientia præſtantes, in manus impiorum Turcarum veniſſe. Deflexerant enim Græci ab inſignibus antiquorum virtutibus ad vitia deteſtanda. Ideò fuerunt victi & capti à Turcis nominis Chriſtiani hoſtibus acerrimis, magis noſtris ſceleribus quàm ſuis viribus pugnantibus.

Ioan. 8. Math. 17

b *Agnitio vultus eorum reſpondebit eis.*) Hoc eſt, ex eorum vultu licebit coniicere quales ſunt. In tantam impudentiam incident, vt nihil diſſimulent. Erunt non ſolùm ab honeſtate, ſed etiam ab honeſtatis ſimulatione relicti. Ac ſi dicat: Vultus eorum ſtatim eorum ſcelera prodet. Tacita corporis figura afferet coniecturam eſſe eos ſceleribus implicatos. Vel ſic:

B *Agnitio vultus eorum*, hoc eſt dolor, qui agnoſcetur & apparebit in vultu eorum, reſpondebit ſuis ſceleribus. Quaſi dicat. Quanta fuerit ſcelerũ multitudo, tãta erit afflictio & calamitas: iuxta id, quod eſt in libro Deuteronomij ſcriptum: *Pro menſura peccati erit & plagarũ modus.* Simili Hebraiſmo & verborum exornatione vtitur Oſeas dicens: *Vitis frondoſa Iſrael fructus adæquatus eſt ei.*

Deut. 26.

Oſee. 10.

c *Væ animæ eorum.*) O homines infœlices & ærumnoſos, qui ſibi ipſis erunt authores ſuarum miſeriarum. Ob ſua ſcelera in acerbiſſimas pœnas, & tenebras æternas relegabuntur.

d *Dicite iuſto quoniam bene.*) Senſus eſt: ne exiſtimetis idem eſſe iudicium omnibus: nam pereuntibus impiis bene erit iuſto, fructumque ſuarum inuentionum comedet. Sequitur: *Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei.* Hoc eſt, æternum ſupplicium recipient omnes impij, quemadmodum eorum ſcelera merentur. Vide quanta ſit inter pium & impium differentia. Pius pabulo diuinæ conſolationis in hac vita recreatur, & poſteà æternam beatitudinem conſequitur: impius verò in hac vita, aut potius morte: ſceleratorũ enim quæ dicitur vita, mors, eſt, tranquilla ſecuritate caret, & poſteà ſecluſus à

C cœtu & conſilio cœlitum iuſtis pœnis æterniſque cruciatur. *Quæ ſeminauerit homo*, inquit Apoſtolus, *hæc & metet.* Et alibi: *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuũ laborem.* Et Dauid, *Quoniam tu*, inquit, *reddes vnicuique iuxta opera ſua.* Bonis enim Deus ampliſſima bona conſtituit, iniquis verò debita ſupplicia: Quorum alterum ſpectat ad iuſtitiam, alterum ad miſericordiam.

Gal. 6. 1. Cor. 3. Pſal. 61.

e *Populum meum exactores ſui ſpoliauerunt.* Exactores ſunt, qui pecuniam & reditus exigunt, Prædicit Propheta auaritiam & tyrannidem Phariſæorũ, qui populum ſpoliabant, & eis, quorum tutores eſſe deberent, opes rapiebant. Lege caput Matthæi quintumdecimum, vbi eis Chriſtus obiicit ſuas traditiones & auaritiam.

f *Mulieres dominatæ ſunt eis.*) Contra id, quod dicitur in libro Eccleſiaſtici: *Ne des mulieri poteſtatem animæ tuæ.* Eſt igitur ſenſus: O infœlicem rempublicam vbi mulieres obtinent principatum! Aſpicis hic extremam eſſe perniciem, quando mulieres dominãtur, & rempublicam gubernant. Sunt tamen nonnullæ excellentes, & in publica regenda mirabiles, ſed de iis non loquitur Eſaias. Poſſumus per mulieres ipſos Phariſæos intelligere effœminatos, laſciuos, & deliciis affluentes. Moraliter exactores dæmones ſunt, qui nos virtutibus ſpoliant, mulieres verò voluptates, quæ tanquam blandiſſimæ dominæ animum à virtute detorquent, & omnes conſtãtiæ neruos elidunt. Nam dominante voluptate temperantiæ nullus eſt locus, nec in regno voluptatis virtus poteſt conſiſtere. Eleganter quidem & grauiter appellatur voluptas à Platone malorum eſca, quòd ea homines capiantur veluti hamo piſces, ſibi ipſis interitum ministrantes, vbi pabulum inuenire exiſtimabant. Antiſthenes Socraticus voluptatem eſſe malorum omnium cauſã in hunc modum oſtendebat: Omnia mala proueniunt ex corruptione iudicij, cùm autem voluptas ſit huius corruptionis cauſa, apertè colligitur eam eſſe omnium malorum fontem & cauſam præcipuam. Contemnamus igitur peſtiferas voluptates, & delicias lutum putemus, ſi volumus æternam voluptatẽ adipiſci. Delicatus es frater, inquit Diuus Hieronymus in quadam epiſtola, ſi & hic vis gaudere cum ſeculo, & poſtea regnare cum Chriſto. Pro mulieribus vertunt Septuagiuta, *exactores.* Vtrumque ſignificat verbum Hebraicum. Poteſt etiam verti: fœneratores.

D

Voluptas malorum omnium cauſa ex Platone.

g *Populo meus.*) Reprehendit ſcribas & phariſæos populum laudantes ob munera, quæ in templo offerebat: qua in re eum decipiebant, & viam greſſuum eius, hoc eſt rationem vitæ diſſipabant. In communi arguit omnes adulatores, qui homines improbos etiã errantes laudibus efferunt. Hoc deplorabat Dauid, *Laudatur, inquiens, peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Et alio in loco: *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Vbi per oleum peccatoris intelligitur adulator. Ideo alio in Pſalmo, *Molliti*, inquit, *ſunt ſermones eius ſuper oleum, ipſi autem ſũt iacula.* Etſi, inquit Salomon, *cùm te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis.* Et alio in loco: *Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis.* Plus nocet lingua adulatoris, quàm gladius acerrimi inimici. Plato ille, quem Panætius ſapientiſſimum, quem Homerum philoſophorum vocat, in Phædro edulatorem appellat beſtiam humano generi peſtilentem: & in Menexeno eum præſtigiatori ſimilem eſſe ſignificat, quippè qui quocunque latrone deterior à nobis rationem & iudicium abripiat & abſtrahat: imò ipſa Circe ficta à viris ſapientibus crudelior & pernicioſior. Ea enim exteriora hominum in bruta transformabat, at adulator ſuis fallaciis & blandis lenociniis interiora transmutat. Contemnamus igitur adulationes, nec illis vnquam acquieſcamus. Nã vt vmbra quicquid facis imitatur, ſi itas, ſtat, ſi curris currit, ſic adulator quocúnque te vertas ſequitur. Si taces laudat tuum ſilentium, ſi loqueris celebrat & admiratur tuam orationem, ſi gaudes ſingitſe voluptate perfundi, ſi premeris dolore mœſtũ ſe eſſe oſtendit. In omnibus denique tibi reſpondet, teque comitatur, veluti linea mathematica: quæ cum per ſe non detur nec recta nec curua, inflectitur tamen & producitur & migrat pariter cum ipſo corpore. Ex quo ſequitur, vt qui laudibus efferuntur, longe opinione fallãtur, & in erroribus incredibilib. verſentur. Nullum enim decoris ſplendorem, nullam veram celebritatem adulationibus conſequuntur. Nam vt accreſcente vmbra aut decreſcente corpus ipſum nec diminuitur, ſic nec laudibus meliores ſumus, nec detractione amittimus ſplẽdorẽ veræ dignitatis. Quin potius cùm ſæpe videamus homines impios, omniq; ſcelerum genere profligatos, ab adulatoribus extolli, & à cæca atque temeraria multitudine celebrari, contra verò viros excellenti ingenio præditos,

E

Pſal. 9.

Pſal. 140

Pſal. 54. Prouer. 1. Prou. 27

Plato.

ſimilitudo

F

ſimilitudo altera.

tertia ſimilitudo.

quar ta ſimilitudo

virtute

A virtute & ſapientia præſtantes in ſilentio iacere, illuſtrius eſſe exiſtimandum eſt ab impuris hominibus nullis laudibus efferri. Hac ratione adductus Antiſthenes, vt eſt apud Laertium, cuidam dicenti: multi te laudant: Quid male feci? Exiſtimabat inſignis philoſophus turpe eſſe à turpibus laudari: eſſéque præſtantibus in obſcuritate latêre, quàm eſſe à talibus hominibus aliqua laude celebratum.. Magnifica verò vox tali philoſopho digna. Intuês igitur Eſaias quæ mala ex adulatione naſcantur, in hæc verba prorupit: *Populę meus qui te beatum dicunt, ipſi te ſeducunt, & viã greſſuum tuorum diſſipant.* Tu qui Chriſtianus es, & Euangelicus concionator, ne populum laudibus decipias, ſed iuxta Dei verbum annũtia populo eius ſcelera, vt ſuam cognoſcens à peccatis, & ad virtutem reuocetur.

h *Stet ad iudicandum Dominus.*) Qui ſtat videtur eſſe promptus atque paratus ad aliquid agendum. Significat propheta iudicium Dei, vt vnuſquiſque meminerit ſe eſſe in die illo terribili rationem redditurum. Non enim ſolùm cum populo diſceptabit, ſed etiam cum ſenibus & principibus, nemo exiſtimet ſe eſſe iudicium Dei euaſurum. Particula, *cum*,
B accipitur hic pro contra. Vel ſic: Deus cum ſenibus, hoc eſt cum partriarchis & prophetis, & cum principibus, hoc eſt cum apoſtolis veniet ad iudicandum populos. Hi enim *ſedebunt ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael*, vt illis Chriſtus promiſit. D *Mat. 19.*

i *Vos enim depaſti eſtis vineam meam.*) Verba ſunt Dei ad iudicium venientis, & cum ſcribis & principibus diſceptãtis, quòd eius vineam depopulati ſint. Quid nomine vineæ intelligatur, aperit capite quinto dicens: *Vinea domini exercituum domus Iſrael eſt.* Et quoniam phariſæi auaritiæ ſtimulis concitati ſtudebant plebi pecunias & opes eripere, & hanc nefariã cupiditatem religionis ſimulatione operire: appellat eos propheta fures dicens: *Rapina pauperum in domo veſtra.* *Infrà. 5.*

k *Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis?*) Hoc eſt, Quare populum meũ paulatim conſumitis, & pauperes fame & macie attenuatis? Ita Amos, *Calumniam*, inquit, *facitis egenis, & confringitis pauperes.* Deplorat diuinus vates caſum & orbitatem plebis, quæ à primatibus, & qui eam protegere deberent, tanquam ab impiis prædonibus diriperetur. Et quamuis multi ſint principes Chriſtiani iuſtitiam & pietatem colentes, vitamque ad certam rationis normam preparantes: ſunt tamen alij, qui populum grauibus oneribus opprimunt, eiuſque diuitias vſurpãt, vt eas in profundiſſimam libidinum ſuarum gurgi- E
tẽ profũdant: ad quos ſunt hęc verba Eſaię referẽda. *Amos. 4.*

ANNOTATIO.

1 Quoniam linguae eorum, & adinuentiones eorũ.] *Poteſt verti ex Hebraico*: Quoniam lingua eorum & ſtudia eorum. *Idem enim vocabulum Hebraicum adinuentionem ſignificat, & ſtudium & opus. Ideo Pagninus vertit:* Quia lingua eorum & opera eorum. *Hæc autem ſtudia & opera ſceleratorum hominum adinuentiones eo-*
Pſal. 27. *rum meritò appellantur. Ita in Pſalmo*: Da illis ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam adinuen-
Pſal. 80. tionum ipſorum. *Et in alio*: Ibunt in adinuentionibus ſuis.

2 Agnitio vultus eorum reſpondebit eis.] *Pro* reſpondebit eis, *eſt in Hebraico*: ענתהבם *anethabbam, à verbo* ענה, *quod ſignificat reſpõdere, in quam ſignificatio*
C *nem accipitur ab interprete noſtro. Significat etiam teſtificari, & affligere: Vnde Pagninus vertit*: Agnitio vultus eorum teſtificabitur contra eos. *Ac ſi diceret: Tanta erunt impudentia affecti, vt etiam eorum vultus apertè indicent eos eſſe vitiorum conſcientia profligatos. Poteſt verti*: Agnitio vultus eorum affliget eos. *Ac ſi dicat: Vnuſquiſque affligetur videns alios vultu triſtiſſimo. Tanta erit eorum calamitas, vt animi dolorem facie oſtẽdentes ſinguli ſingulos mœrore afficiant. Significare autem hoc verbum affligere & humiliare indicat locus Zacha-*
Zach. 10. *riæ dicens*: Affligentur, quia non eſt eis paſtor: *&* *Pſal-*
Pſal. 34. *mus* 34. Humiliabam in ieiunio animam meam. *Ideo* *Pſal. 21.*
id, quod dicitur in Pſalmo, Quoniam non ſpreuit nec deſpexit afflictionem humilis. *Eſt enim dictio* עני *à verbo noſtro* ענה.

3 Væ animæ eorũ, quoniam reddita ſunt eis mala.] *Septuaginta habent*: Væ animæ eorum, quia inierunt conſilium malum contra ſe dicentes: Alligemus iuſtum quoniam inutilis eſt nobis: *Aſpicis hic cõtra Iu-* *Nota cõtra Iudæos.*
dæos teſtimonium apertiſſimum. Ipſi enim alligarunt iuſtum Chriſtum Deum noſtrum, & cruci affixerũt, vt eius nomen extinguerent. Sed multò aliter euenit: nam ipſe tertia die reſurrexit, & fuit eius nomen in omni orbe terrarum celebratum laudibus ampliſſimis, illi verò fuerunt interfecti, & in æternas pœnas præcipitati. Quia autem ex bello euaſerunt, fuerunt à Romanis capti, & afflicti: & vſque hodie degunt vitam infamem, abiectam, & calamitoſam, omni dedecore & ignominia notati: Ideò ait F
ſcriptura iuxta Septuaginta verſionem: Væ animę eorum, quia inierunt conſilium malum contra ſe dicẽtes: Alligemus iuſtum. *Non dicit, contra Dominum, ſed* contra ſe: *quoniam pernicies, de qua contra Chriſtum cogitauerunt, in eorum caput redundauit. Eſt abſque dubio admirabilis hæc Septuaginta interpretum verſio:*

Et dicit Dominus Deus: [a] Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibãt, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant: decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas: & murænulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſindones, & vittas, & theriſtra. Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium & pro faſcia pectorali cilicium. [b] Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio. [c] Et mœrebunt atque lugebunt portæ eius, & [1] deſolata in terra ſedebit.

a *Pro eo quod eleuatæ ſunt.*) Dixerat ſuperius mulieres eſſe principatum ſumpturas, & hominibus imperaturas. Nunc deſcribens earum vanitatem, libidinem, & amatorias leuitates, prædicit ſupplicium, quo ob ſua ſcelera erant afficiendæ. Non ſolùm enim ipſæ libidine ardebant, ſed etiam oculis, deliciis, & impu-

A impudicis motibus homines in sui amorem inuitabant. Quare auferet, inquit, ab eis Dominus omnia corporis ornamenta, & insca lore lachrymis versabũtur. Quod impletum est cùm à Romanis caperentur, & ciuitas euerteretur. In ea intelligendi ratione, quã moralem apellant, nomine filiarum Sionis animas intelligimus, quę ob admissa flagitia amittunt veram pulchritudinem, & omnia virtutum ornamenta, quæ per lunulas & torques, & cætera quæ hic continentur, intelliguntur. Possent singula hæc ornamenta spiritualiter explanari, sed ego ea solùm, quæ ad literæ expositionem pertinent, interpretabor: Lunulæ erant ornamentum mulierum habentia figuram lunæ, quibus partes vestium inter se connectebantur. Torques vel torquis colli ornamentum circulus est aureus. Monile ornamentum gutturis est, quod solet de collo puellarum pendere: sic dictum quòd virtutis admoneat. nam olim ob aliquam egregiam virtutem dabatur. Armillæ sunt brachiorum ornamenta instar circulorum, quæ à Prisciano appellantur brachialia. Mitra est pileus incuruus, & corona muliebris, ad capitis ornamentum confecta. Discriminalia sunt instrumenta, quibus virgines segregabant crines in fronte pendentes. Perisce lides ornamenta sũt B circa crura, quibus mulieres gressus suos componere solebant: à περὶ, quod est circum, & σκέλος, crus seu tibia, Murænulæ sunt ornamenta colli flexuosa instar murænarum, & catenæ ex auro, quibus mulieres ornabantur. Olfactoriola sunt fasculi florum vel odorum. Inaures sunt circuli ex auribus perforatis pẽdentes. Mutatoria sunt vestium genera, quibus humeri & pectora operiuntur. Linteamina sunt vestres tenuissimæ ex lino. Acus instrumenta sunt, quibus ornatorum crinium compago retinetur, ne capilli ad diuersas partes moueantur. Theristrum vestis est æstati conueniens ex lino delicatissimo cõfecta. Hoc est aduertendum Deum hic reprehendere ornatum nimium, lasciuum, & immoderatum. Nam si mulieres ornentur moderate & ad bonum finem, non peccant, etiam si inde eueniat, vt aliqui cæca & indomita libidine capiantur, & earum effrænato desiderio inflãmentur: quod est etiã de ludis chorearũ dicendũ:

Moralit. *Lunulæ.* *Torques. Monile.* *Armillæ* *Mitra.* *Perisce lides.* *Murænulæ* *Olfactoriola* *Linteamina* *Acus.* *Theristrum:*

b *Pulcherrimi quoque viri tui.*) Conuertit sermonem ad Hierosolymam, prædicens eius excidium & Iudæorum cladem: & aufert his verbis ab illis spem vlciscendi iniurias, quibus a Romanis erant afficiẽdi. Cùm enim pulcherrimi atque fortissimi viri occidendi essent, quis remaneret, qui posset tam immanes & attroces iniurias vindicare? D

c *Et mœrebunt atque lugebunt portæ eius.*) Solebant Iudæi in portis vrbis iudicia exercere: erant enim ibi loca celebria, ad quæ omnes conueniebant. Possunt per portas ciues intelligi metonymicôs, vt per locũ eos, qui in loco sunt, intelligamus. Vel quemadmodum metaphoricôs dicimus prata ridere, quòd cernentes lætitia afficiant, sic lugere portas, quòd aspicientibus luctum & mœrorem afferrent, eósque ad lachrymas excitarent. Tantus erat mœror, vt etiam portæ mœrere viderentur. Possumus totum hoc in sensu morali ita explanare, vt per hanc ciuitatem animam intelligamus, de qua dicitur in libro Psalmorum: *Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate: Die ac nocte circundabit eam super muros eius iniquitas, & in medio eius labor & iniustitia.* Cùm anima à dæmone vincitur, & vitiis implicatur, cadunt virtutes in prælio, & absente sponso lugent portæ, quibus ingreditur mors, & vrbs vastata iacet in puluere & mœrore. Non enim hic sedere debemus sed currere, donec cœleste præmium consequamur. *Sic currite,* inquit Apostolus, *vt comprehendatis.* Et alio in loco: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui.* Et Dauid, *Viam,* inquit, *mãdatorum tuorum cucurri.* Et quoniam in hac vita filij Zebedæi sedere volebant, vnus ad dextram, alter ad sinistram, audierunt à Christo: *Nescitis quid petatis.* Non enim vita nostra debet esse sessio, sed festinatio. Quam ob causam dicebat Diuus Paulus: *Festinemus ingredi in illam requiem.* Cùm enim hic non habeamus *manentem ciuitatem*, vt inquit idẽ Apostolus, *sed futuram inquiramus*, stultum est sedere hic, sed currere & festinare ad beatam illam requiem, & æternam securitatem. At anima quæ fuerit sceleribus contaminata, non curret: sed, vt hic ait Esaias *desolata in terra sedebit.* *Moraliter* *Psal. 54.* E *1.Cor.9.* *2.Tim.4.* *Psal.118.* *Matth.10* *Hebr.4.* *Heb.13.*

ANNOTATIO.

1 Et desolata in terra sedebit.] *Pagninus vertit:* Et munda in terra sedebit. *Nam verbum* נקה *significat desolare. & mundare siue mundum esse. Latinus interpres secutus est significationem primam, Pagninus secundam,* C *sed in idem recidentem cum prima. Idem enim est esse vrbem desolatam, & esse mundam ab hominibus, hoc est inhabitatam. Et quoniam verbum hoc significat euacuare, potest verti:* Et vacua in terra sedebit, *nimirum ab habitatoribus. quod idem est.* F

Argumentum capitis IIII.

1 *Descripta Iudæorum paucitate in euersione Hierosolymæ ob Christi mortem vaticinatur de vberimo Euangelicæ prædicationis fructu, & fidelium gaudio. Quamuis enim à tyrannis, cæterisque infidelibus, qui maleficio & immanitate pascebantur, Christiani variis cruciatibus torquerentur, vitáque priuarentur, incredibili tamen obiectatione perfundebantur, quoniam morte sua immortalitatem comparabant, & honestissimum ac pulcherrimum Christi Dei nostri testimonium præbebant.*

CAPVT IIII.

[a]Et apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa dicentes, [b]Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: [c]tantummodo inuocetur nomẽ [d]tuum super nos, aufer opprobrium nostrum. In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis, & exaltatio his, qui saluati fuerint de Israel. [e]Et erit: Omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalẽ, sanctus vocabitur, [f]omnis qui scriptus est in vita in Ierusalem. [g]Si abluerit Dominus sordem filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius [h] in spiritu iudicij, & [i]spiritu ardoris. Et creabit [k]Dominus super omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus est: nubem per diem, & [l]fumum & splendorem ignis flammantis in nocte: super omnem gloriam enim protectio. Et tabernaculum erit in vmbraculũ diei ab æstu, & securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia.

Ierem.1.d *Mat.21.d*

c EXPLA-

A D

EXPLANATIO.

a *Et apprehendent.*) Hæc verba pendent à superioribus. Vaticinatus fuerat propheta præcedenti capite futuram esse tam acerbam Iudæorum cladem, vt viri fortes & pulchri in prælio corruerent, & respublica illa, quæ quondam fuerat clarissimè constituta, dilaberetur. Nunc verò asserit tam miram fore hominum paucitatem, vt multæ mulieres apprehendant vnum virum, quem vix possint inuenire. Interfectis enim viris necesse erat manere viduarum multitudinem. Id quod ait: *septem mulieres*, existimo poni indefinitè, vt capiatur numerus certus pro incerto. Ac si diceret: Multæ mulieres quærent virum vnum, dicentes se habere panem & vestes: quoniam vir hæc tenetur quærere, si possit, vt valeat familiæ suæ cõsulere. Poni autem particulam septem pro numero incerto explicat locus primi libri Regum capite secũdo: vbi cùm in Hebraico sit: *Sterilis peperit septem*, vertit interpres noster: *Sterilis peperit plurimos.* Ita existimo posse intelligi illud Prouerbiorum: *Septies in die cadit iustus.* hoc est multoties. Et illud Psalmi: *Septies in die laudem dixi tibi.* Et apud Zachariam per septem oculos super lapidem vnum possumus multas custodias intelligere.

1. Reg. 2. *Septem.* *Prou. 24.* *Psal. 119.* *Zach. 3*

b *Panem nostrum.*) Nomine panis, vt superiore capite demonstrauimus, omnis cibus significatur.

c *Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos.*) Id est, hoc solùm volumus vt sis vir noster, nósque vxores tuæ vocemur. Nolumus vt nos sustentes, nos ipsæ nos alemus & vestiemus. Aufer opprobrium nostrum. Dabatur opprobrio non habere filios, iuxta id quod scriptum est Exodi 23. & Deuteronomij 7.

B *Exod. 23* *Deut. 7.*

d *In die illa erit germen Domini in magnificentia.*) Quando Hierosolyma ob Iudæorum peccata euersa fuerit, extolletur nomen Christi, & in vniuersa terra celebrabitur. Prædicabitur Euangelium, fient euidentissima miracula, & erit germen Domini in magnificentia & gloria, hoc est fructus Euãgelicæ prędicationis erit magnificus & glorioſus, & fructus terræ sublimis, hoc est fructus hominũ, qui nomine terræ significantur, erit pulcherrimus & excellentissimus: florebunt enim virtutum abundantia, & charitatis fructus huberrimos ferent. Quapropter erit exultatio iis, qui saluati fuerint de Israel, hoc est Apostolis, cæterísque, qui relicta synagoga ad Euangelicam peruenerint veritatem. Lætabantur enim, & incredibili gaudio afficiebantur videntes hominum multitudinem contempto idolorum cultu, repudiata gentium superstitione, ad Christi fidem & veram religionem conuersam. De hac Apostolorum lætitia ait alio in loco Esaias: *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda.* Quamuis enim viri illi sanctissimi affligerentur à tyrannis, non tamen ærumnosos se esse putabant, quin potius incredibili voluptate in mediis cruciatibus afficiebantur. Est enim Christianæ veritatis propriũ, nihil extimescere, omnia humana despicere, nihil, quod homini accidere possit, intolerandum putare. Et eam ob causam eligebant potius se hostium telis obiicere, quàm Christiani nominis dignitatẽ & amplitudinem maculare. Et, vt refert in Actis Diuus Lucas, cæsi Apostoli à Iudæis *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti erant pro nomine Iesu contumeliam pati.* Possumus etiam per hoc germen Domini Christum intelligere, quem statim propheta appellat fructum terræ sublimem. Apud Zachariam capite 3. vbi in editione vulgata Christus appellatur *Oriens*, potest verti *germen*, id enim significat etiam nomen Hebraicum. Appellatur germẽ Domini, quia est filius Dei vnigenitus, verus Deus, & fructus terræ, quia est filius virginis Marię sanctissimę, verus homo. Idem Christus est germen Domini, & fructus terrę, Dei filius: & Virginis filius: idem Deus, & flos de virga radicis Iesse. O admirabilem vnionem, & ineffabile sacramentum: Est igitur sensus: In die illa transacta nocte infidelitatis apparebit in mundo Christus filius Dei & filius hominis, verus Deus & verus homo, & erit magnus, glorioſus, & sublimis. Quid enim glorioſius, quid sublimius quàm cęcis visum restituere, leprosos verbo mundare, mortuos ad vitam reuocare, & alia euidentissima miracula suo nomine & virtute efficere, quibus Christus numen suum ostendebat? Quid maius quàm genus humanũ à diaboli potestate eripere, & ad æternam beatitudinem vocare & perducere? Quid præstantius, quid cõmodatius hominum memoriæ sempiternę? Quę omnia Iesum Christum fecisse, & nos firmiter credimus, & ipsa Euangeliorum historia apertè contestatur, quod iam sanctissimorum vatum diuina oracula futurum esse prædixerant. Appellari autem Christum fructum terrę indicat locus huius prophetæ ita dicẽs: *Aperiatur terra, & germinet saluatorem.* Et id quod dicitur in Psalmo: *Et terra nostra dabit fructum suum.*

Infrà. 45. *Psal. 66.*

E

e *Et erit: Omnis qui relictus fuerit in Sion.*) Capite primo dixerat hæc verba Esaias: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma essemus.* Vbi per semen relictum ex Israele Apostolos intelligit, & eos, qui ex populo Israelitico in Christum crediderunt, vt ibi exposuimus. Hoc semen appellat capite decimo *reliquias*: quem imitatur Diuus Paulus in epistola ad Romanos. *Hæ sunt reliquiæ*, de quibus hic loquitur dicens: *Et erit: Omnis qui relictus fuerit in Siõ & residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur.* Animaduerte. Non ait omnem Israelem esse salutem cõsecuturum, sed eos qui relicti fuerint, hoc est qui Iudæorum infidelium pertinaciam non fuerint secuti, sed in fide Christi permanserint. Hos vocat sanctos, hoc est fideles Christianos. Hoc enim nomen sanctum, in diuinis literis sæpe pro vero Christiano accipitur, licet habeat peccata. In hanc significationem capitur à Diuo Paulo in prima ad Corinthios dicente: *Sicut in omnib. Ecclesiis sanctorum doceo. & aliis in locis.*

Sup. 1. *Infrà. 10* *Rom. 9. & 11.* *1 Cor 14.*

f *Omnis qui scriptus est in vita in Ierusalẽ.*) id est omnis qui prædestinatus est, & ad gloriam præordinatus. Liber vitæ est Dei præscientia & prædestinatio, qua electos ad salutem ab æterno venturos cognouit, ac vt peruenirent prædestinauit. His, quos propheta dicebat scriptos esse in vita in Ierusalem, dixit Christus: *Gaudete quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Vbi aspicis Ierusalem accipi hic pro cœlis & Ecclesia triumphante. Notus est hic liber ex diuinis literis, vbi sunt scripta nomina sanctorum. Hic est liber ille, de quo dicebat Moyses: *Si non dimitis populo noxam hanc, dele me de libro, quem scripsisti.* De eo dicitur in Psalmo: *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Et apud Danielem: *Saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro.* Et in Apocalypsi: *Non intrabunt in eam, nisi qui scripti fuerint in libro vitæ agni.* Et fortasse de hoc libro intelligitur id, quod Christus inductus à propheta dicit in Psalmo: *In capite libri scriptum est de me.* Reproborum verò nomina in terra scripta sunt, quemadmodum ait Ieremias? *Recedentes à te in terra scribentur*

Luc. 10. F *Exo. 32.* *Psal. 68.* *Dan. 12.* *Apoc. 21.* *Psal. 39.* *Iere. 17.* *Ioan. 8.*

Infrà. 9. C *Act. 5.* *Zach. 3.*

A *tur.* Id fortasse voluit significare Christus, quando Scribis & Pharisæis mulierem in adulterio deprehẽsam adducentibus, vt ipsum tentarent, in terra scribebat, significans eos non esse in cœlis scriptos cum iustis, sed in terra cum impiis.

g *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion.*) Sènsus est: Tunc salutem consequentur reliquiæ Israelis, si crediderint, & baptizatæ fuerint. In baptismo enim Deus illis sordes maculasq; peccatorum abluet. Per sordes & sanguinem omnia peccata intelliguntur.

h *In spiritu iudicij & spiritu ardoris.*) Id est, in spiritu iudicante iudicio discretionis & separationis bonorum ab iniquis. Et in spiritu ardoris, hoc est charitatis animos inflammantis. *Vel in spiritu iudicij*, hoc est in iudicio & iustitia: Nam morte sua abluit Christus nostrorum scelerum maculas, soluens pro nobis: *Colos.2.* & vt verbis Pauli vtar, *delens quod aduersus nos erat chirographum decreti.* Et ad Romanos, *Proposuit*, in- *Rom.3.* quit, *Deus Christum propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.*

i *Et creabit Dominus.*) Videtur alludere ad prosperitatem filiorum Israelis, quãdo eos exeuntes ab Aegypto Deus protegebat per diem in columna nubis, *Exod.15.* & per noctem in columna ignis, vt habes Exodi 13. Ac si dicat: Dabit Deus Ecclesiæ suæ pristinam fœlicitatem, sed multò maiorem & illustriorem. Quod enim tunc Israelitico populo fecit, Ecclesiæ suæ spiritualiter faciet. Creabit Dominus super omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus est, hoc est super Ecclesiam, & super fideles, nubem gratiæ ab æstu effrenatæ cupiditatis protegentis, & ignem atque splẽdorem viuæ fidei ab infidelitatis nocte eripientis, & animum amore diuino inflammantis. Est tamen aduertendum nomine diei intelligi posse prosperitatẽ, nomine verò noctis aduersitatem: quemadmodum in *Psal.120* telligunt nonnulli id, quod dicitur in Psalmo: *Per diẽ Sol non vret te, nec Luna per noctem.* Acsi diceret: Ita te tuebitur Deus, vt in rebus prosperis & ad voluntatem tuam fluentibus, quando omnia vt in die clara esse apparent & tranquilla, tibi non noceat hominũ laus, & gloria, & diuitiarum abundantia. Fit enim sæpenumerò vt homines opibus & honoribus extollãtur, & omnia iura diuina & humana peruertant. Neq; tempore aduersitatis, quando vt in nocte omnia sunt tristia & obscura, & in luctu & caligine iacere videntur, pauperta-, afflictio, & cæteræ calamitates te opprimant, & de gradu constantiæ deiiciãt. Eodem modo per columnam ignis, qua Deus Hebræos in nocte illuminabat, & quam hic suis fidelibus promittit, possumus intelligere diuinam consolationem, qua Christus piis viris tenebras & calamitates mitigat & lenit. Contrà verò nubes hæc, qua Deus suos protegit in die, afflictio est, qua Christus iustorum virorum prosperitatem, & mundi gloriam temperat & moderatur, ne efferantur, & opinione ac potentia inflati in eum errorem incidant, vt eos iustitiæ, cæterarúmque virtutum capiat obliuio. Itaque Deus in die prosperitatis protegit suos nube afflictionis, & in nocte afflictionis visitat eos igne diuinæ oblectationis & lætitiæ. Tam enim nocet nimia prosperitas quàm aduersitas. Hoc intelligens quidam vir doctus edidit librum de remediis contra prosperam & aduersam fortunam. Natura nostra, dum vinculis corporis ligamur, & in hoc miserabili exilio detinemur, nec magnum dolorem ferre potest, nec magnam lætitiam. Nam magno dolore exterremur, & in desperationem incidimus: magna verò lætitia insolescimus, nostræ que fragilitatis obliuiscimur. Quare oportet vt mœror oblectatione aliqua spirituali tẽperetur, & oblectatio mœrore. Non ergo semper lætitiam quæramus, nec dolorem detestemur. Vnde vtraque, & lætitia in afflictione, & afflictio in lætitia columna dicitur, sine qua ruet ædificium nostrum.

Moraliter Nox & dies quid. signent: Exod.13.

k *Et fumum, & splendorem ignis.*) Fumus hoc in loco in bonam partem accipitur, nempe pro gloria, quemadmodum capite sexto: *Et domus repleta est fumo.* *Isa.6.* Et apud Ioëlem de gratia, quam Deus Apostolis impertiuit, ita scriptum est: *Effudam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt, & dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, & sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.* Est igitur hoc in loco fumus *Ioel.2.* vapor lucidus è terra eleuatus: vel flamma ignis, quę est fumus accensus. Vel reuera capitur pro fumo, Nã iustis & piis dat Deus in hac vita lumẽ in nocte, hoc est internam consolationem in afflictione, sed mistam cum fumo lachrymas mouente: id est, cum compunctione. At in cœlesti patria gaudium erit purum, & lumen absque fumo, & requies absque labore. Possumus præterea per fumum intelligere particulare Dei præsidium, quo protegit suos aduersus hostium impetum & malitiam, ne accedentes possint viros pios lædere & conculcare. Et hic videtur huius loci germanus sensus, præsertim si locum Exodi respiciamus, ad quem, vt diximus, hoc in loco Propheta videtur alludere.

Fumus.

Exod.13

l *Super omnem enim gloriam protectio.*) Accipit gloriam pro viris gloria dignis, iustitiam & pietatem colentibus. Sensus est: In omni loco, vbi fuerint fideles virtute prædíti, erit diuina protectio. Deus tuebitur viros iustos, vbicunque extiterint. Aspicis hic apertissimè Deum nostrum misericordiarum patrẽ piorum salutem tutissima custodia tegere atque munire. Sed hoc protectionis genus tam remotum est ab eorum hominum intellectu, qui humana tantùm spectant, & cœlestia minimè intuentur, vt iudicent, viros pios, & virtutum præsidio septos à Deo contẽni & derelinqui: cùm eos Deus maximè muniat & tueatur. Non potest homo voluptatibus deditus, & cupiditatum seruus intelligere quàm suauis, secura, & tranquilla sit eorum vita, qui veram pietatem colũt. Hos abscondit Deus ab hostium immanitate, ne in animo lædantur. Quod prospiciens animo diuinus vates Deum alloquens canebat: *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.* Vbi vtitur *Psal. 30.* quadam verborum exornatione sumpta à similitudine principis, qui eum, quem tutissimum esse vult, in suum cubiculũ recipit, ne ab impetu & insidiis inimicorum eum persequentium lædatur. Hanc domũ refugij cupiebat ardenter idem Propheta. *Esto mihi,* inquiens, *in Deum protectorem, & in domum refugij, vt* *Psal. 30.* *saluum me facias.* Et alibi dicebat: *Quoniam abscondit* *Psal. 26.* *me in tabernaculo suo in die malorum, protexit me in abscondito tabernaculi sui.* Et in alio Psalmo, vbi editio *Psal. 82.* vulgata habet: *Cogitauerunt aduersus sactos tuos*, potest verti ex Hebraico: *cogitauerunt aduersus absconditos tuos.* Ex quo colliges idem esse, & à Deo absconditum & protectum. In alio Psalmo, vbi editio vul- *Psal.90.* gata habet: *Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur*, habet versio Diui Hieronymi ex Hebraico: *Qui habitat in abscondito excelsi, in vmbraculo Domini commorabitur.* Aspicis ergo piorum vitam absc̃ditam esse in Deo & tutissimam. Et hoc existimo esse id, quod ait Diuus Paulus in epistola ad Colossenses: *Vita vestra abscondita est cũ Chri-* *Colos.3.* *sto in Deo.* Hoc volens Esaias significare in hunc modum concludit: *Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia.* Acsi dicat: Deus tuebitur iustos ab omni tentatione afflictione sæuiẽte, & Ecclesia nullo subuertetur turbine, nullis vnquam procellis & tempestatibus obruetur. Docet planè locus hic virum

A pium & iuſtum à nemine lædi: quin potius, quò magis ab impiis impugnatur, eò altius tendere. Vt enim arbor quò magis à nouellis exciditur, eò ſublimius eleuatur, ſic vir iuſtus quò immanius ab impiis affligitur, eò amplius creſcit, & clarior efficitur. Nam vt arca Noë, quò copioſius aquę diluuij abundabant, eò altius ferebatur, & ad cælum tendebat: ſic vir iuſtus quanto plures ſunt afflictiones per aquas ſignificatę tantò redditur illuſtrior, & excelſior, & cœlo propinquior. Et ita omnia illi vertuntur in bonum, vt aſſerit in epiſtola ad Romanos Diuus Paulus. Magnum profectò, & pulchrum pietatis præmium, vt etiam ex iis rebus, quæ aliis perniciem conflare ſolent, fructũ capiant viri iuſti. Verum id, quod hîc habetur, *Super omnem enim gloriam protectio*, poteſt hunc habere ſenſum: Hęc diuina protectio, qua Dominus iuſtos tuetur, excedit omnem huius mundi gloriam. Et rectiſſimè quidem. Nam nihil eſt opere aut manu factum, quod aliquando non labefactet & conſumat ipſa vetuſtas, & omnis huius mundi gloriæ ſplendor exiguis regionibus coercetu r, nec vnquam de vllo perennis fuit. Obruitur enim hominum interitu & obliuione poſteritatis extinguitur. Nihil eſt fugacius, nihil inconſtantius. Hãc inanem gloriam appellat Eccleſiaſticus vmbram, & ventum, & aperta mendatia. Quo mente percipiẽs diuinus ille vates & clariſſimus rex has voces emiſit: *Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani, & tranſiui, & ecce non erat: & queſiui eum, & non eſt inuẽtus locus eius.* Et illuſtriſſimus noſter Eſaias, *Omnis*, inquit, *caro fœnũ, & omnis gloria eius quaſi flos agri:* Huius gloriæ inconſtantiam cecinit Græcis carminibus Euripides, vt eſt apud Plutarchum, quibus oſtendit eam ſolùm diem vnum durare, & ſtatim extingui. Quo in loco à Demetrio Phalereo fuit obiurgatus, quòd non diem vnum deberet dicere, ſed temporis quoddam punctum. Non eſt igitur talis gloria quærenda. Præſertim cùm illi homines eam ſepenumero conſequantur, & in populi luce & celebritate verſentur, qui nulla ſunt prędi ti virtute, quin potius ſcelerum furiis exagitentur, & nefariis criminibus conſtringantur. At qui protegun tur à Deo, pabulo diuinæ obłectationis, quaſi quadã Ambroſia aluntur. Et hæc diuina protectio nullum iuſtum ac pium dereliquit, nulla tempeſtate, & temporum mutatione labefactatur. Quare eſt omni humanæ gloriæ anteponenda. Quod intuens Eſaias ait: *Super omnem enim gloriam protectio:*

Similitudo

Gen 7.

Rom. 8.

Pſal. 36.

infrà. 40.

ANNOTATIONES EX Hebræo in

B

CAPVT IIII.

1 In ſpiritu ardoris.] *In Hebraico eſt pro ardore* בְּעֵר *baer, à verbo* בָּעַר, *quod ſignificat ardere, vt Exod. 3.* Et videbat ꝙ rubus arderet. *In quam ſignificationem accipitur in præſenti ab interprete noſtro: Et quoniam verbũ hoc ſignificat etiam incendere, vt in Pſalmo,* Et carbones ſuccenſi ſunt ab eo, *poteſt verti:* In ſpiritu incendij. *In piel ſignificat excidere. Vnde Pagninus vertit:* In ſpiritu exciſionis. *Significat etiam remouere & eiicere. Vnde poteſt verti:* In ſpiritu remotionis *ſiue* eiectionis. *Et ita interpretatur R. Abraham vir clarus inter Hebræos. Significat quoque paſcere. Ideò poteſt verti:* In ſpiritu paſcendi, *ſiue* paſcua: *Et quamuis hæc videntur inter ſe diuerſa, nec vllo modo cohærentia, altè tamẽ ſpectare ſi voles, omnia videbis Chriſto concorditer & aptè conuenire. Ipſe enim homines abluit in ſpiritu ardoris & incendij, tribuens eis ignem charitatis, qui eos incenderet, & ſtudio æternæ beatitudinis inflammaret. Hic eſt ignis ille, de quo ipſe ait apud Lucam:* Ignẽ veni mittere in terram. *Et quoniam tribuens nobis vitam, ipſam mortem excidit, iuxta illud Oſeæ Prophetæ:* Ero mors tua ô mors: *prę clarè interpretatur Pagninus fuiſſe redemptionem noſtrã in ſpiritu exciſionis. Fuit etiam in ſpiritu eiectionis, quoniã diabolum eiecit, iuxta id, quod ipſe apud Ioannem ait:* Et nunc princeps huius mundi eiicietur foras. *Fuit quoque in ſpiritu paſcuæ, quoniam ipſe eſt paſtor noſter de ſe inquiens:* Ego ſum paſtor bonus. *De quo dicitur in Pſalmo:* Dominus regit me, *vel vt poteſt verti ex Hebraico,* Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. *Chriſtus Deus noſter eſt paſtor hîc, qui vltrò pro nobis ſanguinem fudit, vt nos ab incurſu & impetu, luporum tueretur. Sed quoniam Eſaias prædixit redemptionem noſtram fore in ſpiritu iudicij, & per hoc iudicium diſcretionem & ſeparationem intelligimus, qua Deus voluit fideles ab infidelibus ſeparare, fortaſſe volens Propheta hoc explicare, adiecit: in ſpiritu* בְּעֵר, *hoc eſt ſeparationis & diſcretionis, ita vt ſit explicatio eius, quod dixerat:* in ſpiritu iudicij *Nam verbum* בָּעַר *Separare ſignificat, vt Deuteronimy 26.* Nec ſeparaui ea in qualibet immundicia.

Exod. 3. Pſal. 17.

Luc. 12. Oſe. 13.

Ioan. 12. Ioan. 10. Pſal. 13.

E

2 Et creabit Dominus ſuper omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus eſt, nubem.] *Septuaginta interpretes habent in hunc modum.* Et veniet: & erit omnis locus montis Sion, & omnia quæ in circuitu eius ſunt, proteget nubes per diem. *Hæc interpretatio eſt abſque dubio mirabilis: & hunc locum Eſaiæ diuinitus explicat, nam tunc dixit fore in Eccleſia priſtinam populi Iſraelitici fœlicitatem, cùm Chriſtus in mundum venturus eſſet. Inquit enim:* Veniet: *nimirum ille de quo prædixerat patriarcha Iacob:* Nõ auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius donec veniat qui mittendus eſt: *hoc eſt Chriſtus. De eo ita ait Eſaias alio in loco.* Cùm venerit quaſi fluuius violentus, quem ſpiritus Domini cogit, & venerit Siõ redemptor. *Et Aggæus,* Veniet, *inquit,* deſideratus cunctis gentibus.

F

Gen. 39. Infr. 59. Agg. 2.

C

Argumentum capitis V.

1

b Solebant veteres res magnas & memorabiles complecti carminibus, & mandare monumentis, vt vigerent memoria poſteritatis, nullâque hominum obliuione delerentur. Eam ob cauſam canit Eſaias hoc lugubri & flebili carmine admirabilem Dei erga Iudæos benignitatem & magnificentiam, & eorum erga Deum nefariam ingratitudinem, & incredibilẽ impietatem. Comparat diuinus Vates Hebræorum populum vineæ electæ, & à Domino mirabiliter cultæ, quam ob eorum malitiam vaticinatur eſſe delendam, & penitus vaſtandam. Reprehendit eorum iniuſtitiam, auaritiam delicias, voluptates, & alia ſcelera, ob quæ prædicit eſſe Iudæos ab exercitu Romanorum capiendos, & in luctuoſiſſimam vaſtitatem vocandos.

CAPVT. V.

[a]Antabo dilecto meo [1]cãticum patruelis mei vineæ ſuę. [b]Vinea facta eſt dilecto meo [1]in cornu filio olei. [c]Et ſepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & [d]plantauit [1]vineam electã, & edificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea. Et [e]expectauit vt faceret vuas, & [4]fecit labruſcas. [f]Nunc ergo habitatores Ieruſalem & viri Iuda iudicate inter me & vineam meam. Quid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? An

quod

A quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas? Et nunc oſtendam quid ego faciã vineæ meæ. s D
Auferam ſepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriam eius, & erit in conculcationem Et
ponam eam deſertam: h non putabitur, & non fodietur: i & aſcendent ſuper eam vepres & ſpinæ:
& k nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem. l Vinea autem Domini exercituum domus
Iſrael eſt, & vir Iuda germen eius delectabile. Et m expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas,
& iuſtitiam, & ecce clamor.

EXPLANATIO.

a *Contabo dilecto meo.*) Pergit Propheta Hebræorum ſcelera redarguere, quod ſuperioribus capitibus fecerat, vt eos ad ſui cognitionem excitaret. Et ſtatim in principio aperit, licet arcanis verbis, miſteriũ aduentus Chriſti, quem & dilectum appellat, & patruelem: dilectum, quia eum ſingulari amore proſequebatur: patruelem, quia futurus erat ex ſemine Abraham, & ex eadem familia & tribu cum ipſo Eſaia.
B Aiunt enim Eſaiam fratrem regis Amaſiæ ex tribu Iuda, ex qua tribus perſpicuum eſt fuiſſe Chriſtum
Hebr.7. ſeruatorem noſtrũ, vt aſſerit in epiſtola ad Hebræos
Matt.1. Diuus Paulus, & ex euangelica hiſtoria apertiſſimè conſtat. Eſt igitur ſenſus: *Cantabo, ego* Eſaias *dilecto meo*, Chriſto, quem vnicè diligo, in eiuſque honorem proferam mœſtum canticum, quod ipſe Chriſtus patruelis meus ex mea gente & progenie oriundus poſſet dicere, imò dicturus eſt vineę ſuę, hoc eſt Hebræorum populo. Canticum appellat parabolam hanc, qua populum Iſraeliticum cum vinea comparat, & Chriſtum cum eius cultore. Et quemadmodum Eze
Ezech.32 chieli Prophetæ præcepit Deus, vt ſuper Aegyptum lugubre carmen concineret, vt licet videre apud eundem capite 32. Sic Eſaias aduerſus Iſraeliticum populum hoc canticũ cecinit. Idem fecit Chriſtus, quando lugubres illas & lamentabiles voces emiſit, vidẽs
Lucas.19 Hieroſolymam, vt refert Diuus Lucas, & flens ac plorans ſuper ipſam. Totam hanc parabolã retulit Chri-
Matt.21. ſtus vineæ ſuæ, vt narrat Diuus Matthæus capite 21. dicens: *Homo erat paterfamilias qui plantauit vineam, & ſepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & cætera*, quæ ibi Euangeliſta commemorat. Narrant etiam
Marc.12 *Luc.20.* hoc Marcus & Lucas. Quidam per hunc dilectum intelligunt populum Iſraeliticum. Rectius tamen eſſe exiſtimo Chriſtum intelligere, & quoniam magis literæ videtur conuenire: & quoniam Chriſtus in ſacra ſcriptura ſolet dilectus appellari, vt videre licet apud
Matth.3. Mathæum 3. & apud Paulum ad Epheſios 1. & aliis
Ephe.1. in locis.

C b *Vinea facta eſt dilecto meo.*) Incipit canticum. Nomine dilecti diximus ſignificari Chriſtum, qui plãtauit vineam in cornu filio olei, hoc eſt in loco alto, in regione montoſa & frugifera. Per cornu intelligit locum editum & eminentem, quòd cornua in animalibus altiorem partem obtineant: vnde Pagninus pro cornu vertit, in colle. Per filium intelligit opulentam pinguem, & feracem. His verbis & hoc Hebraiſmo deſcribit terram Iſraelis, quæ magna ex parte, mõtoſa eſt, & vberrima, fluens lacte & melle, vbi fuit populus Iſraeliticus collocatus. Vel per cornu robur & fortitudo intelligitur, in quam ſignificationem capitur ſæpenumerò in ſacra ſcriptura, veluti in ſecundo Regum vigeſimo ſecundo. *Dominus cornu ſalutis meæ.*
2.Reg.22 *Pſal.42.* Et in Pſalmo: *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu.*
Habac.3. Et apud Habacuc Prophetam: *Et cornua in manibus eius.* Quamuis enim Chriſtus in cruce vulneratus exiſtimaretur fragilis & imbecillus, ibi enim, vt ait idem Propheta, *abſcondita eſt fortitudo eius, in manibus* tamẽ ſuis vulneribus confoſſis cornua habebat, hoc eſt fortitudinem & potentiam. Ibi enim diabolum principem huius mundi vicit, noſque ab eius immaniſſima tyrannide liberauit. In hanc ſignificationem capitur *Luc.1.* cornu à Diuo Luca in cantico Zachariæ: *Et erexit cornu ſalutis nobis.* Et quemadmodum apud Latinos robur arborem quandam ſignificat validam & fortẽ, & ob eam cauſam pro fortitudine & firmitate ponitur: ſic cornu arma animalium ſignificat, quibus ſe muniunt, & fortiter pugnant, & eam ob cauſam in diuinis literis pro ipſa fortitudine accipitur. Eſt igitur ſenſus: Populus Iſraeliticus poſitus fuit à Deo in
E loco forti & munito, & in terra fertili & frugifera. Fortaſſe ideò terra illa appellatur filius olei, quia quemadmodum oleum in lampade eſt materia ignis & ſplendoris: ſic Hebræi multis gentibus clarũ Dei notitiæ lumen præbuerunt. Et capitur filius olei pro oleo, quemadmodum filia Babylonis pro Babylone, & filius perditionis pro perdito.

c *Et ſepiuit eam.*) His verbis & ſequentibus ſignificatur diligentia, qua Deus vineam ſuam excoluit. Conſidera igitur diligentiam, qua Deus nos vult liberare: & diligentiam, qua nos eam volumus peccatis noſtris offendere. Intuêre eius ad noſtram ſalutem curam, & noſtram deſidiam. Ille vult nos ipſos eripere, nos ipſos perdere. Ille nos ad eum ſtatum vocat, qui in cœleſtium atque diuinarum rerum contẽplatione conſiſtit, vt diuinis bonis affluentes, ipſius Dei amore ardentiſſimo inflammemur, & tandem veram beatitudinem conſequamur: nos verò terram ſolùm intuentes, turbulentis negotiis implicati, nobis ipſis molimur perniciem & vaſtitatem. Sed ad literæ explanationem veniamus. Per ſepem intelligi- *Moraliter*
tur diuina lex, & Angelorum cuſtodia, per lapides, quos abſtulit ex vinea, intelligũtur idola, ſuperſtitiones, & cætera virtutis ac diuini cultus impedimenta, per turrim in medios eius templum celeberrimum, F
per torcular altare propter ſanguinis effuſionem. Et vt vuæ afferuntur ad torcular, vt ibi conculcentur: ſic fructus & animalia ad altare, vt ibi ſacrificentur. Vel ita: Sepes eſt diuina protectio: lapides, quos abſtulit, ſunt homines infideles ipſis lapidibus ob animi duritiem comparati, nulla memoria beneficiorum Dei ſeipſos emolientes. Fuiſſe autem homines impios *Pſal. 69.*
eiectos ab illo loco indicat Pſalmus ita dicens: *Eieciſti gentes, & plantaſti eam.* Ex quo colliges magnam erga pios homines benignitatem, auferre, impios de medio eorum. Turris eſt regia dignitas, torcular legitimus Dei cultus. Exiſtimo tamen turrim eſſe ſacram ſcripturam, ad quam velut ad arcem munitiſſimam in noſtris tentationibus & periculis confugere debemus. Et vt ex altiſſima turre ea, quæ longinqua ſunt, apparent: ſic ex lege & Prophetarum oraculis Chriſtum ſongè venturum vaticinantibus, idem Chriſtus quaſi ex longinquo conſpiciebatur. Omnia quæ in hac parabola continentur, indicant fuiſſe à Deo exhibita populo Iſraelitico omnia, quæ ad eius ſalutem & conſeruationem pertinebant.

d *Et plantauit vineam electam.*) Electam appellat Hebræorum nationem, quoniam eam elegit Deus, vt ab ea coleretur, & ex ea carnem ſumeret, & propter ele-

Actos viros Abraham, Isaac Iacob, cæteroſque Patriarchas & Prophetas, ſapientia excultos, & charitate atque nobilitate præſtantes.

e *Expectauit vt faceret vuas, & fecit labruſcas.*) Labruſcæ ſunt vuæ agreſtes, acerbæ, & erraticæ. Nam pro diuino cultu idola ſæpe coluerunt Iudæi, pro virtutibus in crimina nefaria inciderunt. Apud Ieremiam has queribundas voces emittit Deus: *Ego plantaui te vineam electam omne ſemen verum, quomodò ergo conuerſa es in prauum vinea aliena?* Elegit Deus vineam hanc ex patribus antiquis optimis & ſanctiſſimis, fecit eam in populum ſibi peculiarem, conſtituit eam in loco firmo & munito, & in terra frugifera, abſtulit ab ea impedimenta, cuſtodiuit eam, fouit & defendit, & omnibus ornamentis ad pulcherrimum & excellentiſſimum ſtatum pertinentibus decorauit: ipſa verò eum contempſit, ſéque ſceleribus aſtrinxit: & quod deteſtabilius eſt, & omnem impietatem ſuperat, in ipſum Deum verum Meſſiam fuit interitū machinata. Tu verò conſidera Dei noſtri immenſam pietatem & patientiam. Peccauerat populus Iſraeliticus, Deus verò non ſtatim eum deleuit, ſed expectauit. Quid ait Propheta, *Expectauit vt faceret vuas.* Nonne vides? non eos ſtatim euertit. Sed quid fecit? expectauit vt bonum fructum ferrent. Monemur hic non ſtatim deſperandum eſſe de peccatorum ſalute, nec ſubitò eſſe interficiēdos, qui crimen aliquod admiſerunt: ſed expectandos vt pœnitentiam agant, & ſuo tempore debitè atque iuſtè puniendos. Cùm hæc vinea etiam expectata noluiſſet vuas producere, ſed labruſcas, fuit à Deo relicta, & tandem à Romanis euerſa, & penitus vaſtata: & Iudęi, qui ex ea euaſerūt, fuerunt cæſi, & in abiectiſſimam & acerbiſſimam ſeruitutem adducti. Quid autem ſit facere labruſcas explicuit Chriſtus, qui vt refert Euangelica hiſtoria, ob eam cauſam dixit vineam ſuam eſſe aliis locandam, & Iudæos perdendos, quia filium Dei occiderunt. Hic fuit vineæ fructus, hę fuerunt labruſcæ amariſſimæ quidem & acerbiſſimæ. Locauit autem Deus eam aliis agricolis, hoc eſt Chriſtianis paſtoribus. Et aduerte non dixiſſe Chriſtum fuiſſe hanc vineam traditam dominis, ſed locatam agricolis, vt referunt tres Euāgeliſtæ. Ex quo colliges paſtores Eccleſiaſticos non debere dominari, ſed ſeruire: non vineam conculcare ſed colere, vt fructus vberrimos ferat. Chriſtus enim ſummus ille rerum omnium dominus & moderator, vt ipſe apud Matthæum de ſeipſo ait. *nō venit miniſtrari, ſed miniſtrare.*

f *Nūc ergo habitatores Ieruſalem & viri Iuda iudicate inter me &c.*) Mirum videtur cur Deus intendat litem vineæ coram ipſa vinea. Si hæc vinea domus eſt Iſraelis, & habitatores Iudæ & Ieruſalem, qui fieri poteſt, vt hi ferant ſententiam contra vineam ſi ipſi ſunt ipſa vinea? Sed vult vt nos à nobis ipſis iudicemur, & aduerſus nos ipſos, ſententiam' feramus, vt noſtro gladio iugulemur & teſtimonio noſtro conuincamur. Feciſſe hoc Nathan prophetam indicat liber ſecundus Regum. Miſſus enim à Deo, vt Dauidem argueret ob adulterium & homicidium propoſita prius parabola de ouicula coegit regem, vt neſciens ſeipſum ſua ſententia damnaret. Eodem modo Chriſtus in Euangelio propoſita parabola de vineaad hoc Iudæos adduxit, vt contra ſe ſententiam ferrent dicentes: *Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis.* Ideò ſubiunxit Deus: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Si Deus de Iudęis tam graniter queritur, quantò grauius de nobis queri poteſt? Expectat à nobis vt virtutem colamus & eum ipſum ardenter amemus: nos verò ſceleribus implicamur, eum ipſum negligimus. Nos ſumus vinea ſua, quam ipſe coluit, pro qua acerbiſſimos cruciatus tulit, pro qua ſe hoſtium iniuriis obiecit pro qua ſumma charitate inflammatus vitam profudit, quam precioſo ſanguine ſuo rigauit. Quid igitur debuit amplius facere vineæ ſuæ, & non fecit? Nemo poteſt ardentius amare eo, qui pro amicis ſanguinē fundit: At tu Dñe mi Deus multò ardentius amaſti, qm etiam pro inimicis te cruci obtuliſti, vbi mortem acerbiſſimam vltrò toleraſti quid debuiſti facere vineæ tuæ, quod non feceris? At nos qui pro te mori deberemus, quibus nihil magis deberet eſſe in optatis quàm te ſequi, ad te ſemper aſpirare, te reliquimus, & in imis volutamur. O cæcum noſtrum iudicium. O ingratitudinem incredibilem, & effrenatam noſtram cupiditatem: qui Deum optimum maximum contemnimus, & in rebus fluxis & caducis beatitudinē collocamus! Nos nos ſumus, ad quos hæc poſſunt referri, nos ſumus illi, de quibus conqueritur Deus apud Michæam prophetam dicens: *Populę meus quid feci tibi? reſponde mihi.*

g *Auferam ſepem eius.*) Priuſquàm ſepem auferet, minatur ſe eſſe eam ablaturum, vt conuerſi ad pœnitentiam ab imminentibus periculis liberarentur. Solet enim Deus priuſquàm puniat, comminari. Id fecit Niniuitis Iona prędone, & Iudæis prædone Ieremia aliiſque prophetis. Et volens Deus Iudæos occidere propter eorum idololatriam, & nefariam impietatem, dixit Moyſi pro populo ſupplicanti: *Dimitte me vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Ita hoc in loco, *Auferam*, inquit *ſepem eius*, hoc eſt, nō eos protegam. *Et maceriam eius diruam*, hoc eſt, viros ſanctos, qui populo pro muro ſunt, quibus ablatis conculcatur populus, hoſtiúmque direptioni committitur: & manet vinea beſtiis, hoc eſt vitiis expoſita & à petra. *Deſtruxiſti ſepem*, ait propheta, *& exterminauit eam aper de ſylua.* Et Eccleſiaſticus, *Vbi non eſt*, inquit, *ſcpes, ibi diripitur poſſeſſio.* Pro magna pœna minatur Deus ſe ablaturum eſſe à Iudæis non ſolùm diuinam protectionem, ſed virorum piorum cuſtodiā & familiaritatem. Tunc enim impij in perniciem ruunt, cùm ab eis viri iuſti ſeparantur & auferuntur. Remoto Loth à Sodomitis fuerūt illę ciuitates terribili ſuplicio mirabiliter euerſæ: & diſcedentibus Hebræis ab Aegypto fuerunt Aegyptij in mari Rubro obruti, vbi ęternam memoriam ſuæ ignominiæ & impietatis reliquerunt.

h *Non putabitur.*) Omnibus iis rebus oſtendit Deus voluntatem vineæ deſtruendæ. Quemadmodum vinea niſi amputetur, ipſa ſua fœcunditate ſylueſcit, & perit omnino, ſic homines niſi curas ſuperuacaneas reſecent, & indomitas cupiditates recidant, iiſdem rebus quibus opes & gloriam comparare exiſtimabant, interitum ſibi & periculum moliuntur. Tunc Deus ciuitatem ſiue animam noſtram amputat, cùm ab ea remouet & reſecat virtutum impedimenta. Nā vt quicquid ob amputationem adimitur ex vite fructibus additur: ſic quò quis caducarū inutiliúmque rerum ſtudia diligentius reciderit, eò amplius illuſtrabitur, & vberiores virtutum fructus feret quibus animum ad æternitatem alet & reficiet.

i *Aſcendent ſuper eam vepres & ſpinæ.*) Hoc eſt vitiis & flagitiis opprimetur. Vt enim in agris denſi vepres frequenteſq; ſyluæ terrā ita occupant, vt ſalutares ac vtiles herbas creſcere nō ſinant: ſic in animis vitia ita nos opprimunt, vt omnē rationē omnē temperantiā, omnem denique animi cultum obumbrent & impediant. Subeūt hanc vitiorum ſylnam variè belluæ indomitæ & moleſtę, hoc eſt, appetitiones noſtrę effrenatæ, quæ ita omnia depopulantur, vt nullo modo ſinant in lucem prodire rationem.

k *Nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem.*) Nubes ſunt prophetæ & Apoſtoli. Vt enim nubes ex terra eleuantur, ſic viri iuſti diuinarum rerum amore & contemplatione veluti diuinis epulis recreati à terra,

Moraliter B

Matt. 20.

2. Reg. 12

C

D

E

F

Michæ. 6.

Ieremiæ 18

Exod. 32.

Pſal. 79.

Eccl. 36.

Gen. 16.

Exo. 14.

ſimilitudo.

ſimilitudo.

ſimilitudo.

ſimilitudo.

Pſal. 91.

A terra,&humanis negotiis se ab ducunt & abstrahun & ad cœlestia efferuntur. Et vt nubes rore & pluuia aridam terram fœcundant,& fructuosam reddunt:sic viri sancti eos, qui virtutum ariditate laborant, doctrina & exemplo humectant & irrigant, vt fructus vberrimos ferant.His rationibus adductus Esaias nō solum hoc in loco, sed etiam capite 60. Apostolos
Infrà.60. *Psal. 17.* ita nubes vocat: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* Et Dauid, *Tenebrosa*, inquit, *aqua nubibus aeris.* hoc est, vaticinationes & oracula prophetarum sunt explicatu difficillima. Nomine aquæ doctrina significatur.
Deut.32. Ita Moyses veluti quædam nubes dicebat: *Crescat vt pluuia doctrina mea fluat vt ros eloquium meum.* Est igitur horum verborum Esaiæ sensus: Prophetis & Apostolis præcipiam ego Dominus ne Iudæorum populum irrigent doctrina sua.Quod post Christi mortem impletum fuisse perspicuum est. Nullum enim Iudæi habent nec Prophetam, nec Apostolum: imò nulla gens hodie viuit abiectior,indoctior,durior,ca-
B lamitosior,& detestabilior. Et ita videmus apertè id,
Deut.28. quod Deus in Leuitico Iudæos alloquens, dicebat: *Dabo vobis cœlum desuper sicut ferrum,& terram aneā:* Et in Deuteronomio: *Sit cœlum super caput tuum æneum, & terra subter te ferrea. Det Dominus pro imbre terræ tuæ puluerem, & de cœlo descendat super te cinis,*
Leuit.29. *donec conteraris.* Cùm autem constet in Babylonica captiuitate Iudæos non caruisse prophetis, sed fuisse doctrina irrigatos, apertè concluditur esse hanc Esaiæ vaticinationem de captiuitate per Romanos intelligendam. Est præterea obseruandum auferri beneficium & præsidium ab indignis, vt per suplicia illi Deum cognoscant, qui eū beneficiis cognoscere noluerunt.Tu verò quem Deus muneribus ornauit, cui ingenium, opes, & dignitates tribuit,noli eis intemperanter abuti,noli pro vuis ferre labruscas, ne tibi omnia auferantur,& alteri dentur.

1 *Vinea autem Domini exercituum domus Israel est,)* Verba sunt prophetæ parabolam explicantis. Per domum Israel intelliguntur decem tribus,per viros autem Iuda duæ aliæ, quas germen Domini delectabile appellat: quia præuidebat Christum Dei filium ex
C tribu Iuda humanam carnem esse sumpturum.

Et expectauit vt faceret iudicium, & ecce iniquitas D *& iustitiam,& ecce clamor.)* Explicat id, quod dixerat: *Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Per iudicium & iustitiam vuas intelligit,per iniquitatem & clamorem labruscas.Fuit autem hęc iniustitia clamor quando à Pilato petierunt, vt Christum crucifigeret.Cùm Pilatus proponeret Iudæis, quem vellēt è duobus dimitti,Christum an Barrabam,erat autem *Mat. 17.* Barrabas latro,quidam qui ob seditionem & homi- *Marc.15* cidium erat in carcerem coniectus, elegerunt Bara- *Luc. 23.* bam, clamoribus autem magnis Christum crucifigi *Ioan. 18.* postulabant.O electionem Satanicam. O cęcum furorem,ô impietatem incredibilem, & impudentiam prædicādam. Iustitia exigebat vt dimitteretur Iesus, Barabas autem damnaretur: sed pro iustitia clamor. Circumsonabant Iudæorum voces, omnia clamoribus implebant petentes vt Christus occideretur. Tribuerunt vitam homini,qui homines vita priuabat:illum autem,qui mortuos ad vitam reducebat, morti destinarunt. Absoluerunt impium & damnarunt innocentem. Eum seruauerunt,qui viuos occidebat,eū occiderunt,qui mortuos suscitabat. Petierunt viuere ipsam mortem,ipsam autem vitam ad mortem vocauerunt. Quod intuens propheta ait: *Et expectauit vt faceret iudicium,& ecce iniquitas:iustitiam,ecce clamor.* Poterit hoc intelligi de iniustitia Iudæorum in com- E muni. Et aduerte per clamorem,iniustitiam significari.opponitur enim hoc in loco clamor iustitiæ,quē admodū iniquitas iudicio. Nam pauperes oppressi & iniustè afflicti clamabāt,& omnia querimoniis implebant:& non erat iudex,qui eos liberaret Tu qui iudex es cōstitutus, ne pauperes opprimas,*nō est enim Deus,* *Psal.9.* vt ait propheta *oblitus clamorem pauperū.* Nō solū dum viuunt sedetiā post mortē clamat innocentiū sanguis Id significauit Deus Caino dicēs: *Vox sanguinis fratris* *Gen.4.* *tui clamat ad me de terra:* Fortasse ideò clamorem opponit iustitiæ, quoniam in loco vbi causæ discernebantur, qui deberet esse pacis & modestiæ plenissimus, ibi nulla erat moderatio, nulla securitas, sed omnia clamoribus, altercationibus conuitiis,& turbulentissimis concitationibus redundabant quæ iustitiam peruertebant.

F

Annotationes ex Hebræo

CAPVT V.

1 Canticū patruelis mei. *Pro patruele meo est in Hebraico* דודי *dodhi. Dictio est* דוד *quæ significat patruum: & vt Diuus Hieronymus ait, significat etiam patruelem: quam significationem sequitur nostra communis versio, quam editionem vulgatam appellant: Et Aquila etiam, qui vertit* πατράδελφον *quod nomen propriè significat patruum,& iuxta Diui Hieronymi sententiam, patruelē. Significat* דוד *etiam dilectum, vt Canticorum secundo:* Dilectus meus mihi, & ego illi. *In quam significationem capitur hîc à Septuaginta ita conuertentibus:* Cantabo dilecto canticum dilecti mei. *Iuxta hanc significationem transtulit Pagninus:* Cantabo nunc propter dilectum meum canticum dilecti mei. *Significat quoque amatorem: quam significationē sequēs poteris ita verba Hebræa Latinè reddere:* Cantabo dilecto meo canticum,amatori inquam meo: *significat præterea amorem & charitatem. Vnde id, quod est Canticorum primo:* Quia meliora sunt vbera tua vino, potest verti *ex Hebraico: Quia meliores sunt amores tui quàm vinum. Quamuis enim hoc nomen vbera significet, tamen potest illic charitatem significare. Colligitur ex his Christum esse dilectum à viris iustis ipsorum amatorem,& ipsum amorem & charitatem, iuxta id quod ait Diuus Ioannes: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

2 In cornu filio olei. *Pro olea est in Hebraico* שמן *xamen: quod nomen significat oleum, vt Exodi 27.* Oleū de arboribus oliuarum. *Et pinguedinem, vt Gen.27.* Et de pingudine terræ. *Septuaginta verterunt:* In loco pingui. *Thargum: In monte excelso,& in terra pingui. Pagninus:* In colle, in loco pingui. *Nonnulli existimant appellari Iudæam filium olei ob oliuarum, quibus abundat, multitudinem. R. Ioseph scriptor apud Hebræos magni nominis Hierosolymam inquit ita appellari ob regē & sacerdotem, qui erant in ea, qui oleo vngebantur. Huic expositioni fauere videtur id, quod est apud Zachariam capite quarto:* Isti sunt duo filij olei, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ. *Vbi per filios olei intelliguntur rex & sacerdos: Hoc est Zorobabel & Iesus filius Iosedec. Ego existimo ob eam causam præcipuè Hierosolymā appellari montem pinguem, quia ibi Christus docuit,& inde exiuit Euangelium, quo impinguatus est mundus, qui antea aridus & macilentus erat.*

3 Plantauit vineam electam.] *Pro vinea electa est in Hebraico* שרק *sorek, quę vox significat vitem optimā. cuius vuæ non habent acinos. Thargum vertit:* Plantam vitis electæ. *Septuaginta habent* vineam sorec. *Pagninus:* Plantauit eam plantis vitis optimæ. *Quæ omnia eandem habent intelligentiam.*

A 4 Fecit labruſcas.] *Pro labruſcis vertit Aquila* fructus peſſimos. *Septuaginta* ſpinas, *quibus Iudæi Dominum coronauerunt. O fructum acerbiſſimum. Ad hoc ſpectaculum conſiderandum inuitantur in Canticis piorum animæ, vbi ſcriptum eſt:* Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis ſuæ. *O regem, ô*
Cant. 3. *diadema, ô matrem ſinagogam, imò hac in re immaniſsimam nouercam, quæ regem noſtrum tam dura & aſpera corona coronaſti. Quid hic ego in tam impio facinore deplorem? aut quibus verbis conquerar tam nefarium ſcelus? Verum etſi Iudæi Chriſtum ſpinis coronarunt, illius tamen coronæ myſterium non cognouerunt. Significabat enim corona illa fore, vt Chriſtus Eccleſiam degentibus antea impiis congregaret. Populus enim in orbe circunſtans corona appellatur: Nos autem qui ante cognitionem Chriſti eramus ſpinæ, collecti ex ſentibus & dumis, circundamus Chriſti precioſiſsimum caput, regémque illum altiſsimum ſumma cœli templa diuinâ maieſtate complentem coronamus.* D

---

a Væ qui cõiungitis domũ ad domũ, & agrum agro copulatis vſque ad terminũ loci. nũquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? [b]In aurib. meis ſunt hæc, dicit Dñs exercituũ, [c]Niſi domus multæ fuerint grãdes & pulchræ & abſque habitatore. Decẽ enim iugera vinearũ faciẽt lagunculã vnã, & triginta modij ſemẽtis faciẽt modios tres. [e] Væ qui cõſurgitis manè ad ebrietatẽ ſectandam, & potãdum vſque ad veſperam, vt vineo æſtuetis. [f]Cithara, & lyra, & tympanũ, & tibia, & vinum in conuiuiis veſtris, & [g] opus Domini non reſpicitis, nec opera manuũ eius conſideratis. [h] Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam, & [i] nobiles eius interierunt fame, E
& multitudo eius ſiti exaruit. [k]Propterea dilatauit infernus animam ſuam & aperuit os ſuum abſ-
B que vllo termino: & deſcendent fortes eius, & populus eius, & ſublimes glorioſique eius ad eum. [l] Et [l]incuruabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi ſublimium deprimentur. Et exaltabitur Dominus exercituum in iudicio, & Deus ſanctus ſanctificabitur in iuſtitia. [m] Et [i] paſcentur agni iuxta ordinem, & deſerta in vbertatem verſa aduenę comedẽt. [n]Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum. Qui dicitis: [o]Feſtinet, & cito veniat opus eius, *Prouer. 3. Ro. 12. d.* vt videamus: & appropiet, & veniat conſilium ſancti Iſrael: & ſciemus illud. [p]Væ qui dicitis malum *Prou. 12.*
bonum, & bonum malum: [q] ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: [r] ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. [s]Væ, qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobis ipſis prudentes. Væ, qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. [t] Qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti auferetis ab eo. [v]Propter hoc ſicut deuorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit, ſic radix eorum quaſi fauilla erit: & germen eorum vt puluis aſcendet. [x] Abiecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium ſancti Iſrael blaſphemauerunt. Ideò iratus eſt furor Domini in populum ſuum, & [y]extendit manum ſuam ſuper eum, & percuſsit eum. [z]Et conturbati ſunt montes, & facta ſunt morticinia eorum quaſi ſtercus in medio platearum. [aa]In his omnibus non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta. [bb] Et eleuauit F
ſignum in nationibus procul, & ſibilabit ad eum de finibus terrę: & ecce feſtinus velociter veniet. [cc] Non eſt deficiens nec laborans in eo. Non dormitabit neque dormiet, [dd]nec ſoluetur cingulum renum eius, [ee]nec rumpetur corrigia calciamenti eius. Sagittæ eius acutæ, & omnes arcus eius extenti. Vngulæ equorum eius vt ſilex: & [ff]rotæ eius quaſi impetus tempeſtatis. [gg] Rugitus e-
C ius vt leonis rugiet: vt catuli leonum. Et frendet, & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit qui eruat. Et ſonabit ſuper eum in die illa ſicut ſonitus maris. [hh]Aſpiciemus in terram, & ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata eſt in caligine eius.

ANNOTATIO.

1 Paſcentur agni iuxta ordinem ſuum.] *Chaldæus paraphraſtes pro agnis interpretatur ſãctos pauperes, Quę interpretatio noſtram verſionẽ mirabiliter explicat. Veri enim Chriſtiani, quos propheta agnos appellauit, ſancti pauperes ſunt, de quibus apud Matthæũ Chriſtus ait:* Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnũ cælorum. *Septuaginta habẽt:* Paſcentur direpti quaſi tauri. *Hoc eſt, hi, quos Chriſtus eripuit à dæmonis poteſtate, paſcentur vt tauri. Ex quibus colliges veros Chriſtianos eſſe agnos & ſanctos pauperes, & tauros. Hi qui ſunt innocẽtia agni, ſunt animi fortitudine tauri. Fortaſſe ideò ſancti martyres tauri vocantur, quoniam in mundo tanquam in ludorum atrio & circo ab immaniſsimis tyrannis exagitabantur, donec inauditis ſuppliciis & acerbiſsimis vulneribus confoſsi ſanguinem pro Chriſto funderent: cuius ſanctiſsimi numinis ſua morte clariſsimum teſtimonium tribuebant. Nos verò excellentes illos viros, qui in fide, ſpe, & charitate conſeruanda varios cruciatus corporis, mortem, & exilium æquo & alacri animo tulerunt, nobis ſemper proponamus, vt eos contemplantes mentes noſtras ipſa cogitatione conformemus.*

2 Aduenæ comedent.] *In Hebraico eſt* גרים אכלו *garim iochelu. Deriuatur hoc nomen* גרים *à verbo* גור *gur. quod ſignificat aduenam eſſe & peregrinari. Ideo Pagninus vertit:* Qui peregrinantur. *Et rectè quidem. Sunt enim iuſti in hoc mundo peregrini, nullam hîc habentes permanentem ciuitatem, ſed futuram inquirentes. Id intelligentes ſancti patres Abraham, Iſaac & Iacob confitebantur, vt diuinę literæ aſſerunt, ſe eſſe peregrinos & hoſpites ſuper terram. Ad eos alludebat regius vates dicens:* Aduena ego ſum apud te, & peregrinus ſicut omnes patres mei. *Qui verò ſunt habitatores terræ, & hoc mundo tanquam ciuitate non tanquam hoſpitio vtuntur, euertentur, & in æternas tenebras relegabuntur. Id minatur illis Diuus Ioãnes apoſtolus ita in Apocalypſi dicens:* Væ væ væ habitantibus in terra. *Improbus Cain, qui cæco inuidiæ impetu innocentem frãtrem occidit, condidit vrbem in terra, vt in ea habitaret, quemadmodum diuinæ li-*

tera

A terræ teſtantur. At iuſtus Abel tanquam peregrinus nullã condidit ciuitatem. Superna eſt enim ſanctorum ciuitas, ad quam viri iuſti aſpirant & tendunt, vbi Deo in æternũ tranſacto itinere fruuntur. Peregrinandi enim Deus in hac vita nobis diuerſorium dedit, non habitandi. Et quoniam hoc verbum גיר ſignificat etiam timere, & congregare, ſeu colligere, poterat verti ex Hebræo: Timentes ſeu congregantes. Iuſti enim Deum venerantur, & filiali amore ſeipſos congregant & colligunt, non terram ſed cœlũ quærentes. Et vt vniones etſi in mari oriantur, plus tamẽ cognationis habent cum cœlo, cuius colorem & pulchritudinem ſuo modo repræſentant: ſic viri, qui excelſis animis in terra diuina colunt ſtudia, magis à cœlo pendent, quàm à terra, in qua peregrinantur. At homines improbi turbulentis cogitationibus exagitati & impediti tantum abeſt, vt ſeipſos colligant & congregent, vt etiam ſe diſpergant, & in varia ac turbulenta negotia diſtrahant. Sũt, vt ait Seneca, veluti lacus quidam nunquam quieſcens, ad quem multi concurrunt, eum exhaurientes & conturbantes. D

ſimile

ſimile

Argumentum capitis VI.

Scribit Eſaias ſe vidiſſe Deum in ſolio excelſo & ſublimi ſedentem, quo viſo ſeipſum abiecit & extenuauit. Nulla conſcientiæ mortifera vulnera in animo habebat diuinus vates, nullas funeſtas labes: quin potius vir erat ſanctitate eximia, & omni ſapientia & nobilitate præſtanti. Verùm cùm cogitaſſet non eſſe ſe omnino extra culpam, ſuum peccatum deplorauit: à quo fuit ſtatim perpurgatus. Mittitur à Deo annuntiatum Iudæorum cæcitatem & contumatiam. Quam ob cauſam prædicit eos eſſe perdendos, & Hieroſolymam euertendam, eorum autem reliquias recepturas eſſe Chriſti fidem, & ſalutem conſecuturas. Voluit propheta hanc admirabilem viſionem mandare monimentis, vt autoritatem ſe mittentis oſtenderet, & ſuam concionem & vaticinationem confirmaret.

CAPUT VI.

IN anno quo mortuus eſt rex Ozias,[b] vidi Dominum[c] ſedentẽ ſuper ſolium excelsũ & eleuatum: & [1]plena erat domus à maieſtate eius: [d]& [2]ea quæ ſub ipſo erãt, replebant templũ. [e]Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alę vni, & ſex alæ alteri. [f]Duabus [3]velabant faciem eius, [g]& duabus velabant pedes eius: & duabus volabant. [h]Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: [i]Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum: [k]plena eſt omnis terra gloria eius. [l]Et cõmota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis: [m]& domus repleta eſt fumo. [n]Et dixi: Væ mihi quia tacui: quia vir pollutus labiis ego ſum & [o]in medio populi polluta labia habentis ego habito: & regem Dominum exercituum vidi oculis meis.

3.Reg.22. 2.Paralip. 18.a

Apoc.4.c.8

B

EXPLANATIO.

a *In anno quo mortuus eſt rex Ozias.*) Sublimis eſt hæc viſio & admirabile ſpectaculum. Sed priuſquã ad eius explanationem accedamus, conducere arbitror narrare quis fuerit Ozias, & quot annos regnauerit. Hic rex Ozias, qui, vt capite primo monuimus, appellatur etiam Azarias, fuit aliquando iuſtus, & hoſtes ſuos ſuperauit, quemadmodum 4. Regum, & 2. Paralipomenon ſacra aſſerit hiſtoria. Sed poſteà extulit inaniter ſeipſum, deúmque quem ſumma obſeruantia & religione colere deberet, contempſit, & ſacerdotalem ordinem non tam piè quàm audacter vſurpauit. Et cùm non paruiſſet ſacerdotibus, ne ſacerdotale munus ſumeret reclamantibus, fuit percuſſus lepra in fronte, vbi ſacerdotes auri laminam portabant. Regnauit annos duos & quinquaginta, & fuit quandiu vixit lepra contaminatus. Eo mortuo obtinuit regnum Ioatham, quo rege vidit Eſaias ea, quæ hic narrantur.

4.Reg.15 2.Par.26

b *Vidi Dominum.*) Hic, quem Eſaias vidit, Chriſtus eſt, vt ex Diui Ioannis teſtimonio cognoſcimus. Cũ enim dixiſſet Euangeliſta: *Propterea non potuerunt credere Iudæi, quia iterum dixit Eſaias: Obcæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum* (quæ verba ſunt ex hoc capite deprompta) ſtatim ſubiunxit: *Hæc dixit Eſaias, quando vidit gloriam eius*, nempe Chriſti, de quo ibi loquebatur.

Ioan. 12. C

c *Sedentem ſuper ſolium.*) Significat latam eſſe & definitam contra Iudæos ſententiam: ſolent enim Iudices, quando ſententiam ferunt, in excelſo throno ſedere. Dicit autem ſolium Dei non ſolùm eſſe excelſum ſed eleuatum, vt illud incomprehenſibile nobis eſſe oſtendat. Neque enim poſſumus diuinam maieſtatem verbi conſequi, nec cogitatione ipſa comprehendere. Hanc viſionem dicunt nonnulli fuiſſe imaginariam, alij intellectualem, alij aliter. Vtcunque ſit, ipſe Deum vidit, quo modo Deus ſe illi voluit oſtendere. Et quamuis cum hoc loco videatur pugnare id, quod ait Diuus Ioannes: *Deum nemo vidit vnquam*: & id quod ait Diuus Paulus in prima ad Timotheum: *Lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*: nulla tamen eſt repugnantia. Nam hæ duæ authoritates aſſerunt diuinam eſſentiam à nemine in hac vita videri: oculus enim carnis diuinitatem videre non poteſt: non autẽ negant Deum viris ſanctis in hac vita aliquo modo ſe oſtendere, in qua ſpecie ille vult apparere, quemadmodum Abrahæ, Iſaac, Moyſi, Eſaiæ, aliiſque multis apparuit, vt diuinæ literæ multis in locis teſtantur.

Ioan. 1.a 1.Tim. 6.d

d *Et ea quæ ſub ipſo erant replebant templũ.*) Hoc eſt, fimbriæ veſtium quibus Deus indutus cernebatur. Significat minimum diuinæ maieſtatis maius eſſe tota hominum gloria.

e *Seraphim ſtabant.*) Seraphim ſonant incendia ſeu incenſos. Spiritus ſunt charitate inflammati, qui ſtabãt ſuper ſolium, qui & propter velocitatem, & propter ſublimem & excellentem contemplationem alas habere dicuntur. Loquitur more humano: nam perſpicuũ eſt angelos eſſe ſpiritus, nec alas nec corpora habentes. Sed voluit Deus vt in hac ſpecie apparerent, ad myſteria, de quibus ſtatim dicemus, ſignificanda. Illud eſt aduertendum Deum viſum fuiſſe ſedentem, angelos verò ſtantes, non ſedentes, imò quia vnus ſedere voluit, quia dixit: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſedebo in monte Teſtamenti in lateribus aquilonis, ruit præceps in æternum ſupplicium.* Stemus coram Deo illi ſeruientes, ne ſuperbia elati in profundum præcipitemur.

F

Infrà.14.

f *Duabus velabant.*) Significabant tam admirabilem

lem

A lem esse Dei splendorem, vt oculis carnis cerni non posset.

g *Et duabus volabant.*) Ostendebant se esse prõptos & ad parendum diuinæ voluntati paratos. Animaduerte. Non vna ala volabãt, sed duabus. Ruit cito auis, quæ sola vna ala volare contendit. Anima quæ volare concupierit, duabus indiget alis, cognitione & charitate. Cognoscere pertinet ad intellectum, amare verò ad voluntatem.

h *Et clamabant alter ad alterum.*) Se inuicem ad Dei laudes inuitabant. Ita nos non solùm Deum laudibus efferamus, sed alios etiam ad easdem laudes inuitemus.

i *Sanctus.*) Deum ter sanctum appellantes, & vnũ Dominum exercituum, significãt Deum esse in personis trinum, in essentia vnũ. Per hæc duo seraphim
B duo Testamenta possumus intelligere. Vbi enim est salutare incendium nisi in sacra scriptura? Fieri non potest, cùm tota mens nostra in diuinis literis versetur, quin aliquem diuinum ignem sentiamus, qui nos incendat, & studio immortalitatis inflammet. Duo Testamenta ideò Dei caput & pedes velare dicuntur, quia nec quid ante mundi constitutionem fuerit, nec quid post finem eius futurum sit, explicant. Per caput principium, per pedes finis intelligitur. Duabus alis volabant, & media tantùm offendebant, quoniã inter media solùm nobis scriptura referat, creationem mundi diluuium, legem datam, filium Dei pro nobis carnem sumpsisse, eius mortem acerbissimam, reditum ad vitam, ascensum ad cœlum, & multa alia: quanquam non omnia, nam duabus alis quibus volabant, aliquid referabant, aliquid verò tegebant. Sunt enim multa mysteria, quæ plenius silendo, quàm loquendo laudamus. Ideò seraphim & caput & pedes tegebant, significantes sublimia esse diuina mysteria, nostrúmque intellectum transcendentia. In Psalmo 64. vbi communis versio habet: *Te decet hymnus Deus in Sion*, habet versio Diui Hieronymi
C ex Hebræo: *Tibi silentium laus Deus in Sion.* Quasi dicat: Tam excelsa & transcendentia sunt mysteria tua summe Deus, vt melius silentio quẽ pleno ore laudẽtur. Hac ratione ductus dicebat Esaias: *Generationem eius quis enarrabit?* Cùm aliquid laudibus efferimus, significamus nos illud mente cõprehendere. At cùm diuina mysteria excedant nostrum intellectum, plus ea aliquando silentio quàm verbis extollimus, ostendentes nos ea nequaquam posse verbis explicare. Eã ob causam Apostolus in secunda ad Corinthios cùm dixisset se audisse arcana verba, subiunxit non licere ea homini loqui. Et in prima ad eosdem, *Quod oculus*, inquit, *non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt, quæ preparauit Deus diligentibus se.* Et ad Romanos scribens ait: *Altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius?* Et hoc existimo significatum fuisse velo illo, quo arca Testamenti tegebatur. Timantes egregius pictor, nisi nos fallunt veteres historiæ, cùm luctuosissimam cædem Iphigeniæ pingeret, lachrymas & mœrorem expressit, vultum autem Agamemnonis patris eius velo cooperuit. Intellexit insignis artifex nulla re posse melius summum patris dolorem & luctum exprimere, quàm illum non exprimendo. Hinc possumus intelligere quare nobis Euangelium non explicuerit beatæ Dei genitricis natiuitatem nec assumptionem: quoniam hæc & similia mysteria plus Euangelistæ laudant silentes & admirantes, quàm loquentes. Ideò in eius assumptione Euangelium Marthæ & Magdalenæ canitur, in quo de sanctissima Dei genitrice nullam õnino inuenies mentionem. Sunt igitur duo seraphim duo Testamenta, quæ ideò clamant alterum ad alterum, quia quicquid in veteri legimus Testamento, hoc idem in Euangelio reperimus: & quicquid in Euangelio legimus, fuit in veteri Testamento prędictum aut adumbratum. Nihil est in eis dissonum, nihil contrarium, sed omnia consona & cohærentia. Potest etiam dici ob eam causam Deum tectum esse, cùm sit summè bonus, & omnium bonorum largitor, vt nos doceat, vt benefaciamus, sed ne videri velimus. Eam ob causam cherubim quibus agitur Exod. 25. alas suas extendebant propitiatorium tegentes. Quanuis enim exigat aliquando tempus, vt nostra benefacta in lucem prodamus, est tamen interdum tẽpus ea tegendi. Nullum theatrum conscientia maius est. Terra cooperit venas auri, & mare vniones, & arbores in hyeme virtutem suam intus tegunt, quam tamen tempore opportuno ostendunt. Oportet tempora spectare, *Omnia enim*, vt ait Ecclesiastes, *tempus habent.*

k *Plena est omnis terra.*) Tanta erat eius gloria, vt totum orbem terrarũ impleret. Vel ita: Cunctæ creaturæ terram implentes suppeditabant materiã amplissimam laudandi diuinam potentiam & pietatem.

l *Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis.*) Hoc est à voce clamante. Hebraismus est. Et est sensus: Tanta erat clamoris vis & magnitudo, vt moueret postes cum superliminaribus. Si superliminaria voce angelorum mouentur, quantò magis debẽt homines moueri voce ipsius Dei nos ad pœnitẽtiam quotidie vocantis? Fortasse hac motione portarum templi significata fuit eius euersio, & cerimonialium, quæ in eo fiebant, cessatio.

m *Et domus repleta est fumo.*) Accipitur hic fumus in bonam partem, pro flamma ignis, quæ est fumus accensus: & significat splendorem, vt in fine quarti capitis annotauimus. Potest etiam accipi pro odore suaui ab aromatibus in igne positis producto: quemadmodum in Canticis, vbi ait sponsus: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Ego existimo fumum re vera hoc in loco capi ab Esaia pro vero fumo oculos lædente & obcæcante, quo cæcitas tetrúmque ludęorum scelus, significatur. Quasi dicat: Omnes gentes, quę terræ nomine intelliguntur, erunt splendore fidei & gratiæ illuminatæ, & sublatis errorum tenebris, in quibus versabantur, ad agnitionem veritatis peruenient. At domus Dei, hoc est synagoga, manebit repleta fumo & caligine, quoniam Iudæi non solùm non recipient Messiam, sed etiam cæco furore, & incredibili peruersitate exagitati tam tetrum & inauditum facinus admittent, vt Christum seruatorem, & verum Messiam falsis criminibus ad capitis periculum vocent. Quando Deus dedit legem Moysi, audiebantur tonitrua, fumabat mons Sinai, & erat nube densissima coopertus. Quæ omnia significabant legem illam esse timoris, & fore vt Iudæi fumo & nube obcæcarentur. At Christi Euangelium ortum habuit à suaui angelorum cantu, & diuino atque cælestis luminis splendore. Illud est hoc loco aduertendum, non vidisse prophetã visionem hanc viuente rege leproso. Sed eo mortuo leuauit oculos ad cœlum, & mentis acie purgata vidit Dominum exercituum Christum Deum nostrum in solio sublimi sedentẽ: & diuina mysteria sole ipso splendidiora fuit mirabiliter contemplatus, quibus animum suum veluti diuino nectare recreabat, & ad æternitatem alebat. Nam viuente in nobis rege leproso, regnante in nobis peccato, Deum videre, eiusque diuina mysteria, vt par est, contemplari nequaquam possumus *Non regnet*, inquit Apostolus, *peccatum in corpore vestro mortali, vt obediatis concupiscentiis eius.* Huic testimonio simile est id, quod in Exod. est

Psal. 64.

Infrà. 53

2. Cor. 12

1. Cor. 2.

Rom. 11.

Exod. 40

Timãtes.

Luc. 10.

Exod. 25.

Similia.

Ecclę. 3.

Luc. 2.

Exod. 2.

Cant. 3.

Rom. 6e

Exod. 2.

A est literis mandatum. Viuente Pharaone impio rege populus Israeliticus lateris & palearum opere pressus,& vehementer afflictus, non dicitur ad Dominũ aspirasse. Cùm verò ille decessit è vita in infernum præcipitatus, suspirauerunt filij Israelis, vt ait scriptura, & ascendit clamor eorum ad Dominum. Cùm videatur eos tunc magis lætari debere, & antea suspirare, cùm viueret tyrannus, qui eos acerbissimis cruciatibus vexabat. Regnante peccato dæmoui paremus, & mundi ædificia condentes pro frumento quærimus paleas, & in operibus terrę vitam consumimus, ad cœlorum autem altissima ædificia nequaquam aspiramus. Veniamus ad Euangelium. Obtinente regnum immanissimo Herode tota ciuitas turbatur. Ait enim Euangelista: *Turbatus est rex Herodes, & tota Hierosolyma cum illo.* Fugit sanctissima Dei genitrix virgo cum puero Iesu & Iusto Ioseph, & innocentes infantes immanissimè trucidantur. Nec mirum est: nam vbi regnat Herodes, ibi Christus non est Christus, ibi nocentes impunitatem consequuntur, innocentes verò damnantur. Defuncto autẽ Herode, ecce angelus Domini apparet in somnis Ioseph in Aegypto dicens: *Surge accipe puerũ, & matrem eius, & vade in terram Israel.* Anima nostra ciuitas est, in qua regnante Herode, hoc est peccato, nulla est securitas, nulla quies, sed tubatio & confusio. Si in ea nascitur aliqua innocens cogitatio, statim interficitur. At defuncto Herode, mortuo peccato apparet oblectatio diuina, reuertimur Hierosolymam. ad visionẽ pacis, vbi in tranquillitate vitam degimus.

Matth. 2.

B

n *Et dixi, Væ mihi, quia tacui.)* Videns Propheta duos illos angelos canentes, Demúque mutuò laudantes, conferens sermones suos cum laudibus seraphicis doluit quidem, & grauiter tulit: quoniam seraphim nihil aliud quàm Dei laudes loquebantur, ipse verò aliquando de rebus humanis cum hominibus sermones conferebat. Eam ob causam inquit: *Væ mihi, quia tacui* à diuinis laudibus, quia Deum non laudaui, quia angelos non imitatus sum. Fortasse voluit se Propheta cum angelis coniungere, Deúmque laudare, sed non audens ob conscientiam dixit: *Væ mihi, quia tacui*: Ego existimo ideò Esaiã dixisse hoc, quia meminit se aliquando tacuisse cùm loqui oporteret.

C Et quoniam aliquando locutus fuerat cùm tacere oporteret, subiungit: *quia vir pollutus labiis ego sum.* Vtrunque enim peccatum est, & loqui & tacere extra tempus. Nam, vt ait Salomon, *tempus est tacendi, & tempus loquendi.* Vel ideò dixit se tacuisse & esse pollutum labiis, quia intellexit ex ea visione se ad cõcionandum inuitari, & volebat se ob linguę impedimentum excusare: quod & Moisi accidisse scriptum legimus. Aequum enim est vtiqui se peccatorẽ cognoscit, tãtam dignitatem refugiat ne audiat id, quod dicitur in Psalmo: *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Et id quod dicitur in Ecclesiastico: *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Et in Psalmo: *Rectos decet collaudatio.* Ideò in canticis: *Benedicite omnia opera Domini Domino, & laudate Dominum de cœlis*, non dicitur Benedicite vel laudate peccatores Dominum. Inuitantur ad diuinas laudes concinendas bestiæ & vniuersa pecora, serpentes & volucres pẽnatæ, dracones & omnes abyssi, & multa alia. At peccatores sub nomine peccatorum non inuitantur, quòd sint multò peiores serpentibus, & ea scelera & maleficia concipiant, vt bellnas immanes etiam immanitate superent. Et quamuis aliquando clament, dominúmquelaudent. animo tamen silẽt, iuxta id quod dictum est in Psalmo: *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Clamabat tota die, & clamans tacebat, quia non ex intimo cordis clamabat. Qui flagitiis pascuntur, & de sua cõuersione nequaquam curant, loquentes silent, & clamantes non exaudiuntur. ideò debent munus cõcionandi refugere. Et aduerte. Vidit Esaias Dominum, & statim seipsum exinaniuit & abiecit. Visus Dei homines reddit humiliores, visus verò principum terræ superbiores. Conspecto Deo illico Abrahamus se terram & cinerem esse dixit: & Rebeca viso Isaac descendit de camelo, séque operuit pallio: Hoc est viso Domino, descendit anima de camelo superbiæ, séq; regit palio pœnitentiæ.

Ecclę. 3. Exod. 4. Psal. 49. D Eccle. 5. Psal. 32 Dani. 3. Psal. 69 Psal. 11. Gen. 18. Gen. 24.

o *In medio populi.)* Hinc colligitur culpam esse habitare inter impios, si possis commodè inter pios habitare. Nam, vt ait Diuus Paulus, *corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Et Ecclesiaticus: *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Vt enim subducta materia extinguitur ignis, sicabblata occasione peccatũ. Auferes autem occasionẽ, si impiorũ consortiũ & cõsuetudinẽ fugias. Vt nummum aureum explorare solemus sit nécne adulterinus, priusquã eum accipiamus: sic probare homines debemus, sint ne pij an impij, priusquam eorum familiaritare vtamur. Et in mensa principum est vnus, qui dapes prægustat, ne princeps lethali vneno ruat in interitum: sic prægustandi sunt ij, cum quibus est coniunctissimè viuendum. Si autem postea se errasse quis intellexerit in eligendis amicis, facienda est vitę mutatio. Abrahamum separauit Deus ab impiis Chaldæis, eíque separato sæpenumerò apparuit. Quandiu Diuus Petrus cum discipulis fuit, paratus erat ad obiiciẽdum se hostium telis potius, quàm Christum negaret: sed coniunctus iniquis sacerdotum ministris in atrio principis ad vocem puellæ Christum negauit. Vide quid secum afferat detrimenti impiorum consuetudo. Ideò dicebat Moyses filiis Israelis: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.*

E

1 Cor. 15. Eccl. 13. Simile Simile. Simile. Gen. 12. 15. 18. 32 Matt. 26. Num 16.

F

ANNOTATIONES

ex Hebræo in

CAPVT VI.

1 Et plena erat domus à maiestate eius.] *Hæc verba non sunt in textu Hebraico: nec in eo Latino cui Diuus Hieronymus adiecit commentaria. Existimo ea fortasse sumpta fuisse ex versione Septuaginta, & hic inserta.*

2 Et ea quæ sub ipso erant.] *Pro toto hoc est in Hebraico,* ושוליו *vexulau. Dictio* שול *significat fimbriã, partem inferiorem vestis. Ideò potest verti:* Et fimbriæ eius replebant templum. *Et ita vertit Pagninus. Voluit Propheta his verbis Dei gloriam significare. Hoc intelligens Targum transtulit:* Et splendore gloriæ eius repletum est templum.

3 Duabus velabant faciem eius.] *In Hebraico pro facie eius est:* פניו *panau. hoc est faciem suam. Et ita manet ambiguum reservtúrne ad faciem Dei, an ad faciem ipsorum seraphim. Noster interpres reddidit ex Hebræo faciem eius, nempe Dei. quod quid significet explanauimus. Simili modo vertit Origenes dicẽs in homilia in hoc caput. Duabus alis velabant faciem non propriã, sed Dei. Chrysostomus tamen in homiliis in hanc Esaiæ visionem legit, seraphim facies suas velare. Et ita hunc locum intelligit Pagninus ait veritãs:* Duabus velabat vnusquisque

A que faciem suam. *Et ita est sensus: Tanta reuerentia Deo seruiebant, vt facies suas tegerent, ne ipsum Deum aspicerent. Non enim se dignos esse existimabant, qui altissimam illam Dei maiestatem intuerentur. Ideò excludebant splendidissimum radium è throno prodeuntem, quòd summum splendorem & immensam gloriam aspicere non auderent, & suam erga Deum reuerentiam & religionẽ demonstrarent. Ita ferè Chrisostomus locum interpretatur. discamus nos, qua obseruantia, veneratione, reuerentia ad Deum, eiúsque laudes concinendas accedere debeamus.* D

---

[a] Et volauit ad me vnus de seraphim, & in manu eius calculus, quẽ forcipe tulerat de altari. Et tetigitos meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua: & [b] auferetur iniquitas tua: & peccatum tuum mundabitur. Et audiui vocem Domini dicentis: Quem mittam? quis ibit nobis? [d] Et dixi: Ecce ego: mitte me. Et dixit: [e] Vade: & dices populo huic [f] Audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem: & nolite conoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. [g] Et dixi: Vsque quò Domine? Et dixit: Donec desolentur ciuitates absque habitatore: & domus sine homine. [h] Et terra relinquetur deserta, [i] & [l] longè faciet Dominus homines, & [k] multiplicabitur, quæ derelicta fuerat in medio terræ. [l] Et adhuc in ea decimatio, & conuertetur, & erit in ostensionem sicut terebinthus, & sicut quercus, quæ expendit ramos suos. Semen sanctum erit id, quod steterit in ea.

Matth. 13.b. *Marc.* 4.b *Luc.* 8.b. *Ioan.* 12.e *Act.* 28.f *Rom.* 11.b

B

a *Et volauit ad me.*) Cùm Esaias suam calamitatem & imbecillitatem, deplorauit, & confessus est, statim fuit diuina consolatione delectatus. Missus est ad eũ vnus de seraphim, qui ei impedimeta auferret, e úm que consolaretur, & à sorde labiorum expiaret. Eodem modo cùm Diuus Paulus exclamaret: *Infœlix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* illico subiunxit: *Gratia Dei per Iesum Christum.* Plora, & cõfitere de peccatis tuis, & eris diuino præsidio adiutus & recreatus. Est prætereà aduertendum hunc seraph esse nouum testamentum, quod calculum ignitum comprehendit: hoc est sermonem Dei, quo tacta labia immunda purificantur. Ideò ait Dauid: *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Et Christus apud Ioannem: *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Hic calculus ignitus, hic sermo Dei, debet sumi ex altari, quod est in templo: hoc est ex sacra scriptura, quæ est in Ecclesia Catholica ab ipsa Ecclesia intellecta & explicata. Lutherani citãt scripturæ authoritates, sed cùm sint extra templum ab Ecclesia separati, non sumunt calculum ab altari, quod est in templo. Ex quo efficitur vt ipsam scripturam deprauent, quæ ab illis deprauata & perperam intellecta nihil potest contra nos efficere. Non sat est sacræ scripturæ locum, sed necesse est, vt talis locus sit in altari templi in sacra scriptura ab Ecclesia explanata, non ab hereticis exposita. Quóque diabolus locum ex media scriptura depromptum citauit & exposuit tentans Christum, illíque ex eo loco scripturæ suadens vt se ex templi pinnaculo precipitaret. Sed nihil illi profuit. Eodem modo hæretici volentes homines ex fidei pinaculo precipitare, locos ex scriptura ab illis iniquè & falso expositos allegant, diabolúmque imitari gloriantur. Sed nihil illis proderit. stabit enim semper Ecclesia Catholica erecta: neque poterunt aduersus eam portæ inferi, hoc est hæreticorum dogmata prævalere. Hanc enim veritatem ipsa incarnata veritas affirmauit. Hoc non considerantes cæci Lutherani existimant sat esse scripturam citare, qui eam non intelligentes sed peruertentes falsa & impia dogmata, & in credibilia monstra excogitarunt & pepererunt. Vnde affectum est vt ipsi inter se pugnent, & nullus sit qui cum alio penitus concordet: nisi in eo quod est, se ab Ecclesia & vera fide separare. Vnusquisque habet suas particulares & proprias hæreses, pater non conuenit cum filiis, nec filij cum patre. Et quemadmodum Deus eos, qui turrem Babylonis aduersus ipsum Deum construere volebant, in diuisione linguarum castigauit. & tanta fuit inter eos confusio, vt seipsos non intelligentes turrem relinquereni, sic Lutheranos impiam sectam aduersus Christum ædificare conantes puniuit Deus in linguarum & opinionum varietate & confusione, ita vt possit Lutheranismus rectè appelari Babel ob incredibilem confusionem. Sed permittet Deus, vt suam confusionem videntes, relinquant incœptam turrem lateritiam, & ad Ecclesiam, lapideum ac firmissimum Dei templum aliquando confugiant. Ex hoc loco Esaiæ colligunt nonnulli Lutherani, nihil à Christianis allegari debere nisi sacram scripturam, quoniam Angelus labia Esaiæ ignito calculo, hoc est verbo Dei perpurgauit. Sed vnde sequitur hoc? Est quidem hic calculus ignitus verbum Dei: sed quæ cõclusio est hæc? Angelus expurgauit Esaiam verbo Dei, ergo nihil aliud debet citari? Imò sequitur sensus quos Lutherani citant ad sua impia dogmata fulciẽda ex sacra scriptura frigidos esse, non ignitos calculos, imò falsos & impios, quoniam cum ipsi sint extra Ecclesiam, non eos sumunt ex altari, quod est in templo, hoc est in Ecclesia ab ea explanatos, sed à pestilentibus hominibus perperam expositos. Vides igitur quàm frigidè, ineptè & falsò velint ex hoc loco colligere nihil debere allegari prẽter sacram scripturam. Confirmat etiam hoc Lutherus, & probat hoc quia Christus eiúsque Apostoli sacram scripturam allegarunt. Videte consequentiam. Christus & Apostoli diuinas literas citarunt, ergo nos nihil aliud citare debemus. Quæ est hæc ratiocinatio? quæ conclusio? O ridiculum dialecticum. O hominem insipientem. Nónne vides tuam cõfusionem? Imò Diuus Paulus illa tuba Euãgelica, illud vas electionis, illud sapientiæ pelagus, gentilium poëtarum testimonia, Menandri, Arati, Epimenidis, in medium attulit. Si sanctissimus Apostolus citabat gentiles, quare nos nõ citabimus sanctos patres fide, & charitate, cæterísque virtutibus præstantes, qui excellentibus ingeniis & eximia sanctimonia diuinarum literarum studio caruerunt, & sacram scripturam diuinitus explanarunt? Quare non citabimus ipsam Ecclesiam, quam Apostolus appellat columnam & firmamentum veritatis? Imò, ipsa veritas, ipse Christus Deus noster multa attulit moralia, multa exemplа, multas parabolas, quæ non erant in veteri testamento: Quod & eius Apostoli fecerunt. Vnde hæc est validissima cõ-

Rom. 7.

Psal. 118. *Ioan.* 15.

C

Matth. 4.

Matt. 16.

E

Simile. Gen. 11

Error Lutheranorum Calumniarum

1. Tim. 3.

F

sequentia

A sequentia: Multa in medium prodidit Christus eiúsque Apostoli, quæ non erant literis diuinis mandata, ergo nobis idem facere licebit. Sed de his hactenus. Possumus per calculum ignitum Spiritus sancti gratiam intelligere. Ego existimo altare illud figuram fuisse altaris nostri, & calculum illũ ignitum peccata purgantem Christum adumbrare in sancto sacramẽto eucharistiæ, qui peccata nostra dimittit. Ioãnes enim Damascenus in libro quarto orthodoxæ fidei quartodecimo hæc verba scripta reliquit: *Apponentes oculos, & labia, & frontem, diuinum carbonem concipiamus. Vt ignis in nobis desiderij assumens ex eo carbone ignitionem, comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & partitipatione diuini ignis igniamur & deificemur. Carbonem vidit Esaias. Carbo autem simplex non est, sed vnitus igni: sic panis communionis non panis simplex est sed vnitus diuinitati. Et corpus vnitum diuinitati non vna atque eadem illi natura est, sed vna corporis, & vnitæ diuinitatis altera.* Hęc Damascenus. Vbi pro calculo legit carbonem seu prunã, quemadmodum etiam nonnulli vertunt, vt postea videbimus. Cùm igitur per calculum ignitũ siue prunam viuam Christus intelligatur, per seraph existimo intelligendum esse sacerdotem sacramentum sanctum fidelibus ministrantem. Tu nunc considera altaris amplitudinem & maiestatem, siquidem ipse seraph cùm sit spiritus charitate incensus, non illud ausus est manu attingere, sed calculum forcipe accepit, vt magnam altari reuerentiam exhiberet. Hinc colliges quàm impia sit eorum temeritas, qui cùm sint mortifetis sceleribus coinquinati, ad altare accedunt, & verum Christi corpus & sanguinem accipiunt, non obseruantes id
1.Cor.11 quod ait Apostolus: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat*
B *& bibit indignè, iudiciũ sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Diuus Dionysius Areopagita capite tertiodecimo cœlestis Hierarchiæ hunc spiritum, qui labia tetigit Esaiæ, inquit, non esse ex illis altissimis primisque spiritibus, quos proprio nomine vocamus seraphim: sed aliquem ex iis Angelis, qui obis præfecti sunt, qui ob incendendi ministerium seraphim quoq; appellantur: vel quia iussu seraphim hoc munus suscepit. Ideò vnus ex seraphim nuncupatur. Ibi multa de hac visione dicit scitu dignissima, quæ hìc non subscribo, satis esse existimans indicasse.

b *Auferetur iniquitas tua.*) Purgatur Esaias ad munus concionandi subeundum. Ex quo colliges oportere concionatorem esse ab omni peccato purgatum.

c *Quem mittam.*) Proponit hoc Deus, vt voluntas præmium consequatur. Illud est aduertendum, dixisse Deum: Quem mittam? in singulari: & statim plurali numero dixisse: Quis ibit nobis? Vbi significatur Trinitatis mysterium. Est enim Deus trinus & vnus.
C Numerus singularis ostendit vnitatem substantiæ, pluralis verò trinitatem personarum.

d *Et dixi: Ecce ego, mitte me.*) Non temeritate & arrogantia se vltrò obtulit, sed quia purgatus fuerat ab Angelo. Non enim se obtulit, priusquam eum Angelus tetigisset. Vide igitur ne munus concionandi pollutus accipias. Esaias non se obtulit, nisi quia eum Angelus purgauerat, & quia legationis necessitatem videbat. Et ita charitate inflammatus nõn timuit futura prædicere, & veritatem proferre. Quibus rebus deuenit in rerum omnium certamen & discrimen, & vitam propter Deum periculis obtulit. Eodem modo concionatores pro Christi gloria cum opus fuerit, ne veritatem tegant, quanquam videant, magnas sibi inde procellas esse subeundas.

e *Vade.*) Cõciliat Esaias authoritatem suæ legationis, asserens se esse à Deo missum.

f *Audite audientes, & nolite intelligere.*) Videntur hæc verba aspera prima specie. Sed Hebraismus hanc habet asperitatem, cùm tamen sensus sit lenior. Diuus Paulus Actorum vltimo huius loci mentionem *Act. vlt.* faciens, eius asperitatem tollit ita dicens: *Bene Spiritus sanctus locutus est per Esaiam Prophetam ad patres nostros dicens: Vade ad populum istum, & dic: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius: & auribus grauiter audierunt, oculos suos compresserunt.* Hæc in Actis, Vbi vides imperatiua per futura indicatiuià Diuo Paulo exponi. Sensus est: Dic populo huic duro seipsos non esse Messiam recepturos. Audient enim eius doctrinam, eiúsque opera videbunt, & non intelligent ob eorum malitiam & cæcitatem. Igitur tu, ô Esaia excæca, hoc est denuntia esse cor populi huius ob impia scelera obcæcandum. Hic locus citatur ab Euangelistis ad ostendendam Iudæorum cæcitatem. Non tamen intelligas Deum obcæcauisse Iudæos, auferendo ab eis oculos aut rationem, sed non dando gratiam. Et ideò non dedit, quia ipsi eam *Matt.13. Luc. 13. Simile.* noluerunt. Propterea dicebat Christus: Quotiens volui congregare filios tuos, & noluisti. Et vt nemo potest medico litem intendere, qui ægrotum curari nolentem deserit: sic nemo potest Deo culpam tribuere, qui Iudeos obstinatos & peruersos obcæcari permiserit. Ex hoc loco colliges duo: primũ est, hãc Esaiæ vaticinationem ad Christi rẽpus referri, quoniam pro eo tempore eam citant Apostoli. Secundũ est, malitiam esse causam obcæcationis: nam Deus non immittit cæcitatem aut duritiem, sed propter E hominum iniquitates & obicem non suppeditat gratiam, qua destitutus homo in grauissima incidit peccata: & suo vitio obcæcatur & induratur. Vt enim *Simile.* Sol dicitur nobis cæcitatem inferre, quando ab eo oculos claudimus, eúmque videre nolumus: sic Deus dicitur cor hominis obcæcare, quando ab eo gratiam subtrahit, quia homo eam acceptare renuit.

g *Et dixi, vsquequò Domine?*) Solicitus Propheta de populo suo quærit à Deo, quoúsque hęc sententia permansura sit.

h *Et terra relinquetur deserta.*) His verbis prædicta fuit euersio Hierosolymæ duce Tito.

i *Et longe faciet Dominus homines.*) Hoc est, dispergeret Deus Iudæos à patria sua, eósque longè abducet & separabit.

k *Et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ.*) Id est, gens Iudæorũ, quæ fuerit relicta, quæ in obsidione & prælio non occubuerit, dispergetur, & multiplicabitur, non in Iudæa, vt antea, sed in medio terræ, id est, per vniuersum orbem terrarum. Quod impletum esse apertissimè videmus.

l *Et adhuc in ea decimatio, & conuertetur.*) Sensus est: Ex Iudæis decimæ ad Christum conuertentur. Significat ex Iudęorum multitudine paucos esse salutem consecuturos. Hi aliis verbis appellantur se- F *Infrà 8.*
men & reliquiæ, vt fuit primo capite satis explicatum.

m *Et erit in ostensionem sicut terebinthus.*) Sẽsus est: Ea pars quæ fuerit ad fidem Christi conuersa, extendetur & propagabitur instar terebinthi & quercus, quæ sunt arbores ramos suos admodum extẽdentes. Et semen sanctum erit id, quod steterit in ea. Id est, illi qui in fide permãserint, etsi in principio sint pauci, erunt tamen velut semen sanctum, ex quo multi fructus generabuntur. Quasi dicat: De Apostolorum germine plurimi fideles pullulabunt. Comparat Propheta Apostolos, & eos, qui ex Iudæis in principio crediderunt, arboribus ramos suos paulatim extendentibus. Nam vt arbores tempore hyemali, nec sunt *Simile.*

d fructibus

A fructibus nec frõdibus ornatæ, sed intus habẽt quẽdam vigorem, qui tempore veris eas florentes reddit, & auget: sic fideles in principio etsi nullum virorem habere videbantur, postea tamen ramos suos per totum orbem terrarum dilatarunt, & pulcherrimos flores, vberrimósque fructus tulerunt. Comparat etiam D eos semini, quoniam ex illis fuit fidelium multitudo per Euangelium generata. Hæc est spiritualis illa generatio, de qua dicebat in prima ad Corinthios Diuus Paulus: Per Euangelium ego vos genui. 1 Corin. 4

ANNOTATIO.

1 In manu eius calculus.] *Pro calculo est in Hebraïco* רִצְפָּה *vitspah, quæ dictio significat calculum: & ita vertit Aquila & Theodotion, quos secutus est noster interpres. Significat etiam prunam viuam, seu carbonem incẽsum. Pagninus vertit carbonem. Poteris clarius vertere, carbonem incensum. Fortasse alludit propheta ad altare holocausti, vbi erat perpetuus ignis: vt Leuitici sexto literæ diuinæ testantur, Septuaginta verterunt ἄνθρακα, nomen æquiuocum. Significat enim ἄνθραξ prunam, & carbunculum gemmam preciosam, quę & nomine & colore carbonem incensum imitatur. Non erat hic calculus quicunque lapillus, sed splendidissima gemma ab altaris igne ablata, & in medio igne constituta. Esaias ad munus concionandi subeundum purificatus est igne charitatis à seraph, hoc est, ab incendio seu incenso, vt esset diuino amore inflammatus. Moyses priusquam ad Pharaonẽ mitteretur, ad flammam ignis rubi ardentis accedere iubetur. Apostoli inflammati linguis ignis cœperunt ardenter concionari. Vnde colliges esse summè necessarium concionatoribus diuinum ignem animos illuminantem, purificantẽ,* B *& accendentem. Id intelligens Dauid priusquam diceret* Psal. 50. *in Psalmo*: Docebo iniquos vias tuas, petit, *Spiritum rectum, Spiritum sanctum, Spiritum principalem, vt in eodem Psalmo licet videre. No tibi cito hominem quemcunque, sed diuinum vatem, sapientia, sanctitate, & animi amplitudine excellentem, nobilitatéque præstantem.*

Exod. 3. Act. 2.

Ignit. 6.

2 Et adhuc in ea decimatio, & conuertetur, & erit in ostentionem sicut terebinthus, & sicut quercus, quæ extendit ramos suos.] *Textus cui Diuus Hieronymus adiecit commentaria, ita habet:* Et adhuc in ea erit decimatio, & rursus erit in deprædationem sicut terebinthus, & sicut quercus, quæ proiecit fructus suos. *Quæ verba Diuus Hieronymus in hunc modum interpretatur: Vix decima pars Iudæorum relinquetur à Tito & Vespasiano. Sed postea Iudæi, qui euaserint ex bello, multiplicabuntur. At veniet Adrianus Imperator, & tũc ipsa reliquiæ Iudæorum iam multiplicatę erunt rursum in direptionem. Capientur enim ab Adriano, & affligentur: & erunt veluti terebinthus & quercus, quæ glandes amiserunt. Quod accidit anno quinquagesimo à captiuitate sub Tito & Vespasiano. Hæc Diuus Hieronymus. Vbi communis versio habet:* ad ostensionẽ, *est in Hebræo* לִבְעֵר *leuaer. à verbo* בָּעַר, *quod significat præter alia cõburere, ardere, & excidere. Vnde Pagninus vertit:* in excisionem. *Potest verti*: ad excidendum, *vel ad comburendum, vel ad ardendum sicut quercus sterilis & inutilis.* E *Vbi vides Iudæos comparari quercui sine fructu, quæ nihil valet nisi ad ardendum, & comburendum, & secandum.*

Argumentum capitis VII.

Narrat diuinus vates immanem duorum regum Syriæ & Samariæ contra Hierosolymam coniurationem. Ostendit Dei misericordiam & potentiam, qui Iudæorum statum occidentem afflictumque erexit, eorúmque ciuitatem obsessam ab hostibus seruauit. Et inde sumpta occasione à Iudæorum liberatione vaticinatur de diuino virginis Mariæ partu, & Christi seruatoris nostri admirabili aduentu. Qui diuina potestate motus humanam naturam inexplicabili ratione sibi ideo copulauit, vt in humana forma delitescens nos à dæmonis crudelissimi tyranni captiuitate liberaret, ad æternámque beatitudinem tandem perduceret.

CAPVT VII.

C IT[a] factum est in diebus Achaz filij Ioatham, filij Oziæ, regis Iuda. Ascendit Rasin rex 4. Reg. 16
Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Israel in Ierusalem, ad præliandum contra eam: & non potuerunt debellare eam. [b] Et nuntiauerunt domui Dauid dicentes: Requieuit Syria super Ephraim: & [d] commotum est cor eius, & cor populi eius sicut mouẽtur ligna syluarum a facie venti. Et dixit Dominus ad Esaiam. [e] Egredere in occursum F
Achaz tu, & qui derelictus est [f] Iasub filius tuus, [g] ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via agri fullonis. Et dices ad eum: [h] Vide vt sileas. Noli timere, & [i] cor tuum ne formidet à duabus caudis titionu fumigantium istorum in ira furoris Rasin regis Syriæ, & filij Romelię eò quòd cõsiliũ inierit contra te Syria in malum, Ephraim, & filius Romeliæ dicentes: Ascendamus ad Iudam, & suscitemus eum: & euellamus eum ad nos: & ponamus, regem in medio eius filium Tabeel.

EXPLANATIO.

a *Et factum est.*) Rege Ozia vidit Esaias ea, quæ primis quinque capitibus scripta reliquit: quo mortuo regnauit Ioatham filius eius, sub quo vidit Propheta ea, quæ sexto capiti mandauit. Cùm verò Ioatham migrasset ex vita, obtinuit regnum filius eius Achaz, homo impius & flagitiosus: qui relicto vero Deo, contempto diuino cultu, ad prophanos gentiũ ritus animum transtulit, fictos commentitiosque deos turpiter coluit, & in religione violanda impias fraudes concepit. Ideò eum Deus meritò oppressit, 2. Para. 28. & afflixit. Nam, vt diuina asserit historia, fuit à regibus Syriæ & Samariæ, & à Palestinis victus & immaniter vexatus. Hostes eius non tã suis viribus, quàm eius sceleribus pugnantes eum vicerunt, eiúsque gẽtibus magnam cladem intulerunt, de quibus magnas victorias reportarunt. Aequum enim fuit, vt qui Deum dereliquerant, suæ impietatis pœnas luerent. Sed omnia hęc bella voluit Propheta silentio transire. Illud tantummodo refert, in quo Rasin rex Syriæ & Phacee rex Samariæ memores superioris victoriæ, prædaque magnitudine excitati de euertenda Hierosolyma conspirarunt. At liberauit tunc Deus regem

A gem Achaz cum populo Iuda, quoniam sæpe vbi deest præsidium humanum, ostenditur diuinum. Habes
4.Reg.16 hanc historiam quarti libri Regum capite sextodecimo. Illud est animaduertendum, Rasin sonare voluntatem: Phacee verò, aperientem. Qui voluntatem aperit, eique finem proponit, intellectus est: nam voluntas ex se cæca est. Hæ igitur duæ potentiæ depraua tæ voluntas & intellectus vrbem Hierosolymam, hoc est pacis visionem, animíque tranquillitatem conturbare & expugnare contendunt: seddiuino præsidio vincuntur.

b *Et nuntiauerunt domui Dauid.*) Hoc est duabus tribubus Iudæ & Beniamin sequentibus domum Dauidis. Rex Iuda est rex duarum tribuum. Rex Israel, rex Ephraim, rex Samariæ, rex decem tribuum, idem est.

c *Requieuit Syria super Ephraim.*) Id est exercitus Syriæ coniunctus est cum exercitu decem tribuum.
1.Reg.7. Similis Hebraismus est libri primi Regum capite septimo: *Requieuit omnis domus Israel post Dominum*, Id est, adhæsit illi.

d *Et commotum est cor eius.*) Timuerunt tam rex Iuda quàm populus, & veluti arborum folia ventorum flatibus agitata contremuerunt.

e *Egredere in ocursum Achaz.)* Imminebãt hostes, & in illud discrimem vẽtum erat, vt ex eorum manibus euadere nemo crederet. Debilitatis ergo Iudæis & animo cadentibus voluit Deus suam ostendere potentiam. Hinc colligimus nunquàm esse de-
B diuino præsidio desperandum. Quin potius cùm fuerimus in afflictionibus, ærumnisque versati, & in periculis constituti, debemus animum erigere, in Deóque spem omnem & fiduciam collocare. Ipse
Gen. 11. enim qui eripuit Abrahamum à Chaldęis, Susannã
Gen. 19. à falso testimonio, Danielem à lacu leonum, tres
Gen. 37. pueros à camino ignis ardentis, beatum Petrum à
Dan. 13. carcere, beatum Paulum à naufragio, qui denique
Dan. 14. eum firmo atque erecto animo inuocantibus opem
Dan. 3. tulit, quomodo nos in periculis & calamitatibus
Act. 12. derelinquet, si eius præsidio confidentes ad ipsum
Act. 27. tanquam ad arcem munitissimam confugerimus?
2.Cor. 11 Ait enim diuinus ille vates & clarissimus rex Dauid:
Psal. 64 *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem iusto.* Vbi *pro cura tua*, est in Hebraico *iehauecha*: quæ dictio præter alia onus siue pondus significat. Omnes qui tali pondere premuntur vocat Christus apud Matthęum
Matt. 11. inquiens: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ne igitur ob afflictionũ pondera desperemus, cùm subleuatorem Deum habeamus, qui nos clamantes ærumnarum aquis agitatos earúmque pondere submersos absque dubio eri-
Psal. 17. piet. Hoc sentiebat Dauid, cùm ita canebat: *Assumpsit me de aquis multis: eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me, quoniam confortati sũt super me. Præuenit me in die afflictionis meę, & factus est*
Psal. 90. *Dominus protector meus.* Et alio in loco inducit Deũ in hunc modum aientem: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.*

C f *Iasub filius tuus.*) Hinc colligunt nonnulli alium filium habuisse Esaiam, qui se ad hostes contulerat, quẽ dicunt esse Rabsacẽ, de quo postea agetur c. 36.

g *Ad extremum aquæductus piscinæ superioris.*) Duæ erant piscinæ siue cisternæ Hierosolymæ propter fontium inopiam. Ex vna quæ erat in parte superiore extra ciuitatem, quæ ob eam causam superior appellabatur, veniebat per aquæductum aqua ad alteram, quæ erat in ciuitate, & appellabatur inferior. In extremo huius piscinæ superioris erat Achaz fortasse prouidens ne eam hostes euerterent, cùm Esaias ad eum accessit.

h *Vide vt sileas.*) Id est, noli timorem tuum verbis D
ostendere. Vel, noli Deum tuum blasphemiis lacessere.

i *Cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium.*) Id est, ne timeas regem Syriæ & Samariæ, qui propter iram, superbiam, & furorem titionibus incensis atque fumigantibus comparantur. Caudas appellat Propheta extremitates, vbi ignis est in torribus. Et fortasse hos reges caudis comparauit, quia in illis finitum fuit regnum Syriæ & Samariæ. Tu verò considera, eos qui rempublicam gubernant, si sint sceleribus contaminati & obstricti, titiones esse non lucentes, sed comburentes & fumigantes. Contrà verò principes illi atque præsules, qui vitam ad certam rationis normam dirigunt, iustitiámque humanis opibus anteponunt, virtute, vita, & exemplo mundum illuminant: & eam ob causam lux mundi rectè appellantur. Ita Christus Deus Matt. 5.
noster Apostolis dicebat: *Vos estis lux mundi.* Aspicis igitur & animo percipis, quæ sit inter bonum & malum principem & præsulem differentia. Bonus lux est splendens, ardens, illuminans: iniquus verò torris est siue titio, vt hîc à Deo appellatur, nullum splendorem emittens, sed comburens, exulcerans, oculos aggrauans, & ad lachrymas prouocans, & totam denique domum, hoc est, totam congregationem contaminans & nigredine afficiẽs. Et aduerte. Non cõparatur iniquus gubernator titioni ex vna tantùm cauda fumiganti, sed ex vtraque: quoniam nulla parte eum poteris accipere quin comburaris. Si eum
mones, exulcerat te, vehementérque opprimit. Si E
eum laudas adulationibúsque fallis, tu teipsum perdis, & animo tuo perniciem moliris. Sed melius est vt in afflictiones incidas, & corpore crucieris, dummodò non discedas à virtute, neque deiiciaris à gradu constantiæ, quàm vt per flagitia perpetuum principis fauorem consequaris. Est enim talis fauor ve- *similitudo*
luti hedera arborem amplectens caducam, corruptis defixam radicibus, ruinam cotidie minantem. Nam etsi princeps dum vixerit, te amore & fauore prosequatur, tamẽ fluxus est, infinitis periculis expositus: & velis nolis est è vita excessurus, & tu corrues fauore destitutus, ex illius gloriæ, quam perpetuam putabas, gradu præcipitatus. Tu verò qui subditus es, mundi fauorem non curans, ne timeas iniquos principes & præsules, si ad Deum aspiraueris, in eóque spem tuam posueris. *Non formidet cor tuum à duabus caudis titionum fumigantium.* Nam *si Deus pro nobis*, vt Rom. 8.
ait Apostolus, *quis contra nos?* Sed dic cum Dauide, Psal. 26.
Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Et alio in Psal. 14.
Psalmo: *Quoniam in te eripiar à tentatione.* Etquamuis te hostium furor inuadat, tranquilla tamen mente consiste. Nam si iustitiam coleueris & pietatem, quis te poterit veri honoris ornamentis spoliare? *Iustus*, vt ait diuinus psaltes, *vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Habes pro te Deum, de quo Psal. 91.
canit idem vates: *Liberabit pauperem à potente, & pau-* Psal. 71.
perem cui non erat adiutor. Non est in mundo qui valeat virum iustum virtutúmque mœnibus munitum F
lędere & à gloriæ altissimo gradu præcipitare. Vide quid Deus dicat Ieremiæ: *Ego quippe dedi te hodie in* Ierem. 1.
ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram. Vbi vides virum sanctum cum ciuitate munita, columna ferrea & muro æreo comparari. Amos propheta capite septimo ait Amos 7.
se vidisse Dominum super murum litum: vbi Diuus Hieronymus per hunc murum Apostolos intelligit, cæteróque viros sapientia atque virtute præstantes. Ibi enim Septuaginta interpretes pro muro lito murum adamantinum, ob sanctorum firmitudinem & constantiam interpretantur.

ANNOTATIONES EX Hebræo in CAPVT VII.

Iaxub. 1 Et qui derelictus est Iasub filius tuus.] *Pro Iasub in Hebraico est* שׁוּב, *à verbo* שׁוּב, *quod significat conuertere. Sonat igitur Iaxub conuertetur. Voluit hoc nomine significare reliquias Iudæorum esse ad Christum cõuertendas. Præcepit Deus Esaiæ, vt Filium suum Iaxub assumeret, vt nominis significatione rei euentum significaret*

1 Si non credideritis, non permanebitis.] *Nempe in regno. Pro credere & permanere in Hebraico est vnum atque idem verbum, nimirum* אשׁר *aman Sed priori loco est tertiæ coniugationis vocis actiuæ, quæ appellatur hiphil, & significat credere: Secundo verò loco est primæ coniugationis passiuæ, quam appellant niphal, & significat esse firmum, certum, stabilem, & permanentem. Ideò rectè vertit interpres noster:* Si non credideritis, non permanebitis. *Et quoniam qui firmi certique sunt in re aliqua, eam intelligere censentur, ideò adducti hac ratione v rterunt Septuaginta interpretes:* Si non credideritis, non intelligetis. *Quasi illis dicat propheta: Nisi Dei verbis fidem adhibueritis, vera intelligentia carebitis. Vbi aspicis infideles omnes esse vera intelligentia sapientiáque destitutos. De illis enim ait in hunc modum Diuus Paulus in epistola ad Romanos.* Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens or eorum. Dicẽtes enim se esse sapientes stulti facti sunt. *Diuus Augustinus inquit intellectum esse præmium fidei. Et rectè quidem. Est enim perspicuum, fidem illuminare, admirabilémque intelligentiam tribuere. Pagninus vertit:* Si nõ creditis, est, quia non estis stabiles. *Hoc est, Ideò mihi non creditis, quia non estis in solido fidei fundamento constituti. Potest verti:* Si non credideritis, non eritis stabiles, *vel fideles, vel fortes, vel perseuerantes.*

2 Et non tentabo Dominum.] *Pro tentabo est in Hebraico* אנסה *anasseh, à verbo* נסה *nasah, quod significat tentare. quam significationem secutus est noster interpres. Potest esse à verbo* נסס *nasas, quod significat extollere & exaltare. Ideò poterat verti:* & non exaltabo Dominum.

3 Ecce virgo cõcipiet.] *Pro virgine est in Hebraico* עלמה *almah, quod nomen significat virginem. Et non solùm hoc in loco, sed etiam in capite vigesimoquarto Genesis, vbi in Hebraico est hęc dictio* עלמה *vertit interpres Latinus virginem, inquiens:* Virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam. *Et lingua Punica, quæ vt ait Diuus Hieronymus, de Hebræorum fontibus manare dicitur, almah virginem significat. Et Septuaginta interpretes natione Hebræi, & apud Hebræos, & clari in primis, linguáque Græca peritissimi verterunt hoc in loco* ἡ παρθένος, *quod nomen propriè virginem absque dubio significat. Nihilominus tamen audent nunc Iudæi asserere hoc non intelligi de virgine, sed de vxore Esaiæ, quanquam ex illis nonnulli dicant esse de vxore regis Achaz intelligendum, quarũ vtraque virum cognouerat, neque volunt fateri hoc nomen virginem significare: imò omnes Septuaginta fuisse hoc in loco deceptos asseueranter affirmant, suorúmque Rabbinorum antiquorum commentarios, in quibus pro* עלמות *alamoth* בתולות *betuloth interpretãtur, omnino reiiciunt. Dictio enim bethuloth sine vllo dubio virgines significat, vt ipsi facilè confitentur. Quam falsa & inepta sint horum Iudæorum interpretationes, in explanatione ostendimus. Deriuatur hac dictio almah à verbo* עלם *alam, quod significat latere & abscondere. Vnde significat non quamcunque virginem, sed eam, quæ est absconditа, de cuius integritate dubitare nemo possit: & quæ est non vetula, sed adolescentula. Ideò* La.inus interpres *in primo Canticorũ capite vertit:* Adolescẽtulæ dilexerunt te. *Vbi in Hebraico est alamoth, & in commentario Hebraico exponitur bethuloth. Et in Prouerbiis capite trigesimo vbi scriptum est:* Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia, *pro adolescentia debet esse in adolescentula, siue in virgine: est enim in Hebraico idem vocabulum almah, & ita habent nonnulli codices Latini. Sed vitio typographorum effectum esse existimo, vt pro adolescentula deprauatè scriberetur adolescẽtia. Hoc mysterium ait Salomon sibi fuisse occultũ & arcanum. Quis est hic homo, cuius viam in virgine adolescentula & absconditа ignorabat Salomon, nisi Christus de Spiritu sancto conceptus, & de virgine sanctissima Maria admirabiliter natus? Hanc vnicam inexplicabilémque generationem nõ poterat humano intellectu percipere Salomon. Quamuis enim intelligeret concepturam esse virginem, Emanuelém que parituram, viam tamen & inenarrabilem modum comprehendere nequaquam poterat. De qua dicebat Esaias capite quinquagesimotertio:* Generationem eius qui enarrabit?

Gene. 24.

Esa. 53.

Argumentum capitis VIII.

Describit diuinus vates admirabilem sanctissimæ virginis Mariæ partum. Id quod fecerat capite superiore. Celebrat victoriam, quam Christus erat de dæmone reportaturus. Vaticinatur venturas esse Assyriorum copias in Iudæam, totámque regionem excepta Hierosolyma, vastaturas. Prædicit Syriæ & Samariæ excidium & vastitatem. Hortatur populum suum ad Dei timorem, verámque religionem amplexandam. Præcinit Christum fore eum timentibus & colentibus in sanctificationem, in petram autem offensionis impiis Iudæis, ipsius Christi Dei nostri diuina opera damnantibus, eúsque gloriam deformare atque extinguere cupientibus. Piorum enim animos erigit Deus, & ad altissimam dignitatem extollit, & ad vitam tandem æternam perducit. Illi autem qui se vitiis dediderant, eorúmque se quasi ministros præbuerunt, Christi sanctissimis operibus offenduntur. Quo fit vt ad æternas miserias præcipites ruant. Tandem docet vanos esse ariolos, tollendámque esse omnem superstitionem, & ad sacram Dei legem confugiendum.

CAPVT VIII.

ET[a] dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis.[b] Velociter spolia detrahe, citò prædare. Et[c] adhibui mihi testes fideles: Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ: &[d] accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius, Accelera-spolia-detrahere, Festina prædari. Quia[e] antequàm sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci: &[f] spolia Samariæ coram rege Assyriorum. Et adiecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens: [g] Pro eo quòd abiecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio & assumpsit magis Rasim, & filium Romeliæ, propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorum, & omnem gloriam eius.

eius. Et ascendet super omnes riuos eius & fluet super vniuersas ripas eius, & ibit per Iudam inundans, & transiens vsque ad collum veniet. Et erit extensio alarum eius implens latitudinem terræ tuæ ô Emanuel.

EXPLANATIO.

a *Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem.)* Vult Propheta iis verbis ostendere, rem hanc quam vult consignare literis, & mandare monimentis, magnam esse, dignamque absque dubio quam nulla vnquam deleat obliuio. Cur enim ad tam pauca verba scribenda, erat librum magnum sumpturus, nisi vellet mysterij magnitudinem significare? Nam quod maius illustriúsque mysterium esse potest, quàm virginem concipere, eúmque parere, qui est verus Deus & verus homo, hominum generis restaurator, ipsius matris, quæ eum genuit, creator, totiusque mundi redemptor? Est etiam altera causa ob quàm iussit Deus esse librum magnum, nempe vt posset ab omnibus videri, ne ob eius paruitatem se aliquis excusaret. Et eam ob causam præcepit Esaiæ, vt scriberet stylo hominis, hoc est manifesto, & verbis humanis, literisq; notis, vt omnes possent id, quod erat scribendum, intelligere. Et hanc rationem affert Ionatham in Thargum. Voluit Deus etiam hac in re suam erga homines clementiam significare. Idem præcepit Prophetæ Habacuc in hunc modum: *Scribe visum, & explana eum super tabulas, vt percurrat qui legerit.* Ac si diceret: Scribe vaticinationem, eámque planè explicat, vt qui legerit, possit eam facilè intelligere. Haba. 2.

b *Velociter spolia detrahe, cito prædari.)* Hæc est Prophetia, quam Esaias in libro magno scribere iubebatur. Vide quàm pauca verba, sed cõsidera quàm sublimia mysteria in illis includantur. Capite superiore prædixit sanctus vates nomen & admirabilẽ Emanuelis natiuitatem: nunc alia eius nomina, verbis quidem differentia, sed re idem significantia, scribit: quibus nostram à dæmone liberationem significant. Est igitur is cẽsus. Hactenus diabolus homines oppressit, huiúsque mundi principatum obtinens exercuit tyrannidem immanissimam, Sed ipse eiicietur foras. Ideò tu puer ô Emanuel detrahe velociter eius spolia, aufert homines ab eius potestate & miserrima seruitute, ipsi enim sunt spolia, quæ es ab illo ablaturus: ea cito eripe, ipsumque dæmonem prædare: non vltrà eum regnare patiaris. Id fuisse à Christo saluatore nostro factum, & hanc vaticinationem impletam, ipsa Euangelia asserunt, nos planè cognoscimus. Non existimes hanc Christi victoriam fuisse tunc primò ab Esaia prenuntiatam: nam in mundi principio fuit à Deo prædicta, & postea à Moyse literis contestata. Cùm primùm nostri primi parentes ob diuini præcepti transgressionem in grauissimum crimen incidissent, ita Deus serpenti, qui Euam seduxit, & in posteritatem fuerat crudelissimum excidium machinatus, allocutus est: *Inimicitias ponam inter te & mulierẽ, & semen tuũ & semẽ illius, & ipsa cõteret caput tuũ.* Vel, vt est in Hebraico, *& ipsum conteret caput tuum.* Quę est hæc mulier, nisi virgo sãctissima Dei genitrix Maria? Quid per eius semen, nisi Christus Deus noster intelligitur? Hunc dicit esse dæmonis caput cõtriturum. Cui existimas reseruatam fuisse hanc victoriam, nisi Christo Deo nostro, qui spolia detraxit ab hoste antiquo, eiusque caput contriuit, hominumque genus ad veram dignitatem & amplitudinem reuocauit? Communis versio attribuit virgini Mariæ hanc victoriam, dicens: *Et ipsa conteret caput tuum.* Esa. 53. Gen. 3.

Quoniam ipsa Christum genuit, qui eam victoriam de dæmone reportauit, vt nos ad vitam perduceret beatam & immortalem. At litera Hebraica ad virginis fructum hanc victoriam refert. Non enim dicit: Et ipsa, sed, *Et ipse*, nimirum virginis fructus. Et ita transtulit Pagninus, & nonnulli alij.

c *Adhibui mihi testes fideles.)* Scripsi ea, quæ mihi præcepit Deus, & assumpsi testes magnæ fidei & integritatis, nempe Vriam sacerdotem & Zachariam filium Barachiæ, viros claros, qui magnam celebritatem sermonis hominum fuerant consecuti. Hi certò sciunt me sumpsisse librum magnum, cui ea quæ mihi Deus præceperat, mandaui. Vrias sonat illustrationem siue illuminationem Dei. Zacharias verò Dei memorem siue memoriam. Hi enim sunt fideles testes, qui à Deo illuminantur, eumque memoria tenent. Ex quo colliges non esse eos integros testes, qui in ignorantiæ peccatorumque tenebris versantur, Deúmque obliuiscuntur, neque veritatem neque iustitiam colentes. Christus apud Ioannem in sermone illo amoris plenissimo, quem habuit inter discipulos suos imminente tempore, quo erat acceptis grauissimis contumeliis ex hoc mundo ad patrem transiturus, hæc verba fecit: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis, quia initio mecum estis.* Ac si diceret: Testimonium, quod de me tribuetis ô discipuli mei, fidele erit & incorruptum, quoniam eritis Spiritu sancto incensi, & ea testificabimini, quæ vidistis, quoniam ab initio mearum concionum, meorumque miraculorum mecum estis. Vbi vides idoneos & approbatos testes, eos esse, qui & iusti sunt, & ea, quæ testantur, certò sciunt. Debet iudex considerare sint ne testes integri an deprauati, nimiáque affectione corrupti. Vt enim solis radius per vitrum variis depictũ coloribus ingrediens, vitri colores, nõ autem suum representat, vt cùm sol sit vnus atque idem, diuersus tamen pro colorum varietate appareat: sic homo affectu corruptus, non veros atque natiuos colores rebus tribuit, sed qualis est eius affectio tali colore rem ipsam depingit: vt cùm vnum atque idem sit factum, in hoc illud laudet, in alio verò vituperet, ingrediens enim iudicium per affectum, ipsius affectus colorem ostendit. Ex quo consequitur vt eius testimonium aliorum facta sæpenumerò deprauatè representet. Prudentet equidem Agesilaus vt est apud Plutarchum, quoties audiebat aliquos de aliorum aut laude aut vituperio testimonium dicere, existimabat non minus esse inquirendos & discendos eorum mores, qui loquabantur, quàm eorum, de quibus verba faciebant. Ioann. 15. *Iudicis munus.* *similitudo*

d *Accessi ad prophetissam.)* Postquam ex Dei præcepto, inquit, scripsi in libro magno mysterium redemtionis humanæ per Christum, & adhibui mihi testes fideles, accessi mente ad prophetissam illam virginem Mariam sacratissimam, & diuino lumine illustratus vide fore, vt ipsa conciperet & pareret, integra & inuiolata virginitate permanente. Et dixit mihi Deus: Filius huius virginis est puer ille, qui vocabitur Emanuel. *Tu etiam vocа nomen eius accelera, spolia detrahe,*

trahe, festina prædari. Accelera spolia detrahe, siue spolia pertrahere, est vnum nomen, festina prædari alterum, sed in idem recidens. Voluit Deus his nominibus ostendere esse Christum magna cum festinatione à dæmone, mundum erepturum.

e *Antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam.*) Confirmatio est eius, quod dixerat, esse Christum cum magna festinatione mundum à dæmonis fauce erepturum, Quasi dicat: Priusquam Emanuel humanitate assumpta ad id perueniat ætatis, in qua pueri sciunt vocare patrem & matrem, auferet atque destruet mundi fortitudinem & sapientiã. Nam quid aliud fuit Christi natiuitas eiúsque in mundum aduentus sine humanis armis, sine copiis & hominum exercitibus, sine bellico apparatu, quàm inanis mundi fortitudinis euersio? Voluit statim in infantia Christus indicare nulla arma, nullam mundi fortitudinem, nullas hominum munitiones, tantam habere firmitudinem, vt in illis fiduciam collocaremus: sed in Christi fide charitate formata, in vera religione, in mundi contemptu, in perpetua virtutis constantia esse veram fortitudinẽ cõstitutam. Quid aliud fuit nasci Christum inter paleas & fœnum, & reclinari à virgine sanctissima in humuli præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio, vt ait Euangelista, quàm humani fastus, inanis gloriæ, hominum põpæ, & huius mundi sapientiæ, apertissima damnatio? Luc. 2. Quid aliud fuit nasci in itinere & in diuersorio, nisi docere vitam hanc viam esse & diuersorium, non permanens domicilium? Quid aliud fuit illa profunda humilitas quàm mundi superbiæ & iactantiæ clarissima improbatio? Quid aliud fuit illa summa paupertas, quàm humanæ prosperitatis, fluxarúmque opum inconstantium in casúmque sitarum contemptio? In illa inopia voluit delitescere summus ille omnium rerum opifex, amplissimúsque cœli moderator & rector qui naturam vniuersam immensa virtute coërcet & continet, totius vniuersi inuictissimus imperator, vt doceret fundamentum Christianæ philosophiæ, veræque religionis initium in rerum humanarum contemptione ac despiciẽ ia consistere: nósque ad cœlestis patriæ desiderium firmissimãmque æter- 2. Cor. 2. nitatis spem & fiduciam excitaret. Cùm igitur Christus natus, est statim incœpit auferre fortitudinem Damasci. Stultam enim fecit Deus huius mundi sapientiã. Et vt verbis vtar Apostoli, *quæ stulta sunt mũdi, elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit, & ea, quæ non sunt, vt ea, quæ sunt, destrueret.* Vocat hoc in loco Diuus Paulus ea, quæ non sunt, res illas, quæ nullius esse momenti videntur, & pro nihilo putantur. Si attentius velimus intueri, videbimus apertissimè summam fuisse Christi saluatoris nostri in mundi restauratione celeritatem. Luc. 2. Matth. 2. Cum primùm natus est in mundo, cœpit saluum facere mundum. Statim adduxit ad se pastores, qui angelis concinentibus Christúmque nuntiantibus ad præsepium peruenerunt: & Magos Orientales ex distantibus prouinciis ad se velociter perduxit: vt significaret non solùm Iudæorum reliquias, quę per pastores Iudæos significabantur, sed etiam gentes, quarum primitiæ erant magi illi Orientis, esse salutem consecuturas. Cùm rex aliquis vult principem filium suum designare regem, conuocat vrbium legatos, qui iurent se esse principi obtemperaturos. Fiunt conuentus, & designatur rex. Constitutus est Christus rex à Deo patre, iuxta id, quod ipse de se ait in Psalm. 2. Psalmo: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Quod intelligitur quatenus ille homo est: Nam natura diuina Christus æqualis est Patri, sempérque regnum obtinuit. Venerunt totius orbis legati, pastores ex Iudæis, & Magi ex gentibus, vt hunc regem recognoscerent & adorarem. O fœlix Bethleem! ô amplissimum atque excelletissimum diuersorium! ô domus panis! id enim significas, vbi natus est panis ille viuus, qui de cœlo descendit? vbi facti sunt conuentus cœli & terræ, & verus totius vniuersi princeps & rex à Iudæis & gentibus, & angelis, reliquísque cœlitibus recognoscitur & adoratur? In te natus in tempore ille, qui est sempiternus cœpit velocissimè mundum restituere. At sentienda quidem est, omníque lachrymarum abundãtia sæpenumerò deploranda obliuio nostra, qui Deo acceleranti & festinanti vt nos liberet & seruet, nõ occurrimus, sed in nostra ignauia & pernicie torpemus. Consideremus Dei celeritatem & nostram desidiam, Dei solicitudinem & nostram inertiam. Cur non festinamus, si Deus festinat? Quid respondebit nostra socordia Christi velocitati? Venit Deus in mundum, & dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt nos eriperet à præsenti sæculo nequam, vt verbis Paulinis vtar in epistola ad Galatas, *& nos iterum atque iterum vinculis nosipsos astringimus, & in desidia nostra permanemus.* Acceleremus igitur, & accinctis renibus nostris, baculos manu tenentes, vt Deus in Exodo præcipiebat, comedamus festinantes. Et, vt ait Diuus Paulus in epistola ad Hebræos, *festinemus ingredi in illam requiem, vbi Dei visione in æternum fruamur.*

Ioann. 6.

Gala. 5.

Exod. 12. Heb. 4.

f *Et spolia Samariæ coram rege Assyriorum.*) Auferet Emanuel spolia Samariæ: hoc est, homines mundi à diaboli potestate coram ipso diabolo, idem dicit alio in loco idem Propheta iis verbis: *Ideò dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia.* Idem etiam Christus apud Lucam significauit ita dicens: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autem fortior illo superueniens vicerit eum vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Hæc spolia sunt homines, quos Christus à dæmonis potestate ereptos distribuit. Nam ipse, vt ait Diuus Paulus in epistola ad Ephesios, *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores.* Vicit igitur Christus dæmonem, eúsque captiuitate sibi captiuauit, & in cœlum adduxit. Id quidem est, quod ait Apostolus in eadem epistola: *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* Hoc est homines, qui antea erant spolia Samariæ, ab exilio ad cœlestem patriam adduxit. Quod Dauid multò antea cecinerat quamuis & hoc ita sit, existimo tamen hoc etiã de materiali Samaria & Damasco ciuitate Syriæ dictum esse. Prædicit enim his verbis Prophetam victoriam, quam Assyriorum rex de Syria & Samaria reportauit, quod fuit prius, quàm puer sciret vocare patrem & matrem, hoc est, prius quàm Christus nasceretur. Sed hæc victoria significabat Christi victoriam, qui erat de diabolo mundo, & morte triumphaturus. Quod factum fuit, quando multi ex Iudæis, pluréseque ex gentibus in Christum crediderunt, & repudiata superstitione, ad veram pietatem & religionem animũ applicuerunt, séque Christo libenter dedicarunt. Iudæi per hanc prophetissam intelligunt, vt dixi, vxorem Esaiæ: ad quam dicunt eum coram fidelibus testibus Vria & Zacharia accessisse, ex eóque congressu filium genuisse, qui vocatus fuit, *Accelera, spolia detrahere, festina prædari.* Sed quis non videt Iudæorum impudentiam? qui Esaiæ prophetæ sanctissimo eam turpitudinẽ tribuunt, quã ne lenones quidẽ admitterẽt? Quî enim fieri potest vt modestissimus sanctissimúsq; vates corã hominibus venereum actum exercuisset? cùm non dicam homines, sed etiam quædam bruta

Infrà 53. Luc. 11.

Ephes. 4.

Ephes. 4.

Psal. 67.

bruta animalia nolint cum fœminis congressum habere nisi in locis abstrusis, ab hominúmque conspectu remotissimis? Id enim de elephantis & camelis Aristoteles libro quinto de natura animalium capit. secundo scribit. Præterea puer natus ex tali congressu natus fuisset decem & nouem annos, cùm Samaria euerteretur. Illa enim, vt constat ex quarto Regum, & secundo Paralipomenon, euersa fuit anno sexto regis Ezechiæ: puer autem, si verum est, quod dicunt Iudæi, conceptus euit secundo anno Achas regis Iuda. Inter annum autem secundum Achas & sextum Ezechiæ, si rectè computes, inuenies viginti annos interfluxisse. Quomodò igitur fieri posset, vt puer nesciret vocare patrem & matrem iam natus annos saltem decem & nouem? Ex quo apertissimè colliges falsam commentitiámque esse hanc Iudæorum opinionem, neque posse cum ratione, neque cum scripturarum veritate cohærere. Est igitur hæc prophetissa virgo illa sanctissima Dei genitrix Maria, de qua dixerat superiore capite: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* Ad hanc accessit mentem diuinus noster vates, eam fuit animo contemplatus Christum parientem, & in virginitate perseuerantem.

4. Reg. 17 & 18. 2. Par. 32

g *Pro eo quod abiecit populus iste aquas Siloe.*) Prædicit euersionẽ Iudææ per Assyrios. Quasi dicat: quoniam populus Iudæ, cuius regnum est veluti fons Siloe leniter fluens, suũ negligit statum, & spem non in diuino præsidio, sed in regibus Syriæ & Samariæ ponit, iisque vult se subiicere, qui sunt velut fluuij magni & impetu omnia secum rapientes, ego adducam super eum aquas fluminis rapidissimi, quæ in totam terram se fundant, hoc est potentem immanémque Assyriorum regem, qui totam terram vastet & populetur. Hoc ideò dicit, quia multi ex regno Iuda fauebant regibus Syriæ, & Samarię quos videbant potentes, eósque sibi reges constituere volebant. Siloe est fons lenis & innoxius ad radices montis Sion, cui regnum Iuda, quod fuerat à Deo constitutum, comparatur. Animaduerte. Iudæi volebant eligere reges Syriæ & Samariæ, illisque subiici. At Deus eos non illis, sed regi Assyriæ seruire fecit. Colligas hinc eos, qui illis nolunt subiici, quibus Deus vult, sed diuinæ voluntati nequaquam obtemperantes, alios eligunt, quibus se subiiciant, postea aliis seruire, qui eos opprimant & affligant. Aequum enim est, vt quoniam illi non vis subiici, cui Deus vult vt subiiciaris, ei sis subiectus, cui subiici nequaquam velles. Quomodo vis vt tibi Deus pareat, si tu illi non vis parère? Fac quod vult, & faciet quod vis. Illud est præterea obseruandum Siloe sonare missum: missus autem Christus fuit, ita enim ait Diuus Paulus in epistola ad Galata: *Vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suũ, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant redimeret.* Est igitur huius loci sensus: Quoniam Iudæorum populus contempsit & abiecit Messiam à patre missum, & voluit potius scribis & Pharisæis adhærere, ideò eum Deus tradet Romanis, qui eum summis calamitatibus premant. Hic est fons ille cuius aqua cæci oculos aperuit, vt est apud Ioannem c. nono. Volens enim Euangelista significare, per fontem illum Christum intelligi, adiecit nominis interpretationem, dicens: *Siloe missum sonare.* Et namque Christus fons ille, de quo aiebat regius vates cum patre loquens: *Aqua te est fons vitæ.* Et Zacharias propheta: *In die,* inquit, *illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatorum.* Fons vitæ, qui tollit peccata mundi, missus à patre fuit, vt cæcorum oculis mederetur. Quis est ille qui mentis oculorum tenebras aufert, nisi Christus saluator noster? Si hunc fontem contempseris, cæcus permanebis, nullo diuinæ gratiæ splendore illustrastus, & regi Assyrio, hoc est diabolo huius mundi principi subiicieris, à quo immaniter vexaberis. Si vis lumen oculorum recipere, confuge ad hunc fontem, & detersa cæcitate clarum lumen recipies. Fluit eius aqua leniter, absque strepitu & clamore, quod Christo conuenire indicat locus Esaiæ capite quadragesimo secundo ita habens: *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius.* Quem locum Diuus Matthæus duodecimo capite sui Euangelij de Christo interpretatur. Illud est hoc loco aduertendum, eos reprehendi, qui clamoribus & contentionibus vtuntur, aquásque Siloe quiete & in silentio fluentes contemnunt. Vt enim in templi Salomonis structura neque audiebatur malleus, neque securis, vt in primo Regum libro literæ diuinæ testantur, sic in Ecclesia Christi templo celeberrimo & amplissimo nullæ debent esse iniquæ lites, altercationes, & tempestates: sed modestia, tranquillitas, & charitas.

Ioan. 9.

Psal. 35. Zac. 13.

Infrà 42. Mat. 12.

3. Reg. 6. simile.

h *Vsque ad collum veniet.*) Id est, vsque ad Hierosolymam, vsque ad quam venit rex Assyrius, sed eam non euertit, quoniam voluit eam Deus tunc seruare. Appellatur autem Hierosolyma collum Iudææ, quòd sit in loco alto sita. Et voluit diuinus vates in assumpta translatione permanere. Comparauit immanem Assyriorum regem aquis inundantibus, omnia secum rapientibus: nunc autem volens earum altitudinem significare, ait totum corpus Iudææ præter caput esse aquis cooperiendum, eásque vsque ad collum accessuras. Per caput cum collo, Hierosolyma intelligitur.

i *Et erit extensio alarum eius.*) Copias & castra regis Assyriorum alas extensas vocat, eiúsque potentiam, innumerabilémque militum multitudinem prædicit. Apostrophe est ad puerum Iesum, quem indicat in terra Iudææ nasciturum esse, cùm Iudæam eius terram appellet.

Ioann. 6.

Gala. 1.

Exod. 12 Heb. 4.

Infrà 53. Luc. 11.

Ephes. 4.

Ephes. 4.

Psal. 67.

Gal. 4.

ANNOTATIONES

ex Hebræo in

CAPVT VIII.

1 Accessi ad prophetissam.] *Pro prophetissa est in Hebraico hanneuiah, cum articulo. Quapropter poteris vertere: Accessi ad insignem illam Prophetissam.*

2 Auferetur fortitudo Damasci.] *Potest verti:* Auferet fortitudinem Damasci, *nimirum puer Emanuel. Id intelligentes Septuaginta verterunt:* Accipiet fortitudinem siue virtutem Damasci in conspectu regis Assyriorum. *Et ita legit Chrysostomus in homilia secunda in Matthæum in opere imperfecto, aut quisquis ille est, qui opus illud composuit. Vbi per virtutem siue fortitudinem Damasci intelligit Magos, sapientes illos Orientales, quos Deus à manu dæmonis eripuit, & accepit. Qui, vt idem author ait, ideò à propheta appellantur fortitudo, siue virtus hoc in loco, quia absque diabolo fortitudo, siue virtus vniuscuiusque prouinciæ sapientes sunt. Per regem autem Assyriorum diabolum intelligit principem dæmoniorum. Quidam vertit:* Tollet copias Damasci. *Pagninus:* Tollet opes Damasci: *quod fere in idem recidit. Quod de nullo puero homine dici potest. Quis enim priusquam sciat vocare patrem aut matrem, imò priusquam nascatur, posset Damascum euertere, eiusque fortita-*

titudinem, copias, diuitias auferre? Est igitur perspicuum non posse hanc vaticinationem nisi de Christo explanari.

A [a] Congregamini populi,& vincimini,& audite vniuersæ procul terræ: confortamini, & vincimini:accingite vos,& vincimini,inite consilium, & dissipabitur. Loquimini verbum,& non fiet quia nobiscum Deus. [b] Hæc ait Dominus ad me sicut in manu forti erudiuit me, ne irem in via populi huius,dicens:Non dicatis:coniuratio. Omnia enim quæ loquitur populus iste,coniuratio est. [c] Et timorem eius ne timeatis,neque paueatis.Dominum exercituum ipsum sanctificate:ipse
Luc.2.c. pauor vester,& ipse terror vester. [d] Et erit [2] vobis in sanctificationem,in lapidem autem offensio-
Rom.9.g. *1.Pet.2.b.* nis & in petram scandali [e] duabus domibus Israel, in laqueum & in ruinam habitantibus Ierusalem.Et offendent ex eis plurimi & cadent,& conterentur, & irretientur,& capientur. [g] Liga testimonium,signa legem in discipulis meis. Et [h] expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à
Heb.2.d. domo Iacob,& præstolabor eum. [i] Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israel à Domino exercituum,qui [k] habitat in monte Sion.Et cùm dixerint ad vos [l] quærite à pythonibus,& à diuinis,qui stridենt in [1]incantationibus suis. [m]: Nunquid non populus à Deo suo requirit visionem pro viuis à mortuis? Ad legem magis & ad testimonium. [n] Quòd si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.Et transibit per eam, & corruet & esuriet,& cùm esurierit,irascetur,& maledicet regi suo,& Deo suo,& suspiciet sursum. Et ad terram intuebitur.Et ecce tribulatio & tenebræ,& dissolutio,& angustia,& caligo persequens,& non po-
B terit auolare de angustia sua.

a *Congregamini populi, & vincimini.*) Alloquitur populos Syriæ & Samariæ, prædicens non esse eos Hierosolymam expugnaturos. Est sarcasmus,quæ figura à rhetoribus appellatur virulenta irrisio. Iubet eos congregari ad pugnandum, negans eos esse victoriam adepturos. Imò eorum irridet conatus. Acsi dicat:Congregate vosipsos,& conspirate de euertenda Hierosolyma. Sed multò inter eueniet, quàm pu-
2.Reg.17 *Gen.38.* *Ioan.11.* tatis. Nam Deus ciuitatem suam seruabit,vos autem vincemini ab Assyriis,& quamuis magna copias congregetis, superabimini tamen vestrúmque consilium dissipabitur,quia nobiscum Deus est. Docet hic locus nihil contra nos efficere posse sceleratorum consilia, si Deum propicium habeamus. Nihil nocuit Dauidi consilium Achitophelis,neque Iosepho consilium suorum fratrum,neque Christo saluatori nostro consilium Scribarum & Pharisæorum. Vnde enim existimabant eius splendorem maculare, nomínque extinguere,inde venit,vt eius gloria clarius innotesceret, & in omni orbe terrarum illustrissima laude celebraretur. Et ipsi Iudæi ceciderunt in miserias acerbissimas,& abiectissimi ab omnibus irridentur,omni gloria & decore spoliati. Et quamuis te homines nefarij oppugnent, nequaquam tamen vincent,si fueris virtutibus veluti muro septus, diuinóque præsidio munitus. Ita enim ait Deus apud Ieremiam: *Bellabunt aduersum te,& non præualebunt, quia ego tecum sum,vt liberem te. Deus,* vt ait Iob, *comprehendit Sapientes in astutia eorum, & consilia prauorum dissipat.* In prouerbiis ait Salomon: *Non est sapientia, non est prudentia,non est consilium contra Dominum.* Et eius pater Dauid,*Dominus*,inquit,*dissipat consilia gentium.* Etsi viri iusti videantur aliquando ab iniquis superari,ipsi tamen de iniquis triumphant.Cùm Pa-
Ierem. 1. *Psal. 32.* læstini Hebræos propter eorum scelera superarent, Deíque arcam secum asportarent, in templúmque idoli sui Dagonis inferrent, euenit, sacra referente historia, vt surgentes diluculo altero die Azotij inuenirent Deum suum Dagonem in terra ante arcam
1.Reg.5. iacentem,& alio die scissum & confractum. Quando existimabãt esse arcam Dei abiectam & victam, suóque idolo subiectam,ipsam inuenerunt superantem, idolúmque ante se fractum & prostratum habentem, de quo mirabiliter triumphabat. Aspicis hic apertissimè gloriam Dei eminere; etiam cùm abiecta esse creditur, virtutémque victoriam obtinere, etiã cùm *similitudo* victa esse existimatur. Voluit Syria cũ Samaria Hierosolymam euertere,at Hierosolyma euasit superior, & ipsæ fuerunt euersæ & in summis calamitatibus constitutæ. Vt enim fluctus maris fortem ingentémque rupem ferientes, ibi illiduntur, nihil aliud efficientes quàm seipsos frangere & in spumas inanes conuertere,manente rupe immobili & stabili,sic qui iustum atque pium virum volunt impugnare,spumas suæ iracundiæ & inuidiæ ostendunt: sed nihil aliud efficiunt,quàm seipsos frangere & atterere,perseuerante verò iusto in virtute & constantia nullam gloriam,virtutis atque constantiæ præmium,amittente. Quid enim amittere potest, qui in perpetua honestatis firmitudine etiam percussus & afflictus perseuerat? Et ob eã causam palmæ perpetua viriditate flo- *Psal. 93.* renti,séq; aduersus pondus mirabiliter eleuanti,à di- *simile.* uino vate comparatur. *Iustus*,inquit ille,*vt palma florebit.* Et Diuus Chrysostomus omni sapientia & eloquentia præstanti eum indomito & inuicto adamanti merito comparauit. Etsi enim corpore vulneretur, non tamen animi magnitudo vulneratur: non cruciatur grauitas, non fides, non virtus, non denique animus ipse charitatis præsidio munitus expugnatur.

b *Hæc enim ait Dominus ad me,sicut in manu forti eruditit me.*) Manus fortis capitur hoc in loco,quemadmodum in multis aliis, pro auxilio diuino. Satis perspectum est & cognitum in sacra scriptura, accipi manum pro præsidio. Est igitur sensus: Vt Dominus suo peculiari auxilio me docuit ne populi huius sequerer deprauatos mores,ne cum eo in eodem errore & iniitia versare, sic me gratia sua allocutus est, vt vobis dicerem ne aduersus regem vestrum verba coniurationis loqueremini. Hoc ideò ait, quia erant multi in Iudæa, qui de rege suo relinquendo coniurauerant. Volebant se regibus Syriæ & Samariæ subiicere, existimantes non posse ab horum regum impetu euadere. Suadet igitur illis Propheta ne hoc faciant, neque nominent coniurationem. Nam illi regiam potentiam timentes,se inuicem ad coniurationem cohortabantur.

c *Timorem eius ne timeatis.*) Vos qui nobiliores estis,nolite ea timere, quæ populus timet desperatione debilitatus. Ideò coniurat contra regem suum, quia se vult regibus Syriæ & Samariæ subiicere. Hic

est

A est horum hominum propositum, eò tendunt omnes suæ cogitationes & verba. Sed timete Dominum ipsúmque sanctificate. Sanctificabitur autem, si eius pietatem & potentiam confessi fueritis, vestramque ostenderitis virtutem & constãtiam. Ita aiebat Christus apud Matthæum: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest animam & corpus in gehennam perdere.* Petrus Apostolus in prima epistola sua, *Timorẽ autem*, inquit, *eorum ne timueritis, & non conturbemini. Dominum Christum sanctificate in cordibus vestris.* Pro eo, quod Esaias inquit, *Dominũ exercituum ipsum sanctificate*, ait Apostolus, *Dominum Christum sanctificate*, hunc Esaię locum interpretans. Vbi vides Christum esse Dominum illum exercituum, qui toties in diuinis literis nominatur.

Mat. 5.

1. Petr. 3.

d *Erit vobis in sanctificationẽ, in lapidem autem offensionis.*) Sensus est, Timete Deum, colite, & inuocate illum, & ipse, priusquam nascatur ex virgine, vos eripiet: ipse veniet in mundum, & inter homines versabitur, quorum multos saluos faciet: illi verò, qui in eum credere noluerint damnabuntur. Vobis illi adhærentibus erit in sanctificationem, hoc est, vos saluos faciet, omnibus autem eum contemnentibus erit in lapidem offensionis, & in petram, in quam impingent. Vt enim id, quod apis sumit ex flore, conuertitur in mel: id auem, quod araneus carpit ex eodem flore, conuertitur in venenum, cùm flos sit vnus & idem: sic Christus flos campi excellentissimus aliis fuit in sanctificationem, aliis in ruinam. Hoc est, quod dixit Simeon senex ille iustus & timoratus apud Lucam, puerum Iesum brachiis tenens: *Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum.* Illi in lapidem impingunt qui velut cæci & amentes non attẽdunt quà vadunt, neque lapidem vident. Ideò Iudæi pedes in hoc lapide, hoc est, in Christo læserunt, quia cæci & insani nesciebant quà ibant, neque lapidem considerabant, quia ob sua ipsorum scelera Christum intelligere nolebant. Vocatur hoc in loco Christus lapis & petra, propter soliditatem & firmitudinem, quemadmodum multis aliis in locis diuinarum literarum. Hic est lapis ille, de quo ait idem Propheta capite vigesimo octauo, imò Deus pater per Prophetam: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum angularem, &c.* Vbi versio Chaldaica pro lapide probato habet *regem Messiam.* Sed vide Iudæorum prauitatem. Illum, quem Deus à se approbatum ait, ipsi reprobauerunt. Id quod fuerat à regio vate in hunc modum prædictum: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Quem locum Christus apud Matthæum capite vigesimo primo de seipso interpretatur. Et Diuus ille Petrus Apostolorum princeps in prima epistola sua capite secundo de Christo Deo nostro loquens, hæc verba scripta reliquit: *Ad quem accedentes lapidem viuum ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatũ.* Quapropter idẽ Apostolus, vt est apud Lucã in Actis capite quarto, Pharisæos sacerdotumque principes allocutus dixit: *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in aliquo alio salus.* Vbi de Christo citatum à nobis Psalmum apertè interpretatur. Hic est lapis ille à quo virga percussio exiuit aqua, vt Moyses in libro Exodi literis consignauit, ex qua biberunt filij Israëlis. Tanta fuit aquę copia & abundantia, vt caneret in hunc modum diuinus Psaltes: *Qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Esse hanc petram Christi figuram apertè indicat Diuus Paulus ita in epistola prima ad Corinthios dicens: *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* Hic est lapis ille, in quo eximius patriarcha Iacob reclinauit caput, quando in somnis vidit gloriosam illam scalam sublimem & stãtem, cuius altera pars erat super terram, altera cœlos tangebat. His, qui in Christo requiescunt illi adhęrentes, suamque mentem & cogitationem in eo collocantes, ostenduntur arcana cœlestia sole ipso splendidiora. Vbi vides quanti Deus faciat virum iustum & pium, cùm illi etiam dormiẽti sublimia mysteria reuelet. Ex quo colliges plus valere somnium viri iusti, quàm vigiliam impij peccatoris. Sed oportet super hunc lapidem caput statuere. Hic est lapis ille, quem ait Daniel excisum esse de monte absque manibus, vniuersúmque orbem impleuisse, hoc est de virgine sanctissima natum absque viri opera, sed Spiritu sancto operante. Huius lapidis meminit Zacharias dicens: *Ecce lapis quem dedi vobis, & super eum septem oculi sunt*: hoc est septem illa dona Spiritus sancti: quæ Esaias explicat capite vndecimo. Hunc lapidem contemplabatur Propheta ita canens: *Protexit me in abscondito tabernaculi sui, in petra exaltauit me.* Et alio in Psalmo: *Statuit supra petram pedes meos.* Hinc processit illa Apostoli Pauli doctrina in epistola ad Ephesios: *Superædificati estis supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Vide quomodo Apostoli sententia cum Esaię & Dauidis vaticinio cohæreat. Dauid vocat Christum vt ostendimus, lapidem factum in caput anguli: Esaias lapidem probatum angularem: Paulus verò summum lapidem angularem, quòd vtrunque populum & Iudęorum & gentium in Ecclesia sua contineat. Quid plura? Ipse Christus Deus noster, ipse cœlestis doctor, ipsa patris Sapientia in sermone illo de mõte, quem Diuus Matthęus literis mandauit, seipsum petrę cõparauit. Ita enim inquit. *Qui audit verba mea, & facit ea, similis est viro ædificanti domum suam supra petram.* Est igitur Christus petra. Sed quia in eo impij Iudęi pedes offenderunt, appellatur hic petra scandali, quoniam in eo scandalizati sunt. Appellatur hoc scandalum à doctoribus passiuum siue Pharisaicum, quoniã ipsi propter suam eorum peruersitatem scandalizabantur, & Christi opera sanctissima & admiranda rereprobabant, volentes eius nomini illustrissimo tetram maculam inurere, omnísque memorię clarissimum lumẽ extinguere. Ob eam causam aiebat Christus apud Matthæum: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Aspicis hic nullam esse tam insignem virtutem, tam illustrem, tot tantísque laudibus decorandam, quam impij vitio non tribuant. Vt enim lignũ arenæ fixum in medio fluminis, altera parte in aqua existente, altera in aere extra aquam videtur obliquum & fractum, cùm sit rectum & integrum, nõ ob ligni defectum, sed quia illud oculi per aquam respiciunt: quò fit vt videntes longè opinione fallantur: sic virtutis actio recta omnibúsque numeris absoluta cẽsetur ab improbis obliqua & nefaria, non ipsius actionis, sed iudicij deprauati corruptela: fallit enim iudicium eos, qui per aquam inuidiæ & malitiæ res gestas inimicorum cernunt, cupientes eam gloriam labefactare & infringere, quam magni viri fuerunt rectè factis & virtute consecuti. Vt enim febri atque phreneſi laborantes, perexigua quadam linearum rectarum similitudine in pariete descriptarũ decepti, animalia quædam deformia videre existimant, & testantur, vt asserit Aristoteles, sic improbi homines animi ægritudine deprauati lineas rectas, hoc est, aliorum facta illustria, digna quæ publicis monimẽtis mandentur ad memoriam posteritatis sempiternam, non solùm spoliant ornamentis, sed etiam vitio vertunt, & ad calumniam rapiunt. Ex hoc loco Esaiæ sumit Diuus Paulus ad Corinthios scribens fuisse

similitudo

Psal. 93.

Matt. 22.

1. Pet. 2.

Act. 4.

Exod. 17.

Psal. 113.

1 Cor 10.

Gen. 28.

infrà 28.

Matt. 11. Luc. 7.

Apta similitudo.

Secunda, similitudo

A fuisse Christum factum Iudæis scandalum, gentibus
1 Cor. 1. autem stultitiam. Et in epistola ad Romanos scripta
Rom. 9. sic ait: *Offenderunt in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis & petram scãdali: & omnis qui crediderit in eum, non confundetur.* Vbi aspicis Diuum Paulum ea, quæ Esaias ait de Deo, de Christo interpretari: & hunc Deum esse verum Emanuelem natum ex Maria virgine, de quo hoc caput Esaiæ intelligitur.

e *Duabus domibus Israel.*) Hoc est, domui Iuda & domui Ephraim. Per domum Iuda intellige duas tribus Iudam & Beniamin, per domum Ephraim alias decem tribus, quæ erant in Samaria. Sed hoc non est de omnibus dicend, ũsed de improbis & contumacibus, qui in Christum credere noluerunt. Intuens animo Moyses fore, vt Iudæi Christum non reciperent, gentes verò ad eum conuerterentur, composuit quoddam canticum sublime & glorioſum, cùm iam
Deut. 32. ad exitum vitæ vocaretur, quod est in Deuteronomio scriptum: in quo cœlum & terram testes inuocauit, quoniã homines, qui tunc aderant, post paucos dies erant excessuri ex vita, hæc autẽ vsq; ad Messiæ tempus duratura. In hoc cantico inducit Deum ita
B loquentem: *Generatio peruersa est & infideles filij. Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis: & ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.* Vbi vides apertè prædictum Iudæos esse Christum contẽpturos, gentes verò eum recepturas. Sed quoniam hoc futurum erat tempore Messiæ, subdidit in eodem cantico Moyses, imò per Moysem Dominus ipse: *Nónne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum.* Aspice quàm planè dicat hîc Deus se sumpturum esse de Iudæis infidelibus vltionem: quod hoc in loco Esaias contestatur.

f *Et irretientur & capientur.*) Nempe vinculis peccatorum, de quibus nonnulla quinto capiti mandauimus. Potest etiam de Iudæorum captiuitate explanari, quando post Christi mortem fuerunt à Romanis capti summísq; doloribus affecti.

g *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.*) Verba sunt Christi Prophetam alloquentis. Acsi diceret: Liga tu Propheta testimonium hoc tege inuolucris vaticinium tuum, claude hanc legem vsque ad
C discipulos meos, quousque Apostoli eam aperiant: ipsi enim eam sunt interpretaturi: sit clausa donec veniat suum tempus, quando eam Christiani intelli-
Dan. 12. gent & explanabunt. Ita apud Danielem: *Claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum.* Aspicis hìc prædictam fuisse interpretationem & explanationem scripturæ per Apostolos, & Christi discipulos. Id quod impletum aspicimus. Ipsi arcana, quæ clausa & obsignata erant, reserarunt, & Christi diuina mysteria & sacramenta in lege prophetísque adumbrata & prædicta diuinitus exposuerunt. Neq; est mirandum Iudæos tam turpiter & ineptè vetus testamentum explanare, cùm careant lumine fidei, & in tenebris versati veram Apostolorum expositionem à Prophetis prędictam reiiciant. Fuisse autem vetus testamentum clausum & signatum vsque ad Christi aduentum explicat Esaias capite vigesimonono iis verbis: *Erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti literas, dicent: Lege istum: & respondebit: Non possum, signatus est enim.*
c. 2. Hic est liber ille, de quo ait Ezechiel: *Et vidi: & ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber, & expãdit illum coram me, & erat scriptus intus & foris.* Hæc verba explanans Diuus Hieronymus hunc librum ait esse sacram scripturam, scriptam foris in historia literæ, intus verò in spirituali intelligentia. Quam explanationem secutus est postea summus ille pon- D
tifex sanctus Gregorius in homiliis in Ezechielem *Ezec. 2.*
Hunc eundem librum ait Diuus Ioannes Apostolus in Apocalypsi se vidisse scriptum intus & foris, quem *Apoc. 5.*
ait vidisse septem sigillis signatum, & à nemine posse aperiri, nisi ab agno, qui occisus fuerat, nósq; suo sanguine redemerat: qui eum aperuit. Vbi etiam Apostolus vult duas intelligentias literalem & spiritualem significare, quæ, vt ait Nazianzenus ille, ob *Exod. 32*
ingenij aucumen scientiæque præstantiam Theologus ab antiquis appellatus, in legis tabulis ex vtraque parte conscriptis significabantur. Sed ille hos sensus aperuit & reserauit, qui, vt est apud Diuum Ioannem in Apocalypsi, clauem habet Dauid: *qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Hic est *Apoc. 5.*
liber ille, quem, vt refert in Actis Diuus Lucas, eu- *Act. 8.*
nuchus legens minimè intelligebat. Interrogatus autem à Philippo Apostolo: *Putásne intelligis quæ legis? respondit: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Tunc ei Philippus scripturam reserauit, Chri-
stum autem in litera clausum ostendit. O admirabi- E
lem magistri sapientiam! Eadem hora credit eunuchus, baptismo abluitur & doctus efficitur. Plus sapientiæ & virtutis in Ecclesiæ deserto, quàm in celebri synagogæ templo fuit consecutus. Christus aperuit scripturam Philippo, qui eam aliis reserauit. Hoc senserunt duo illi discipuli, qui in castellum Emaus proficiscebãtur, qui, vt refert Diuus Lucas, post *Luc. vlt.*
quam Christum cognouerunt, ipséque ex oculis eorum euanuit, dicebant ad inuicem: *Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Lex, vt ait Diuus Paulus in epistola ad Romanos, scripta, spiritualis est, ideò in- *Rom. 7.*
diget reuelatione. Eam Christus discipulis reuelauit, ipsi autem à Deo docti eam mãdo reuelarunt, Christúmque in ipsa latentem & absconditum aperuerunt. Et quoniam Christus erat in lege absconditus, ideò eum Apostolus Paulus sapientiam in mysterio absconditam in epistola prima ad Corinthios appel- *1. Cor. 2.*
lat. De iis rebus Christi absconditis intelligitur ille noni Psalmi titulus & inscriptio: *Pro occultis filij.* *Psal. 9.*
Erant enim filij Dei sublimia mysteria in veteri te- F
stamento occulta, quæ modò per ipsum, eiúsque discipulos, sanctósque doctores Hieronymum, Augustinum, Chrysostomum, cæterósque alios Catholicos sapientia & sanctitate præstãtes sunt nobis aperta & reserata. Possũt hęc Esaię verba: *Liga testimoniũ, & signa legem in discipulis meis*, habere hunc sensum: Liga hoc vaticinium tuum in memoria meorum discipulorum. Quasi dicat: Etsi Iudæi infideles contemnant tuam Prophetiam, discipuli tamen mei meam adeò obseruabunt, vt eam ex eorum memoria nulla vnquam deleat obliuio. Hæc tua vaticinatio erit in mente meorum discipulorum ligata, consignata & firmiter fixa. In hunc sensum accipitur id, quod in Deuteronomio præcepit Deus quando Israelitico *Deut. 6.*
populo sua verba commendabat. *Ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, & mouebuntur inter oculos tuos.* Quibus verbis præcipiebat Deus Iudæis vt legem suam ante oculos semper haberent, vt nunquam ex eorum animo illius excideret memoria. Et in Prouerbiis, *Liga*, inquit, *legem meam in corde* *Prou. 6.*
tuo iugiter, & circunda gutturi tuo. Quanquam hæc explanatio videtur huic loco satis conuenire, priorem tamen existimo esse potius amplexandam, quoniam ostendit Christianorum lucem, Iudæorum verò cæcitatem & ruinam, quod est diuini vatis proposito conuenientius, literæ accommodatius, & ad multos diuinarum literarum locos explicandos præstantius.

h *Expectabo Dominum.*) Verba sunt Esaiæ, quorum sensus

A sensus est. Præcipitur mihi vt ligem testimonium, claudam vaticinationem & legem vsque ad Christi discipulos. Id quod ego faciam. Nam quamuis Christus statim non veniat, ego tamen expectabo eum, qui abscondet faciem suam à domo Iacob, quoniam cùm venerit, à maxima Hebræorum parte non cognoscetur.

i *Ecce ego & pueri mei.*) Christus qui modò dicebat. *Liga testimonium, & signa legem discipulis meis*: nunc eos, quos discipulos vocauerat, pueros suos appellat. Intelligi autem hunc locum de Christo indicat Apostolus in epistola ad Hebræos capite secundo, volens probare Christum secundum humanitatem & nos vnius esse naturæ. Hoc indicat pronomen, *mei*. Suos enim vocat eiusdem cum ipso naturę. Sensus est: Ego sum nasciturus ex virgine, & verus homo habebo discipulos veros homines, quos mihi pater dabit, qui inter Israelitas magna efficient signa & miracula. Ipse Christus apud Diuum Ioannem cum patre de discipulis suis loquens, *Tui*, inquit, *erant, & mihi eos dedisti.*

k *Qui habitat in Sion.*) Quis mons sit hic Sion, indicat Apostolus Paulus ad Hebræos ita scribens: *Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cœlestem.* Intelligitur ergo per Sion Ecclesia militans & etiam triumphans. Viri nanque iusti veri Catholicæ Ecclesiæ ciues iam quodammodo habitant in ciuitate illa cœlesti & triumphante. Quorum quidam dicebat: Nostra autem conuersatio in cœlis est.

l *Quærite à pythonibus, qui stridենt incantationibus.*) Hoc est, qui submissa voce proferunt verba ad incantationes suas pertinentia.

m *Nunquid non populus à Deo suo requirit visionem pro viuis à mortuis?*) Cum populus quærat visionem ab idolis, ariolósque perquirat, qui inuocent mortuos, vt eos pro viuis interrogent, quare vos non idē facitis? Cùm igitur ô discipuli mei hæc vobis locuti fuerint, respondebitis, non esse falsos commētitiósque Deos interrogandos, neque mortuos pro viuis, sed esse diuinam legem inquirendam, & quicquid ipsa docuerit faciendum. Lex & testimonium pro eodem accipiuntur. Eam ob causam lex appellatur testimonium, quia in ea testatur Deus quid vult. In Deuteron. sunt hæc verba literis mandata: *Non sit in te qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atq; augurια, neque sit maleficus, neque incantator, neque qui pythones consulat, neque diuinos, & quærat à mortuis veritatem.*

n *Quòd si non dixerint iuxta verbum hoc.*) Sensus est, Si non dixerint confugiendum esse ad legem, sed ad ariolos & mortuos, in caligine versabuntur. Habebunt in profundo veritatem demersam. Transibit lux per eam gentem diuinæ legis contemptricem, eamque deseret lumine destitutam, quæ ob sua flagitia corruet, esuriet, irascetur, & Deo atque regi suo malum imprecabitur. Aspiciens sursum & deorsum expectabit auxilium, sed nullum videbit, neque à Deo neque ab hominibus, imò omnia illi tristia atq; infœlicia apparebunt. Erit illi ob magnum metum membrorum dissolutio, calamitas, & caligo. A quibus afflictionibus eripi non poterit. Nihil denique erit tam miserum, quod in eius calamitatem cadere non videatur. Aspicis hic in afflictionibus & calamitatibus recurrendum nobis esse ad sacram scripturam: quam si contempserimus, in varias atque miseras incidemus calamitates. Confugiamus igitur ad verbum Dei, ad scripturam sanctam, vbi inueniemus doctrinam salutarem, virtutis indagatricem, vitiorum expultricem, animis medentem, eósque in suam dignitatem reuocantem. Hæc est fons vberrimus & plenissimus, cuius hausti atque potu cōceptam visceribus sitim sedamus ardorémq; restinguimus. Hæc est flamma illa, quam vidit Moyses ardentem rubúmque non comburentem, vbi Deus est animos nostros incendens, æternæq; beatitudinis desiderio inflammans. Hæc est scala illa quam vidit Iacob, quæ summitate cœlos tangebat, per quam à terra ad cœlum patet ascensus. Hoc est cellarium Ioseph in Ægypto huius mundi constitutum, ad quod vndique recurrere debemus, vt famem expellamus. Hæc est manna illud cœleste, minutum, sed candidū, & dulce omnes ad veram promissionis patriam euntes reficiens. Hæc est turris Dauidis munitissima, quæ, vt est Canticorum libro mandatum, ædificata est cum propugnaculis, ex qua pendent mille clypei, omnísque fortium armatura. Hæc est mentis speculum. Hæc est thesaurus sapientiæ. Hæc est quę vitæ tranquillitatem largitur, quæ est lucerna pedibus nostris. Hæc est denique, qua aduersus dæmonem, mundum, & carnem contendimus. Est enim verbum Dei gladius spiritus, vt ait Apostolus, quo inimicos percutimus & prosternimus, & de quibus cotidie victoriam reportamus. Hæc est probatica illa piscina, de qua loquitur Diuus Ioannes, quæ à Dei Angelo mota cuicunque ægritudini medebatur. Hæretici ad sacram scripturam descendunt tanquam ad piscinā sanitatis recuperatricem. At sanitatem non consequuntur, quia illis Dei Angelus non reuoluit scripturam, sed ipsi eam aduersus Deum mouere & reuoluere conantur. Et cùm eam non explanent, sed deprauent, volunt vt non catholicis, sed illis duntaxat in eius interpretatione authoritatem tribuamus. Gloriantur se solos verum scripturæ sensum inuenisse, esséque hanc vnam iudicem, ad eámque solam tanquam ad normam rectissimam esse omnem Ecclesiasticam causam exigendam. At vbi scriptura ob eius obscuritatem est explicatu difficillima, quēadmodū multis in locis, & de Paulinis epistolis Apostolorum princeps vltimo suæ posterioris epistolæ capite affirmat, quem in eiusdem scripturæ explanatione sequemur? Nam non solùm Catholici ab hæreticis differunt, sed etiam ipsi hęretici multis in locis tantùm à se distant quantùm à nobis. Aliter Lutherus, aliter Oecolampadius & Bucerus verba illa Christi: Hoc est corpus meum, interpretantur. In locis igitur, quæ in varias trahuntur interpretationes, quem sequemur? cuius iudicium imitabimur? Nónne vident necessarium esse iudicem, qui scripturas interpretetur? Quis igitur erit hic iudex nisi Ecclesia Catholica, quam Paulus Apostolus, tuba illa Euangelica, appellat columnam & firmamētum veritatis? Cui Christus eius sponsus ab ea corporaliter discessurus promisit se Spiritum sanctum missurum qui eam doceret omnem veritatem? Capite quartodecimo apud Ioannem in hunc modum loquitur Christus: *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis.* Et paulò post: *Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Et capite sextodecimo: *Cùm venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Hæc Christus Ecclesiæ suæ. Vnum è duobus fateri coguntur hæretici, aut Christum Ecclesiam suam fefelliſſe, illíque fidem nō seruauisse, aut veram esse scripturæ interpretationē ab Ecclesia per mille & quingentos annos doctam, approbatam & confirmatam. Hic hærent hæretici, nec habent quid respondeant. Si dicant Ecclesiam mille & trecentis ab hinc annis fuisse esséque deceptam, falsò scripturas explanasse, neque veram fidem, neque verum cultum habuisse, fuisse in erroribus versa-

Exec. 2. Apoc. 5. Exod. 32 Apoc. 5. Act. 8. Luc. vlt. Rom. 7. 1. Cor. 2. Psal. 9. Deut. 6. Prou. 6. Exod. 3. Gen. 28. Gen. 41. Exod. 16. Cant. 4. Psal. 118. Ephe. 6. Ioan. 5. 2. Pet. vlt. 1. Tim. 3. Ioan. 14. Ioan. 16.

A versatã, Christi lumine doctrinaq; destitutam, ipsum Christum mendacẽ & deceptorẽ efficiunt. Nam vbi est eius promissio? Quorsum igitur illa verba Christi
Cant. 2. ad Ecclesiã: *Sponsa mea, colũba mea, dilecta mea, pulchra,*
Cant. 1. *amica mea, vna est columba mea, & alia huiusmodi*, quæ
Cant. 3. in Canticis scriptura connumerat? Vbi indiuidua illa familiaritas & cõiunctio? Vbi sponsi erga spõsam, pro qua sanguinem fudit, admirabilis amor? Vbi fi-
Ioan. 14. des harum promissionum. Non vos relinquã orpha-
Ioan. 15. nos, veniam ad vos, Mittam vobis spiritum veritatis, Portæ inferi non prævalebunt aduersus Ec-
Matt. 12. clesiam meam, *Ego Petre rogaui pro te, vt non deficiat*
Luc. 22. *fides tua. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vs-*
Matt. 28. *que ad consummationem seculi?* Quę omnia Christum Ecclesię promisisse Euangelistę contestantur. Quomodo est credibile amantissimum illum sponsum sponsam suam dilectissimam tanto tempore reliquisse, eámque in adulteri amplexibus mille & tercentos annos perseuerasse, & tot patres, tam humiles, tam pios, tam iustos, tanta sanctitate & miraculis coruscantes fuisse à Deo, pro quo multi sanguinem fuderunt, penitus destitutos, & immenso prope temporis spatio in tenebris & erroribus versatos? Sin autem hæretici fateantur Christum fidem suam seruasse, necessariò debent fateri Ecclesiam semper, veritatem tenuisse & docuisse. Cùm autem constet verum esse promissorem, apertè concluditur veram esse, piam, & salutarem, Ecclesiæ doctrinam. Cùm verò Lutheri eiúsque sequacium doctrina ex diametro Ecclesiæ repugnet & contradicat, quis non videt esse
B falsam, impiam & pestilentem? Perspicuum est enim ex Philosophorum doctrina, nullum esse medium inter aientia & negantia. Colligitur ex his eam solam diuinæ scripturæ explanationem esse amplectendam, quam tenet Ecclesia, sempérque docuit & confirmauit, quam summus pontifex, successor diui Petri, Ecclesiæ pastor & magister, aut concilium rectè congregatum approbat, & eam, quam viri Catholici & docti, Ecclesiæ membra, pacis, vnitatísque amantes, verborum Dei trementes, ad ipsius Ecclesiæ fideíque regulam, & doctrinam ex scripturis diuinis depromunt. Hos omnes contemnit Lutherus, aítque, se nulli hominum sententiæ submitti quamuis docto & sancto, sed vult vt omnes suæ ipsius sententiæ subiiciantur. Sunt homines, inquit ille, & errarunt. Et tu quis es Luthere? Nónne es homo? Es ne Deus? Nónne perspecta sunt tua flagitia? Si neminem recipis, quomodo vis vt te solum recipiamus? Contemnis Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, Basilium, Bernardum, cæteróque Catholicos scriptores, & vis vt te vnũ suspiciamus & admiremur. Quomodo audes ne teipsum tot patribus, tot religionis luminibus, tot viris, ingenio claris, pietate insignibus, sanctitate illustribus, sapientia excellentibus, charitate præstantibus anteponere? O arrogantiam intolerabilem, ô superbiam inauditam, ô cæcitatem lugendam, omníque lachyrmarum abundantia deplorandam! Si omnia Catholicorum scripta sunt reiiciẽda, si nihil credere debemus, vt ais, nisi id solùm, quod est literis diuinis mandatum, quare mundum scriptis tuis repleuisti? Vbi quęso inueniſti non esse credendum nisi id, quod est in sacra scriptura? Lege totam eam à principio Genesis vsque ad finem Apocalypsis, nusquam talem inuenies propositionem. Non est igitur credenda hæc tua propositio, si verum est quod dicis, id solùm credendum quod est in sacris Bibliis scriptum, diuinísque literis cõsignatum. Tu tibi ipsi repugnas. Sed velis nolis multa credere debemus, quæ non sunt in sacra scriptura. Ita enim
Ioan. 21. ait Diuus Ioannes in vltimo capite sui Euangelij: *Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse*
E *eos qui scribendi sunt libros.* Ergo multa alia credere debemus, non tua dogmata & portenta, non tuas impietates & hæreses, sed ea, quæ Apostoli docuerunt, & prædicarunt, quæ ab illis ad nos manarunt, quæ Ecclesia semper tenuit & approbauit, quæ est vera sacræ scripturæ explanatrix, vt ex ipsa ostendimus. Ad hanc igitur scripturam ita expositam nõ ad te, sed ad legem potius & testimonium, vt hic ait Esaias, est nobis confugiendum.

n *Et non poterit auolare de angustia sua.*) Translatio est sumpta à passeribus. Contrà verò de iustis dicitur: Laqueus cõtritus est, & nos liberati sumus. Et alibi: Iustus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo. *Psal. 123. Prou. 11.*

ANNOTATIO.

1 In manu forti.] *In Hebraico est* בחן סח היו *cechez kuth haiadh. Quod significat, in fortitudine Prophetiæ, vel in forti Prophetia. Appellatur autem Prophetia fortis, quod sit infalibilis. Ita hunc locum vertit Pagninus. Dictio* יד *iadh, quæ est in Hebraico, vaticinium significat. Eam ob causam id quod habet editio vulgata capite primo Ezechielis,* Et facta est super eum ibi manus Domini, *poterat verti,* Et facta est super eum ibi Domini prophetia. *Significat etiam consilium. Ideò poterat verti:* In forti consilio. *Vnde in libro secundo Regũ, vbi editio vulgata habet:* Nunquid manus Ioab tecum est? *poterat verti:* Nũquid consilium Ioab tecum est? *Acsi diceret: Nunquid dedit tibi Ioab hoc consilium? Si attentè legeris caput illud, non reiicies hanc interpretationem. Significat præterea virtutem, potentiam, præceptũ, quæ omnia possunt huic loco accommodari. Sed quoniam præcipua significatio huius nominis est, manus, vertit interpres noster:* In manu forti. *Et rectè quidẽ, vt per manum intelligeremus auxilium Dei, aut eius potentiam, aut consilium, aut præceptũ, aut virtutem, aut prophetiã.*

C *Ezech. 1.* *2. Reg. 14*

2 Erit vobis in sanctificationem.] *In Hebraico est: Erit vobis* למקדש *le-mikdax, à verbo* קדש *kadhax, quod significat sanctificare: in quam significationem accipitur, & rectè, ab interprete nostro: ac si dicat: Si Deum timueritis, & coluerit is, ipse vos sanctos efficiet. Significat etiam hoc nomen domum sanctitatis. Vnde potest verti:* Erit vobis in sanctuarium, *hoc est, in domum*
F *tutam & munitam, in asylum, & locum refugij. Pagninus trãstulit:* Erit vobis in palatium, *quod ferè in idem recidit, Et ita R. Abraham vir doctus inter Hebræos hunc locum interpretatur. Eadem ratione in septimo capite Amos propheta, vbi scriptum est:* In Bethel non adiicies vltra vt prophetes? quia sanctificatio regis est, & domus regni est: *potest verti:* quia aula regis est, & domus regni. *Est igitur huius loci Esaiæ sensus: Si timueritis Deum, & in eo spem vestram & fiduciam posueritis, ne hostes timeatis, ipse enim vos recipiet, & abscondet, eritque vobis turris inexpugnabilis, atque domus refugij tutissima. Quibus verbis vult propheta significare, quanta cura Deus protegat & tueatur piorum hominum salutem, qui se diuinæ misericordiæ cõmiserunt. Nihil enim diuina tutela & defensione firmius excogitari potest, nihil securius, & præstantius. Quibus mœnibus, quibus arcibus, tutius munimur & protegimur, quàm diuina pietate, si in ea spem nostram collocamus? Hanc tutam aulam petebat vehementer, ad eámque ardenter aspirabat diuinus ille vates in acerbissimis calamitatibus & periculis constitutus, cùm dicebat in Psalmo:* Esto mihi in Deum *Amos. 7* *Psalm. 3.*

prote-

protectorẽ, & in domum refugij, vt saluum me facias. *Et paulo post, de iustis loquens:* Abscondes, *inquit*, eos in abscondito faciei tuæ, in conturbatione hominum.

Argumentum capitis IX.

Dixerat Propheta in fine superioris capitis fore, vt ij qui diuinam legem contemnerent, & Christum in ea promissum abiicerent, inciderent in ærumnas grauissimas, à quibus se eripere nequaquam possent. Quibus verbis significauit acerbissimas calamitates & miserias, in quibus erant Iudæi propter eorum in Christum impietatem versaturi, cùm obsiderentur à Romanorum exercitu, à quibus ad extremum fuerunt capti, cæsi, & in miserrimam seruitutem adducti. Sed quoniam multi ex Iudæis fuerunt mētis oculis illuminati, & à dæmonis vinculis erepti nonnulli ob Christi doctrinam, plures vero ob Apostolorum conciones, præcinit modò victoriam hanc sub nomine duarum victorum, quarum alteram Theglath-Phalasar rex Assyriorum de Samaria reportauit, quando regnante in ea Phacee cepit duas tribus, Zabulon, & Nephtalim, vt est in libro quarto Regum memoriæ proditum. Alteram obtinuit Salmanasar quando nono anno Oseæ, vt in eodem libro narratur, populatus est Samariam, & Israelitas transtulit in Assyrios. Fuit quidem illud imago rerum futurarum. Nam vt rex Assyrius primò paucos ex Galilæa secum asportauit, sed postea infinita Israelitarum multitudo fuit in Assyriam adducta, sic Christus velox spoliator primùm prædicans in Galilæa, Capharnaum, Bethsaida, cepit nonnullos paucos, nimirum discipulos suos, qui fuerunt seminarium quoddam nascentis Ecclesiæ: deinde per ipsos nomen suum sanctissimum per vniuersas regiones fama celebrauit, & immanissimam dæmonis tyrannidem deleuit, & ingentem hominum multitudinem ad se traxit, vt eos non ad Assyriam adduceret, sed ad beatissimas illas & splendidissimas oras, vbi placida quiete, summo gaudio perfusi, Deo ipso in æternum fruerentur. Prædicit diuinus vates Christi regnum, Euangelicam pacem, & ipsius Christi admirabilia nomina. Reprehendit Iudæorum superbiam, hypocrisim, cæteraq; vitia, ob quæ vaticinatur esse eorum gloriam obscurandam & penitus extinguendam.

4.Reg.15 4.Reg.17

CAPVT IX.

PRimo[a] tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephtalim, & nouissimo[1] aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. [b] Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam. [c] Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, [d] sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. [e] Iugum enim oneris eius, & [f] virgam humeri eius, & [g] sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. [h] Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mistum sanguine, erit in combustionem, & cibus ignis. [i] Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, [k] & factus est principatus super humerum eius: & [l] vocabitur nomen eius admirabilis, [m] consiliarius, [n] Deus fortis, pater futuri seculi, [o] princeps pacis.

Matt.4.c

Iud. 7.f

Ioan. 22.

Ioan. 3.b

EXPLANATIO.

a *Primo tempore alleuiata est.)* Illud tempus appellat primùm, cùm Theglath-Phalasar cepit duas tribus, Zabulon & Nepthalim: tunc enim terra alleuiata fuit, & iniquis habitatoribus, quibus abundabat, euacuata. Sed nouissimo, hoc est, tempore secundæ captiuitatis aggrauata est terra, quando à Salmanasar fuit capta Samaria, & euersa, & populus Israelis in Assyrios translatus. Sed quoniam hæ Assyriorum victoriæ Christi victoriam adumbrabant, adiecit Propheta: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*, hoc est, homines qui in peccatorum caligine versabantur, & mentis oculorum cæcitate laborabant, viderunt Christum saluatorem nostrum, qui est lux vera, omnes homines illuminans. Appellatur autem lux magna, non parua, qualis fuerat prophetarũ Christi comparatione. Verba quæ sequuntur habent eandem sententiam: idem enim est: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*, ac, *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.* Verùm per lucem quæ orta est eis, poteris Christi doctrinam intelligere, lucem admirabilem, quæ ideò illis orta est, vt possent ab errorum tenebris liberari, & virtutis ac veritatis splendorem intueri. Vtitur propheta præteritis pro futuris, vt multis aliis in locis, vt varicinij certitudinem significet more prophetarum. Sensus igitur horum verborum, quem Proheta in primis intendebat, hic est: Primo tempore quando Christus cœperit prædicare, terra Zabulon & terra Nephtalim alleuiabitur, hoc est illuminabitur, quia ibi credent multi, quos Christus ad se trahet: & nouissimo aggrauabitur terra, & expugnabitur, quando etiam per Apostolos victus fuerit diabolus, qui ei dominatus fuerat, & multò plures crediderint. Est autem hæc dictio, *aggrauata*, sumpta à re bellica, qua significatur magnus Apostolorum triumphus, & illustris victoria, quam de dæmone reportarunt, & hominum multitudinem Christi imperio subiecerunt, vt eos ad cœlestem Hierosolymam adducerent, vbi summa securitate, & oblectatione incredibili quiescentes, Deum viderent, eiúsque numinis, aliarúmque rerum pulcherrimam & excellentissimam scientiam consequerẽtur. In quam ciuitatem sempiternam & splendidissimam non ingrediuntur illi, qui Christi fidem non receperunt, sed secluſi à concilio cœlestium, separati à gaudio illo inexplicabili mentium beatarum in cœcas inferorum latebras adibunt, vbi in æternis cruciatibus & miseriis versabuntur. Explicans autem propheta situm terræ Zabulon & Nephtalim, ait: *Via maris trans Iordanem* Galilææ Gentium, ac si diceret: Quæ terra Zabulon & Nephtalim adiacet mari secus stagnum Genezareth, vbi sunt vibes sitæ vltra Iordanem, quæ sunt in Galilæa Gentium, hoc est, in illa parte Galilææ quam olim Salomon dedit Hiram regi Tyri. Quam ob causam plaga illa Galilæa Gentium vocatur, cùm sit altera Galilea circa Tiberiadem. In hac igitur terra Zabulon & Nephtalim cœpit Christus Euangelium prædicare, & ibi populus, qui ambulabat in tenebris, vidit Christum lucem magnam, & habitans in regione mortis fuit diuino splendore illustratus. Ibi erant viculi, à quibus erant Apostoli, de quibus dicitur in Psalmo: *Principes Zabulon, principes Nephtalim duces eorum.* Esse autem hoc vaticinium intelligendum de Christo Deo nostro apertissimè indicat diuus Matthæus, cuius hæc sunt verba: *Cùm audisset Iesus, quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam, & relicta ciuitate Nazareth venit, & habitauit in ciuitate Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephtalim, vt adimpleretur quod dictum est per*

Psal. 67.

Matt. 4.

A *Esaiam prophetam : terra Zabulon & terra Nephtalim, via maris trans Iordanem Galilæa gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, & sedentibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.* Vbi aspicis peccatum esse vmbrã mortis, de qua apud Lucam
Luc.1. Zacharias ait: *Visitauit nos Oriens ex alto, illuminare iis qui in tenebris, & in vmbra mortis sedẽt.* Tenebras vocat nõ has sensibiles, sed errores & impietates. Cùm autẽ Lucẽ nõ quærerẽt, ipsa eos quæsiuit, ipsa illisorta est. Qua in re infinita Dei nostri erga homines pietas ostenditur: non enim passus est Deus eos in caligine diutius sedere, & in tenebris inextricabilibus versari, aperuit eorum oculos aliquando, vt ipsam lucem Christum Deum nostrum & mentis, & corporis oculis aspicerent. Et quoniam hæ duæ tribus Zabulon & Nephtalim prius fuerant captæ, & asportatæ in Assyriam, & earum terra deuastata & oppressa, ideò in illis Christus prius Euangelium prædicauit, vt qui prius ducti fuerant in captiuitatem corporis, ipsi prius de mentis captiuitate essent reducti, & de regione vmbræ mortis ad regionem vmbræ vitæ, hoc
B est, à peccatis ad gratiam essent reuocati. Duæ enim sunt in hac vita regiones: altera est vmbræ vitæ, quæ est spiritualis Ierusalem à Dei amore condita: altera vmbræ mortis, quæ est spiritualis Babylon ab amore sui constituta. Quamuis enim viri iusti charitate muniti, Hierosolymam colentes, vitam animæ habeant, dicuntur tamen esse in regione vmbræ vitæ, quia adhuc non fruuntur diuina visione in vita sempiterna, sed per fidem ambulant, non per speciem, per speculum, vt ait Apostolus, *videntes in*
1.Cor.13 *enigmate, non facie ad faciem.* Quamdiu enim animi nostri in corporum carcere detinentur, à perfecta cognitione diuini numinis, & aliarum etiam rerum longissimè absunt. Qui verò vitiis contaminati, mortiferísque criminibus astricti Deum contemnunt, in regione vmbræ mortis esse dicuntur, quia etiamsi peccatum sit mors, quamdiu tamen in hoc seculo sunt Babylonis cultores, nondum in illa vera ac sempiterna morte, cuius peccatum vmbra est, cruciantur.

b *Multiplicasti gentem.*) Alloquitur Propheta lu-
C cem illam magnam Christum Deum nostrum, qui etiamsi hominum multitudinem congregauit, quos sui nominis notitia, fide, spe, & charitate illustrauit, non tamen magnificauit lætitiam: fideles enim licet lætarentur, cùm se tenebris liberatos agnoscerent, dolebant tamen, & grauiter angebantur, videntes manere multos in sua cæcitate & contumacia, Euangelium improbantes. Hoc sentiens diuus Paulus dicebat in epistola ad Romanos: *Veritatem dico in*
Rom. 9. *Christo Iesu, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* Vel sic: *Multiplicasti gentem*, quoniam multi in principio audierũt Euangelium: sed non multiplicasti lætitiam, quia multi ex credentibus à fide defecerunt. Vel non multiplicasti lætitiam huius mundi, sed fideles tuos hìc voluisti in afflictionibus versari, vt rebus aduersis, capite, & opibus vndique oppugnati, ad te solum aspirarent, omnésque suas voluptates, & oblectationes in te vno constituerent.

c *Lætabuntur coram te.*) Cùm fideles fuerint de vniuerso orbe congregati, exultabunt Apostoli sicut messores congregata messe, de qua ait Dominus:
Matt.9. *Messis quidem multa, operarij autẽ pauci.* Sed animaduerte. Non dicit: lætabuntur coram mundo, sed *coram te*: nam hìc afflictionibus opprimũtur iusti, & coram mundo abiecti & calamitosi videntur, at coram Domino incredibili voluptate affecti ipsis etiam ca- D
lamitatibus gloriantur.

d *Sicut exultant victores capta præda.*) Prædam appellat homines, quos Apostoli à dæmonis potestate eripuerant. Prædicit vates Apostolorum gloriam & gaudium ob admirabilem victoriam de dæmone reportatam.

e *Iugum enim oneris eius.*) Sensus est: Tu Domine Iesu eripuisti homines à graui iugo, quo diabolus hominum colla deprimebat, & à virga qua percutiebat, & à sceptro quo imperabat. Et fuit hæc victoria sine humanis armis, sed tua potenti manu diuinitus adepta, quemadmodum illa, quam Gedeõ de Madianitis mirabiliter reportauit: vbi pauci nullis armis muniti superarunt copias armis instructas, multitudine propè infinitas, omníque munitionum bellicarum genere abundantes. Habes hanc historiam libro Iudicum septimo. Docet hic locus homines impios comprimi diaboli grauissimo iugo, à quo eos eripit Deus, cùm illos ad seipsum conuertit. Habet Chri-
Iud.7. stus iugum, habet & diabolus iugum: sed iugũ Christi est suauitate delinitum: ipse enim ait: *Iugum meũ*
Matt.11. *suaue est*: iugum verò diaboli oneroſum & durum est. E
Quod volens hìc Propheta significare, dixit: *Iugum enim oneris eius.* Iugum diaboli est iugum oneris: iugum verò Christi, lenitatis & dulcedinis. Christus nos ad suum suaue iugum inuitat, illúdque gratis offert: nos verò illud contemnimus, & ad diaboli iugum grauissimum, & asperrimum accurrimus, quod multo labore emimus. O cæcitatem deplorandam! emimus graue iugum diaboli, cùm Deus ad suum
Luc. 14. suauitate pleniſſimum gratis oblatum nos vocet. Inuitatus quidam ad magnam cœnam, ad epulas diuinas, ad Christi suaue iugum, ob eam causam se excusauit, quia emerat quinque iuga boum, & ibat probatum illa. Lege Euangelium Lucę capite quartodecimo, & inuenies hoc. Quid fecisti homo insane? Cur emisti iuga asperrima, si ad Christi suauissimum illum gratis inuitabaris? O amentiam inauditam! Emunt homines iuga diaboli, emunt labores mundi, emunt magistratus, & honores quos vocant, emunt calamitates, & peccandi occasiones, imò ipsa pecca-
Matt.11 ta, & ipsam vanitatem, cùm Christus clamet: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiã vos. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiẽ animabus vestris: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Adestote obsecro animis filij hominum, & attendite. Christi iugum offertur nobis gratis, & cum F
eo admirabilis & æterna remuneratio: iugum verò diaboli multo labore emptum, affert secum æternam damnationem. Cur igitur volumus incidere in miserias horribiles, & perpetuos cruciatus, iugum dæmonis ementes, si iugo Christi subiecti possumus adipisci vitam beatam & immortalem? In hac vita sine iugo esse non possumus. *Homo enim*, vt in
Iob.5. libro Iob scriptum legimus, *nascitur ad laborem.* Nónne igitur præstantius est iugo Dei quàm diaboli submitti? Quis non videt hoc? Præterea nónne melius est vnum eligere quàm quinque? Quis poterit quinque tyrannis seruire? Iugum Christi vnum est, diaboli verò quinque sunt iuga. Nullus est sensus, quem sibi diabolus subiicere non desideret. Quid dicebat ille, qui ad cœnam inuitatus noluit venire? Emi quinque iuga boum, & eo probare ea. Quò te confers homo deplorande? Quid vis probare? ea volo probare. Nónne scis iuga diaboli esse intolerabilia, mortifera, asperrima? Quorsum ea probare desideras? Desine iuga boum, & accede ad cœnam magnam, ad quam es à Domino inuitatus. Non est cœna parua, magna est. Ea enim quæ Deus tribuit, & ad quæ vos inuitat,

E uitat, magua sunt. Contrà verò ea, ad quæ mundus nos vocat, sunt exigua, & inania, falsa, incerta, caduca, quæ nullis defixa radicibus quacunque varietate labefactantur, & penitus euelluntur.

f *Et virgam humeri illius.*) Aspicis hîc diabolum virgam habere, qua suos percutit. Nemo enim est qui maiores labores & calamitates sustineat, quàm qui dæmoni subiicitur. Quod volens significare sacra scriptura in libro Sapientiæ facit damnatos hoc modo loquentes: *Ambulauimus vias difficiles, lassati sumus in via iniquitatis.* Quamuis Christus iugum, & virgam, & sceptrum dęmonis superauit, multos ab eius potestate eripiens: tamen dominatur adhuc dæmon omnibus impiis, quoniam ipsi eius potestati se volunt subiicere.

g *Et sceptrum exactoris eius.*) Exactor est qui pecunias, & tributa exigit. Vocatur autem diabolus exactor, qui ab hominibus peccata veluti tributa exigit. Appellatur etiam tyrannus & princeps huius mundi, qui enim sceptrum tenet, princeps est. Ostendit hic locus esse diabolum principem impiorum. Nunc, ait Christus apud Ioannem, *princeps huius mūdi eiicietur foras*: & alio in loco apud eundem: *Venit enim princeps huius mundi, & in me nō habet quicquam.* Cōsidera quale sit regnum mundi cum talem principē habeat. Tres ob causas ait Plato debere homines ciuitatem, quam incolunt, relinquere, vel quia plura sunt detrimenta quàm cōmoda, vel quia plures sunt mali quàm
B boni, vel quia princeps aut gubernator est iniustus & impius. Cùm autem hæc omnia in mūdo videamus, quid facis in mundo, qui maior es mundo? Fuge diaboli sceptrum, à quo te liberauit Christus, ad quem confuge, vt vitam æternam consequaris. Diuus Gregorius tractans hunc locū libro trigesimo Moralium capite trigesimo primo ita ait: *Superauit Dominus gentium iugum, cùm illas à dæmoniacæ tyrannidis seruitute liberauit. Virgam humeri, cùm percussionem pro opere malo perpessam compescuit, sceptrū autem ex actoris cùm regnum diaboli peccatorum tributa exigentis à fidelium corde destruxit.*

h *Quia omnis violenta prædatio.*) Omnis humana victoria & prædatio solet fieri cum magno tumultu & sanguine vestes ac arma occisorum contaminante. At hoc prælium quo tu Christe sancte homines à dęmonis potestate eripuisti, est sine tumultu, sine humanis armis: sed in combustionem & cibum ignis, hoc est, spiritu tuo, & igne charitatis mentes fidelium
C purgante, & omne vitium comburente. Poterit clarius ita verti: *Omnis violenta prædatio cum tumultu est, & vestimentum est mistum sanguine: at hæc victoria erit in combustionem & cibum ignis.*

i *Paruulus enim natus est nobis.*) Reddit rationem, cur iugum diaboli sit à nostris ceruicibus ablatum, & diabolus victus, & hæc victoria sine tumultu, quippe quia *paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis*, hoc est ad nostram redemptionem, quia natus est nobis desanctissima virgine Maria puer Iesus filius Dei. Paruulus natus est, quia verus est homo: filius datus est, quia est verus Dei filius. Natus est paruulus, ne timore terreremur, & quia puer statim commissa condonat, & facilè placatur: & datus est filius, vt nos
Luc. 2. posset à dæmone liberare. Quid nobis pater negabit, quibus filium suum dedit? Nobis & natus & datus est. Audi angelum pastoribus dicentem: *Nolite timere, ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.* Nomine pueri significatur humanitas: nomine verò filij, diuinitas.

k *Et factus est principatus super humerum eius.*) Principatus Christi nos sumus, quos super humeros suos posuit, vt nos ad gloriam asportaret. Genus hominum hîc per principatum intellectum alio in loco ouis, quæ perierat appellatur, quam Christus inuenit, & super humeros adduxit. Eramus perditi, in vitiorum erroribus & saltibus errantes, nō poteramus viribus nostris à tantis malis liberari, venit pastor ille clementissimus Deus noster, posuit nos super humeros suos, vt è valle miseriæ ad montem visionis diuinæ perduceret, vbi ipso in placidissima tranquillitate frueremur. At nos ab eius humeris discedimus, eum fugimus, & iterum scelerum syluas peragrantes terrena quęrimus, mundi voluptates concupiscimus, & ea, quæ cælestia sunt & immortalia, non curamus. Vel per principatum, sceptrum regale intelligitur, quod super humeros suos Christus tulit: Quod sceptrum fuit crux illa sacratissima, quam ad Caluariæ montem baiulauit. Eam secum ducens, manibus ac brachiis amplectebatur, vt ostenderet quanto eam amore prosequeretur. Intuere obsecro, & attenta atque alta mente considera, natum fuisse Christum ad ferēdum suis humeris suum principatum, hoc est crucem, in qua acerbissimos cruciatus tulit, ex qua trāsit de hoc mūdo ad patrē, quam post mortē suam erectā in monte Caluarię reliquit, tanquam trophæum, excellentissimíque triumphi celeberrimum monumentum, & vt nos eam tanquam clarissimum signum nostrarum victoriarum supplices coleremus. At nos obliti nostri existimamus natos hîc fuisse ad delicias, ad opes, & voluptates, cùm potiùs editi simus in lucem ad crucem amplectendam, vt nec laborem, neque dolorem, neque denique quicquam aliud, quod E
molestum nobis possit accidere, intolerandum putemus. Fortasse crucem ob eam causam principatum appellat, quia in ea eleuatus Christus omnia ad se traxit, iuxta id quod ipse apud diuum Ioannem dicebat: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Ioan. 12.
Hæc crux quæ hîc nomine principatus significatur, appellatur alio in loco ab hoc eodem Propheta, clauis Dauid. *Dabo*, inquit, *clauem domus Dauid super humerum eius.* Quæ propterea clauis appellatur, quia ea Infrà 22.
cœli ianuæ, quæ anteà clausæ erant, fuerunt apertæ & reseratæ. Poterit præterea hoc sic explanari: *Factus est principatus super humerum eius.* Hoc est, posuit in suis humeris omne pondus eorum, quibus dominatur. Est autem hoc pondus peccatum generis humani, quod super se Christus posuit, vt pro eo innocentissimus agnus pœnas lueret. Id quod Esaias ait alio in loco: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrūm.* De quo dicitur in Psalmo: *Supra dorsum meum* Infrà 53.
fabricauerunt peccatores. Voluit enim ille luere nostra Psal. 128.
crimina, vt excidium à nostris capitibus auerteret. Considerent reges ac principes terræ hunc diuinum regem Christum Deum nostrum, qui in suis humeris posuit pondus sui regni. Nec existiment se principatum ad voluptates, sed ad labores obtinuisse. Eam ob causam voluit Christus titulum suæ dignitatis regiæ variis literis scriptum fuisse affixum cruci, vt intelli- F
gerent omnes principes Christiani regiam dignitatem esse cum cruce coniunctam, & cum laboribus & afflictionibus copulatam.

l *Et vocabitur nomen eius, admirabilis.*) Qui vocatur Emanuel, & accelera spolia detrahere, festina prędari, idem vocatur admirabilis, consiliarius, Deus, &c. Quid admirabilius quàm Deum nasci ex virgine, & duas esse naturas in vna persona?

m *Consiliarius.*) Vide Dei inauditam clementiam. Misit filium suum, vt nos consiliis instrueret, & viam veritatis ostenderet.

n *Deus.*) Hic puer Deus est. Aspice quā apertè dicat Christum esse Deū. Id quod apud Ieremiā capite trigesimotertio, & aliis in locis poteris videre. De

A quo ait Diuus Paulus epistola ad Romanos capite nono. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Quidam Iudæus ante aduentum Christi, ita hunc locum interpretatus est. Quia Messias Deus & homo futurus est, vocatum est nomen eius, Emanuel, hoc est, nobiscum Deus: nempe in corpore, & carne nostra, quemadmodum testatur Iob capite decimono: *Ex carne mea videbo Deum.* Item quia Deus est mirabilis consiliarius, dicitur: excogitauit enim mirabile consilium animas à dæmone eripiendi, quæ propter Adæ peccatum damnatæ erant. Nec possunt vllo modo esse saluæ, nisi rex messias mortem acerbissimam, multáq; subeat tormenta. Ob eam causam dictus est vir. Et quia ipsius est omnis fortitudo, Deus fortis vocatur. Et quia est D æternus, pater sempiternus dicitur. Item quia in diebus eius pax multiplicabitur, princeps pacis appellatur. Et quia ipse festinabit vt auferat animarum spolia, vocatur expeditus spoliator, festinus prædator, Quia autẽ eos saluos faciet, & ad paradisũ adducet, vocatur Iesus, hoc est saluator. Hæc ille. Ego nõ possum credere quin animus, ex quohęc prodierũt, esset diuinitus illustratus, est enim admirabilis hæc expositio. o *Princeps pacis.*) Nõ dicit, Princeps militum, princeps belli, sed *princeps pacis.* Christianus princeps pacis studiosus Christum imitatur. Septuaginta interpretes exterriti hac nominum maiestate non ausi sũt ea scribere, ne gentibus incredibulia viderentur.

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT IX.

1 Nouissimo aggrauata est.] *In Hebraico est: Nouissimo* הַכְבִּיד *hichbidh, à verbo* כָּבֵד *quod significat graue esse, in quam significationem sumptum est ab interprete nostro volente Christi victoriam de mundo significare: est enim verbum sumptum à re bellica. Significat etiam verbũ hoc glorificari, nam infrà vbi in capite sexagesimosexto scriptũ legimus:* Glorificetur Dominus, *in Hebraico est verbum hoc: & multis aliis in locis diuinarum literarum capitur pro glorificari. Eam ob causam potest hic locus ita Latine reddi:* Nouissimo glorificata est. *Quæ interpretatio instituto Prophetæ magnopere videtur accomodari, & conuenire. Voluit enim hoc vaticinio ostendere victoriam, quam Christus erat per discipulos suos de mũdo reportaturus, & ita erit sẽsus: Prima victoria, quæ erit Christi doctrina adepta, alleuiabitur terra, quoniam nonnulli reprobato idolorum cultu in Christum credent, & veram religionem amplexabuntur. At ob secundam victoriam quam Apostoli de dæmone consequentur, erit tota terra gloriosa, quando Christi discipuli omnes mũdi regiones peragrantes, Christũmq; prædicantes, trophæa vbiq; cõstituerint. Quid enim glorioſius, quid illustrius, quã relictis vitiis, contempta ac repudiata superstitione, mundum ad Christum conuerti, totóque animo aspirare? Poteris vertere pro aggrauata, illustratam, & rectè quidem meo iudicio, nam verbum hoc significat esse magnum, illustrem, honoratum, & glorioſum.* E

B

---

a Multiplicabitur [1] eius imperium, & pacis non erit finis: [b] Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit: vt confirmet illud, & corroboret [c] in iudicio & iustitia, à modò & vsque in sempiternum. [d] Zelus Domini exercituum faciet hoc. [e] Verbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel. [f] Et sciet omnis populus Ephraim, & habitãtes Samariam, in superbia & magnitudine cordis dicentes: Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus: Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus. [g] Et eleuabit Dominus hostes Rasin super eum, & inimicos eius in tumultum vertet. [h] Syriam ab Oriente, & Philistiim ab Occidente: & deuorabunt Israel toto ore. In omnibus iis non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta: & populus non est reuersus ad percutientem se, & Dominum exercituum non inquisierunt. [i] Et disperdet Dominus ab Israel caput & caudam, [2] incuruantem & deprauantem die vna. Longæuus & honorabilis ipse est caput: & Propheta docens mendacium ipse est cauda. Et [k] erunt qui beatificant populum istum seducẽtes, & qui beatificantur, præcipitati. Propter hoc super adolescentulis eius non lætabitur Dominus: & pupillorum eius & viduarum non miserebitur: [l] quia omnis hypocrita est, & nequam, & vniuersum os locutum est stultitiam. In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. [m] Succensa est enim quasi ignis impietas: veprem & spinam vorabit, & succendetur in densitate saltus, & [n] conuoluetur in superbia fumi. [o] In ira Domini exercituum conturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis. Vir fratri suo non parcet, & declinabit ad dexterã, & esuriet: & comedet ad sinistram, & non saturabitur: [p] vnusquisque carnem brachij sui vorabit, Manasses Ephraim, & Ephraim Manassem: & simul ipsi contra Iudam. In omnibus his non est auersus furor F
C eius, sed adhuc manus eius extenta.

a *Multiplicabitur eius imperium.*) Non poterit de multiplicato Christi imperio dubitare qui legerit in Psalmo, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Qui locus in Actis Apostolorũ, & in epistola ad Hebræos de Christo explanatur. Et de eius pace dicitur in Psalmo: *Orientur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis donec auferatur luna.* Id est, in æternum. Quod vaticinium ad regnum Salomonis accommodari nullo modo potest, sed ad regnum Christi cuius iustitia & pax sunt semper duraturæ, & ob eam causam ipsum diuinæ literæ iustitiã & pacem appellare solent. Animaduerte. Tunc imperium multiplicatur, cum in eo pax viget. Hoc considerare deberent, qui volunt bellis regnũ multiplicare, cùm nihil sit, quod regna & imperia potius labefactet, & penitus euertat, quàm bellũ. Cõtra verò vigẽte pace crescit regnũ & propagatur. Verùm idquod hic dicitur, est præcipuè de spirituali pace intelligẽdum. Chrysostomus tractãs hunc locũ in primo tomo

Psal. 2.

Act. 13. Hebr. 1. & 5. Psal. 7.

explicans

A explicans illud Esaiæ: *Potestatis & pacis non erit finis*, inquit, hoc intelligi de pace inter Deum & hominẽ, inter corpus & spiritum, ac inter Iudæos & Gentiles.

b *Super solium Dauid.*) Sensus est: Hic puer Emanuel, qui est Deus, cõsiliarius, admirabilis, &c. regnabit iustissimè super sedẽ Dauid in æternũ. Id est, quod dixit Angelus Mariæ virgini sacratissimæ: *Et dabit illi,* Luc 1. nempe Christo, *Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Et de eo Daniel Propheta scriptũ reliquit: Dan. 7. *Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnũ eius quod non corrumpetur.* Et in Psalmo scriptũ legimus: Psal. 144 *Regnũ tuum regnũ omnium seculorũ, & dominatio tua in omni generatione & generationẽ.* Sed hęc occurrit dubitatio: Obiectio. Quî fieri potest vt hęc de Christo intelligantur, qui super soliũ Dauid non videtur sedisse? non enim regnauit in Iudæa. Quin potius cùm eũ turbę regẽ cõstituere voluissent aufugit, vt est apud Ioã Ioan. 6. nem capite sexto: & corã Pilato confessus est regnũ suũ non esse de hoc mũdo. Prętereà quę gloria esset sedere super soliũ Dauid eũ, quem Esaias vidit sedentem super soliũ excelsum & eleuatũ? Sed cùm sit altera Hierosolyma multò melior & prestantior quã ea, Responsio. in qua regnauit Dauid, quę est Ecclesia Catholica, eã existimo hîc esse significatam. De qua dicitur in Psal Psal. 2. mo: *Constitutus sum ab eo rex super Sion montẽ sanctũ eius*, & in alio Psalmo: Psal. 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis. Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Nõ existimo hoc dictũ fuisse de portis illius terrenæ Hierosoly-

B mæ, quas scimus esse consumptas, & in puluerẽ redactas: sed de portis Ecclesiæ, quã illa Hierosolyma adumbrabat. Regnat igitur Christus in Ecclesia, quæ est Hierosolyma, non vmbratica sed vera, cuius illa terrena gerebat imaginẽ: & regnabit in æternũ, quoniã Ecclesia nunquã peribit: nã etsi in mundi cõsummatione desinat esse militãs, Ecclesia tamen triũphãs sine fine in æternũ permanebit: & sic semper futura est Ecclesia, in qua Christus in æternũ regnabit: facta enim separatione in littore maris, congregatísque in vase bonis piscibus, malis autẽ foris abiectis, accipiet Christus Ecclesiã gloriosam, non habẽtem maculam aut rugam, sed sanctã & immaculatã. Et volens significare scriptura hanc spiritualem Hierosolymam esse

C multò sublimiorem & illustriorem terrestri illa, in qua regnauit Dauid, dicit: *Constitistutus sum rex ab eo* Psalm. 2. *super Sion.* Non dicit: In Siõ, sed *super Sion.* Et in alio Psal. 131. Psalmo: *De fructu ventris tui ponã super sedem tuam.* Nõ dixit, In sede, sed *super sedẽ.* Et in hoc loco Esaię: *super solium Dauid, & super regnũ eius sedebit.* Poteris etiã per soliũ Dauid eius labores & dolores intellige re: fuit enim vir ille sanctus, vt sacrę literę memoriæ prodiderũt, vehemẽter afflict', & in acerbissimis periculis & laboribus cõstitutus, atq; capite & opib' vndique oppugnatus. Sedit igitur Christus super solium Dauid, super eius dolores, labores, & angustias, in multò pluribus & acerbioribus cruciatibus versatus. Et ob eam causam dixit: *Super soliũ*, & non in solio, vt superlationẽ & abundantiã dolorum significaret.

c *In iudicio & iustitia.*) Per hæc duo nomina intelli Ie. em. 2. gitur pulcherrima gubernandi forma & ratio, vt alio in loco annotauimus. sic apud Ieremiã: *Regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra.*

d *Zelus Domini exercituum.*) Hoc est amor Dei erga homines efficiet, vt filius Dei nascatur ex virgine, hominúmque genus à dæmonis potestate eripiat, & sedeat super regnum Dauid, illúdque iustitia & iu- Ioan. 3. dicio confirmet. *Sic Deus dilexit mundum*, ait diuus Ioannes, *vt filium suum vnigenitum daret.* Vbi vides, non ex hominum meritis, sed ex Dei amore & charitate processisse generis humani salutem. Charitas Deum traxit è cęlo, nos autẽ è terra ad cœlum vehit. D Hæc vulnerauit impassibilem, alligauit insuperabilẽ, traxit incommutabilem, fecit mortalem æternum.

e *Verbũ misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel.*) Prædixerat Propheta cladẽ & euersionẽ Syrię & Samarię: & capta inde occasione multa Christi mysteria interposuit. Nũc verò ad id vnde egressa fuerat oratio reuertitur, & vastitatẽ vaticinatur Samariæ dicens: *Verbum misit Deus in Iacob, & cecidit in Israel.* Id est, Misit Deus sæpe Prophetas suos ad Iacob, hoc est, ad decem tribus, qui illis veritatem nuntiarent, viámq; salutis aperirent. At Israelitæ verbum Dei contempserunt, & pro nihilo putarunt. Per Iacob & Israel intellige decem tribus. Et quoniã verbum Dei fuit ab illis neglectum, dicit Propheta illud cecidisse, tunc enim verbum Dei cadere dicitur, quando ab auditoribus contemnitur.

f *Et sciet omnis populus Ephraim.*) Sensus est: Quãuis Deus locutus fuerit per Prophetas suos populo Israelitico, ipse tamẽ sciet superbè: existimabit se al- E tè sapere, & deridebit Dei verba, & comminationes dicens: Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. hoc est, quamuis incidimus in nonnullas calamitates, sequẽtur tamen posteà tempora fœlicia: & pro domibus lateritiis quæ ceciderunt, ædificabimus lapidibus quadratis magnifica ædificia: & pro sycomoris arboribus abiectis habebimus nobiles & preciosas cedros. Potest esse sensus: Hucusque perierũt in bello nõnulli ex nostris, sed erant veluti lateres fragiles & imbecilli: at nos ædificabimus rempublicam nostram ex lapidibus quadratis, hoc est ex viris fortitudine & constantia munitis. Lapides quadrati sunt ad ædificandum apti, rotundi verò & globosi nequaquam, quoniam non nisi in puncto se tangunt homines. quadrati facilè conueniunt inter sese: at rotundi nullam inter se habent concordiam: F sunt autẽ quadrati illi, qui ex quacunque parte ceciderint, firmi manent & stabiles: rotundi autem sunt mobiles & inconstantes. Aristoteles libro primo moralium Nicomachiorum hominem sapientẽ quadra- *simile.* tum vocat, quia in quamcunque partem voluatur, sui similis est, & firmus perseuerat, & acerbissima calamitatum procella oppressus, placida tamen & trãquilla mente cõsistit. Vt enim bonus fictor & artifex simulacrum fingit ex auro: si autem aurum deest, ex argento, eo verò nõ existente, ex plumbo, aut denique ex quauis alia materia, sic vir sapientia excultus & virtute præditus in omni statu, virtutis & constantiæ imaginem & simulachrũ efficiet. Si in honoribus & magistratibus fuerit constitutus, in media prosperitate, rebúsque ad voluntatem fluentibus virtutem exercebit, si in ærumnis & laboribus fuerit versatus, *simile.* in media aduersitate, in infimo illo statu ostẽdet animi sui magnitudinem & celsitatem. Aspicis hîc impiorum ædificia esse ex lateribus constructa: Qui etsi promittant se esse quadratis lapidibus mœnia condi- *Exod. 1.* turos, ad id tamen nunquam peruenient: Iudęi in Ægypto sub Pharaone commorantes, vrbes lateritias, cõdebãt. Talia sunt eorũ opera qui in mundo diabolo seruiunt lutea, & terrea. Huiusmodi erat turris Babylonis, quam illi aduersus Deum condiderunt, qui nomen suum immortalitati commẽdare volebãt. At cecidit turris, & ipsi confusi sunt, & in tartara præcipites ruerunt. Potest hæc litera sic ordinari: Omnis populus Ephraim, & habitantes Samariã dicentes in superbia & magnitudine cordis: lateres ceciderunt, & ea quæ sequuntur, scient Dominum eleuaturum esse hostes Rasin, &c.

g *Et eleuabit Dominꝰ hostes Rasin super eũ, & inimicos eius in tumultum vertet.*) Hoc est, Excitabit Dominus contra Rasin regem Syriæ Assyrios eius hostes,

A qui contra ipsum concitabuntur. Prædicit Propheta prælium illud, in quo rex Assyrius occidit Rasin regem Syriæ, quam historiam habes libro quarto Regum cap. sextodecimo.

h *Syriam ab Oriente.*) Hoc est, Excitabit Dominus contra Samariam Syros, & Palæstinos. Acsi dicat: Et Syria quæ pepigerat fœdus cum Samaria, ipsam Samariam oppugnabit, ita vt contra Israelem Syri ab Oriente, & Palæstini ab Occidente moueantur, & simul toto ore, hoc est auidissimè, deuorent Israelem. Et adhuc extenta est manus Domini super Israelitas, cósque ferire non cessat: At illi nec sic cæsi volũt se ad Dominum conuertere. Quid sit extendere manum, diximus alio in loco.

i *Et dispердet Dominus ab Israele caput & caudã, incuruantem & deprauantem die vna.*) Quid significetur per caput & caudã, explicat statim Propheta. Per incuruãtem & deprauantẽ eum intelligit, qui recta peruertit.

k *Et erunt qui beatum dicunt populum istum seducentes.*) Iuxta id quod dixit capite tertio: *populе meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Et qui beatificantur, præcipitati,* hoc est, in extremã pernicié adducũtur.

B l *Quia omnis hypocrita est, & nequam &c.*) Tres causas assignat, ob quas Deus populi Israelitici non misereatur: prima est hypocrisis, secũda nequitia, tertia amentia. Non solùm erant vitiis contaminati, sed volebãt fallaci virtutis imagine nefaria scelera cooperire: & quod deterius est, volebãt hęc verbis cõfirmare, & alios pestilẽtibus institutionibus corrũpere. Hypocrisis est capitalior & pernicioſior aperta iniquitate, quoniam in virtutis imagine delitescit. Nam vt in magno mari pernicioſiores sũt scopuli, qui breui operti aqua tristẽ ac cæcũ & miserabilẽ nõ obseruantibus inferunt interitũ, quàm rupes eminentes, quas nautæ facilè vitare possunt, sic hypocritæ qui in animi recessibus & latebris malitiã retinentes, speciẽ pietatis foris ostendunt, tetriores sunt, & capitaliores improbis illis, qui sunt ab omni virtutis simulatione alieni, quoniam horũ pestẽ poteris facilè fugere, illos autem virtutis personam induentes, nec citò cognosces, neq; eorũ dolum, & pernicié quam moliuntur, facilè declinabis. Est autem hypocrisis, vt definit Chrysologus, subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis.

similit.

m *Succensa est enim quasi impietas.*) Sensus est, impietas hostium Israelis accensa est, & non populum aliquem pium, & Deo deuotum, sed vepres & spinas, hoc est Israelitas sceleratos, Deóque suo inobedientes deuorabit. Comparat Propheta Israelem vepribus, & spinis, & syluæ à feris habitatæ.

n *Et conuoluetur in superbia fumi.*) Efferent se Assyrij, spoliabunt Israelitas tam nobiles quàm obscuros, sed eleuati veluti fumus dissipabuntur, & euanescunt. Nam Assyrij euerterunt Samariam, sed ipsi posteà perierunt. Aspicis hic impiorum gloriam & superbiam fumo comparari.

o *In ira Domini exercituum.*) Sumẽte Domino pœnas de Israele magnus erit mœror in ea terra, magna cõturbatio, & ardebit populus velut fomentũ ignis. Nemo cuiquã parcet, frater irruet in fratrem. Vnusquisque declinabit ad dexteram quærens victum, & comedet ad sinistram, hoc est occultè, ne aliquis eum videat comedentem id quod rapuit.

p *Vnusquisque carnem brachij sui vorabit.*) Fratres & & consanguineos brachia appellat. Sensus est, Vnusquisque irruet in consanguineos suos, Manasses spoliabit Ephraim, & Ephraim Manassem. Lege libros Regum, & Paralipomenon, & inuenies Israelitas bellis ciuilibus inter se dissidere, & posteà in Iudæ oppugnationem concordare.

ANNOTATIO.

1 Multiplicabitur eius imperium.] *Quemadmodum hoc de Ecclesia intelligatur explicauimus suo loco. Sed est magnoperè aduertendum in Hebraico ita scriptum esse:*

C לְמַרְבֵּה הַמִּשְׂרָה *lemarbeh hammisrah. Hebræi habent duplex, m, alterum scribitur in principio dictionis, & in medio, & est apertum, quod ita scribitur* מ *: alterũ nunquam ponitur nisi in fine dictionis, & ob eam causam terminale siue finale vocatur: & scribitur hoc modo,* ם*, & est vbique clausum, nullum habens exitum. Hoc est perpetuo verum, neque inuenies in tota sacra scriptura literam* מ *nisi in fine dictionis, excepto hoc versiculo Esaiæ, vbi litera,* מ *est in principio dictionis: nam illud* לִ *est præpositio, ad, quod certè non caret mysterio. Vir erat Esaias doctissimus, satisque habebat perspectum & exploratum, hanc literam no posse collocari nisi in fine dictionis: sed cùm hoc in loco eam in principio collocarit, non est dubiũ, quin hic lateat mysterium. Ex Hebræo potest verti:* Ad multiplicationẽ imperij, *vel ad multiplicandum imperiũ. Sed quia Esaias diuino lumine illustratus præuidebat, hoc Christi imperium in Ecclesia non esse à Iudæis intelligendum, voluit hoc scribere litera clausa, vt significaret fore hoc mysterium Iudæis clausum & abscoditũ, quod vsque hodie Iudæi ipsi non intelligunt. Et quoniam hoc Christi imperium nũquam esse desinet, voluit Propheta illud scribere litera clausa nullum exitũ habente, vt ostenderet fore Christi regnum perpetuum, nullúmque finem esse habiturum. Et hęc imperij multiplicatio ideò facta est, quia*

Psal. 75. *Deus factus est hodie, nam antè notus erat Deus in Iudæa: vt dicitur in Psalmo, & in solo Israele nomẽ eius celebrabatur, sed postquã filius Dei à cœlis in terras missus humanam naturam admirabili modo sibi copulauit, vt à nobis inferorũ pœnas, graues illas quidẽ sed iustas & debitas auerteret, hominũque genus a faucibus ipsius mortis sua morte liberaret, cognitio ipsius nominis sic omnes gẽtiũ regiones peragrauit, vt vana superstitione repudiata, homines etiam immanitate barbari & inculti, ipsum Christum intelligerent verum esse totius mundi machinę effectorem, & moderatorẽ: cuius numine & imperio omnia supera, media, ac infera continerentur. Eam ob causam in hoc admirabili versiculo, vbi diuinus vates imperij Christi multiplicationem prædicit, litera finali ad principium reuersa annotauit. Reuersa est igitur hæc litera retrorsum, vt etiam hac in re innueret propheta, filium Dei æqualem patri sumpturum esse humanam naturam, secũdu quam esset minor patre.* Exinaniuit *enim* semetipsum, *vt ait Apostolus*, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. *Huius figuram & imaginem gessit sol, quem reuersum fuisse retrorsum in horologio Achaz ad signum & confirmationẽ salutis regis Ezechiæ litera diuinæ testantur.*

Phil. 2. *Psal.* *4. Reg. 2.* *2 Par. 32.*

2 Incuruantem & deprauantẽ.] בִּכְפַּח רֹאשׁ וְזָנָב גֹּמֶא וְאָגְמוֹן *cippah veamon. Primum nomen à verbo* כָּפַף *, quod significat incuruare, in quam significationem sumitur à nostro interprete. Significat etiam ramum, sic à curuitate appellatum.* אָגְמוֹן *agmon significat paludem & stagnum, & iuncum, quoniam iuncus iuxta paludes nascitur. Apud hũc eundem Prophetam capite trigesimoquinto capitur pro iunco. Sic enim vertit interpres noster:* Viror calami & iunci. *Fortasse quia loca palustria insalubria sunt, & valetudinem deprauant, accipitur hoc in loco pro deprauante, quod quid significet suo loco explanauimus. Codices correcti habent ad marginem pro deprauãte, refrenantem. Diuus tamen Hieronymus in commentariis legit, deprauantem, & interpretatur recta peruertentem, quam ego interpretationem sum secutus. Potest hic locus rectè verti ex Hebraico:* Ramũ & iuncum, *hoc est, fortem & debilem, & ita vertit Pagninus. Septuaginta interpretes habent Magnum & paruum, magis sensum quàm verba ipsa transferentes.*

Argu

Argumentum capitis X.

Cum lex sit ratio prudentis iubens ea quæ facienda sunt, prohibensq; contraria, iuris ac iniuriæ, regula, ab illis solum debet ferri, & stabiliri, qui fuerint iustitia præditi, quique floruerint opibus sapientiæ, & in maximarum virtutum studia incubuerint. Videns autem Propheta leges condi ab hominibus indoctis, & nefariis, viduas & pupillos spoliantibus, & omnia ad sua propria commoda referentibus, inuehitur in legumlatores, minans illis miserias sempiternas. Vatic natur luctuosissimas strages Israeli ab Assyriis inferendas, eorumq; Assyriorum admirabilem cladem. Et capta occasione præcinit mysterium humanæ redemptionis, & ex innumerabili Iudæorum multitudine reliquias solùm esse salutem consecuturas. Tandem facit Deum loquentem, & Iudæos, quos erat de manu Sennacheribi erepturus, consolantem.

CAPVT X.

VAe [a] qui condunt leges iniquas: & scribentes, iniustitiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei: vt essent viduę præda eorum, & pupillos diriperent. [b] Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longe venientis? [c] Ad cuius confugietis auxilium? Et [d] vbi, derelinquetis gloriam vestram, ne incuruemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis? Super omnibus his nõ E est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. [e] Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eius indignatio mea. [f] Ad gentem fallacem mittam eum, & g contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædam, & ponam illum in conculcationem, [h] quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita existimabit: sed ad
B conterendum erit [i] cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum. Dicet enim: Nunquid non principes mei simul reges sunt? Nunquid non vt Chareamis, sic Calano: & vt Arphad sic Emath? Nunquid non vt Damascus, sic Samaria? Quomodo inuenit manus mea regna idoli, sic & simulachra eorum de Ierusalem, & de Samaria. Nunquid non sicut feci Samariæ, & idolis eius, sic faciam Ierusalem, & simulachris eius? Et erit: [k] cum impleuerit Dominus cuncta opera sua in mõte Sion, & in Ierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius.

EXPLANATIO.

a *Væ, qui condunt leges iniquas.)* Non appellat leges simpliciter, sed cum addito, *leges iniquas*. Vt enim medicorũ præcepta dici verè nõ possunt si quæ impij aut amentes pro salutaribus mortifera cõscribãt, sic nec leges appellari debent eæ, quæ populo inferant perniciem, aut detrimentum. At nullæ res capitalius inferunt exitium reipublicæ, quàm leges iniC quæ & iniustæ. Cùm enim illæ sint ciuitatis fundamẽta, necesse erit, nullam ibi consistere iustitiã, nullã pietatẽ, sed omnem populi impetum ad interitum spectare, & totã vrbem tandem euerti. Esse autem leges ciuitatũ fundamenta indicat sapientissimus, ac illustrissimus ille rex Dauid. Nã in eo Psalmo, vbi nos-
Phil. 2. *Psal. 10.* tra versio habet: *Quoniam quem perfeciſti destruxerũt*, potest verti ex litera Hebraica? *Quoniam fundamenta dissipata sunt*. Vbi per fundamenta leges significauit.
4. Reg. 2. *2 Par. 32.* Ita enim illũ locum vertit Symmachus: Quia leges dissipatæ sunt: Et eodem modo trãstulit Diuus Hieronymus ex Hebræo, quẽ posteà multi secuti sunt. Sunt enim leges bases, in quibus nititur ciuitatis salus. Quod intelligens elegans quidam poëta cecinit: Agnosco crines, incanáque mẽta Regis Romani, primus qui legibus vrbem fundauit. Et apud Platonem dialogo 4. de legibus ait Socrates, difficile esse ciuitatem bonis legibus fundari, indicans leges esse ciuitatis fundamenta. Alloquitur Esaias omnes iniquos legumlatores, præsertim Scribas & Pharisæos, quorũ impias traditiones Christus illis obiiciebat, vt est apud Matthæum cap. quintodecimo, & apud Marcum cap. septimo.

b *Quid facietis in die visitationis & calamitatis de lõginquo venientis?)* Hoc est, in die iudicij, quẽ prophe-
Sopho. 1. ta Sophonias appellat diem iræ, tribulationis, & angustiæ, calamitatis, & miseriæ. Vel per diẽ visitationis, & calamitatis de longinquo venientis, intelligit captiuitatem per Assyrios, vel per Romanos. Visitat nos Deus aliquando prospera tribuẽdo, vt nos ad sui amorem alliciat: aliquãdo inferendo aduersa, vt in ę- F rumnis ad eum conuertamur, iuxta id quod dicitur in Psalmo: *Conuersus sum in ærumna mea, dũ configitur spina*. Eodem modo Ieremias capite sexto tempus afflictionis tẽpus visitationis iis verbis appellat: *In tẽpore visitationis suæ corruent, dicit Dominus*. Et capite vigesimotertio: *Afferam super eos mala, annum visitationis eorum*. Obserua, calamitatem magnã vocat Esaias eam, quæ venit de longinquo. Vt enim fluuius ma- *simile.* gnus ortum habet in locis remotis, longéq; distantibus, & paulatim vires auget, & longius latiúsq; propagatur, donec impetu & rapidissima inundatione omnia secum rapiat & in immensum mare tiudat, sic acerba & luctuosa calamitas veniens de longinquo paulatim crescit, donec omnes oblectationes absorbeat, & in vastum ærumnarum gurgitem profundat.

c *Vbi relinquetis gloriã vestram.)* Eorũ vanitatem redarguit, qui celebritatẽ sermõnis hominum vitiorum plerũq; laudatricẽ, humanãq; gloriã fragilẽ, & inanẽ ardenter appetũt. Quasi dicat: Cùm gloria vestra nõ descẽsura sit vobiscũ, vbi manebitis, vbi eã relinquetis? Quid vobis proderit in illa die? Sic propheta in eo *Psal. 48.* Psalmo vbi eius miseriam ostendit, qui humanę laudis, rerúmq; caducarum cupiditati seruit, hæc verba scripta reliquit: *Cũ interierit, nõ sumet omnia, neq; descendet cũ eo gloria eius*. In libro Sapientiæ ita inducũ- *Sap. 5.* tur damnati loquentes: *Quid nobis profuit superbia: & diuitiarũ iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquã vmbra, & tanquã nuntius præcurrens*. Non est igitur ea mũdi gloria quærẽda, quæ est incerta, & in populi amẽtis opinione sita, quæ exiguis regionibus cõtinetur, & tẽpore breuissimo obscuratur, quę nos deserit, & obruitur interitu hominũ, posteritatisq; obliuione tandem extinguitur. Illud remanet, quod simus rectè factis, & virtute consecuti. Quid fingi potest leuius, & commutabilius, quàm mundi gloria? cùm mundus ipse eos quos anteà laudibus

A ampliſſimis extulerat, ſæpenumerò deprimat, eorúmque nomini anteà celebrato perpetuæ infamię & dedecoris notam inurat: eos autem qui anteà in obſcuritate latebant, nulla laude celebratos, in oculis omnium conſtituat, & ad cœlum extollat, vt inde eos præcipitet, in eóſque maiorem pernicię machi-
ſimilitudo netur. Vt enim arenæ horologium ſingulis horis reuoluitur, ſic mundus ſingulis horis mutatur: & vt ſuperior pars horologij, quæ plena erat, euacuatur, eiúſque arena impletur ea pars, quæ inferius vacua iacebat, ſtatim inferior fit ſuperior, & ea quæ altiorē locū occupabat, deſcendit deorſum, nec poteſt vna impleri, quin euacuetur altera, ſic ij qui anteà in honore & gloria erant conſtituti, opibus abſidantes, atque oblectationibus affluentes, omnia amittunt, & in labem ignominiæ vſque adeò incurrunt, vt nullum veſtigium priſtinæ dignitatis aliquando appareat: eorum autem opes & gloriam illi conſequuntur, qui anteà in imo vacui iacebant.

d *Ad cuius fugietis auxilium.)* Deo derelicto, & vobis irato, quis vobis opem feret? Oſtendit omnia humana præſidia & adiumenta ſine Deo inania eſſe, & pro nihilo ducenda. Iam dixi hæc referri ad tempus captiuitatis, aut ad diem extremi iudicij.

e *Væ Aſſur virga furoris mei.)* Volens Deus Iſraeliticum populū punire, vſus eſt miniſterio Sēnache-
B ribi Aſſyriorum regis, qui Iſraelem deleuit, & grauiter afflixit. Sed poſteà ipſum Sennacheribū percuſſit Deus, ſumens de illo iuſtas pœnas. Nā cùm ipſe poſt cladem illatam Samariæ voluiſſet occupare Hieroſolymam, & ſuo exercitu viam ad tyrannidē munire, fuit iuxta Hieſolymā duriter afflictus. Cùm ei angelus Domini nocte vna interfeciſſet cētum octoginta quinque millia hominum, ipſe turpiter fugit in regnum ſuum, vbi fuit à propriis filiis interfectus. Eſt igitur ſenſus: Væ tibi ô Sēnacheribe Aſſyriorum rex, qui futurus es virga furoris mei, tuo enim miniſterio ſum Iſraeli ſtragem illaturus, ſed poſteà dabis pœnas tuæ tyrannidis, & ſuperbiæ. Particula hoi, quæ eſt in Hebræo, poteſt eſſe aduerbium vocandi, & tunc erit ſenſus: Heus tu Sēnacheribe, eris virga furoris mei, &c. Diſcimus ex hoc loco, & aliis huiuſmodi, debere nos æquo animo ferre tyrānorum iniurias, afflictio-
C nes, exiſtimaréque nos in eas propter ſcelera noſtra meritiſſimò incidiſſe: eſſéque tyrannos flagellū, quo nos Deus punit, & caſtigat. At ipſi tyranni ne glorientur, non enim iuſtitia, neque ratione, nec viribus, ſed noſtris ſceleribus vincunt: nos enim illis arma porrigimus, quibus nobis inferunt immanem vaſtitatem. Sed vt pater filiū flagellat virga, quam finitis flagellis proiicit in ignem, ſic Deus punit multos D
medio hominum impiorum, quibus vtitur tanquam virga, at poſteà eos igne & temporalium, & æternarum afflictionum comburit. Voluit hoc in loco pro- *Ezech. 21*
pheta ſignificare id quod eſt Apud Ezechielem: *Mucro euagina te ad occidendum. Lima te, vt interficias, & fulgeas.* Et ſtatim paulo poſt: *Reuertere ad vaginam tuam, in loco in quo creatus es, in terra natiuitatis tuæ: iudicabo te, & effundam ſuper te indignationem meam: in igne furoris mei ſufflabo in te.*

f *Ad gentem fallacem mittam eum.)* Id eſt, ad Iſraelitas. Dicebāt enim, vt in capite decimonono Exodi ſcriptū legimus, *Cūcta quæ locutus eſt Dominus, faciemus.* Sed fidem fregerunt, & relicto Deo, inanes ac falſos deos turpiter adorarunt. *Exod. 19.*

g *Contra populū furoris mei.)* Id eſt, Cui ſum iratus.

h *Quaſi lutum platearum.)* Sic dicitur in Pſalmo: *Comminuam eos vt puluerem ante faciem venti, vt lutū platearum delebo eos.* Iniquos cōparat cum luto, qui omniū pedibus cōculcatur. *Pſal. 17.*

i *Et cor eius non ita exiſtimabit.)* Senſus eſt, Ego, ait Deus, præcipiam ei, vt populum direptioni committat, ſed non interficiat, vulneret, ſed non vitam auferat: ipſe autem mandatum non cōſiderabit, nec ita perpendet: ſed excedet: exiſtimabit enim ſe interfecturum eſſe gentes multas, attribuens ſuis viribus victoriam: & dicet: Nónne quemadmodū expugnaui Charcamas, Calanum, Arphad, Hemath, Damaſcum, & Samariam, ſic expugnabo Hieroſolymam? Quemadmodum cepi multas regiones, ſic capiam cæteras alias. Vide hominis arrogantiam & inſolentiā. Vide quā ſibi fœlicitatem pollicebatur impius homo. At multò aliter illi accidit, nā eius exercitum cædes teterrimas ſpirantē, & Iudæos ad immanem vaſtitatem & luctuoſum vocantem, occidit vna nocte diuinus quidā angelus. Non enim paſſus eſt Deus ciuitatem ſuam ſanctam diutius in tot calamitatibus iacere, & immaniſſimum tyrranum imperare. Aſpice quàm fallax ſit hominū ſpes, quæ non in Deo, ſed in mundo eſt cōſtituta. Duabus in rebus rex Aſſur, crudelitate, & arrogantia: nam potentia ad perniciem miſerorum abutebatur, ſeque inſolenter efferebat. Sed fefellit eum ſpes eius, iuxta id quod di-
citur in libro Iob: *Ecce ſpes eius fruſtrabitur eū, & vi-* *Iob. 49.*
dentibus cunctis præcipitabitur. F

k *Cùm compleuerit Dominus cuncta opera ſua in mōte Sion.)* Hoc eſt, Poſt euerſionem Samariæ, & obſidionem atq; afflictionē Hieroſolymæ perdet Dominus Sennacheribum Aſſyriorum regem, propter eius ſuperbiam, & immanitatem.

ſimilitudo

ANNOTATIONES ex Hebræo in CAPVT X.

1 Vbi derelinquetis gloriam veſtram, ne incuruemini ſub vinculo, & cum interfectis cadatis?] *Pagninus vertit,* Vbi derelinquetis gloriam veſtrā? Non euadet quiſpiā, niſi qui incuruauerit ſe inter vinctos, & inter interfectos ſe proſtrauerit. *Ita hūc locū interpretati ſunt nonnulli, vt refert in cōmētariis R. Dauid. Poteris vertere:* Vbi derelinquetis gloriā veſtram? Quia non eſtis mei, corruetis inter vinctos, & cū interfectis cadetis. *Huic verſioni fauet interpretatio R. Abraham. Ita enim hūc locū enarrat: Quia populus hic abſque me nō eſt populus meus, neque mihi obtēperat, propterea incuruabit ſe ſub vincto. Vbi vides eos gloria priuari, & in dedecus & ignominiā incurrere, qui ad id furoris & amētiæ perducuntur, vt Deo contēpto, impetu inſatiabiliū cupiditatū ad omne flagitiorū genus incitentur. Vera gloria eſt in maximarū virtutū laude cōſtituta, & hęc nec naufragio amittitur, neque direptioni cōmittitur, neque vllā tēporum varietate mutatur. Illa verò quę nō oritur à virtute, inanis eſt, & fallax, dignitatis cupida, ſed omni dignitate priuata: quę, quoniā nō eſt glorię, ſed gloriæ ficta imitatrix, facilè ruit & penitus euaneſcit.*

Dixit enim: In fortitudine manus meę feci, & in ſapiētia mea intellexi: & abſtuli terminos populorum, & principes eorum deprędatus ſum, & detraxi quaſi potēs in ſublimi reſidētes. Et inuenit quaſi nidum manus mea, fortitudinem populorum. Et ſicut colliguntur, oua, quæ derelicta ſunt, ſic vniuerſam terram ego congregaui: & non fuit qui moueret pennam, & aperiret os, &

A os, & ganniret. Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur? Quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus, qui vtique lignum est. Propter b hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem: c & subtus gloria eius succensa ardebit quasi combustio ignis. d Et erit lumen Israel in igne, & sanctus eius in flamma, & succendetur, & deuorabitur spina eius & vepres e in die vna. f Et gloria saltus eius, & Carmeli eius g ab anima vsque ad carnem consumetur, h & erit terrore profugus. Et reliquiæ ligni saltus eius præ paucitate numerabuntur, & puer scribet eos. D

a *Et inuenit quasi nidum.*) Verba sunt Sennacheribi Assyriorum regis. Quasi dicat: Ego manu mea apprehendi totum orbem quasi nidum passerculi, & omnes homines cepi, ac si essent oua relicta in nido à matre. Et quia translationem sumpsit ab auibus, eam seruat dicens: *Et non fuit qui moueret pennam*: Ac si diceret: Tantus fuit timor ac terror meæ fortitudinis & potentiæ, vt nemo auderet mihi resistere, ne fletum quidem prodere.

b *Propter hoc mittet dominator Dominus.*) Quoniã tam insolenter se extulit Sennacheribus, vt superbas minitationes arroganter iactaret, mittet Deus angelũ suum, qui eius exercitui mirabiles inferat strages. Mittet in pinguibus eius tenuitatem, hoc est, fortissimos eius vita priuabit: vt in illud exitium incurrãt, quod aliis intentabant.

c *Et subtus gloria eius succensa ardebit quasi combustio ignis.*) Magnũ Sennacheribi exercitum appellat gloriã eius, qui nocte vna, acsi igne flagraret, fuit in fauillã redactus. Ferunt Hebræi fuisse Assyriorũ corpora intus occulto ardore cõbusta remanentibus vestibus illæsis. Ideò dicitur: Et subtus, id est sub vestibus, gloria eius, id est exercitus eius, ardebit.

d *Et erit lumen Israel in igne, & sanctus eius in flãma.*) B Hoc est, Deus qui est lumen Israelis, & sanctificator eius, qui Israelem illuminat, & sanctificat, erit tanquam ignis & flamma ad spinas & vepres, hoc est, ad Assyrios comburendum. Sunt qui per lumen Israelis, Angelum qui Assyrios interfecit, intelligant. Comparat propheta milites Assyrios spinis & vepribus, quòd soleant milites esse molestissimi. Vel sic: & Hierosolyma quæ est lumen Israelis illustrabitur, & viri iusti laude celebrabunt.

e *In die vna.*) Intellige diem naturalem, qui noctẽ etiam complectitur, fuit enim hæc Assyriorum clades nocte quadam illata. Habes hanc historiam libro quarto Regum, cap. decimonono.

f *Et gloria saltus eius.*) Hoc est, Duces & nobiles exercitus Assyriorum peribunt. Vel per saltum & Carmelum variis arboribus consitum intelligitur totus exercitus, quòd esset ex omni hominum varietate congregatus.

g *Ab anima vsque ad carnem.*) Hoc ideò dicit, quia non solùm eorum corpora occisa sunt, sed etiam eorum animæ ad cæcas inferorum latebras, & æternas miserias detrusæ fuerunt.

h *Et erit in terrore profugus.*) Hoc est, Sẽnacheribus perdito exercitu suo dabit se fugæ timore perterritus, & de tam innumerabili multitudine, quæ saltui & Carmelo comparatur, tam pauci euadent, & cum rege fugient, vt puer paruulus eos possit numerare. Tradunt Hebræi decem tantùm remansisse, qui cum Sennacheribo se in fugam coniecerunt. E

ANNOTATIO.

2 Et principes eorum deprædatus sum.] *In Hebraico est* רעתיר חיתם *raath idhothehem*, *verbũ est* עתר *athadh, quod significat parare, & præparare. Vnde potest verti ex Hebraico*, Et parata siue præparata ipsorum deprædatus sum. *Et quoniam*, thesauri parantur, *vertit Pagninus*: Et thesauros eorum deprædatus sum. *Hinc hirci maiores qui præcedunt capras, & viam præparant* עתודים *attudhim appellantur: Et per translationem principes & magnates qui populum præcedunt: quam significationem secutus est noster interpres. Vnde apud Zachariam capite decimo, vbi editio vulgata habet*, super hircos visitabo, *poterat Latine reddi ex Hebræo*: super principes visitabo. *Aspicis igitur principes ac præsules ob eam causam hircos appellari: quia præcedere debent, & viam subiectis aperire, essẽque in principio, tanquam clypeos totum exercitum protegentes. Eam ob causam clypei vocãtur. Et in psalmo quadragesimosexto vbi editio vulgata habet*: Quoniã dij fortes terræ vehementer eleuati sunt, *potest rectissimè verti ex Hebræo*: Quoniã Deo adhærẽrũt clypei terræ, vehemẽter eleuatus est. *Quos in principio carminis principes populorũ vocat, eos nunc clypeos terræ appellat, propterea quòd eorum virtute ac tutela populi muniãtur. Et apud Oseam c. 4. vbi communis versio habet*: Dilexerunt afferre ignominiam protectores eius, *potest verti*, clypei eius, *pro quo Pagninus vertit*: principes eius: *est enim in Hebraico*, מגביה: *quo propriè significat scuta eius siue clypeos eius.* F

Iob. 49. F

C Et erit in die illa: [a] Nõ adiiciet residuum Israel, & hi qui fugerint de domo Iacob, innitisuper eo
Rom. 9. f. qui percutit eos, sed innitetur super Dominũ sanctũ Israel, in veritate. [b] Reliquiæ conuertentur, re-
Infrà. 28. liquiæ, inquã Iacob ad Deũ fortem. Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ cõuertentur: ex eo cõsumatio abbreuiata inũdabit iustitiã. [c] Cõsumationẽ enim & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ. Propter hęc dicit Dominus Deus exercituũ: [d] Noli timere populus meus habitator Sion ab Assur: in virga enim percutiet te, & [1] baculũ suũ leuabit super te in via Aegypti. Adhuc enim paululũ modicũq; & cõsumabitur indignatio mea, & furor meus super scelus eorũ. Et susciabit super eũ Dñs exercituũ flagellũ, iuxta plagã Madian in
Iud. 7. g. petra Oreb, & virgã suã super mare, & leuabit eã in via Aegypti. Et erit in die illa: Auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & [2] cõputrescet iugũ à facie olei. [e] Veniet in Aiath, transibit in Magron, apud Machmas cõmendabit vasa sua. Transierunt cursim Gaba sedes nostra, [g] obstupuit Rama, Gabaath Saulis fugit. Hinni voce tua filia, Gallim attende Laisa, paupercula Anathoh. Migrauit Medemena: habitatores Gabim confortamini. Adhuc dies est, vt in Nobe stetur: hagitabit manum suam super montem filiæ Sion, & collem Hierusalem. Ecce dominator Dominus exercituum [1] confringet [3] lagunculam in terrore, & [k] excelsi statura succidentur, & sublimes humiliabuntur. [4] Et subuertentur condensa saltus eius ferro: & [4] Libanus cum excelsis cadet.

Non

A a *Non adiiciet reſiduum Iſrael.*) Senſus eſt, Euerſis Aſſyriis,qui Hieroſolymæ cum rege Ezechia habitauerint,non fident hominibus, à quibus percutientur. Sed omnem ſuam ſpem in Deo collocabunt. Hoc ideò vates ſanctus dicit, quia tunc regnante Achaz multi ex Iudæis fidebant Aſſyriis, ab eiſque
1.Reg.16 præſidium expectabant. Lege quartum librum Regum:ibi hoc inuenies.Id autem quod hîc dicitur:*Et hi qui fugerint de domo Iacob*,intelligitur de nõnullis Iſraelitis, qui vaſtata Samaria, ductiſque ab Aſſyriis decem tribubus,dederunt ſe fugæ, & non audentes ad Samariam reuerti,ad Ezechiam regem Iudæ confugerunt. Et omnes tam ex duabus, quàm ex decem tribubus,quos Deus ſeruauit,relictis idolis,repudiatáque vanaſuperſtitione,Deum verè coluerunt, qui impiorum vires opéſque confregerat,in eóqueſpem omnem ſuam collocarunt.

b *Reliquiæ conuertentur.*) Reliquias appellat Hebræos illos,qui ex infinita multitudine euaſerũt.Sed mente intuebatur Propheta fore, vt pauci ex Iudæis in Chriſtum crederent. Erat enim illud vmbra quæ-
B dam, & imago earum rerum quæ erant venturæ. Has reliquias appellauit ſemen capite primo.Diuus Pau-
Rom.9. lus in epiſtola ad Romanos volens oſtendere nõ eſſe mirum tam paucos Iudæos in Chriſtum credere, citat hunc locum. Et quemadmodum ſolùm illi qui Hieroſolymæ habitabant, & ad eam confugerunt, conſecuti ſunt ſalutem & honorem, ſic illi tantùm qui in Eccleſia ſunt, diuinas laudes in celeberrimo conuentu prædicantes, veram ſalutem & honorem adipiſcuntur.Omnibus autem aliis ſecluſum eſt iter à cõcilio cœlitum,& in æternos cruciatus relegãtur.

c *Conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam.*) Hoc eſt, Ex compendioſa fidei prædicatione magna iuſtitiæ copia,quæ nomine inũdationis intelligitur, proficiſcetur. Compendiatum eſt enim nouum Teſtamentum, & à legis laciniosis oneribus expeditum. Ita hũc locum explanat Tertullianus aduerſus Marcionem.Pro cunctis legis ceremoniis puritas Euangelica ſucceſſit. Vide quàm abbreuiatus ſit ſermo
Matt.22. Euangelicus. Apud Matthæum ait Chriſtus: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus mãdatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ.* Sunt qui ita hunc
C locum interpretentur. Conſummatio abbreuiata, hoc eſt illorum paucitas,qui ex Iudæis ſalutem conſequentur, inundabit iuſtitiam, hoc eſt, erit iuſtitia prædita. Quaſi dicat: Solùm in Chriſtianis inuenietur vera iuſtitia. Poteſt ſic explanari, & rectè meo iudicio, vt ſit ſenſus: ideò pauci ſalui erunt, quoniam conſumptio Iudæorum erit deciſa, & abbreuiata in iuſtificatione: hoc eſt, quoniam conſumet Deus, & perdet maiorem partem Iſraelis, & pauci iuſtificabuntur, & hoc iuſto iudicio. Ideò ne mireris eſſe tam paucos ſalutem conſecuturos, nam conſummationem & abbreuiationem dominus Deus exercituum faciet in medio terrę,hoc eſt, Nam ſtatuit Dominus decurtare & breuem facere populum Iudæorum illorum,qui ſalui futuri ſunt, & omnes infideles perdere,& hanc decurtationem faciet in medio terræ,hoc eſt in Iudæa, quę eſt in medio terræ ſita: ibi enim conuertentur nõnulli, & Euangelium recipient: cæteri verò qui in infidelitate & contumacia permanſerint à Romanis partim occidentur, partim capiẽtur, & miſera ſeruitute oppreſſi in varias mundi plagas relegabuntur.

d *Noli timere.*) Senſus eſt: Quanquam tibi videtur,difficile ô populeIudæ,eſſe te ab Aſſyriis liberãdum,cùm ipſi ſuperauerint gẽtes innũmerabiles, diuitiarũ abũdantia affluentes,nec ſit vlla tanta vis,tã- D
ta copia,quæ illi reſiſtere poſſe videatur,tu tamẽ noli timere,nam de manibus eorũ ſine dubio eripieris: neq; te gladio,ſed virga percutiet.Pergens rex Aſſyrius cõtra Tarachã regem Aethiopiæ, & Aegyptios verſus mare Rubrum per viam Aegypti, baculũ ſuũ leuabit contra te, ſed ferire non poterit. Et paulò pòſt reuerſus ab Aegypto cum innumerabili exercitu,atq; expugnare te cupiẽs, ſtatim mea indignatione punietur,& in eam perniciem incurret, quam tibi fuerat machinatus:feriã enim illũ eo flagello, quod quõdam aduerſus Madianitas ſub Gedeone ſuſcitaui,quando Oreb & Zeb principes Madianitarũ occiſi ſunt ſuper petrã.Leuabit igitur virgam ſuã ſuper mare Rubrũ,pergẽs aduerſus Aethiopes, & reuertẽs ad te per viã Aegypti.Sed cũ primũ venerit ab Aegypto,luet ſuorum ſcelerũ pœnas:auferetur onus ab E
humeris tuis,& iugũ imperij eius à facie olei,hoc eſt diuina miſericordia computreſcet. Habes hanc hiſtoriam Madianitarum libro Iudicum capite ſeptimo.Id verò quod dicitur:*Virgam ſuam ſuper mare, & leuabit eam in via Aegypti*: poteſt habere hunc ſenſum:Quemadmodum Deus olim aquis maris Rubri Aegyptios ſubuertit,& obruit eleuatione virgæ per Moyſem,ſic modò exercitum Sẽnacheribi vna nocte percutiet eleuata virga,hoc eſt acriter & duriter: ſolent enim qui aſperè cædere & percutere volunt, virgam eleuare.

e *Veniet in Aiath.*) Deſcribit iter & pompam exercitus Sẽnacheribi.Veniens ex Aegypto,inquit,Hieroſolymã petens,primò conferet ſe in Aiath,inde in Magron.Et ob fiduciã eã expugnandi reponet apud Machmas ſarcinas ſuas quaſi ſtatim euerſa vrbe reuerſurus.Trãſibit curſim nullo obſtaculo impeditus.

f *Gaba ſedes noſtra.*) Verba ſunt exercitus requieſcentis in Gaba.

g *Obſtupuit Rama.*) Hoc eſt, Rama vrbs vicina terrebitur, & ciues Gabaath, quæ fuit Saulis quondam ciuitas, fugient. Tunc tu tu filia Gallim clama veluti equus hinniens,vt te audientes fugiant.

h *Agitabit manum ſuam.*) Hoc eſt,oſtendet Senna- F
cheribus agitatione brachij ſuam fortitudinem, & audaciam,contemnens Hieroſolymam, & admirans ciuitatem illam ſibi auſam fuiſſe repugnare, eamque concuſſa manu ſua minabitur.

i *Confringet lagunculam.*) Deſcribit ſanctus vates Sennacheribi,eiúſque exercitus admirabile exitium. Et appellat ipſum Sennacheribum lagunculam ſiue hydriam fictilem.Vide cuì cõpararur rex ille potẽria ac fortitudine inſignis,arrogãtia ac incredibili ſuperbia elatus,qui exiſtimabat nullã eſſe tãtã vim ac potentiã,quæ eum de florenti rerũ ſuarum ſtatu poſſet vnquam deiicere.Quid fragilius hydria fictili? Et tamen cum ea comparatur rex ille, qui ſibi perpetuam fœlicitatẽ pollicebatur.Salomon ille ſapientia præſtanti duodecimo capite eius libri, qui inſcribitur Eccleſiaſtes,hominum vitam cum hydria conferebat.

k *Excelſi ſtatura occidentur.*) Hoc eſt,duces & magnates exercitus Aſſyriorum peribunt. Non enim permiſit ſummus ille omnium rerum moderator & Dominus impios ac arrogantes homines diutius viuere. Extulit aliquando vltricem manum ſuam, vt eos ſublimi gladio mirabiliter occideret.

l *Subuertentur condenſa ſaltus eius ferro.*) Hoc eſt totus exercitus interficietur. Ideò exercitum cum ſaltu & ſylua comparat, quia vt in ſylua ſunt varia arborum genera, quædam humiles & abiectæ, quædam verò proceritate pręſtantes, ſic exercitus eſt ex omni hominum varietate collectus. Comparat præterea duces & viros nobiles cum excelſis arboribus Libani facilè cadentibus.

AN-

ANNOTATIO.

1 Baculum ſuum leuabit ſuper te in via Ægypti.] *Pro* in via *in Hebraico eſt* בדרך *bedharæc. Noman, dærac. ſignificat viam, morem, conſuetudinem, & modum. Vnde poterat verti:* more Ægypti. *Et in primo Pſalmo vbi in editione vulgata eſt:* Et in via peccatorum non ſtetit, *poterat verti:* Et in conſuetudine peccatorum non ſtetit. *Ac ſi diceret: Et turpem ac vitioſam viuendi rationem, improborumq; conſuetudinem, & mores, non eſt conſectatus. Et Prouerbiorum capite vigeſimooctauo, vbi noſtra verſio habet:* Melior eſt pauper ambulans in ſimplicitate ſua, quàm diues in prauis itineribus, *poterat verti:* quàm diues prauus in viis ſuis, *vel in moribus ſuis. Eſt igitur horum verborum Eſaiæ ſenſus: Aſſyrius te percutiet more Ægypti, quemadmodum te percuſſit Aegyptus. At Dominus eum percutiet, quemadmodum percuſſit Ægyptios, qui te percuſſerant.*

Pſal. 1.

Prou. 28.

2 Computreſcet iugum à facie olei.] *In Hebræo eſt:* computreſcet iugum. מפני שמן *mippene xaman, quod poteſt verti:* Propter pinguedinem: *Vt ſit ſenſus: Propter pinguedinem Ezechiæ corrumpetur iugum Sennacheribi, vt capiatur pinguedo pro fortitudine, quemadmodum pinguis pro forti & robuſto, vt hoc eodem capite,* Mittet dominator dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem. *Sed hoc eſt ſine dubio de Chriſto intelligendum: quod & Targhum apertè oſtendit: ita enim habet:* Et conterentur populi à facie Chriſti. *Poterat igitur verti:* Computreſcet iugum à facie vncti, *hoc eſt Chriſti. Quod non ſolùm de iugo quo Sennacheribus Iudæos oppreſſerat, intelligitur, ſed etiam de iugo illo aſperrimo, quo diabolus mundum ſubiugauerat. Et nunc qui mortifera labe fuerit contaminatus, & diaboli iugo oppreſſus, à facie Chriſti liberatur. Si enim Chriſtus ad peccatorem faciem ſuam conuertat, eúmque oculis diuinæ pietatis aſpiciat, ſtatim iugum damonis confringitur, & penitus computreſcit. Tranſiens Ieſus, videnſque hominem ſedentem in telonio nomine Matthæum, ait illi: Sequere me, qui ſurgens eum ſecutus eſt. Vide quid fecerit Chriſti viſus, ſtatim ſolutum eſt iugum diaboli, & Matthæus ab aſperrima ſeruitute liberatus Chriſtum ſecutus eſt. Vt enim in cera dura ſint ſigillo aliquo impreſſa alta mœnia, vrbes, mõtes, terræ & maria, omnia hæc ſoluũtur, & pereunt, ſi ſol ceram aſpiciat, & radiorum ſuorum feruore eam feriat, & liquefaciat: ſic ſi animum illum, in quo velut in dura cera ſint impreſſæ & ſculptæ õmnes mundi vanitates, opes, imperia, magiſtratus, ſol ille iuſtitiæ ſummus & æternus Chriſtus Deus noſter oculis ſuæ miſericordiæ reſpiciat, ſtatim omnia illa delentur, & animus radiis ac calore diuini amoris ſaucius fluit, & rerum faſtus ac vanitates illæ euaneſcunt. Id conſiderans & intelligens illuſtriſſimus vates dicebat in Pſalmo:* Reſpice in me Domine, & miſerere mei. *Vnde dicitur Deus videre id quod diligit, quemadmodum in Leuitico:* Reſpiciam, vos, *inquit,* & creſcere faciam. *Et in Pſalmo:* Aequitatem vidit vultus eius: *quod poteſt verti:* Aequum ſiue rectum aſpicit vultus eius, *hoc eſt, iuſtitiæ colentem Deus placidis oculis intuetur. Contrà ab iis quos odit dicitur oculos auertere. Quod ſentiens* Dauid, Ne auertas, *inquit,* faciem tuam à me. *Hoc voluit ſignificare ſcriptura in libro Geneſis ita dicens:* Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Caim autem, & ad munera illius non reſpexit.

Pſal. 18. Leui. 26. Pſal. 10. Pſal. 26. Gen. 4.

3 Confringet lagunculam in terrore.] *Pro lagunc. in Hebraico eſt* מארה, *purah, qua dictio ſignificat lagunculam, hydriam, ollam, gloriam, pulchritudinem, ramum, quòd ramus ſit arboris pulchritudo. Hac ratione ductus Pagninus vertit pro lagunc. ramum.*

4 Libanus cum excelſis cadet.] *Poteſt verti:* Libanus per fortem cadet: *vt per fortem intelligat Dei angelum, qui exercitum Aſſyriorum Libano comparatum mirabiliter occidit.*

Argumentum capitis XI.

Dixerat ſuperiore capite diuinus vates reliquias Iſraelis conuertẽdas eſſe ad Chriſtum, 1 nunc vaticinatur fore, vt ipſe Chriſtus naſceretur ex beatiſſima virgine, quæ eſſet ex familia Ieſſe, qui fuit pater Dauidis regis illuſtriſſimi. 2 Deſcribit regnum Meſſiæ, & ſpiritualem Iſraelis liberationem. 3 Prædicit glorioſum ſeruatoris noſtri ſepulchrum, eſſéque longè latéque propagandam eius fidem, atque gentes vocandas ad pietatem, & puram religionem ſanctitatis pleniſſimam amplectẽdam, qua veritatis oblita, falſiſque opinionibus depranata, vanam ſuperſtitionẽ pro vera religione, & res creatas pro mũdi creatore colebãt. Intelligi totũ hoc caput de Meſſia regni Iſraelis reparatore, etiam Iudæi ipſi teſtantur. Sed illi hãc reparationem terrenã fore exiſtimãt, nos verò ſpiritualem fuiſſe verè ac conſtanter aſſerimus. Illi Meſſiam ſperant venturum, nos venuiſſe, hominibusq; aditum ad cæleſtia aperuiſſe non dubitamus.

CAPVT XI.

ET egredietur [a] virga de radice Ieſſe, & [b] flos de radice eius aſcendet. [c] Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, [d] Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis. Et replebit eum Spiritus timoris Domini. [e] Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit [f] neque ſecundum auditum aurium arguet. [g] Sed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ, & [h] percutiet terram virga oris ſui, & [i] Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. [k] Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo & ouis ſimul morabuntur, [l] & puer paruulus minabit eos.

Act. 13. d

2. Thes. 2. e

Infrà. 65

EXPLANATIO.

a *Virga de radice Ieſſe.*) Hęc virga eſt illa clariſſima virgo Maria, de qua ſuprà dixerat: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Huius gerebat imaginem admiranda illa Aaronis virga, quæ mirabiliter fronduit, floruit, & fructum tulit. Sed mirandum videtur, cùm hæc ſanctiſſima virgo genus duxerit ab ampliſſimo rege Dauide, cur eam ortam eſſe dicat à Ieſſe, homine ſuo tempore admodùm celebrato. Ego exiſtimo. ob eam cauſam potius factam eſſe mentionem Ieſſe, quàm Dauidis, vt intelligeremus non eſſe contemnenda ea, quæ mundus deſpicit, & pro

Sup. 7.

Num. 27.

A & pro nihilo putat, cùm fieri possit, vt ex illis egregium quippiam, & excellens oriatur. Ex Iesse homine non admodùm illustri, ortus est Dauid, qui suis maioribus excellenti sua sapientia & sanctitate præluxit, fuitque posteris suis: quasi quoddam nobilitatis initium, & virtutis exemplum. Ex pastore ouium, ex illo humili officio & abiecto in regiam dignitatem euectus, fuit summa ac illustrissima laude celebratus. Sed temporis progressu ex eius ampla & celebri familia natus est Ioseph sponsus virginis Mariæ, vir pauper, faber, & humilis, sine vlla pompa & apparatu. Considera obsecro, & animaduerte huius mundi vicissitudines & varietates.

b *Et flos de radice eius ascendet.*) Hic flos, qui de radice Iesse per virgam illam omnibus virtutis ac sapientiæ opibus florentissimam ascendit, Christus est, filius Dei vnigenitus, verus Mariæ, virginis filius: qui flos est, vt ipse in Canticis testatur his verbis: *Ego flos campi & lilium conuallium.* Diuus Ambrosius in libro secundo de Spiritu sancto hunc locum enarrans, Radix, inquit, Iesse patriarchæ familia est Iudæorum: virga Maria: ô flos Mariæ Christus, qui bonum odorem fidei toto sparsurus orbe virginali ex vtero germinauit! Hactenus ille. Sed non vacat mysterio, appellari Christum florem campi, non horti. Nam flos horti arte humana excolitur, campus verò ex semetipso, absque hominum industria producit flores. Campus hic nec sulcatus vomere, neque defossus sarculo, nec manu hominis seminatus, virgo est gloriosa Maria quæ diuina operante virtute Christum florem campi protulit mundo. Vocatur etiam flos campi non horti, quia vt in horto flos clauditur, nec omnibus exponitur, flos autẽ campi omnibus patet: sic Christus natus est, non vt vni homini tantùm prodesset, sed vt omnibus ostenderet veram & constantem virtutis rationem, docerétque quibus ornamentis deberent homines decorare animum, quibúsque gradibus possent ad beatitudinem ascendere, & tandem vt omnes ad sedes illas sempiternas, summi gaudij plenissimas vocaret. *Vult enim Deus*, vt ait Apostolus in epistola prima ad Timotheum, *omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis accedere.* Potest alia ratio assignari, quare flos campi & non horti appelletur, quia vt flos in campo pedibus brutorum conculcatur & teritur: sic ipse à Iudæis bruta ipsa immanitate superantibus despectus est, & conculcatus, crucique grauissimis cruciatibus affixus. Qui hic appellatur flos, appellatur suprà germen capite 4. & Ierem. capite trigesimotertio.

Cant. 2. Ambros.

B

C

Zach. 3.

c *Et requiescet super eum Spiritus Domini.*) Super Christum, inquit, qui de trunco Iesse per Mariam virginem consurget, requiescet Spiritus Domini. *In ipso enim*, vt ait Apostolus in epistola ad Colossenses, *complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare.* Requieuit igitur in Filio Spiritus Domini, hoc est, æterna habitatione permansit: non vt auolaret, & rursum ad eum descenderet, sed iuxta Ioannis Baptistæ testimonium iugiter permaneret, qui ait, *vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo & mansit super eum*, vt refert Diuus Ioannes capite primo. Tu verò considera ea, quæ Dei sunt, permanentia esse & stabilia: ea verò, quæ mundi sunt fluxa & incerta.

d *Spiritus sapientiæ & intellectus.*) Vnus est Spiritus sanctus, sed virtutum omnium fons atque principiũ. Vnde absque eo nec sapiens quis esse potest, neque intelligens, neque consiliarius neque fortis, neque eruditus, neque pius, neque plenus timoris Dei. Hic numerus septenarius in illo lapide significatur, de quo ait Zacharias: *Super lapidem vnum septem oculi sunt.* Hic lapis Christus est, super quem sunt septem charismata Spiritus sancti, quibus cœlestibus ac diuinis muneribus ille fuit cumulatus secundum excellentissimos vsus ipsorum, secundum quos habentur in patria. Quod autem dicitur de Spiritu timoris, intelligitur hic de timore casto, qui est reuerentiæ, de quo ait Apostolus in epistola ad Hebræos: *Exauditus est pro sua reuerentia.*

D

e *Non secundum visionem oculorum iudicabit.*) Hoc est, non iudicabit iuxta id quod prima specie apparet, sed rem intrà penetrabit, & mentis oculis intuebitur. In Psalmo octogesimo primo, vbi propheta inducit Deum acriter reprehendentem iniquos populi sui iudices, sic eum loquentem facit: *Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?* Quasi dicat: Cur ô iniqui iudices primam faciem solùm scelerum respicitis, ipsam autem scelerum substantiam non consideratis? Quanquam potest esse sensus illius Psalmi: Cur improborum gratiam & fauorem aucupamini? Sed quoniam hæc verba Esaiæ intelliguntur absque dubio de Christo, possunt habere hunc sensum: Non illi opus erit rem oculis corporis aspicere, quoniam Deus est, omnia intelligẽs, cui omnia sunt nuda & aperta.

Psal. 81.

E

f *Neque secundum auditum aurium arguet.*) Aspicis hìc non debere iudices statim vnius relatione aduersus alterum sententiam ferre, sed, remprius accurate perpendere, & examinare.

g *Sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in aequitate pro mansuetis terræ.* Hoc est fauebit afflictis, inopibus, & calamitosis, propter quos iniquos homines obiurgabit. Non enim patietur pios viros impiorum hominum calumniis vexari, & torqueri. Simile est huic testimonio id, quod de Christo dicitur in Psalmo: *Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.* Intelligi autẽ locũ illum de Christo, indicat id, quod sequitur: *Et permanebit cum sole & ante lunam in generatione & generationem.* Acsi diceret: Hic rex, de quo loquor, æternus est, & quandiu sol & luna luce sua mundum lustrauerint, permanebit. Et paulò post: *Liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor.* Per potentem quem calumniatorem vocat, non solùm impius homo sed etiam diabolus intelligitur, à quo nos Christus vindex nostræ libertatis eripuit. Hæc conconsiderent principes & iudices, qui Christum imitari cupiunt. Qui calumniatoribus fauent, Christum non imitantur. Qui amore, aut odio, aut quauis animi passione iudicant, veri iudicis sectatores non sunt.

Psal. 71.

F

h *Percutiet terram virga oris sui.*) Hoc est, iniquos reprehendet & puniet. Per terram homines terræ deditos intelligit, qui cœlestia non intuentur sed ea, quæ sunt terræ: opes, honores, & voluptates, ardenter appetunt, & querunt. Vide peccati miseriam & infœlicitatem. Efficit vt homo cœlum, ad quod fuit creatus, non aspiciat: sed solùm terram à brutis etiam possessam intueatur. Nam cùm omnes alios animantes natura pronos ad pastum finxisset, solum hominem erexit, & ad cœli quasi suæ patriæ & domicilij conspectum excitauit. At peccatum hominem deprimit: quo fit vt non homo, sed terra infimum elementum appelletur.

Psal. 9.

i *Et spiritu labiorum suorum interficiet impium.*) Faciet suo verbo Dominus, vt impius non iam impius nominetur & sit. Hoc est, Christus conuertet ad se impios. In Psalmo nono scriptum legimus: *Increpasti gentes, & periit impius, nomen eorum delesti in æternum, & in seculum seculi.* Quasi dicat: Tu Domine tuorum Apostolorum concionibus obiurgabis gentes, earúmque intemperantiam, & in omni vitiorum genere insi-

A insatiabilẽ cupiditatem increpabis:& impius quoad impietatem peribit:nõ enim patieris homines in tot tenebris diutius versari:& nomen idololatrarũ delebis,vt non iam infideles sed fideles nominẽtur. Cõsidera periphrasim verbi Dei,spiritus labiorũ suorum dicitur:Verbũ Dei est validus ille & acutus gladius, quo superbi Goliath caput amputatur, hoc est, quo diabolus vincitur,quo impietas interficitur,& peccator ad Christum cõuertitur. Diuo Petro, vt est apud *Act.10.* diuum Lucam in Actis Apostolorum, ostensum fuit vas quoddam velut linteũ magnũ quatuor initijs subnixum,de cœlo in terrã descendens,in quo erãt omnia quadrupedia,& serpentia terræ, & volatilia cœli. Et facta est vox ad eum:*Surge Petre,occide,& manduca.* Quid per hanc serpentiũ,& animaliũ varietatem, nisi hominũ diuersitas significatur? In vno enim linteo,in vna Ecclesia,quatuor initiis, hoc est quatuor Euangeliis subnixa,nobiles & obscuri,diuites & pauperes continentur.Dixit igitur Dominus Petro:*Occide,& manduca*,hoc est,interfice eorum peccata, auferendo eorum sanguinem,vt iam desinãt se esse impios, B eósque manduca,hoc est,tibi iunge,eos tibiincorporando. Vbi vides interfici impium verbo Dei,relinquere impietatem suam,& ad Dominum conuerti.

k *Habitabit, lupus cum agno*) Gentium vocatio per Christum ex Iesse ortum facta insinuatur, qui variis moribus homines fecit in vna eadémque Ecclesia habitare. His prope verbis enarrat diuus Gregori⁹ hũc D locum in homilia sextadecima in Ezechielẽ, & rectè quidem. Nam Christi doctrina,& Apostolorum prędicatione reges & priuati,diuites & pauperes, Iudæi & Gentiles,in vno ouili Ecclesiæ cõgregati sunt. Et qui anteà tyranni erant, infideles, superbi, & elati, recepto Euangelio in Ecclesia, cum humilibus & pauperibus commorantur. Et hoc est lupos cum agnis, & leones cum ouibus habitare. Id fuit figuratum in illa animalium varietate, quæ fuit diuo Petro in linteo ostensa, de qua paulò antè tractabam : quod multo antè fuerat adumbratum in *Gene.7* animalium multitudine, quę fuerunt in Noë arca congregata,fuit enim arca illa Ecclesiæ imago, & figura apertissima. Non igitur loquitur propheta de lu- *Luc. 10.* pis & agnis,sed de his,qui per lupos & agnos intelliguntur. Mitto vos,inquit Christus, sicut agnos inter lupos.

l *Et puer paruulus minabit eos.*) Sensus est, Mutabũt homines feritatẽ,& immanitatem,in tẽperantiam,& mãsuetudinẽ:& pueris,hoc est Apostolis,prẽsulibus, E cæterísque viris Apostolicis propter Deum obtemperabũt. Hęc sunt opera & fructus Euangelij. Quid mirabilius excogitari potest,quàm totũ modum hominibus rudibus patere,eósque simplices, puerísque similes Christi nomẽ per omnes mũdi regiones celebrare,& diaboli tyrannidem euertere?

ANNOTATIONES EX Hebræo in

C CAPVT XI.

1 Egredietur virga de radice Iesse.] *Pro radice est in Hebraico* גזע *gezaa,quæ dictio significat radicem, truncum,& semẽ. Ideò vertit Pagninus.* De semine Isai. *Thargum habet:* Egredietur rex de filiis Isai,& Christus de filiis filiorũ eius crescet. *Tã per virgam quàm per florẽ Christum intelligit. Huic interpretationi fauet Ieremias primo capite,vbi Deũ virgam vigilantẽ appellat. Huius imaginẽ gerebat virga illa Moysi in serpentẽ versa. Hic est serpens ille in deserto suspensus, ad quẽ Hebraei saucij respiciebãt,vt sanitatẽ recuperarent. Aegyptij volentes Deũ significare,pingebãt virgam rectã, siue sceptrũ cum oculo in summitate,innuentes Deum esse iustum & rectum atque omnia videntem. Ergo hic per virgam Christus intelligitur.* *Ierem. 1. Exod 4. Num.21. Ioan. 3.*

2 Non secundũ visionẽ oculorũ iudicabit.] *Septuaginta habent:* Non secundum gloriam iudicabit. *Hoc est, non arroganter & superbè, sed mansuetè & humiliter.* F

Vitulus & vrsus pascentur,simul requiescent catuli eorum: & [a] leo quasi bos comedet paleas.[b] *Psal. 9.* Et delectabitur infans ab hubere super foramina aspidis,& in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manũ suã mittet. [c] Non nocebũt,& non occident in vniuerso monte sancto meo:quia repleta est terra scientia Domini,sicut aqua maris operiẽtis.[d] In die illa radix Iesse,qui stat in signum populorum,ipsum gentes deprecabũtur: [e] & erit sepulchrũ eius glorioſum.Et erit in die illa : [f] Adiiciet Dominus secundò manũ suam ad possidendum residuum populi sui,quod relinquetur ab Assyriis,& ab Ægypto,& à Phethros,& ab Æthiopia,& ab Ælam,& à Sennaar,& ab Emath,& ab insulis maris.Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. *Ro. 15.c.*

a *Leo quasi bos comedet paleas.*) Prosequitur opera Euangelij, vaticinans fore, vt tyranni immanitate fœuientes mores mansuetorum boum induerent. Potest hoc de cibis intelligi : Acsi diceret: Tam principes & nobiles, quàm obscuri & plebeij cibos viles manducabunt. Quod hodie in religionibus approbatis impletum videmus.

b *Delectabitur infans ab hubere super foramina aspidis.*) Hoc est, homines simplices similes infantibus familiariter viuent cum iis,qui anteà cum aspidibus & reliquis venenatis animalibus comparabantur : nec ab illis lædentur. Satis perspectum est homines in diuinis literis animalibus rationis expertibus comparari.

c *Non nocebunt,& non occident in vniuerso mõte sancto meo.*) Hoc est, Qui antè pestiferis animalibus similes erant, recepta fide non nocebunt habitantibus in monte sancto,hoc est, in Ecclesia catholica: quia plena erit scientia Domini,perinde vt aquę maris omnia tegunt. Per extensam maris superficiem voluit Propheta significare magnam Euangelij propagationem, & Christi doctrinam, eiusque nominis

A minis cognitionem, quæ omnes gentium oras peragrauit.

d *Et erit in die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum, &c.*) Senſus eſt. Eueniet in tempore illo, vt Gentes quærant Meſſiam, qui egredietur de radice Ieſſe. Qui ſtabit vt vexillum, ad quod populi cõgregabuntur, & ſub quo Chriſtiani pugnabunt, vt de dæmone, mundo, & carne, victoriam reportent. Ad hunc Meſſiam conuolabunt Gentes, ad eũ preces fundent, & vota facient; vana idolorum ſuperſtitione repudiata. Aſpicis quàm apertè prædicta fuerit Gentiũ ad fidem Chriſti, veramque religionem veritatis ac pietatis pleniſſimam vocatio. Intelligi ita hunc locum aſſerit diuus Paulus in epiſtola ad Romanos. Et animaduerte. Non dicit: Videbitur, aut apparebit: ſed *Erit*: vt oſtendat Chriſtum non phantaſtica imaginatione apparuiſſe, ſed veram carnẽ realiter aſſumpſiſſe, à Ieſſe vero homine propagatã. Eſt enim Chriſtus verus Deus & verus homo.

e *Erit ſepulchrum eius glorioſum.*) Vaticinatus eſt prophera de Chriſti admirabili natiuitate, & multis in mediũ interiectis myſteriis, nũc de eius ſepulchro vaticinatur. Lege caput decimumnonum Euangelij diui Ioannis, & inuenies, ſepultum fuiſſe Chriſtum à viris illuſtribus Ioſepho ab Arimathæa, & Nicodemo afferente mixturam myrrhæ & aloes quaſi libras centum. Qui acceperunt corpus Ieſu, & ligatum linteis cũ aromatibus, in nouo monumento honorificè ſepelierunt. Voluit Chriſtus glorioſam habere ſepulturam, vt intelligeremus à morte incipere iuſtorum gloriam, vbi ſuperborum & potentiũ gloria finitur. In ſepulchro extinguitur & euaneſcit potentia, in qua vani homines ſtudio inanis laudis concitati gloriam conſtituunt, qui hominum cæcam, & falſam opinionem ſplendori virtutis anteponunt: & in ſepulchro incipit piorum gloria, qui iuſtitiam & pietatem colẽtes ab hominibus improbis pro nihilo putabantur. Eſt enim legitimè certantibus repoſita in cœlo corona victoriæ, & præmium illud ampliſſimum, quod nulla poteſt explicari oratione: de quo dicebat diuus Paulus in epiſtola ſecũda ad Timotheũ: *Bonum certamẽ certaui, curſum cõſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* Poteſt hic locus Eſaię ſic explanari: Omnes ſepulchrum Chriſti venerabuntur. Quod etiam nunc impletum cognoſcimus. Cùm enim ſepulchrum Chriſti ſit in medio hoſtium ſui nominis ſitum, ab ipſis Turcis excolitur: & Gentes illę immanitate barbaræ, ſuperbæ, & truculentæ ad illud ſupplices ac venerãtes accedunt: ibíque cœnobium Chriſtianorum eſſe permittunt, vbi viri religioſi diuina officia celebrantes, debitáſque laudes Deo die ac nocte proſoluentes, inter Chriſti hoſtes gloriam nominis Chriſtiani amplificant. Poteſt præterea ſumi ſepulchrum pro ipſa morte Chriſti, quæ fuit abſque dubio glorioſa. De qua dicebat idem Chriſtus apud Ioannem: *Pater venit hora, clarifica filium tuum:* Et paulò poſt: *Opus conſummaui, quod dediſti mihi vt faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum, claritate quam habui, priuſquam mundus fieret apud te.*

Glorioſa cur extruantur ſepulchra.

2. Tim. 4.

cap. 17.

B C

f *Adiiciet Dominus ſecundò manum ſuam.* Senſus eſt, Primò conuertet Chriſtus ad ſe nonnullos ſua doctrina: ſecundò per Apoſtolos ſuos adiiciet manum ſuã, vtetur potentia ſua ad conuertendas eas reliquias Iudæorum, quæ à dæmonis poteſtate creptæ ſalutem conſequentur. Non inquit omnes Iudęos eſſe ſeruãdos, ſed eorum reliquias. Qui enim ex illis crediderunt, comparatione infidelium meritò reliquiæ appellantur: qua de re alibi locuti ſumus. Locutus eſt Propheta paulò ante de Gentium vocatione, nũc vaticinatur vocandas eſſe Iudæorum reliquias, quæ captiuę detinebantur ab Aſſyriis, Ægyptiis, ceteriſque nationibus. Et quamuis hoc ad literã poſſit intelligi de Hebræis, quos Deus poſt captiuitatem Babylonicã reduxit ad Iudæam, per eos tamen intuebatur Propheta eos, qui diuino præſidio adiuti, erant de captiuitate peccati ad cœleſtem libertatem reducendi.

D

g *Phethros.*) Sonat petram, per quam Arabia Petræa intelligitur. Alij dicunt eſſe Parthiam. Per Ælã, Sennaar, Hemath, intelligunt Medos, Sogdianos, Bactrianos, Babylonios, Chaldęos, Antiochiam, Ciliciã, Tauros, Armeniã. Per inſulas maris intelligunt Gręciam, & Occidentalem mundi plagã. Fortaſſe ex omnibus his regionibus venerunt nõnulli cũ Nabuchodonoſor ad Hieroſolymam euertendam, & in omnes has oras ducti fuerunt nonnulli Iudæi captiui: quanquam maxima eorum pars fuerit in Chaldæã adducta. Poſteà verò iuſſu Cyri fuerũt Iudæi ex omnibus iis regionibus liberi dimiſſi, & Hieroſolymam reducti. Ideò ſequitur, *Et leuabit ſignum in nationes, & cõgregabit profugos Iſrael, & diſperſos Iudæ colliget à quatuor plagis terræ.* Acſi diceret: Per Cyrũ eriget Deus vexillum, conſtituet edictum, vt dimittantur Iudæi: quo audito congregabuntur, & Hieroſolymam reducentur. Sed hoc vexillum eſt crux Chriſti, cui adhęrẽtes qui diſperſi erant, in vna fide & Eccleſia congregantur. Aſpicis hîc officium Dei eſſe congregare, quẽadmodum dæmonis officium eſt diſpergere & diuidere. Vnde regius vates canebat: *Dicant qui redẽpti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos.* Et in alio Pſalmo: *Diſperſiones Iſraelis congregabit.* Et Eſaias: *Et in brachio ſuo*, inquit, *congregabit eos.* Et alio in Pſalmo. *Congrega nos de nationibus, vt confiteamur nomini tuo.* Et apud Ezechielem Deus, *Tollam*, inquit, *vos de gẽtibus.* Et apud Matthæum: *Quoties volui congregare vos, quemadmodũ gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Et diuus Ioannes: *Vt congregaret*, inquit, *in vnum filios Dei, qui erant diſperſi.* Congregat autem Chriſtus in vna Eccleſia, in vno corpore ſpirituali, in vna fide eos, qui & variis regionibus, & variis ritibus, & cultibus, diſperſi erant. Ita enim ait Paulus: *Vnũ corpus, vnus ſpiritus, vna fides.* Vnde iuſti viri quamuis inter ſe longiſſimo locorũ interuallo diſiũctr, ſemper tamẽ ſunt in Domino congregati. Cùm Hebræi eſſent quondam in Ægypto Pharaoni ſeruientes, voluit Deus eos congregare, & ad terram promiſſionis adducere. Quod audiens Pharao exarſit, & grauiter tulit: præcepítque præfectis operum, ne darent paleas Hebræis vt anteà ad conficiendos lateres. Volebat vt Hebræi diſperge rentur ad colligendas paleas, & tamen eandem facerent laterum menſuram, quam faciebant quo tempore illis paleæ dabantur. Et diſperſus eſt populus, vt ait ſcriptura, in omnem terram Ægypti ad paleas colligendas. Quo tẽpore Deus eos volebat congregare, eos tunc Pharao diſpergere faciebat. Quando nos Deus vult vnire, tunc diabolus nos diuidere conatur. Et vide quorſum nos diuidat, nimirum ad colligendas paleas. Quid ſunt tres mundi, opes, & dignitates, niſi paleæ? Dat diabolus operam vt diſpergamur ad paleas quęrẽdas, ad opera lutea & lateritia cõficiẽda. Talia ſunt peccatorum ædificia, ex paleis, terra, & lateribus conſtituta. Cùm autem officium Dei ſit cõgregare, diaboli verò diſpergere, illi Deum hac in re imitantur, qui inimicos inter ſe odio diſſidentes reconciliant, & congregant: contrà verò illi diabolum ſequuntur, qui inter fratres diſcordiam ſeminant. Nõ eſt enim ne exiguum quidem diſſidium excitandum.

Pſal. 10.

Pſal. 146. a.

Pſal. 105 E

Ezec. 36. Matt. 23

Ioan. 11.

Ephe. 4.

Exod. 1.

F

figura

Vt

A enim ex parua nubecula magna aliquando oritur procella, sic ex minima discordia grauissimæ aliquando rerum perturbationes, & turbulentissimę tempestates cõcitantur: quemadmodum ex parua scintilla ori D
simile. t ur aliquando ingens incendium, quo ampla ædificia *simile.*
flagrant, & penitus consumuntur.

ANNOTATIO.

1 Erit sepulchrum eius glorioſum.] *In Hebraico est:* Erit מְנוּחָתוֹ menuchatho glorioſum. *Significat hoc nomen requiem: & deriuatur à verbo* נוּחַ, *quod significat quiescere, vt in hoc eodem capite:* Et requiescet super eum spiritus Domini. *Hac ratione ductus vertit Pagninus:* Erit requies eius in gloria. *Septuaginta transferunt:* Erit requies eius honor. *Et quoniam in morte incipit requies iustorum, sumitur pro morte & pro sepulchro: quam significationem secutus est noster interpres. Potest hic locus ita explanari: Requies Christi, hoc est regnum eius quietum, & tranquillum erit glorioſum.*
Act. 10.

a Et auferetur zelus Ephraim, & hostes Iuda peribũt. Ephraim non æmulabitur Iudam, & Iudas non pugnabit contra Ephraim. b Et volabunt in humeros Philisthiim per mare, simul prædabuntur filios Orientis. c Idumæa[1] & Moab præceptũ manus eorum, & filij Ammon obedientes erunt. d Et[2] desolabit Dominus linguã maris Ægypti, e & leuabit manũ suã super flumẽ in fortitudine spiritus sui: & percutiet eum in septem riuis, ita vt trãseãt per eum calceati. Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyriis: sicut fuit Israeli, in die illa qua ascendit de terra Ægypti.
Exod. 14.

a *Auferetur, &c.*) Quo tempore Esaias hæc mandauit literis, hostili odio inter se Iudas & Ephraim dissidebant. Sed sensus est: Tempore Euangelicæ & spiritualis pacis illi, qui anteà erant diuisi, & odio ac inuidia separati, in vna Ecclesia cõgergabũtur: quem
B admodum Hebræi congregati sunt Hierosolymæ tẽpore Cyri, vbi nulla erat altercatio inter Iudam & Israelem.

b *Volabunt in humeros Philisthiim per mare.*) Qui cõgregati fuerint ex Iuda & Ephraim, hoc est, Apostoli, & viri apostolici in Christum credentes, in vna Ecclesia congregati, volabunt in humeros Palæstinorũ præ desiderio prædicandi Euangelium. Primùm annuntiabũt Christum Palæstinis maritimis, deinde veloci cursu pergent ad reliquas nationes, ad Syriã, Idumæam, Moabitidem, & Ammonitidem, ad prædicandam Christi fidem eiúsque nomen celebrandũ. Et doctrina sua prædabuntur filios Orientis, hoc est homines Orientales à dæmonis potestate eripiens. Quidã per Oriẽtem intelligunt Syriã. Tu verò aduerte: Nõ
Infrà 60. dicit, Ibunt, sed *volabũt*. sic infrà ait noster propheta capite sexagesimo: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* Debent enim concionatores esse à terra eleuati, & ab amore humanarum rerum abstracti, & suspensi.

c *Idumæa & Moab præceptum manus eorum.*) Hoc est, in Idumæam & Moab extendent manus suas. Vel sic: Idumæa & Moab eorum præcepta recipient. Vel
C ideò dicit, Præceptum manus eorum, quia Apostoli & voce & manibus præcepta dabant, hoc est, ore & opere, verbo & exemplo: per manus intelligũtur opera. Verba enim sine operibus, vt ait Nazianzenus, somnia quidem sunt.

d *Desolabit Dominus linguam maris Aegypti.*) Sẽsus est: Veniet tẽpus, quo Dominus euertet Ægyptũ, vt Iudæi, qui ibi detẽti fuerint, possint liberè redire Hierosolymã. Per linguã maris Ægypti intelligit Nilũ, quẽ ita De' diuisit, vt possent Iudæi trãsire. Ita nõnulli cortici literæ adhærẽtes hũc locũ interpretãtur. Existimo per linguã maris Ægypti intelligi scientiã doctrinę secularis, quę ob peccatorũ tenebras in variis ac intolerabilibus errorib. versabatur. Ita hunc locũ explanat diuus Gregorius libro trigesimotertio Moraliũ. Est igitur sensus: Cũ Idumæa, & Moab, & Ammõ tradiderint manus suas Apostolis, atq; Euãgelicę prædicationi obedierint, euertetur inanis illa ac falsa philosophia, quę deorũ multitudinẽ colebat, & summũ bonũ in rebus creatis cõtempto creatore colloca
bat. Euertetur impiorũ lingua, qui similes mari Ægypti incerta, amarulenta, instabilia, superstitiosa, & sacrilega verba loquebantur. Potest hic locus habere hũc sensum: Quemadmodũ in exitu Hebræorũ de Ægypto ad Terrã promissionis diuisum fuit mare, vt Hebræi possent liberè trãsire, sic Deus in exitu eorũ qui mũdũ relinquunt, & ab spirituali Pharaone, hoc est à dæmonis potestate eripiũtur, vt ad verã illam ac sempiternã Terrã promissionis per desertũ, hoc est per varios casus, rerúmq; pericula, & afflictionũ ac laborũ genera tendũt, diuidet spiritualiter huius mun- E
di mare, hoc est ea auferet impedimenta, quæ eos possunt à beatitudinis ingressu remouere, & abstrahere. Aperiet illis viã, ducet eos ad cœlestẽ patriã, ita vt nihil sit, quod possit eis viã impedire, si ipsi Deũ sequẽtes ea ambulare voluerint. Potest ita etiã explanari: Christi Apostoli prędicabũt Euãgeliũ in toto terrarũ orbe, & ne ipsum quidẽ mare poterit Euangelicã prædicationẽ impedire, nec Apostolis obsistere, quin penetrẽt vniuersas mundi regiones, iuxta id quod dicitur in Psalmo: *In omnẽ terrã exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorũ.* Quæ verba diuus Paulus ad *Psal. 18.*
Romanos scribẽs, ad Apostolorũ prędicationẽ refert. *Rom. 10.*

e *Et leuabit manũ suã super flumẽ.*) Eadẽ est sententia cum præcedẽti. Quasi dicat: Discurret Euangelicus sermo, & ad populos vltimos perueniet: neq; erit vllus fluuius qui hoc possit impedire. Id fuerat figuratũ in Iordane, vbi ad trãsitũ arcæ Testamẽti diuisus est mirabiliter fluuius, vt in libro Iosue est memoriępro- *Iosue 3.*
ditũ. Significauit illud, nullas mundi afflictiones posse Euangelij prędicationi obsistere, neq; trãsitũ electorũ ad cœlestẽ patriã impedire. Imò ipsæ aquę hoc est ipsę calamitates prębẽt iter ad verã promissionis beatitudinẽ. Quãuis enim videam viros omnib. sapiẽtię opibus abũdãtes & in omni virtutum genere prę
cellentes, expulsos patria vitã inopẽ & abiectã degere, & in maximis calamitatũ angustiis, & periculis ver- F
sari: nõ tamẽ existimare debem, esse illis seclusũ iter *Apoc. 7.*
ad cõciliũ cœlitũ: imò ipsa calamitas est apertissima via ad cœlestẽ gloriã. Id volẽs diuus Ioãnes in Apocalypsi significare, mandauit monimentis voces illas semper cogitãdas, & memoria repetẽdas, *Isti sunt, qui venerũt de tribulatione magna.* Quibus vnus ex senioribus significauit, afflictionẽ magnã viã esse ad splendidissimas illas & ęternas sedes mẽtiũ beatarũ. Per hũc fluuium existimo intelligi Iordanẽ, vt alludat ad pristina maris Rubri & Iordanis miracula. Scio tamen esse nonnullos, qui per hunc fluuium intelligunt Euphratem, alios autem Nilum.

A 1 Idumææ & Moab præceptũ manus eorũ.] *Pagninus cõuertit:* Edom & Moab missio manus eorũ. *Pro præcepto vertit missionẽ. Nomen Hebraicũ est* משלוח *à verbo* שלח *xalach, quod significat mittere, dimittere, extendere, præcipere. Est igitur sensus: Apostoli mittent vel extendent, manus suas ad Moabitas & Idumæos, illis verbum Dei annuntiantes. Potest verti:* Edom & Moab manus suas illis submittent. *Quasi dicat: Idumæi & Moabitæ Apostolis parebunt.*

2 Desolabit Dñs linguã maris Ægypti.] *Pro lingua in Hebraico est* לשון *lexon: quod nomen significat linguã*
Psal.119 *vt in Psalmo:* Libera me Domine à labiis iniquis, & à lingua dolosa: *significat etiã petrã, aut saxum instar linguæ. Significat præterea limitarẽ lapidẽ, quem appellant, terminũ agros diuidentem. Vnde capite quintodecimo Iosue vbi nostra versio habet:* Initium eius à summitate
Iosue 15. maris salsissimi, & à lingua eius, quæ respicit meridiẽ, *capitur ibi lingua pro termino, siue petra limitari, siue pro rupe, aut promontorio. Chaldæus Paraphrastes vertit* pro montoriũ. *Et quoniã rupẽ & scopulum significat, vertit hîc Pagninus:* Excidit Dominus maris Ægypti. *Acsi diceret: Abstulit omne impedimẽtũ, vt possẽt mare transire.*
B *Significat etiã virgam siue laminã. Vnde cap. 7. Iosue, vbi editio vulgata habet,* Achan vsurpasse de anathemate Iericho regulã aureã, *poterat verti,* laminã aureã, *vel* D
virgã aureã. *Quidam verterunt:* linguã auream: *& ita legit Origenes. Iericho significat lunã, per quã mundus intelligitur, qui instabilis est, & mutabilis vt luna, modò plena, modò vacua. Ille capit linguã Iericho, qui adhæret falsæ doctrinæ, quæ quanuis sit aurea, quanuis sit omnibus oratoris ornamentis munita, tamen si falsa est, relinquenda. Ita illum locum explanat Origenes homilia septima. Quę alia est lingua aurea Iericho, nisi Lutheri doctrina? quam si acceperis, & in tabernaculo tuo, hoc est in animo tuo posueris, peribis in æternũ, nec poteris veram terrã promissionis vnquã ingredi. Iubet enim Iosue verus ille seruator noster, anathema esse omne aurũ, quod in Iericho fuerit inuẽtum. Et quemadmodũ apud Iosue significatur hæreticorũ dogma per linguã Iericho, ita hoc in loco Esaiæ per linguã maris Aegypti. Prædixit ergo Esaias fore, vt omnes hæreses ruerent, & tandem delerentur, veritas aũt staret, & fixa ac stabilis in Ecclesia Catholica permaneret, quæ est, Apostolo teste,* colũna & firmamẽtum *1. Tim. 3.*
veritatis. *Multos annos durauit Arij hæresis, Manichæi, Pelagij, cæterorũmq; hæreticorũ: at euanuerũt eorũ dogmata, fuerũntq; ab Ecclesia dãnata & penitus extincta: quẽ-* E
admodũ erũt, ea quę Lutherus, Bucerus, Caluinus, cæteríque nostri tẽporis hæretici impiè cõflauerũt & excitarũt.

Argumentum capitis XII.

Solebant Hebræi cùm insigne aliquod bonum essent consecuti, erumpere in canticum laudis & gratulationis, illúdque mandare monumentis, quemadmo-
Exod. 15. *dum eos fecisse in exitu de Ægypto, quando mare Rubrum mirabiliter transierunt, diuina litera in libro Exodi testantur. Et quoniam diuinus vates superiore capite prædixerat liberationem Iudæorum à captiuitate Babylonica, quæ erat imago quædam & vmbra liberationis à peccato per Christum, qui voluit suo sanguine luere nostra crimina, inducit hoc capite ciuitatem Dei gaudio exultantem, & Deóque gratias agentem. 2. Sed quæ hic continentur, non tam Hierosolymæ, quàm Ecclesiæ Catholicæ, cuius Hierosolyma imaginem gerebat, conueniunt.*

CAPVT XII.

Exod. 17. a. Psal. 115. b. & 101. b.

TA dices in die illa: Cõfitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus saluator meus: fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. [b] Haurietis [1] aquas in gaudio de fontibus saluatoris. [c] Et dicetis in die illa: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius, [d] notas facite in populis adinuentiones eius. Mementote quoniam excelsum est nomen eius. Cantate Domino, quoniam magnificè fecit, annuntiate hoc in vniuersa terra. [c] Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel. F

C

EXPLANATIO.

a *Et dices in illa die.*) Nimirum tempore gratię. Verba sunt Prophetę. Ea autem, quę sequuntur sunt Ecclesię, quam ipse ita fecit loquentem: *Gratias tibi ago Domine, quoniam cum merito me affligeres, mutato vultu me consolatus es.* Misisti enim filium tuum, vt suo sanguine pro me fuso mea peccata deleret. Mirabar iram, sed sum misericordiam consecuta. Et quoniã Deus saluator meus est, in eo, nõ autẽ in idolis, spem meam collocabo. Aduerte. Non solùm gratias agit
Iob. 5. pro liberatione, sed etiam pro calamitate. Vnde ait
2. Cor. 12 Iob: *Beatus homo qui corripitur à Domino.* Et Apos-
Psalm. 89 tolus: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Et in Psalmo dicitur: *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala.* Et meritò quidem: nam nihil est ad veram laudem illustrius quàm calamitas ipsa.

b *Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris.*) Verba sunt Ecclesiæ suos alloquentis. Possunt tamẽ esse ipsius Prophetæ omnes exhortantis, vt tempore Messiæ haurirent gratiam de fontibus ipsius. Hæc est aqua illa, de qua ipse dicebat Samaritanæ, vt est apud diuum Ioannem: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et eo dem capite eam aquam viuam appellat. Appellatur gratia aqua, primò, quia abluit & purificat, iuxta id
Ezec. 36. quod est apud Ezechielem: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini.* Secundò, quia germinare facit. Vnde, vir iustus ligno iuxta aquas plantato tem-
Psal. 1. pestiuorum fructuum copia exornato, à Propheta regio comparatur. Tertiò, quia sitim falsarum voluptatum extinguit, iuxta illud: *Qui biberit ex hac aqua,*
Ioan. 4. *quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Quartò, quia ignem concupiscentię restinguit, quæ, vt est apud Ecclesiasticum, *quasi ignis exardescit.* Dicitur autẽ aqua
Eccl. 9. viua, quia hominem viuificat. Hæc est aqua quã Christus dat. Hic est fons ille paradisi in quatuor capita diuisus. ex eo enim habemus aquam puritatis, aquam sapientiæ, aquam gratiæ, aquam gloriæ. Hæ sunt aquæ, de quibus dicitur in Psalmo: *Fluminis impetus*
Psal. 45. *lætificat ciuitatem Dei.* Impetus huius fluminis est influxus donorum cœlestium. Hæ sunt aquæ, vt dicitur in Cãticis, *impetu currunt de Libano.* Ex illis hau
Cant. 4. serũt Apostoli verã erga Deũ & homines dilectionẽ, martyres constantiam, virgines castitatem, & omnes denique viri sancti admirabilem mundi contemptionem. Qui biberit ex hac aqua, non ardenter cupiet huius mundi potentiam, non gloriam, non

A non honores,non principatus, ſed dicet cum Paulo: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Et licet modò ſitiat ad patriam aſpirando, non tamen ſitiet in æternum: *ſatiabitur enim*, vt dicitur in Pſalmo, cùm apparuerit gloria Dei,cùm enim à vinculis corporis liberatus in ſplendidiſſimam illam ac ſempiternam patriam euolauerit, incredibili gaudio cumulatus erit. Hanc aquam nobis apud Diuum Ioannem promittit iis verbis Deus noſter: *Si quis ſitit, veniat ad me,& bibat.* Vnde colliges dari gratiam venientibus ad Chriſtum,& ſeipſos diſponentibus, facienti enim quod in ſe eſt,Deus non denegat gratiam.

Infrà 55. Eſaias, *Omnes*, inquit, *ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite.* Et

Apoc.22. Diuus Ioannes in Apocalypſi: *Qui ſitit*, inquit, *veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Vbi aſpicis gratiam gratis ac liberaliter dari. At nos hanc ſalutarem aquam, qua nobis Chriſtus inuitat, & quam nobis gratis daturum ſe eſſe promittit, contemnimus, & omni ſtudio ac labore ad mundi ciſternas recurrimus. Aquam peſtiferam lethalémque labore emptam quærimus, ad eámque inflammati auiditate

B traducimur: fontem autem illum gratiæ & vitæ, ſummum,& æternum, gratis oblatum, derelinquimus,& contemnimus. De mundi aqua ſcriptum legimus in

Thren. 5. Ieremiæ Lamentis: *Aquam noſtram pecunia bibimus*, hoc eſt labore emimus. Aquam turbidam,& peſtilentem, pecunia emptam concupiſcimus, fontem verò vitæ pro nihilo putamus. Hanc noſtram calamitatem & amentiam ſentiebat pius ille ac ſanctus vates Ieremias ſecundo capite ſuarum viſionum ita dicens: *Quid vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Aſſyriorum, vt bibas aquam fluminis? Vide quia malum & amarum eſt, dereliquiſſe te Dominum Deum tuum.* Et in eodem capite conqueritur Deus noſtram amentiam & ingratitudinem iis verbis: *Me dereliquerunt fontē aquæ vitæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ aquas continere non valent.* Properemus ergo ad fontem viuum, hauriamus aquas de fontibus ſaluatoris, vt ardore cupiditatum reſtincto in animi tranquillitate viuamus,& ad immortalitatē,& gloriā ſempiternā aſpiremus. Inueniemus in hoc fonte aquā

C ſalutarē, quę vulneratis animis medeatur, ab errorib. abducat,& illud cū labore ad verā gloriā directū iter oſtēdet. Animaduerte. Non dixit Propheta: *Hauritis* aquam de fonte ſaluatoris, *ſed aquas de fontibus*, vt ſignificaret magnitudinem gratiæ & donorū multitudinē, vt nos ad ad amirabilem Dei magnificentiā,& incredibilem munerum largitatem excitaret. Nec dicit, *Hauritis aquas* de fluminibus Babylonis, aut Aegypti, *ſed de fontibus ſaluatoris.* Neque eſt ſilētio prætereundum verbum hoc, *cum gaudio*, nam de mundi ciſternis ſunt qui aquam hauriant, ſed cum labore & afflictione. Rota enim clauſtrorum ſiue modiolorum quibus ex ciſterna ſiue puteo exhauritur aqua, cum labore mouetur,& cùm illa in orbem moueatur, fieri non poteſt, vt modioli rotæ ſemper pleni ſint: cùm enim quidam implentur, alij euacuātur: nec poſſunt hi impleri niſi euacuatis illis,& qui modò pleni erāt, circumuoluta rota euacuantur: qui nunc ſurſum aſcendebant, nunc deorſum deſcendunt. Talis eſt huius

Eccle.12. ſeculi vita. Id ſignificabat ſapientiſſimus ille Salomon, quando duodecimo capite Eccleſiaſtes hominum vitam cum rota ſuper ciſternam comparabat. Nam qui heri opibus circunfluebat, hodie omnium ſuarum diuitiarum naufragium faciunt. Et qui nuper in hominum cætu celebrabantur, in quos oculi omnium coniiciebantur, qui erant in honoris culmine collocati, verſa rota vnius diei calamitate omnia illa ex lætitia & voluptate in luctū atque lachrymas reciderunt. Et ea, quæ hi amiſerant, alij adepti ſunt: nam ſine damno vnius diues alter effici non poteſt: D quemadmodum nec in rota hi modioli impleri poſſunt, niſi alij euacuentur. Et ob eam cauſam qui in hac rota ſunt conſtituti nec quieſcere, nec lætari vnquam poſſunt. Nam qui in miſero ſtatu verſantur, dolore conficiuntur, qui verò opibus & honoribus abundant, ea maxime deſiderant, quibus circumfluunt, & non ſolùm augendi cupiditate, ſed etiam amittendi metu cruciantur. Conſtat igitur eos qui de mundi ciſterna aquas exhauriunt, vehementer eſſe ſolicitos, ſummíſque laboribus & doloribus angi & premi, tam inopia laborantes, quàm diuitiis affluentes. At viri pij & iuſti ex perennibus, inexhauſtis, iugitérque manantibus Ieſu fontibus aquas libenter lætique exhauriunt. Nam non ſolùm rebus proſperis & ad voluntatem fluentibus exultant, ſed etiam in medio ærumnarum verſantes, rerum humanarum tolerantiæ, cæterarúmque virtutum præſidio muniti, oblectatione perfunduntur. Hoc intuēs animo Eſaias aiebat: *Hauritis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.*

c *Et dicetis in illa die, Confitemini Domino.*) In tempore illo omnes ſe inuicem incitabunt, vt repudiata E idolorū ſuperſtitione, deū laudēt,& inuocēt, ad eúmq; vota faciant. Aſpicis hic Chriſtianorum eſſe alios ad virtutem cohortari. Capitur hic cōfiteri pro laudare.

d *Notas facite in populis adinuentiones eius.*) Hoc eſt, Annuntiate & prædicate in vniuerſo orbe terrarum Chriſti opera & conſilia, & quemadmodum hominum genus ab hoſte defenderit, & viam aperuerit ad vitam beatam & immortalem. Ideò ſubiungit: *Cantate Domino, quoniam magnificè fecit. Annūtiate hoc in vniuerſa terra.*

e *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael.* Verba ſunt Prophetæ Eccleſiam alloquentis. Exurge in vocem plenam laudis,& lætare Eccleſia Catholica, quæ Sion, hoc eſt, ſpecula in ſublimi conſtituta nuncuparis. Quoniam in medio tui eſt, te ipſam regit,& gubernat magnus ille Chriſtus, qui eſt ſanctificator Iſraelis. Illud eſt aduertendum non dixiſſe vatem: Quoniam magnus in te ſanctus Iſrael, ſed *quoniam magnus in medio tui.* Acſi diceret: Ille qui parvulus naſcetur, in obſcura patria nutrietur obſcuris ad multitudinis imperitæ opinionem ortus natalibus, qui repudiato humano faſtu F formam ſerui accipiet, vitamque inopem ab omni ſeculi apparatu remotiſſimam ſectabitur: magnus eſt, verus cœlorum terrarúmque effector & moderator: Sed verſabitur in medio tui factus homo, vt omnem errorem depellat, & cœleſti doctrina, virtutis & ſanctitatis exemplo, omnem caliginem hominum animis obfuſam diſcutiat, & ad beatiſſimas ac ſempiternas ſedes viam oſtendat. Aſpicis igitur Chriſtum in medio inueniri. Nam quemadmodum ſol eſt in me- *ſimile.* dio planetarum conſtitutus, mediamque regionem obtinet tanquam dux, & princeps, & moderator luminum reliquorum, tam admirabili & magnitudine & ſplendore, vt cuncta luce ſua luſtret & compleat: ſic ſol ille iuſtitię Chriſtus Deus noſter voluit in medio hominum apparere, vt hominum mentes erroribus implicatas, tenebriſque circunfuſas illuſtraret. Et vt eſſet, quemadmodum in libro Eccleſiaſtici ſcri- *Eccle.50.* ptum legimus, *Iquaſi ſtella matutina in medio nebulæ.* Secundò ſtetit in medio quaſi mediator ad reconciliandum. Et ob eam cauſam eum Diuus Paulus recōciliatorem Dei & hominum appellat. Quod volens *2.Cor.5.* ſignificare Diuus Ioannes, *Venit*, inquit, *Ieſus, & ſtetit in medio*, *& dicit diſcipulis ſuis: Pax vobis.* Tertiò *Ioan.20.* ſtetit in medio, vt omnes eum viderent, & vt oſtenderet ſe omnibus æquè adeſſe, non minus pauperibus quàm diuitibus, Gētibus quàm Iudæis: nō enim acceptor eſt perſonarū Deus, vt in 10.c. Act. & multis

A aliis in locis diuinæ literæ commemorant. Tu verò si Christum imitari voles, extrema fuge, media secta re: quoniam in medio consistit Virtus. Et quãuis hoc omnibus conueniat, ad eos tamen maximè pertinere existimo, quibus est demandata cura regendi. Vnicũ in vrbe horologium debet esse in medio collocatum, vt possit ab omnibus audiri. Nam si in extremo sit vrbis, illis solùm proderit, quos iuxta se habuerit. Cũ autem princeps sit horologium, quo populus gubernatur, debet esse in medio positus, vt ab omnibus communicetur. Vt enim fons ille est magnopere laudabilis, qui non in angulo, sed in medio plateæ collocatus ab omnibus circunquaque participatur, sic princeps ille, qui in medio steterit, qui æquitatem, iustitiæ fundamẽtum, pacísque conseruatricem coluerit, celebritatem sermonis hominum meritò consequetur, nomen suum æternitati commendabit, & quod præstantius est, ad cœlestem æternámque beatitudinem tandem perueniet. Centrum nisi in medio sphæræ esse nõ potest: ab eo enim ad circunferentiam omnes lineæ ductæ sunt æquales. Quid est respublica nisi sphæra? Quid est populus nisi circũferẽtia? Quid est princeps nisi cẽtrũ in sphæræ medio constitutũ, à quo oẽs iustitiæ actiones debẽt erga populi circũferentiam in mediocritate & æquabilitate cõsistere? Nihil est quod magis violet ius humanæ societatis, regnúmque labefactet, & scindat, quàm principis aut præsulis inæqualitas, & nimius affectus. Hinc oriuntur discordiæ, seditiones, & tẽpestates. Quare oportet attendere principem, ne dum suis affectibus obtemperat, perniciem reipublicæ moliatur. Socrates, vt refert Xenophon in libro de eius dictis & factis, ait debere principẽ magnopere vitare reipublicæ dissensionem. Non enim, vt ipse ibi ait, eligitur, vt sibi ipsi morem gerat, suísque pareat affectibus, sed vt per ipsum, qui eum elegerunt, in fœlicitate degant. Viuent autem fœliciter, si princeps æquabilitatem seruauerit, fueritque instar centri in medio constitutus.

similitudo

altera similitudo.

tertia similitudo.

Infrà

ANNOTATIONES ex Hebræo in CAPVT XII.

B 1 Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.] *Pro Saluatore est in Hebraico* הישועה *haiexuah. Particula, ha, est articulus habens hoc in loco suam emphasim. Dictio iexuah significat saluatorem & salutem. Et ob eam causam Pagninus vertit*: De fontibus salutis. *Et capite quadragesimo nono huius Prophetæ, vbi est in Hebraico idem vocabulum, vertit interpres noster*: In die salutis. *Vocat enim Esaias tempus Christi diem salutis. Quanquam poterat locus ille ita rectè verti*: In tempore Saluatoris: *Christus enim in literis diuinis appellatur Saluator, salus, & salutare. Appellari Saluatorem indicat eius nomen* ישוע *Iexua. Dixit enim Angelus Ioseph viro Mariæ sanctissimæ, vt est apud Matthæũ capite primo: Vocabis nomẽ eius* ישוע, *pro quo interpres Græcus posuit hoc nomen* Ιησους: *Latinus verò*, Iesus. *Asserunt enim graues authores diuum Matthæum literis Hebraicis Euangelium suum scripsisse: & Diuus Hieronymus se illud ab Euangelista Hebraicè scriptum oculis suis aspexisse testatur. Et hoc idem nomen* ישוע *est in titulo crucis scriptum, qui Hierosolyma Romam adductus, fuit positus in templo sanctæ crucis in Ierusalem, vbi hodie custoditur, & ostenditur, & ibi ego eum vidi, & manibus tenui. Quanquam ob temporis vetustatem eum non integre legere potuerim. Volens autem Angelus ostendere hoc nomen significare Saluatorem, subdidit statim*: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. *Dauid alloquens Christũ dicebat in Psalmo*: Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus saluator meus. *Et in alio vocat eum salutem ita dicens*: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? *Et Esaias in hoc nostro capite eum saluatorem & salutem vocat*. Ecce Deus saluator meus, fiducialiter agam. *Et paulo pòst*: Et factus est mihi in salutem. *Appellari autem salutare indicat Propheta dicens*: Quis dabit ex Sion salutare Israel? *Hinc illa ardentis desiderij precatio*: Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. *Hoc est salutare illud, de quo dicebat alio in loco noster Esaias*: Et Videbit omnis caro salutare Dei. *Ita enim iuxta Septuaginta interpretum sententiam locum illũ citat diuus Lucas, pro quo communis versio habet*: Et videbit omnis caro pariter quòd os Domini locutum est. *Hoc intelligens iustus Simeon pias illas, charitatisque plenas voces emisit*: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. *Et quidem Christus saluator, qui nos saluos fecit: est salutare, quia sese obtulit pro nobis seipsum in cruce immolans, vt facinora impia nostra suo purissimo sanguine deleret. Est igitur medicus, & medicina, & ipsa salus nostra, animarum nostrarum fœlicitas, & summum atque sempiternum bonum. Hoc fuerat in Ioseph quondam adumbratum, qui cùm terram ab imminente famis excidio liberaret, fuit saluator mundi appellatus, vt capite quadragesimo primo Genesis scriptura cõmemorat. Etsi enim dicunt nonnulli verba hæc, quæ ibi scripta sunt,* צפנת פענח *tsaphnath paaneha, arcanorum repertorem significare, tamen non rectè meo quidem iudicio iudicant. Nam hæc verba non sunt Hebraica, sed Aegyptia, & vt author est diuus Hieronymus in quæstionibus Hebraicis, mundi saluatorem significant. Cùm Ioseph fratres suos quæreret, fuit ab eis venditus, & posteà mundi saluator vocatus. Quæ potest esse apertior Christi figura? Quis est hic, qui nos quærens fuit venditus, & crudelissimis contumeliis affectus, nósque suo sanguine redemit, nisi Christus, noster verus saluator & redẽptor, qui nos à morsu antiqui serpentis eripuit? Hunc post Adami peccatũ promisit Deus esse dæmonis caput contriturum, vt in tertio capite Geneseos literæ diuinæ significant. Nec audiendi sunt Iudæi, qui verba illa ad Christum referri impudenter negant. Nam Hierosolymitana paraphrasis, quam ipsi magnoperè venerantur, hunc locum de Christo interpretatur. vbi enim nostra versio habet*: Et ipsa cõteret caput tuũ, & tu insidiaberis calcaneo eius, *habet illa in hunc modum*: Et erit, quando filij mulieris operam dabunt legi, & fecerint præcepta, tunc studebunt conterere tibi caput, & occidẽt te. Cùm verò præcepta legis dereliquerint, nec præcepta seruauerint, tu operã dabis, vt mordeas eos in calcaneis eorum, & ita noceas eis. At filij mulieris habebunt remedium, tibi verò serpenti nullum remedium erit: futurum est enim, vt amoueant morsum, qui fastus est, in calcaneo, in fine dierum, in diebus regis Messiæ. *Hæc in Thargo Hierosolymitano. Vbi vides salutem & redemptionem fuisse ad Christi tempus expectandam, qui est salutare, & saluator noster. Hunc desiderabat egregius ille patriarcha Iacob, quando ad exitum vitæ vocatus dicebat*: Salutare tuum expectabo Domine. *Vbi Thargum Hierosolymitanum ita habet*: Dixit pater noster Iacob: Non expecto redemptionem Gedeonis filij Ioas, quæ est salus temporalis, neque redemptionem Sansonis, quæ est salus trãsitoria: Sed expecto redẽptionem Christi siue Messiæ filij Dauid. *Hactenus Thargum. Hic Saluator, quem Deus statim post primorũ parentũ nostrorum peccatum promisit, cu*

C *Psal.* 26.

Psal. 51. *Psal.* 84. *Infrà* 40.

D E F

Gen.

A *fit, cuius Ioseph imaginẽ gessit, quẽ patriarcha Iacob ventu-*
rum, in nouissimis diebus expectabat, est Christus Deus
noster quem Habacuc propheta capite tertio Iesum, hoc
est Saluatorem, Dominum atque Deum appellat, dicens:
Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo
Iesu meo. *De eo ait in hunc modum Zacharias*: Exulta
satis filia Sion, iubila filia Ierusalem, Ecce rex tuus
veniet tibi iustus & Saluator ipse pauper. *Quem lo-*
cum Matthæus & Ioannes de Christo interpretantur. Eo-
Infrà 45. *dem modo Esaias*, Rorate, *inquit*, cœli de super, & nu-
bes pluant iustũ, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. *Lege diuinam scripturam, reuolue sanctorum va-*
tum oracula & vaticinia, & inuenies Messiam Saluato-
rem appellatum. Diuus Augustinus libro decimooctauo D
ciuitatis Dei capite trigesimotertio asserit se vidisse li-
brum Græcè conscriptum antiquæ cuiusdam Sibyllæ tali
ordine & artificio, vt literæ, quæ erant in carminum ca-
pitibus, hæc verba continerent: Iesus Christus Dei filius
Saluator. Colliges ex his omnibus, Christum esse salutare,
salutem, & saluatorem, de quo hic ait Esaias: Haurietis
aquas in gaudio de fontibus saluatoris. *Poteris per*
has aquas baptismum intelligere, iuxta quas famulus A-
brahami inuenit Rebecam sponsam Isaac, Ecclesiæ imagi- Gen. 24.
nem gerentem, quæ, vt verbis vtar Augustini, nisi ad a-
quam baptismatis venisset, Christo sociata non esset.

Argumentum capitis XIII.

Vaticinatus fuerat propheta multis in locis esse luctuosissimas atque acerbissimas strages Iudæorum populo à Chaldæis inferendas. Nunc prædicit calamitatem & euersionem Babyloniis imminentem, quos Cyrus Persarum rex bello superauit, & in seruitutem miserrimam adduxit. Voluit Deus vt non solum Esaias, sed alij etiam vates Babyloniorum excidium, eorúmque imperij florentissimi vastitatem prædicerent, vt viri iusti lætarentur. Afficiuntur enim gau-
dio viri virtute præditi, videntes homines flagitiosos pœnas suorum facinorum persoluere: non quòd insultent eorum ærumnis, sed quòd aspiciant gloriam Dei lau- E
dibus celebrari, impiósque homines à sceleribus deterreri. Et vt ostenderet rerum humanarum varietatem, imbecillitatem, & inconstantiam, ne illis vnquam
B *fidamus, sed animam virtutum ornamentis excolentes, diuinisque opibus locupletantes, omnem nostram fiduciam in diuino præsidio collocemus.*

CAPVT XIII.

ONus[a] Babylonis, quod vidit Esaias filius Amos.[b] Super[f] montem caliginosum le-
uate signum, exaltate vocem, leuate manum, & [c] ingrediantur portas duces. Ego mã-
daui sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea. [d]
Vox multitudinis in montibus quasi populorum frequentium. Vox sonitus regum,
Gentium congregatarum. Dominus exercituum præcepit militiæ belli, venientibus
de terra procul, à summitate cœli [e] Dominus, & vasa furoris eius, [f] vt disperdat omnem terrã. [g] Vu- F
lulate, quia prope est dies Domini, quia vastitas à Domino veniet.[h] Propter hoc omnes manus
dissoluentur, & omne cor hominis contabescet, & cõteretur. Torsiones & dolores tenebunt, quasi
parturiens dolebunt, vnusquisque ad proximum suum stupebit, [i] facies combustæ vultus eorum.[k] Nahũ. 2.
Ecce dies Domini veniet crudelis. & indignationis plenus, & iræ, furorisque, ad ponendam terrã
in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea: [l] quoniã stellæ cœli, & splendor earum non
expandent lumẽ suum. Obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo. Et Ezec. 32.
visitabo super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quiescere faciam superbiam in- Ioel. 2. c
C fidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. [m] Preciosior erit vir auro: homo mundo obrizo. Matt. 24. Mar. 13 e Luc. 21.

EXPLANATIO.

a *Onus Babylonis quod vidit Esaias filius Amos.*) Hoc est, sequitur vaticinium Esaiæ annuntians calamitatem Babylonis. Prophetia quæ afflictionẽ prædicit, onus appellatur, hic autẽ prædicitur imperij Babyloniorum excidium. Babylon fuit principium regni
Gen. 10. Nemrod, vt in libro Geneseos scriptum legimus. Cùm enim Babylon sit idem quod cõfusio, non poterat nõ esse primi regni caput & principiũ: regnandi nanque appetitus omnia confundit. Satis est enim perspectũ & exploratũ, eò adduci plerosque, vt eo ordinis atque iustitiæ capiat obliuio, cùm in regnorum, honorum, atque potentiæ cupiditatem inciderint. Appellata est hęc vrbs primò Babel ob linguarum cõfusionem. Sermo nanque eorum, qui turrim ędificabant, confusus est, & in varia linguarum genera distractus. Posteà fuit ciuitas illa celeberrima, caput totius Chaldęę, & opibus, rerúmque gestarum gloria florentissima. Huius rex Nabuchodonosor obsedit Hierosolymam, & tandẽ vicit. Cùm autem Sedechias iniquus Iudęorum rex se in fugam coniiceret, comprehensus est ab exercitu Chaldæorum, & adductus ad Babylonis regẽ, qui ei oculos abstulit, eúmque catenis astrictum abduxit Babylonem, vbi habitabat, sed eam nõ videbat. Omnes enim qui scelere & maleficio pascuntur, à diabolo obcæcãtur, & peccatorũ catenis vincti relicta Hierosolyma Babylonem trãsferuntur, à visione pacis ad mundi confusionem traducti. Cùm autem sint in medio mundi, ipsum mundũ nequaquã vident. Si enim homines flagitiosi, scelerúmque maculis contaminati mundi vanitates, dolos, labores, & ærumnas aspicerent, fieri non posset, quin ab eo discederent, & in pacis ac tranquillitatis visionẽ se conferrent, vt illustrem nominis claritatem, gloriámque sempiternam consequerentur. Euertit ergo Babylõ Hierosolymam. Sed posteà ipsa Babylon fuit à Persis & Medis euersa, eiúsque imperium labefactatum, & penitus cõuulsum. Hanc Babyloniorum afflictionem ait Esaias se oculis aspexisse. Sed intelligamus hoc. Nónne tu sancte vates eras Hierosolymæ, cùm hæc intueri asserebas, literísque consignata mãdabas monimentis? Quî igitur fieri poterat, vt videres pondus Babylonis, tam ingenti spatio à Hierosolyma distantis? Si diceres Babylonios suę ciuitatis pondus aspiceres, nulla videretur esse dubitatio. Sed tu asseueranter affirmas te, qui Hierosolymæ habitabas, onus Babylonis aspexisse. Sed si velimus alta

A mente perpendere', & ad veritatem reuocare rationem, videbimus apertissimè non solùm Esaiam, sed omnes Hierosolymam colentes pondus Babylonis intueri. Quid admiramur? Imò Babylonij ipsius Babylonis pondus nequaquam vident, sed solùm illi qui Hierosolymæ morantur. Quid per Babylonẽ nisi mundus? quid per Hierosolymam nisi animi securitas & quies significatur? Solùm illi qui mentis trãquillitate gaudent, qui sunt in visione pacis, hoc enim sonat Hierusalem, qui in Sione, hoc est, in sublimi contemplationis specula sunt constituti, qui humana contemnunt, & ad cœlestia ardenter aspirant,
Simile vident mundi pondus, laborem, & calamitatem. Vt enim oculus corporis videre non potest, nisi sit interiecta aliqua distantia inter ipsum & obiectum, ita illi qui in mudo sunt, ipsum mundum non vident, quoniam nullum est inter eos, & mundum interuallum. At qui extra mundum sunt, ipsum, ipsiúsque la-
Simile. bores, & calamitates facilè contemplantur. Qui aquam ex alto quodam puteo haurit, eius pondus non sentit, quandiu hydria siue lebes ex imo putei per aquam eleuatur, cùm autem est extra aquam, eius onus sentit, qui plenum lebetem vsque ad summitatem pertrahit. Itaque non sentitur pondus aquæ, dum est intra aquam. Sic non perspicitur pondus mundi intra mundum. Exi à mundo, & eius graues & intolerabiles labores perspicies. Qui Hierosolymæ habitabant, Babylonis miserias intuebantur: ipsi verò Babylonij non miserias, sed mundi gloriam res-
B piciebant, Nabuchodonosor vidit in somniis statuam sublimem, quæ mundi gloriam significabat, vt
Dan. 2. est apud Danielem prophetam. Perpende obsecro. Qui Babylonem colunt, non eius laborem, sed eius gloriam considerant. Sed ea gloria inanis est, & fallax, neque gloriæ quicquam habet, prꝛeter nomen & imaginem. Et ob eam causam non dicitur rex Babylonis gloriam, sed gloriæ statuam, aut simulachrum, siue figuram vidisse. Id significaret volens Diuus
1. Cor. 7 Paulus, *Prꝛeterit*, inquit, *figura huius mundi*. Non dicit *Prꝛeterit* substantia huius mundi, sed *figura*. Mundi enim opes, gloria, potentia, & cætera alia huiusmodi non res, sed rerum figuræ appellanda sunt. Illud est prꝛetereà considerandum: regem Babylonis, dum vigilaret, eam statuam non vidisse, sed somniantem. At Esaias somno solutus, & acriter vigilans, onus Babylonis aspexit. Ex quo colliges eos qui mundi gloriam vident, & appetunt, esse arctissimo somno sepultos: deberéque talem visionem somnium potius appellari, quàm visionem, eos verò qui mundi vanitates, dolos, miserias, labores, & ærumnas contemplantur,
C promptè vigilare, & claris atque apertis oculis intueri.

b *Super montem caliginosum leuate signum.*) Per montem caliginosum intelligit Babylonem. Ieremias ait: *Leuate signum super muros Babylonis.* Vbi
Iere. 51. hanc eius euersionem vaticinatur. Appellatur Babylon mons, non quòd in monte sita sit, sed ob eius superbiam & elationem. Erat enim hæc vrbs in ingenti planitie sita, vt ait Strabo libro 16. & Herodotus libro primo, forma quadrata, magnitudine incredibili, murorum crassitudine & celsitudine admirabili, vsque adeò celebris, vt sit appellata miraculum mundi, vt multi referunt authores, & inter ea, quæ veteres scriptores mundi mirabilia appellauerunt, primum locum obtinuerit. Fuisse autem conditam à Semiramide asserit Strabo, & Diodorus Siculus, & Solinus, cuius ad literam hæc sunt verba: Chaldææ gentis caput Babylon est, à Semiramide condita, tam nobilis, vt propter eam & Assyrij, & Mesopotamij in Babyloniæ nomen trasierint. Esaias appellat eam hoc in loco montem caliginosum, & tenebris circunfusum, propter eius nefaria facinora. Vel ob eam causam caliginosa dicitur, quia cum esset in loco campestri sita, & Euphratis magni fluuij aquis rigata & circundata, nebulis plerumque, & nubibus obscurabatur. Vel fortassealludit ad fumum incendij quo aliquibus in partibus flagrauit. Est ergo sensus: Leuate vexillum vos ô Persæ & Medi. Congregate exercitum contra Babylonem. Extollite vocem ad milites congregandos. Leuate manum, eos hoc signo vocantes. Fieri enim solet militum vocatio vexillo, & voce, eleuatione manuum. Vel leuate signum, hoc est, figite vexillum vestrum in pinnis murorũ Babylonis, quemadmodum solent facere victores expugnatis vrbibus. Potest hoc spiritualiter ita explanari. Vos ô Apostoli mei, & viri Apostolici conspirate contra Babylonem, pugnate contra mundum, eum vincite, & expugnate: est enim mundus mons caliginosus, vbi nulla est humilitas, nulla lux, sed omnia superbia, & tenebris cooperta. Extollite signum, hoc est, erigite vexillum crucis, extollite vocem, prædicate Euangelium, leuate manum, hoc est opus, non solùm verbis, sed etiam operibus docentes. Hoc signum crucis dixerat propheta capite vndecimo leuandum esse in nationes à Christo ad Israelis profugos congregandos.

E

c *Et ingrediantur portas duces.*) Hoc est principes & optimates Medorum intrent Babylonis portas. *Sap. 11.*
De iis dicitur paulò post: *Ecce ego suscitabo super eos Medos.* Vocat eos Dominus sanctificatos, quia illis tãquam suæ iustitiæ ministris Babylonios euertebat. Chaldæus Paraphrastes pro sanctificatis habet præparatos. Ita per Ieremiam ipsum Nabuchodonosorem appellat Deus seruum suum, quia eo tanquam seruo prꝛeuaricatricem Hierosolymam delebat. Dicens autem, *Fortes meos, & exultantes in gloria mea.* ostendit eos non suis viribus, sed Dei potentia tam munitum regnum deleuisse. Spiritualiter per duces intellige Apostolos, per euersionem Babylonis euersionem peccati. Fuit enim mundus Apostolorum prædicatione labefactatus & victus, hoc est infidelitas deleta & conuersa. Id fuerat anteà in Iericho *Iosue 6.*
adumbratum, cuius muri ad sonitum tubarum corruerunt. Iericho, quæ sonat lunam, mundus est, modò crescens modò decrescens, modò plenus, modò vacuus, vbi nulla est firmitas, nulla securitas, nulla constantia: sed qui modò eclipsim patiebatur, statim fulget splendore: & qui nunc splendebat, radiisque micabat, subitò obscuratur, & in caligine prosternitur. Quid est ad tubarum sonum euerti ciuitatem Iericho, & ruere eius muros, & altissima mœnia, nisi Apostolorum prædicatione huius mundi elationem, & superbiam labefactari, atque funditus euelli?

F

Psal. x

d *Vox multitudinis in montibus.*) Verba sunt Prophetæ quasi dicentis: Videor mihi audire strepitum, & clamorem exercitus in montibus. Venient Persæ & Medi magnas copias ferentes ad excidium Babyloniis inferendum. Et quia Deus propter Babyloniorum scelera sic volebat, ait Propheta, præcepisse Dominum exercituum militiæ belli, hoc est militibus, vt euerterent Babylonẽ, militib. inquit, venientibus de terra procul, à summitate cœli, hoc est, à regionibus vsque adeò remotis, vt videantur cœlum attingere. Vel per summitatem cœli polos intelligit, arcticum & antarcticum. Ac si dicat: venient Gentes à finibus mundi, ab illis vltimis terrarum oris, quæ sub cœli verticibus vitam degunt.

Gen. 1
Iere.
Ezec.
Ozee 1
Amos

e *Domi*

A e *Dominus & vasa furoris eius.*)Hoc est, Veniet ad vastandam Chaldæam Dominus afferens milites,qui sunt instrumenta indignationis eius,quibus ipse impios punit. Aspicis hîc iniquos homines esse aliquando diuinæ iustitiæ ministros.

f *Vt disperdat omnem terram.*) Subaudi Babylonis. Quidam hoc etiam existimant posse ad diem iudicij referri.

g *Vlulate quia propè est dies Domini.*) Alloquitur Chaldæos,vt clament, & vim fundant lachrymarum, suam calamitatem deplorantes, neque de ea dubitent,cùm Deus eos vastaturus aduenerit. Potest etiam hoc ad vltimum iudicium referri.

h *Propter hoc omnes manus dissoluentur.*) Tantus erit Babyloniorum metus, & pauor, vt eorum manus reddantur flaccidæ,& trementes,& animus langueſcat,& debilitetur,& penitus frangatur. Prementur dolore instar parturientium, tenebitque eos pauor stupidos & trepidantes.

i *Facies combusta vultus eorum.*)Hoc est,præ pudo-
B re erunt vsque adeò rubentes,vt comburi videantur. Vel fortasse tali morte sunt interfecti. Potest verti: *Facies rubentes vt flamma vultus eorum.* Quod priori fauet expositioni.

k *Ecce dies Domini crudelis.*)Crudele vocatur tempus excidij Babyloniorum, quia eo voluit Deus iram suam in Chaldæos significare.

l *Quoniam stellæ cœli, & splendor earum non expan-* D
dent lumen suum.) Id est, Erit tempus illud tristissimum. Nam tanta erit Babyloniorum clades & calamitas, vt præ doloris & timoris magnitudine omnia illis obscura vsque adeò videantur, vt sol censeatur occultare suum fulgorem, & luna suam negare claritatem. Solet sacra scriptura tempus magnæ afflictionis tenebrosum appellare,vt apud Ioelem videre licet capite tertio, & apud Matthæum vigesimoquarto, & aliis in locis. Vel per stellas principes & magnates Babylonis intelligit, & per solem obtenebratum in ortu suo regem Babylonis significat, qui in ortu suo, hoc est, dum celebraret diem natalem suum, præ nimio dolore obstupuit,videns manum in pariete scribentem, vt est apud Danielem cap.quinto.

m *Preciosior erit vir auro, & homo mundo obrizo.*) Sensus est:In prælio illo & euersione Babylonis nul- E
li Chaldęo parcent milites Medorum & Persarum, quanquam pro eius redemptione aurum & multum & preciosum offeratur. Vel sic: In illa Chaldæorum vastitate tanta erit occisorum multitudo, vt qui remanserint rari videantur. Preciosum enim dicitur quod rarum est, sic in libro primo Regum scriptum legimus: *Sermo Domini erat preciosus in diebus illis*: hoc est rarus. Obrizon est aurum purgatum & optimum.

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT XIII.

1 Super montem caliginosum.] *In Hebraico est: Super montem* משא *nixpah. Pro quo Pagninus vertit:* Super montem eleuatum. *Huius varietatis causa est,* C *quia hæc dictio* משא *nixpah, potest deriuari à verbo* שפח *, xaphah, quod significat eleuare, quam rationem secutus est Pagninus & nonnulli alij. Et potest esse à verbo* נשא *naxaph, quod significat impellere. Vnde nexęph significat noctis initium, quòd tunc tenebræ impellant* F *diem. Ex quo efficitur, vt hęc dictio nostra nixpah rem obscuram, tenebrisque coopertam significet. Quam significationem secutus est noster interpres. Paraphrasis Chaldaica, quæ Ionathę tribuitur, habet:* Super munitionem, quæ habitat pacificè. *Hoc est, Super Babylonem ciuitatem munitam, sugque fortitudini fidentem.*

---

2 Super hoc cœlum turbabo,& mouebitur terra de loco suo propter indignationem Domini exercituum,& propter diem iræ furoris eius. [b] Et erit quasi damula fugiens, & quasi ouis, & non erit qui congreget. Vnusquisque ad populum suum conuertetur, & singuli ad terram suam fugient. Omnis qui inuentus fuerit occidetur:& omnis qui superuenerit cadet in gladio. [c] Infantes
Psal.13.b eorum allidentur in oculis eorum: diripientur domus eorum,& vxores eorum violabuntur. [d] Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, neque aurum velint, sed sagittis paruulos interficiant,& lactantibus vteris non misereantur, & super filios non parcat oculus illorum. Et erit Babylon illa glorioſa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam,& Gomorrham. Non habitabitur vsque in finem, [e] & non fundabitur vsque ad
Gen.19.e *Iere.50.f* generationem & generationem: [f] nec ponet ibi tentoria Arabs,nec pastores requiescent ibi. Sed
Ezec.16.f *Ozee 11.c* requiescent ibi bestiæ:& replebuntur domus eorum draconibus. [g] Et habitabunt ibi struthiones,
Amos 4.d & [h] pilosi [1] saltabunt ibi:& [2] respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius,& [i] sirenes [3] in delubris voluptatis. Propè est vt veniat tempus eius,& dies eius non elongabuntur.

2 *Super hoc cœlum turbabo, & mouebitur terra de loco suo.*) Tantus erit Babyloniorum terror, & dolor, vt cœlum illis turbari videatur, terraque è suo loco dimoueri. Vtitur vates hac verborum exornatione ad vim ac impetum iræ diuinæ amplificandum, quemadmodum capite quinto dixerat fuisse montes conturbatos. Hac superlatione significauit Dauid psalmo decimoseptimo furorem vehementem,quo Deus impios vlciscitur,bonos verò tuetur. *Commota est*, inquiens, *& contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.* Vel intellige reuera hæc ita euenisse in Babylonis euersione. Fieri enim potuit, vt cœlum tonitruis & fulminibus moueretur, & imbribus densissimis, procellis, & ful-

A & fulguribus omnia concuterentur, & terrarum
ſola eſſent horribili terræmotu vehementer cõquaſ-
ſata: vt qui creatorem ſuum offenderant, res creatas
aduerſus ſeipſos ſentirent. Aequum enim eſt, vt
creaturæ iam ſuis creatoris ſuo modo cognoſcere
teſtentur, in eiúſque contemptores irruant, & im-
petum faciant. Inſanus eſt & inſipiens, qui offen-
dens creatorem fidit creaturis. Armat enim eas Deus
Sapien. 5. ad vltionem inimicorum, vt in libro Sapientiæ di-
uinæ literæ teſtantur. *Et pugnabit cum illo orbis ter-
rarum contra inſenſatos.* Id ſignificare voluit Moyſes
Gen. 5. dicens: *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Ibi
enim hoc nomen Elohim appoſuit, quod ſignifi-
cat Deum vt iudicem & vltorem: ac ſi diceret:
Ipſe qui res creatas produxit, iudex eſt & vindex, qui
ſi illis fueritis intemperanter abuſi, ipſis creaturis
vos puniet & vlciſcetur. Quod erit ſine dubio in
tempore extremi iudicij, quando elementa, quæ vt
homini ſeruirent, creata fuerunt, vidientia hominum
ſcelera & facinora, eorúmque aduerſus Deum nefa-
rias iniurias, inferent ipſis hominibus terribiliſſi-
mum ac crudeliſſimum bellum: inſurgent aduerſus
eos, iniurias, quibus ſuum creatorem laceſſerant,
vindicantes. Hoc declarauit apertiſſimè Chriſtus a-
Luc. 21. Matt. 24. Mar. 13. pud Lucam dicens: *Erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtel-
lis, & in terris preſſura gentium.* Quod etiam Matthæus
& Marcus literis mandarunt.

b *Et erit quaſi damula fugiens.*) Milites externi,
B quos Babylonij congregauerant & conduxerant, &
negotiatores & peregrini qui tẽpore euerſionis fue-
rint apud Babylonios inuenti, fugient à conſpectu
Medorum & Perſarum, veluti fugere ſolet damula,
aut caprea agitata à venatoribus, & tanquam ouis à
facie lupi. Non habebunt ducem, quem ſequantur,
qui eos colligat, & inſtruat, ſed vnuſquiſque man-
dabit ſe fugæ, & ad patriam ſuam tendere conabi-
tur. Qui non fugerit, occidetur: & qui voluerit re-
uerti ex fuga, aut reſiſtere, telis ſe hoſtium obiiciet, &
vita priuabitur.

c *Infantes eorum allidentur.*) Id fuerat iam Dauid
Pſal. 136. vaticinatus dicens in Pſalmo: *Filia Babylonis miſera,
Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam re-
tribuiſti nobis. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos
tuos ad petram.* Prædicit enim in eo Pſalmo diuinus
vates hanc Babylonis euerſionem per Cyrum.

d *Ecce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos.*) Hi ſunt de
quibus dixerat in principio capitis: *Ingrediantur por-*
C *tas duces:* qui tanta fuerunt ſæuitia incenſi, vt aurum
ac argentum contemnere viderentur, dummodò ſe
ſanguine hoſtium ſatiarent.

e *Et non fundabitur vſque ad generationem & gene-
rationem.*) Babylon fuit euerſa, & nunquam reędifica
bitur: nam ea ciuitas quæ poſteà ædificata eſt, non in
eodem ſolo, neque iiſdem limitibus ſita eſt. Et pro
Babylone conditæ ſunt inſignes ciuitates Cteſiphon D
& Seleucia, vt refert Strabo libro quintodecimo
Geographiæ. Loquimur hîc de ea Babylone, quæ eſt
in Chaldæa, non de ea quæ eſt in Aegypto ſita, cu-
ius meminit Strabo, & Ptolemęus. Quamuis Strabo
eam magis Arabiæ contribuat. Vnde Arabum lin-
gua vocatur Chairus, quo nomine eam noſtri homi-
nes hodie appellant.

f *Nec ponet ibi tentoria Arabs.*) Tanta erit Babylo-
nis euerſę ſolitudo, vt ne Arabes qui in deſertis locis
habitare ſolent, ibi domicilium conſtituant. Arabia
deſerta eſt Chaldææ vicina. Et ſunt Arabes homi-
nes agreſtes, & paſtores, qui cauſa pecorum non ha-
bent munitas aliquas ciuitates, ſed in ſolitudinibus
habitant ſua tentoria ſecum ferentes, & deſerta per-
agrantes. At neque illi, neque vlli alij paſtores in
loco vbi fuit Babylon, requieſcent præ horrore rui-
narum, & metu horrendorum animalium ibi habi-
tantium. Erunt enim omnia plena draconibus, & fe-
ris. Iuxta tropologiam poſſumus hoc ſic explanare,
Nullus bonus paſtor habitabit Babyloniæ, hoc eſt
in mundi confuſione. Qui enim ibi morantur &
quieſcunt, qui mundo delectantur, eiúſque confu- E
ſionem ſequuntur, non paſtores, ſed beluæ dicendi
ſunt. Hæ ſunt beſtiæ illæ, quas Deus ad montem *Exod. 19.*
Sina accedere prohibebat, vt Moyſes in Exodo me-
moriæ prodidit. Eſt enim ſacra ſcriptura altiſſimus
mons, quò ſi quis accedat in hominis figura vitam
beluinam degens, lapidibus interficitur: & pro vita,
quam ibi poterat inuenire, perniciem ſibi machinā-
tur. De iis dicitur in Pſalmo: *Ne tradas beſtiis animas* *Pſal. 73.*
confitentes tibi. Bonus paſtor habitat Hieroſolymæ, in
viſione pacis, & in Sione, hoc eſt, in ſublimi diui-
næ contemplationis ſpecula. Domus verò Ba-
bylonis beſtiis & draconibus replebuntur. Septua-
ginta interpretes pro draconibus verterunt ſonum,
ſiue clamorem, & meritò quidem: nam mundus
plenus eſt clamoribus. Nulla ibi eſt quies, nulla
tranquillitas, ſed qui locus ſecuritatis pleniſſimus
eſſe deberet, ibi turbulentiſſimæ tempeſtates exi-
ſtunt.

g *Habitabunt ibi ſtruthiones.*) Struthio eſt auis cor-
pore magno & graui, voraciſſima, admirabiliſque
naturæ: nam omnia quæcunque deuorat, ſine de-
lectu concoquit, vt refert Plinius libri decimi capi-
te primo. Appellatur à Luſitanis Ema. Per ſtru-
thiones intelliguntur homines ventri dediti & cra- F
pulæ, *quorum,* vt ait Apoſtolus, Deus venter eſt. *Philip. 3.*

h *Et piloſi ſaltabunt ibi.*) Id eſt animalia piloſa,
vt lupi, & vulpes, & cætera huiuſmodi animan-
tia.

i *Et ſirenes in delubris voluptatis.*) Id eſt, in lo-
cis, vbi fuerant aulæ voluptuoſæ, habitabunt ſi-
renes.

ANNOTATIO.

1 Et piloſi ſaltabunt ibi.] *In Hebræo eſt* ושעירים *vſeirim,* ſaltabunt ibi. *Septuaginta habent*: & dæmo-
nia ſaltabunt ibi. *Eodem modo vertit Pagninus. Et
rectè quidem. Nam dicto hæc habetur capite decimo-
ſeptimo Leuitici, vbi latinus interpres vertit*: Ne-
quaquam vltrà immolabunt hoſtias ſuas dęmoni-
bus. *Quidam exiſtimant eſſe Satyros. R. Dauid exi-
ſtimat eſſe genus quoddam animalis in deſerto com-
morantis. Diuus Hieronymus putat eſſe dæmonia, quæ
mihi ſententia magis placet. Exiſtimo tamen eos dæ-
mones ſignificare, qui cultoribus ſuis piloſi & hirſuti
inſtar hircorum apparent. Nam* שער *ſear pilum ſignifi-
cat,* שעיר *ſair verò hircum, vt Leuitici quarto:*
Hircum de capris immaculatum.

2 Et reſpondebunt ibi vlulæ.] *Pro vlulis eſt in He-
braico* איים *ijm, quam dictionem aiunt nonnulli,
catum ſylueſtrem ſignificare, quamuis etiam vlulam
ſigni-*

significet. Est autem vlula auis à fletu denominata, quòd semper vlulet & fleat, quæ noctu tantùm videt: Et cùm semper vlulet, non vult tamen ab vlulatus causa discedere. Hæ sunt aues Babylonis cultrices. Tales sunt mundi habitatores & amatores, qui cùm eius labores conquerãtur, ab illis tamen seiungi nequaquam volunt. Hi non solùm lucem non vident, sed eam detestantur, in rebúsque spiritus, atque in ipso virtutis splendore tenebris circunfunduntur. At nocte, in media caligine, in negotiis labyrintho inextricabilioribus ipsisque tenebris obscurioribus lynceos oculos habentes perspicuè vident, & minutissima quæque intuentur, imò ipsis tenebris oblectantur. Hæ aues vlulæ & struthiones à Domino in Deuteronomio prohibentur propter ea, vt ait contra Iulianum Diuus Cyrillus, quæ significant. Spiritualis enim lex non solùm in aperto verborum sensu, sed in mystico etiam consistit. Deut. 14.

3 Et sirenes.) *In Hebraico est,* תנים *vethanim.* Sũt qui interpretentur dracones. Doctiores tamen sirenes siue sirenas interpretantur, quæ sunt monstra quædam marina imaginem quandam mulierum, vt aiunt, gerentia. Hæ sirenæ, vt Homerus fictis fabulis memoriæ prodidit, cantus dulcedine nauigantes sopiebant, donec in mediis fluctibus obruti perirent. At Vlysses aures suorum sociorum clausit, ne earum cantum audirent, séque ad nauis malum alligari fecit, & ita omnes euaserunt. Sirenæ illæ sunt voluptates blandissimæ dominæ, quæ animum à virtute detorquẽt, homines sua falsa dulcedine decipientes, illísque miserabilem interitum machinantes. Nos verò, ne earum fallaci suauitate deliniti naufragium faciamus, claudamus aures, nauisque arborem, hoc est, Christi crucem amplectentes, demus vela, donec ad æternæ summæque beatitudinis portum accedamus. Has sirenas ait diuinus noster vates in delubris voluptatis, hoc est, in aulis principum habitare. Poteris harum pestilentium sirenarum nomine blandas lasciuásque poëtarum voces intelligere. Sed omnium pestilentissimæ sirenæ sunt hæreticorum dogmata carnis libertatem asserentia. Pro sirenis verterunt Septuaginta hericios. Est autem hericius animal satis horridum, cutem habens foris asperam, intus verò lenem. Tales sunt nonnulli principes & præsules, in alios austeri & truculenti, in seipsos verò lenes & mites. At præsul verè Christianus ait cum Paulo Apostolo: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. similitudo 1 Corin. 9

Argumentum capitis XIIII.

1 *Consolatur diuinus vates gentem Hebræam, quam præuidebat apud Babylonios exulantem. 2 Vaticinatur reditum suum ab exilio & miseræ captiuitatis.*
3 *Prædicit Babylonis afflictionem, eiusq; superbissimi regis interitum, atque pœnas sempiternas, & Palæstinorum excidium, luctuosamque calamitatem*

CAPVT XIIII.

Miserebitur[a] enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israel, & requiescere eos faciet super humum suam: [b] adiungetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob. [c] Et tenebunt eos populi, & adducent eos in locum suum: & [d] possidebit eos domus Israel super terram Domini in seruos & ancillas: & erunt capientes eos, qui se ceperant, & subiicient exactores suos. [e] Et erit in die illa: cùm requiem dederit tibi Dominus à labore tuo, & à concussione tua, & à seruitute dura, qua antè seruisti, sumes parabolam istam contra regem Babylonis, & dices: Quomodo cessauit exactor, [i] quieuit tributum? [f] Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, [g] cædentem populos in indignatione plaga insanabili, subiicientem in furore gentes, & persequentem crudeliter. Conquieuit & siluit omnis terra, gauisa est & exultauit. [h] Abietes quoque lætatæ sunt super te, & cedri Libani: ex quo dormisti non ascendit qui succidat nos. [i] Infernus subter te conturbatus est in occursum aduentus tui, suscitauit gigantes: omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum. Vniuersi respondebunt, & dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut & nos, nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos superba tua: concidit cadauer tuum, subter te sternetur tinea [k] & operimentum tuum erunt vermes.

EXPLANATIO.

a *Miserebitur enim.*) Cyrus rex Persarum capta Babylone Iudæos, ad patriam suam liberos emittet. Sed hæc liberatio est attribuenda Deo, qui pro sua misericordia populum suum magnis iactatum tempestatibus ad Iudæam reuocabit. Lege Esdræ librum, & videbis historiam hanc. Lege etiam Aggæum, & Zachariam Prophetas, vt radicitus totam intelligas historiam. Quod autem Esaias dicit, *Miserebitur Dominus Iacob*, intelligitur de Iuda & Beniamin, quarum tribuum Deus misertus est, eas ad Iudæam reducens. Per Israelem autem, cuius reliquias inquit esse à Deo eligendas, intelligit eos, qui ex decem tribubus euaserunt, séque ad Ezechiam contulerunt, qui posteà cum duabus tribubus fuerunt simul Babylonem translati. De hac Hebræorum reductione dicebat Deus apud Ezechielem: *Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum, ad quas abierunt, & congregabo eos vndique, & adducam eos ad humum suam, & faciam eos in gentem vnam in terra, in montibus Israel.* Agg. 1. Zacha. 1. Ezec. 37.

b *Adiũgetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob.*) Venient cum Iudæis Hierosolymã multi ex diuersis gentibus, qui eorum religionem amplectentur, & relicta

A licta idolorum superstitione vero Deo adhærebunt.

c *Et tenebunt eos populi.*) Varij populi honoris gratia reducent Iudæos in patriam suam. Lege sacram historiam: & inuenies fuisse Hebræos à Cyro honorifice tractatos, & muneribus pro reparando templo & vrbe adiutos. Considera rerum vicissitudines & varietates, deíque immensam pietatem.

d *Et possidebit eos domus Israel.*) Hebræi qui à Babyloniis captiui detinebantur, posteà nonnullos ex illis secum captiuos asportabunt: iisque dominabũtur, qui anteà ab illis tributa exigebant, eósq; grauiter vexabãt. Hoc fieri potuit, quia euersa Babylone fuerũt Babylonij, qui euaserũt, captiui, quorũ nõnullos Hebræi à Persis emerunt, & secum Hierosolymã asportarũt. Sed quamuis hæc omnia ita in aperto orationis argumento intelligantur, possunt tamen sic spiritualiter explanari. Euersa Babylone Apostolorum prædicatione, mundi confusione & idololatria vastata, miserebitur Deus Iacob, & eliget Israel, hoc est, saluas faciet reliquias Hebræorum in Christum credẽ-
B tium. Adiungẽtur aduenæ ad Iudæos, introibit gentium multitudo, & veram fidem repudiata superstitione recipient: & cum Iudæis habitabunt Hierosolymæ, hoc est, in Ecclesia à Iudæis & Gentibus congregata, quæ eos possidebit. Et viri Apostolici capient eos, à quibus anteà vexabantur, eos tyrannos ad fidem conuertentes, sibíque subiectos efficientes, qui prius ipsos Christianos grauissimis suppliciis afficiebant. Et vt nullo alio in loco nisi Hierosolymæ licebat templum ædificare, aut facere sacrificium, sic solùm in Ecclesia Catholica Deus verè colitur, extra quam nullum est neque votum, neque sacrificium Deo gratum, & acceptum. Nos verò qui in Ecclesia sumus, ad Deum ardenter precationes ac lachrymas fundamus, pro iis vota facientes, qui impias ac Lutheranas fraudes, & pestilentes hæreses amplexantes in Babylonica captiuitate detinentur, vt Deus illis oculos aperiat, & ad veram Hierosolymam, ad visionem pacis, ad fidem, ad religionem pietatis plenissimam reducat, vbi notus est Deus & sanctum nomen eius, ad eósque, pro quibus etiam sanguinem suum fudit, oculos suæ immensæ pietatis aliquando con-
C uertat.

e *Et erit in die illa.*) Alloquitur Propheta populum Hebræorum ita dicens: Cùm reuersus fueris in patriam tuam à iugo Babylonicæ seruitutis ereptus, & tibi Dominus pristinam tranquillitatem restituerit, recordaberis potentiæ quondam Nabuchodonosoris, & posteà eius miserię, & in quas ærumnas tãdem inciderit. Cogitabis tecum, & memoria repetes magnitudinem ac superbiam Babylonis, & quemadmodum omnis illa gloria & potentia transierit, & veluti fumus euanuerit. Et cantabis parabolam hãc in regem Babylonis, *Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum?* hoc est, Qui fieri potuit vt Babylon ciuitas auara & inexplebilis desierit extorquere tributum ab Israelitis, aliisque nationibus? Periit tyrannus, & ciuitas euersa est. Possumus nihilominus per regem Babylonis diabolum intelligere, quem Christus mũdi principẽ appellat, qui Christi morte manuit victus, & foris eiectus, & mundi confusio euersa & idolorũ
Ioan. 12. & 14. cultus deletus & vastatus. Hic rex Babylonis erat ille, cui omnes erant tributarij. At eo diuicto cecinerunt Christiani: Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? exactor est qui tributum exigit.

f *Contriuit Dominus baculum impiorum.*) Hoc est, perdidit Deus Nabuchodonosorem, qui erat bacu-
Sup. 10. lus & virga, quo cædebantur impij. De quo suprà dictum fuit: *Virga furoris mei Assur.*

g *Cædentem populos in indignatione.*) Describit tyrannidem Nabuchodonosoris, eiúsque superbiam, & immanitatem. D

h *Abietes quoque.*) Per abietes intelligit plebem, per cedros Libani duces & principes, quibus ipse Nabuchodonosor dominabatur. Qui eo mortuo elati gaudio dicebant: Ex quo dormisti, non est qui succidat nos: hoc est, Postquam vtraque morte & temporali & æterna mortuus es, nemo est qui nos opprimat, quemadmodum tu immanissime tyranne facere solebas.

i *Infernus subter te conturbatus est.*) Non solùm terra, sed etiam infernus, qui sub terra est, insultauit, tuóque interitu lætatus est. Delectati sunt tua pernicie tam viui quàm mortui. Locus ille subterraneus cæcarum tenebrarum, & cruciatuum æternorum suscitauit gigantes, hoc est, eos qui quondam opibus & potentia viam ad tyrannidem munierant, vt tibi occurrerent, & insultarent, teipsum irridentes, tuámq; potentiam in æternam miseriam conuersam subsan- E
nantes.

k *Es operimentum tuum erunt vermes.*) Poterat verti, *Plenus es vermibus.* Quasi dicat: Tam terra es tu ô tyranne, tam fluxus & caducus quàm alius quicunque. Tam terra est ea, quæ in serico ac precioso ceruicali includitur, quàm ea quæ in vili ac rudi sacco continetur. Tam vermibus obnoxius est rex quàm agricola, dives quàm pauper, claro quàm obscuro genere ortus. Omnes plorantes ingrediuntur vitam, & omnes gementes obeunt mortem. Communis est omnium eadem miseria, & imbecillitas. Id intueri deberent, & secum sæpenumerò cogitare principes & potentes, qui sui obliti alios contemnunt, suáque potentia & opum affluentia elati non existimant se esse aliquando morituros. Et ij celeriter his falsis potentiæ & opum imaginibus spoliantur, & nudi ac egeni in æternos cruciatus detruduntur. Viperam feruat exustam in cinerémque conuersam mederi eius- F
dem bestiæ morsui. Mordet vipera, fit tumor, & plaga mortifera & pestilens, adhibe cinerem, & id in quod *simile* ipsum animal conuertitur, & sanitatem consequeris. Vulneratus es à superbia, mundi gloria, & potentia vipera venenosa, habes animam tumidam, ac pestifero morsu sauciam, considera cinerem, ídque, in quo dilabitur & conuertitur vana mundi potentia, & ipse puluis erit promptum & salutare remedium, quo possis ad vitam reuocari. Et quẽadmodum Naaman Syrus petebat ab Elisæo onus terræ, quam volebat secum asportare, vt in quarto libro Regum diuinæ *cap. 5.* literæ testantur, ne posteà falsa gentium idola coleret, sed repudiata superstitione ad Deum confugeret, & supplex accederet, sic nos ne in rebus fluxis & inanibus collocemus beatitudinem, & à Deo discedamus, terræ sarcinam in memoria collectam & cõseruatam ferre debemus, considerantes, & animo sæpenumerò repetentes, esse nos terram, & omnium elementorum infimum & abiectissimum, imò ipsam elementorum fæcem. Cùm autem homo sit formatus ex terra, terra autem ex nihilo, apertè concluditur, inter hominem & nihil solam terram esse interiectam. Præterea cùm nos simus ex terra formati, terra autem ex nihil, quis non videt, esse nos filios terræ, nepotes autem ipsius nihil? Hęc est nostra progenies: Hæc est nostræ nobilitatis origo & claritas: Hæc sunt nostra stemmata, & antiquæ familiæ monumenta. Hoc perpendens Ecclesiasticus his verbis exclamat: *Quid superbit terra & cinis?* Ad hanc salutarem & excellentem contemplationem nos tanquã oblitos nostri inuitat Ecclesia, dicens: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris.* Acsi diceret: Accipe hanc considerationem, quam tibi tribuo, veluti clauem admirabilem, qua poteris ostium tui ipsius aperire, téque ipsum intueri, & penetrare. Re-
Psal. *Psal.*

sera

Ge

A sera ianuam,ingredere teipsum,qui à te longè abes, & aspicies totam domũ cinere ac puluere repletam. Nec te decipiat corporis pulchritudo, & insignis ornatus,nam omnia hęc interibunt,& in puluerẽ tandẽ cõuertentur. Intellige teipsum,quoniam hæc est prauitatis causa ignoratio sui. Et hæc verba æqualiter dicuntur illustrissimis regibus, & abiectissimis sutoribus,magnatibus,& è media plebe,ac obscura progenie sumptis. Quoniã nulla est hac in re inter magnos & paruos differẽtia. Imò principes,diuitiarúmq; copia affluentes in acerbiores miserias sæpenumerò incidunt, quod non solùm veterum annales,& antiquitatis monumenta loquuntur, sed etiam nostra hæc tẽpora apertissimè testantur. Et hoc est,quod illi,qui torquebantur in inferno,dicebant insigni illi tyrãno, & Babylonis quondã potẽtissimo regi: *Vulneratus es sicut & nos,nostri similis effectus es*, & cætera quæ sequũtur. Quæ omnia diuinus vates tragicè scripsit,nõ quòd sic facta fuerint,sed vt poetica hac & pulcherrima orationis exornatione miserias, in quas inciderit insolentissimus tyrãnus describeret, & amplificaret, qui ex amplissimo dignitatis gradu præcipitatus, fuit ad regionem illam terribilis horroris & cruciatus,æternarúmque tenebrarum detrusus. D

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT XIIII.

1 Quieuit tributũ.] *In Hebraico est,Quieuit* מבחרת *madheuah,Id est auro plena, vel auri exactrix. Id enim hoc nomen,vt ait quidam Hebræus,significat. Estque epitheton Babylonis,quæ auro affluebat, quòd à multis regionibus acciperet tributa. Et ita vertit Pagninus:Reuchlinus tamen ait significare hoc nomen aurum tributarium,pro quo non malè vertit noster interpres tributum.*

Quomodo [a] cecidisti de cœlo Lucifer,qui manè oriebaris?corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo:In cœlum cõscendam,super astra Dei exaltabo solium meum, &[b] sedebo [1] in monte testamenti,in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Veruntamen [c] ad infernum [d] detraheris in profundũ laci. [f] Qui te viderint, ad te inclinabuntur,tẽque prospicient:Nunquid iste est vir qui cõturbauit terram, qui concussit regna:qui posuit orbem desertũ,& vrbes eius destruxit?[g] vinctis eius non aperuit carcerem.[h] Omnes reges Gentiũ vniuersi dormierunt in gloria,vir in domo sua. Tu autem proiectus es de sepulB chro tuo,quasi stirps inutilis pollutus,& obuolutus cum his qui interfecti sunt gladio,& [i] descenderunt [2] ad fundamenta laci,quasi cadauer putridum. Non habebis consortium, neque cum eis in sepultura: [k] Tu enim tuam terram disper didisti:[l] tu populum tuum occidisti:nonvocabitur in æternum semen pessimorum. E

[m] Præparate filios eius occisioni in iniquitate patrum suorum:non consurgent,neque hæreditabunt terram neque implebunt faciem orbis ciuitatum. [n] Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum:Et perdam Babylonis nomen,[o] & reliquias,& germen,& progeniem,dicit Dominus. [p] Et ponam eam in possessionem hericij,& in paludes aquarum,& scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum. [q] Iurauit Dominus exercituum dicẽs: [r] Si non vt putaui,ita erit.& quo modo mente tractaui,sic eueniet,vt conteram Assyrium [s] in terra mea,& in montibus meis conculcem eum.& [t] auferetur ab eis iugum eius,& onus illius ab humero eorum tolletur. Hoc consilium quod cogitaui [v] super omnem terram,& hæc est manus extẽsa super vniuersas Gentes. Dominus exercituum decreuit:& quis poterit infirmare?Et manus eius extenta:& quis auertet eam?[x] In anno quo mortuus est rex Achaz factum est onus istud.[x] Ne læteris Philisthæa omnis tu,quoniam comminuta est virga percussoris tui:de radice enim colubri egredietur regulus,& semen eius absorbens volucrem.[z] Et pascentur primogeniti pauperum,& pauperes fiducialiter requiescẽt. [a] Et interire faciam in fame radicem tuam,& reliquias tuas interficiam. [bb] Vlula porta,clama ciuitas,prostrata est Philisthæa omnis.[cc] Ab Aquilone enim fumus veniet, & [dd] non est qui effugiat agmen eius. Et [ee] quid respondebitur nuntiis Gentis?Quia Dominus fundauit Sion,& in ipso sperabunt pauperes populi eius. C

F

a *Quomodo cecidisti de cœlo.*) Verba sunt eorum,qui in inferno positi regẽ Babylonis alloquebantur, Tu ô Nabuchodonosor qui in mũdo viuens vsque adeò potens & glorioſus fuisti,vt esses fulgori Luciferi cõparatus,quonã modo in terrã corruisti,qui tantũ tibi sumebas & arrogabas;vt auderes dicere, tantã gloriã & potentiam te esse consecutum, vt in cœlum ascenderes,& ipsa Dei sydera tuis pedibus subiiceres? Lucifer est stella quædã,appellata Venus,quæ discutit tenebras,& ardẽs ac micãs radiis mundũ illustrat. Astra Dei appellat magna sydera. Solet enim scriptura ea,quę magna sunt, Dei appellare,vt montes Dei, cedros Dei,Niniuem ciuitatẽ Dei,hoc est magnam. Et ita interpretãtur nonnulli id quod dicitur Genesis primo capite: *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, hoc est,ventus magnus:& cap. 23. *Princeps Dei es apud nos*,id est magnus. Sed perpende regis superbiã. Nõ dicit: Inter astra Dei,sed *super astra Dei exaltabo solium meum.* Hanc prophetiam scribit Daniel aliis verbis,quę fuit illi in statua,quã vidit in somniis Nabuchodonosor,ostensa,cuius caput aureum erat ipse Nabuchodonosor. Cùm autem statua pedes fictiles haberet,fuit cõminuta,& quasi in fauillã redacta, & ipse rex in infernũ præcipitatus. Nec illi profuit mũdi celebritas,& gloria, & falsa nominis claritas & amplitudo. Est enim omnibus,qui ingenio & ratione ducũtur,satis perspectum & cognitũ,verã mundi gloriam,& nominis splendorẽ & celebritatem,nõ

Psal. 67. *Psal. 79.* *Gen. 23.* *Dan. 2.* *Gen. 1.*

A in diuitiis,nec in potentia, ſed in diuini numinis imitatione cõſiſtere. Et quemadmodũ non eſt laudabilis aleator,vt Plato grauiter ac ſapiẽter dicebat,cui optimus accidit iactus,ſed ille qui quocũque iactu cõmo diſſimè vtatur: nã fœliciter accidere nõ eſt in luſoris manu,at aptiſſimè & ſapienter ludere eſt in eius induſtria conſtitutum:ſic nõ eſt vlla laude dignus, qui rerũ humanarum affluentia,& proſperitate abundat, ſed ille qui in quocũq; vitę ſtatu eam viuendi rationẽ ſequitur, vt actiones ſuas ad certã rationis normã dirigat,& diligenter momenta officiorũ omnium perpẽdat. Hæc ſunt ampla,hæc immortalia,& digna quę publicis monimẽtis mandentur ad memoriã poſteri temporis ſempiternã. Quemadmodũ enim aleator, cui fælix contigit iactus,ob ignauiã, & inſcitiam ſuã ludum aliquando amiſit:qui autem ſiniſtrã ſortẽ accepit,ob eximiã ſolertiam,& prudentiã ludum obtinuit,& fuit victoriã cõſecutus,ſic qui opum & potentiæ abundantiã ſortiuntur,aliquãdo præcipites ruũt, in dedecus & infamiã & æternas miſerias incurrẽres: qui verò rebus vtũtur aduerſis,& ad voluntatem minimè fluentibus, animi tranquillitatẽ in hoc exilio ſæpenumerò obtinent,& poſteaquã ex vinculis corporũ,tanquã ex carcere euolant, æternã beatitudinẽ in patria conſequuntur. Cæterũ illud eſt aduertendũ, Eſaiã hoc in loco alludere ad caſum diaboli, qui cũ eſſet angelus ſplẽdidiſſimus,ſe ſuperbè extulit,& eam B ob cauſam fuit de cœlo præcipitatus. Cõparat igitur ſuperbiam & arrogantiã Nabuchodonoſoris cũ ſuperbia Luciferi, qui de dignitate cecidit in tenebras ſempiternas,de quo ait Chriſtus apud Lucã: *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadẽtem.* Acſi diceret: Nõ nouum eſt ſubiici dæmonia in nomine meo, nã olim me ſpectãte decidit eorum princeps. Nec vos ô diſcipuli mei debetis gloriari veſtra hac potentia, quòd vobis dæmonia ſubiiciantur, ſed quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlo, vt vnde ille cecidit per ſuperbiã, vos aſcendatis per humilitatem. Sed cùm Angelus ceciderit, priuſquam Adam & Eua formarentur, quærendum videtur, cur Moyſes mandauerit literis hominis caſum, angeli autem ruinam tacuerit. Ratio eſſe videtur, quia cùm hominis peccatum eſſet delendum, hominúmque genus Chriſti morte reſtaurandum, peccatum autem Angelorum non eſſet dimittendum, voluit vir ſanctus illud ſolum vulnus recenſere, quod erat curandum, vt nobis oſtenderet non eſſe neceſſe ex profeſſo ea ſcelera narrare, quæ incurabilia & inexpiabilia videntur.

Simile

Luc. 10.

Angelorum lapſum cur Moyſes præterierit.

b *Sedebo in monte Teſtamenti in lateribus Aquilonis.*) Per montem Teſtamenti intelligit templũ Hieroſolymæ, vbi Teſtamentum, hoc eſt, diuina lex erat, & docebatur, & quò populus orationis & ſacrificij gratia conueniebat. Per latera Aquilonis intelligit Hieroſolymam, de qua dicitur in Pſalmo: *Mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni.* Non enim ſolùm cœlum deſiderabat, ſed templũ ſanctũ, vbi vt Deus coleretur. Vide diaboli ſuperbiam incredibilẽ, & arrogantiã intolerabilẽ, cogitabat vſurpare dininũ locum, & diuinũ cultum. Sed quid feceras ô dæmon impudẽs? vbi erant tui labores, vt iam ſederes? adhuc nõ laboraueras, & iam ſedere volebas. Seraphim ſtãt coram Deo volantes, & ſeruientes, & non ſedent, & tu ſedebis? Nónne, vt verbis Paulinis vtar, *omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus?* Cur igitur in tantam ſuperbiam deueniſti, vt velles non ſolum ſedere ſed etiam aſcendere in altitudinem nubium, & ſimilitudinem alti ſſimi vſurpare? *Ero*, inquit, *ſimilis Altiſſimo.* O ſuperbiam inauditam. Ex eodem veneno propinauit diabolus primæ mulieri, quando ſuadens ei vt comederet fructum prohibitum, dicebat, *Eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum.*

C

Pſal. 47.

Heb. 1.

Gen. 3.

c *Ad infernum detraberis ad profundum laci.*) Perpende Dei iudicium. Qui altitudinem & potentiã appetit, ad eámque vult ſine meritis aſcendere, ad infernum detrahitur, in imam ac cæcã abyſſi profunditatẽ proiicitur. Cõſideret homo elatus, quid mereatur in terra, cùm angelus in cœlo cõſtitutus proſternetur. Vera eſt & infallibilis illa Chriſti Dei noſtri ſententia: *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Vnde ſanctiſſima illa Dei genitrix virgo canebat: *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.* f *Qui te viderint, ad te inclinabuntur.*) Nempe vt te attentius intueantur. Nõ dicit, Ad te accedẽt, ſed *inclinabuntur.* Acſi dicat: Tantũ infra alios eris, vt ad te inclinẽtur qui te aſpicere voluerint. Conſydera regis Babylonis miſeriã. Sic in libro Sapientiæ ſcriptum legimus: *Iudiciũ duriſſimũ in his qui præſunt, fiet.* Exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potẽter tormenta patientur.

D

Luc. 14.

Luc. 1.

Sapien. 6.

g *Vinctis eius non aperuit carcerem.*) Tãta erat Nabuchodonoſor immanitate inſignis, & inquinatus, vt eos quos captiuos detinebat, crudeliter vexaret, & in obſcuras latebras ita obtruderet, vt nec cœlum, ne lucem quidem aſpicere poſſent.

h *Omnes reges Gentiũ vniuerſi domierunt in gloria.*) Senſus eſt: Omnes alij reges ſepulti ſunt cum honore in magnificis ſepulchris, ex quibus non fuerunt extracti, tu autem ablatus de ſepulchro tuo, & auibus expoſitus. Et ſepultis aliis, quos tu occideras, tu ſolus inſepultus iaces. Ferunt Hebræi ſucceſſiſſe Nabuchodonoſori filium eius Euilmerodach. Et quoniam nonnulli exiſtimabant non eſſe Nabuchodonoſorem mortuum, & eam ob cauſam eius filium nolebant regem conſtituere, ipſe filius extraxit de ſepulchro patris cadauer, vt viderent omnes eum re E vera ex vita migraſſe: & ne poſſet ad vitam redire, eius cadauer in ducentas partes diuiſit, quas totidem auibus ex diuerſis terris congregatis alligauit.

i *Deſcenderunt ad fundamenta laci.*) Id eſt, ad inferni profunditatem,

k *Tu enim terram tuam diſperdidiſti.*) Hoc eſt, Regnum Babyloniorum fuit ob tuam ſuperbiam euerſum, & ciuitas funditus deleta. Atribuitur regi excidium regni: Ait enim Solomon in Prouerbiis: *Rex iuſtus erigit terram, vir auarus deſtruet eam.* Nam non ſolùm principes & præſules obſunt quòd corrumpuntur, ſed quòd alios corrumpunt; plúſque exemplo aliquando quàm peccato nocent. Qua de re alibi latius diſſerui.

Prou. 29.

l *Non vocabitur in æternum ſemẽ peßimorum.*) Hoc eſt, memoria ſceleratorũ delebitur, & penitus obſcurabitur. Euerſa Babylone nullus de genere Nabuchodonoſoris imperium obtinebit: ſed eius potentia irreuocabiliter extinguitur. Ideò ſubdit: *Præparate filios eius occiſioni.* Quibus verbis prædicit eſſe filios cum patribus occidendos, quoniam eorum patrum vitia fuerant imitati. Vt enim viri infimis orti natalibus, ſi rerum geſtarum gloria floruerint, aut virtutum opi- F bus abundauerint, familiam ſuam abiectam & obſcurã è tenebris in lucem vocant, ſic qui in clariſſima familia orti fuerint, ſi ſe vitiis cõtaminauerint, & in republica violanda fraudes impias conceperint, ſuorum maiorum ſplendorem, ac antiquæ familiæ clariſſimum lumen extinguunt.

m *Præparate filios eius occiſioni.*) Id eſt, Parate vos, ô Perſæ, & Medi, vt nepotes Nabuchodonoſoris interficiatis. Hoc ita accidit in euerſione Babylonis.

n *Et conſurgam ſuper eos.*) Minatur Deus Babylonis vaſtitatem.

o *Reliquias & germen & progeniem.*) Id eſt, Perdam

eas

A eas reliquias, quæ ex prælio superstites euaserint, & filios & nepotes, & omnem denique Nabuchodonosoris posteritatem extinguam.

p *Et ponam eam in possessionem hericij.*) Tanta erit Babylonis vastitas & solitudo, vt eam hericij & be-
Act.10. stiæ aliæ colant. In actis Apostolorum scriptũ à Diuo Luca legimus, in vase illo linteo quatuor initiis subnixo, de cœlo in terram descendente, omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & cœli volatilia contineri. Explicãs autem paulò post Diuus Petrus visionem hanc, *Mihi*, inquit, *ostendit Deus, neminem immundum dicere hominem.* Cùm autem per illa animalia homines significarẽtur, cõstat in diuersis animalibus di-
Luc.3. uersos hominũ mores demõstrari. Pharisæi & Sadduc-
Luc. 13. cæi obvirulentã malitiã genimina viperarũ appellã-
Matt.10. tur. Herodes ob impias fraudes & dolos vulpes vo-
Matt. 13 catur. Alij equi, alij lupi, alij aliter. Contrà verò pij & innocentes viri oues & columbæ vocantur. Cùm autem Dominus diuitias, huiúsque seculi curas comparet cum spinis, sit autem hericius animal spinis plenum, apertè colligitur per hericium diuites significa-
1.Tim. 6. ri, qui iuxta Diui Pauli sententiam inseruerunt se doloribus multis. Qui enim vt in eadẽ epistola ad Timotheum dicitur, volunt diuites fieri, incidunt in tẽtationem, & laqueum diaboli. Hi non muniuntur armatura Dei, sed spinis, ac mundi solicitudinibus, &
B peccatis. Tales habitatores habet Babylon, hoc est, mundi confusio. Tales cultores continet mũdus virtutibus desertus & orbatus. Ibi non est ager irriguus, afferens diuersorum seminum fructus, sed limosæ & infertiles paludes, luto & veneno pleniſſimæ, immũda animalia producentes. Est ergo diues auarus hericius, desertæ Babylonis habitator. Superiore capite in fine Hebraicarum annotationum per hericiũ dixi significari iniquos præsules, quorum cutis intus est blanda & suauis, foris autem hirsuta & setis horrida: q cùm sint deliciis & voluptatib⁹ dediti, in alios horrent setis & tyrannicam austeritatem exercent.

q *Iurauit Dominus exercituum.*) Reuertitur propheta ad id, quod præsens erat, & vaticinatur excidium Sennacheribi, qui tunc victa Samaria, & tota ferè Iudæa, obsidebat Hierosolymam. Sed eius exercitus fuit ab angelo occisus, vt alibi narrauimus.

r *Si non vt putaui ita erit, &c.*) Hic est horum ver-
C borum sensus, Ego sine dubio perdam & euertã Sennacheribum regem Assyriæ: & ita euenit, vt putaui & constitui. Et ita particula, *si*, est affirmantis aut iurantis. Vel sic: Si non euenerit vt ego putaui: si Sennacheribum non perdidero, nolite amplius mihi credere.

s *In terra mea.*) Hoc est, in Iudæa, quę ob eam causam terra Dei appellatur, quia colebatur in ea, & qa ibi sumpturus erat humanam carnẽ ex sacratissima virgine Maria, & quia ibi futurus erat suæ natiuitatis locus, & quia ibi erat moriturus, & ad vitam reuocandus. Montes autem sanctos appellat terram illam Hierosolymæ, quæ montosa est: Ideò dicitur in
F Psalmo: *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non*
Psal.124. *commouebitur in æternum qui habitat in Ierusalem, Mõtes in circuitu eius.*

t *Auferetur ab eis iugum eius.*) Euersis Assyriis liberabuntur Iudæi à iugo, & graui Sennacheribi imperio.

v *Super omnem terram.*) Intelligit Assyriam, & per omnes Gentes ipsos Assyrios significat. Vdetur alludere ad mundi consummationem.

x *Factũ est onus istud.*) Id est, Reuelata est mihi hæc vaticinatio aduersus Babylonem & Assyriam, anno quo Achaz excessit è vita. Mortuo Achaz obtinuit regnum Ezechias, sub quo totus vsque ad finem texitur liber.

y *Ne læteris Philisthæa.*) Mortuo Achaz rege Iudæorum lætabãtur Palæstini, eius inimici: quoniã dũ rex viueret illis resistebat, existimantes se posse securius in Iudæos perniciem machinari, quoniam rex qui in Iudæa succedebat, nẽpe Ezechias, erat iuuenis, quem existimabãt posse facilè superari. At multò aliter euenit: fuerũt enim ab eo grauiter afflicti. Hoc intuens propheta ait Palæstinis, ne gaudio efferantur morte percussoris sui, hoc est, regis Achaz, quia de radice colubri erat regulus egressurus, hoc est, à rege Achaz genitus erat Ezechias, qui eos erat vastaturus. Appellat propheta regẽ Achaz colubrũ, & Ezechiã regulũ, siue Basiliscũ, qui grauius nocet quã coluber: & quoniam in aere necat ipso afflatu volãtes aues, subdit, & semẽ eius absorbẽs volucrẽ. De Basiliſco ita scribit Solinus capite quadragesimo: Basiliscus serpens est penè ad semipedẽ lõgitudinis, alba mitrula linea tus caput: nec hominis tantùm, vel aliorũ animantiũ exitiis datus, sed terræ quoq; ipsius, quã polluit & e-
E xurit, vbicunq; ferale sortitur receptaculũ. Denique extinguit herbas, necat arbores, ipsas etiã corrumpit auras, ita vt in aerẽ nulla alitum impunè transuolet, infectũ spiritu pestilenti. Hęc Solinus. Eadẽ ferè scribit Plinius libri octaui capite vegesimoprimo. Quidam per colubrũ intelligunt Oziã, qui afflixerat Palæstinos, vt habetur secundo libro Paralipomenon capite 26. per regulum verò Ezechiã eius proauum, qui grauiter Palæstinos vexauit, vt libri quarti Regũ cap. decimooctauo licet videre.

z *Et pascentur primogeniti pauperũ, & pauperes fiducialiter requiescẽt.*) Cùm tu Philisthæa fueris ab Ezechia rege Iudæorũ vastata, lætabitur populus meus, pascentur & quiescent primogeniti pauperũ, hoc est homines admodùm inopes, successores pauperum, & egeni securè accubabunt. Fortasse per primogenitos pauperum & pauperes, homines intelligit suæ fragilitatis cõscios, nullãque superbia elatos. Sũt qui per primogenitos pauperum Iudæos intelligant, quòd olim fuerint à Deo dilecti.

aa *Et interire faciã in fame radicem tuam.*) Radicẽ Philistææ appellat ipsos Palæstinos, hostes populi Dei, quos dicit euertendos esse. Poteris per radicem, qua nihil est in arbore fortius & firmius, magnates & potentes intelligere.

bb *Vlula porta.*) Solebant Hebræi in portis ciuitatis iudicia exercere, quapropter erant ibi multi congregati, quos propheta nomine portæ, quò ipsi conueniebant, alloquitur, vt Philisthææ vastitatem deplorent.

cc *Ab Aquilone enim fumus venict.*) Hoc est, à Hierusalẽ, quæ est ex parte Aquilonaris Palæstinæ. Acsi diceret: A ciuitate Hierosolymę veniet exercitus Ezechię, qui tibi ô Philistæa tã molestus erit, quàm fumus oculis.

dd *Non est qui effugiat agmen eius.*) Id est: Nullus se domi continebit, omnes veniẽt cũ Ezechia ad prælium, nemo se excusabit, Vel sic: Nullus Palæstinus poterit euadere ab exercitu Ezechiæ, eiúsque furorem declinare. Prior tamen interpretatio melior est, cui fauet versio Pagnini sic habens: *& non erit solitarius in temporibus suis.* Hoc est, omnes ad Ezechiæ exercitum conuenient, vt cum eo bellũ inferãt Palæstinis.

ee *Quid respõdebitur nuntiis Gentis?*) Euersa Palæstina quid respondebũt eius habitatores legatis exterarũ Gentiũ? Cùm Palæstina maritima sit, mittebantur ad eã legati ex diuersis regionibus, quibus percõtantibus de insigni illa clade, quæ fuerat illata ab Ezechia, respondebãt Palæstini, se ob eam causam fuisse victos, & Hierosolymam seruatam, quoniam illa fuerat fundata à Deo, in quo eius habitatores spem suam collocauerant.

A 1 Sedebo in monte testamenti.] *In Hebraico est:* Sedebo in monte מועד *moedh, quod nomen significat testamentum, concilium, Ecclesiam, congregationem, tempus statutum, sepulchrum, & solennitatem, ad quem multi conueniunt. Deriuatur à verbo* יעד, *quod significat congregare, conuenire, constituere, polliceri, despondere, & etiã testificari, vt ait Reuchlinus. Vnde nomen Testamentum significat: quam significationem secutus est Latinus interpres. Per montem testamenti intelligi templum Salomonis, in quo erat & docebatur Testamentum Dei, hoc est diuina lex, in explanatione ostendimus. Poterat nihilominus verti:* In monte congregationis, *vel* concilij. *Acsi diceret: Sedebo in monte Sion, in quẽ conueniunt omnes Iudæi ter singulis annis, vbi congregati offerant sacrificia. Pagninus vertit:* Sedebo in monte Ecclesiæ, *quod in idem recidit.* ἐκκλησία *enim Latinè cœtus, seu concilium, seu congregatio appellatur. Poterat etiã verti:* Sedebo in monte temporis constituti. *Quoniam certo ac statuto tempore illic congregabantur. Poterat præterea verti:* In D monte solennitatis. *In quã significationem sumitur hoc nomen à Latino interprete in prima Ieremiæ lamentatione.* Et quòd non sint, qui veniant ad solẽnitatem. *Et quoniã in sepulchris omnes congregantur significat hoc nomen* מועד *moedh sepulchrũ. Vnde in libro Iob capite trigesimo, vbi editio vulgata habet:* Scio quia morti trades me, vbi cõstituta est domus omni viuenti: *poterat recte verti:* Scio quia morti trades me, & domui cõgregationis omnis viuentis, *quemadmodũ vertit Pagninus. vel,* Et domui sepulchri omnis viuentis. *Est enim sepulchrum domus congregationis omnium mortalium. Quamuis enim in vita dispares videãtur, in morte tamen omnes conueniunt.*

Thre. 1.

Iob 30.

2 Et descenderunt ad fundamẽta laci.] *Septuaginta interpretes habẽt:* Ad fundamẽta terræ, *hoc est, ad centrum, ac terræ profunditatẽ. Vbi aspicis infernum esse in medio terræ constitutum.*

Argumentum capitis XV.

Vaticinatur de euersione Moabitarum. Est quidem Moab Arabum prouincia, in qua regnauit Balac filius Sephor: qui vt in Numeris scriptum legimus, conduxit Balaam ariolum, vt malediceret Israeli. Fuisse Moab prouinciam inclytam & potentem asserit Ieremias capite quadragesimo octauo. Et quoniam Moabita euersione & clade filiorum Israelis illata ab Assyriis & Babyloniis fuerunt magnoperè delectati, ideò meritò fuerunt euersi ab isdem, & eo tempore quo Sennacheribus captiuas duxit decem tribus, & quando Nabuchodonosor Hierosolymam deleuit. Prædicit autem diuinus vates eorum excidium ad bonorum consolationem, iuxta id quod dicitur in Psalmo: Lætabitur iustus cùm viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris..

Num. 24

Iere. 48
Psal. 47.

CAPVT XV.

Iere. 48. f
Ezec. 7. c.

B [a] Nus Moab: [b] Quia nocte vastata est Ar Moab, conticuit: quia [c] nocte vastatus est murus Moab, conticuit. [d] Ascendit [e] domus & Dibon ad excelsa in planctum: [e] super Nabo, & super Medaba, Moab vlulabit: [f] in cunctis capitibus eius caluitium, & omnis barba radetur. [g] In triuiis eius accincti sunt sacco: super tecta eius, & in plateis eius omnis vlulatus, descendet in fletum. [h] Clamabit Hesebon, & Eleale, vsque Iasa audita est vox eorum. [i] Super hoc expediti Moab vlulabunt, anima eius vlulabit sibi. E

EXPLANATIO.

a *Onus Moab.*) Hoc est, vaticinium de Moabitarũ cal.

b *Quia nocte vastata est Ar.*) Ar fuit ciuitas magna,

Gen. 19. Moabitarum metropolis, quæ nocte euersa est, cùm nemo fortasse esset de tam repentina oppugnatione solicitus. Moab fuit filius Lot, quem ipse nesciẽs genuit ex filia sua maiore, vt in libro Geneseos narrat scriptura. Et eam ob causam appellatur ita: significat enim Moab, à patre, nõ enim erubuit eius mater nomine filij incestũ significare. Et hic fuit pater Moabitarum. Possumus hunc locũ sic interpretari, vt per Moab qui noctu in spelunca de incestu genitus est,

Ioan. 8. eos intelligamus, qui à patre diabolo sunt, quibus Christus apud diuũ Ioãnem, *Vos,* inquit, *ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere.*

C Quod nõ est de natura intelligẽdum, quasi dæmõ impios creauerit: vnus est enim solùm creator visibiliũ omnium & inuisibiliũ, nimirum Deus noster summus, & æternus. Sed quemadmodum pij ac iusti filij Dei appellantur, quos ipse genuit suo sanguine, qui-

Ioan. 1 bus, vt ait diuus Ioannes, *dedit potestatem filios dei fieri:* sic impij, ac mortiferis sceleribus contaminati filij dæmonis dicuntur, quoniam opera ipsius imitantur. Solet enim scriptura ex imitatione filios appellare, quemadmodũ apud Ezechielem dictũ fuit Iudæis: *Mater vestra Cethæa, & pater vester Amorrhæus.* Vocantur etiam dæmonis filij quia illi obediunt, & cũ eo æternis cruciatibus torquentur. Hi sunt, quos

Ezec. 16. Esaias ait *perire nocte:* quoniã non solũ nocte æterna cæcarũ tenebrarũ cruciantur, sed etiã iam in hoc mũdo in tenebris ac morte iacent, mentis lumine, ac spirituali vita priuati. De illis ait apostolus in epistola secũda ad Corinthios scripta: *Deus huius seculi excæcauit mentes eorum.* Vbi diuus Paulus diabolum appellat huius seculi deũ. Ita diuus Cyrillus illũ locum explanat, & cum eo diuus Ambrosius. Nec est miran dũ, cùm Christus diabolũ huius mundi principẽ vocet, vt est apud diuum Ioãnem multis in locis. Eam igitur ob causam dictum est, Moabitas nocte periisse, quod etiam de Sodomitis scriptum legimus. Illis enim pereuntibus venit Lot in ciuitatem Segor, & sol illi ortus est. His enim qui se à peccatis seiungũt, & sceleratorũ familiaritatem relinquunt, oritur sol ille iustitiæ Christus Deus noster. Egredienti Iacob de terra sancta occidit ei sol, vt diuina scriptura non sine mysterio memoriæ prodidit. At cùm posteà reuerteretur, terrámque promissionis introiret, ortus solis describitur. Illis oritur sol, eos illuminat Christus Deus noster, qui terram sanctam ingrediuntur, qui nouam vitam incipiunt, qui in corporibus humanis contendunt cœlestem viuendi rationem imitari: illis verò occidit, ab illis recedit, qui virtutem & honestatem relinquunt, seque tetris vitiis contaminãt. Nos verò armati fide, spe, & charitate acriter vigilemus, ne in peccatorum nocte cum Moabitis pereamus. Hæc ciuitas Ar appellatur ab aliquibus Arіopolis. Et volens propheta eius calamitatem exaggerare ait esse nocte vastandam: quoniam ea, quę nocte fiũt, terribiliora sunt.

2. Cor. 4.

Ioan. 14

Gen. 29.

Gen. 32

F

c *Nocte*

c *Nocte vastatus est murus Moab.*) Describit excidium Moab, cuius murus nocte fuit euersus. In sacris literis murus sumitur pro tutela & defensione, vt in libro primo Regum capite quintodecimo, vbi de Dauide & sociis eius dicit Abigail : *Pro muro erant nobis tam in nocte quàm in die* , & aliis in locis. Ideò possumus in morali sensu hoc in loco impiorum defensionem intelligere. Dormientibus enim ipsis in errorum, & prauitatum nocte perit eorum tutela, euanescit eorum potentia, præterit eorum lætitia, & diuitiarum abundantia. Virtus est vna, quæ altissimis defixa radicibus nulla procellarum vi labefactatur, & murus firmissimus, qui loco dimoueri nequaquam potest.

d *Ascendit domus, & Dibon ad excelsa in planctum.)* Hoc est, Domus regia & tota vrbs Dibon ascenderunt ad idola, quæ erant in excelsis locis constituta, vt ibi sacrificarent, & pro liberatione precationes ac lachrymas funderēt, Idolum Moabitarum appellabatur Chamos, vt in tertio libro Regum diuina historia commemorat, & erat in arca Dibon collocatum.

e *Super Nabo, & super Medaba.*) Ciuitates erant nobiles Moabitarum.

f *In cunctis capitibus eius caluitium.)* Apud antiquos erat magnum doloris ac luctus signum, barbam radere, & capillos capitis euellere, aut saltem tondere caput.

g *In triuiis eius*) Triuium est locus trium viarum. Sed ponitur pro loco frequenti & publico, quò homines conuenire solent. Ostendit propheta luctum non esse priuatum, sed omnibus communem. Super tecta eius dicit, quia habebant eorum domus in tectis solaria, & loca plana, quibus ipsi sedebant, & deambulabant

h *Clamabit Hesebon.*) Hesebō & Eleale sunt Moabitarū vrbes insignes, quarum clamores & fletus dicit vsque adeò magnos esse, vt vsque ad Iasa peruenirent, quæ est ciuitas imminens mari mortuo, vbi finitur terminus Moabiticæ regionis. Ostendit Propheta summa & acerbissima esse Moabitarum lamenta.

i *Super hoc expediti Moab vlulabunt.*) Non solùm homines fragiles & imbecilli, sed etiam bellicosi, & armis accinctidediti, tunc muliebribus lamentis ærumnas suas acriter deplorabunt.

ANNOTATIONES

ex Hebræo in

CAPVT XV.

1 Ascendit domus.] *Potest verti :* Ascendit domus. *Ac si dicat : Ascenderunt Moabitæ ad templum idolo suo dedicatum. Pagninus vertit :* Baith, quemadmodum est in Hebraico.

Cor [a] meum ad Moab clamabit, [b] vectes eius vsque ad Segor vitulam consternantem: per ascensum enim Luith flens ascendet, & in via Oronaim clamorem contritionis leuabunt. [c] Aquæ enim Nemrim desertæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit. [d] Secundum magnitudinem operis & visitatio eorum: [e] ad torrentem salicum ducet eos. Quoniam circuibit clamor terminum Moab : vsque ad Gallim vlulatus eius & vsque ad puteum Elim clamor eius. [f] Quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine, [g] ponam enim super Dibon additamenta: his qui fugerint de Moab leonem, & reliquiis terræ.

a *Cor meum ad Moab clamabit.*) Id est, Tanta erit Moabitarum clades, tam acerba calamitas, vt etiam ego, qui illorum pœnas iustas ac debitas esse intueor, eorum excidium deplorem.

b *Vectes eius vsque ad Segor.)* Hoc est, Termini Moab extenduntur vsque ad Segor, quæ est ciuitas in finibus Moabitarum, quæ precationibus Lot seruata est, vt in libro Geneseos refert diuina scriptura. Appellatur autem hîc à propheta vitula consternans, hoc est trima propter luxuriam, & rerum abundantiam. Codices correcti habent ad marginem pro consternanti consternantem, hoc est trium annorum, quæ est florens ætas in vitulis. Sic Ieremias Aegyptum vitulæ comparat ita dicens: *Vitula elegans, ac formosa Aegyptus.* Vel sumit vates vectes pro fortitudine: & potest litera sic ordinari : Euersa est vsque ad Segor fortitudo & potentia Moab, quæ regio est ob eius fertilitatem, rerúmque affluentiam vitulæ trium annorum comparata.

c *Aquæ enim Nemrim desertæ erunt.*) Sensus est: Sic erit terra Moab sterilis, quemadmodum locus iuxta oppidum Nemrim, cuius aquæ sunt amaræ & steriles, & adiacet mari mortuo. Nemrim sonat præuaricatores, de quibus dicitur in Psalmo: *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ.* Horum enim aqua, horum doctrina, qua alios incitant ad vitia, impia est, & sterilis, nihil habens viriditatis, nihil virtutis.

d *Secundum magnitudinem operis & visitatio eorum.)* Hoc est, Moabitarum pœna respondebit magnitudini peccatorum eorum, iuxta id quod habetur vigesimoquinto capite Deuteronomij: *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.* Sumitur hîc visitatio pro afflictione, quemadmodum in Psalmo: *visitabò in virga peccata eorum.* Et capite decimo dixit vates noster : *Quid facietis in die visitationis ?* Et Ieremias *Adducam*, inquit, *super Moab annum visitationis eorum.*

e *Ad torrentem salicum ducent eos.)* Hoc est, ad Euphratem flumen Babylonis, iuxta illud: *In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra :* qui enim à dæmone captiui tenentur, ad flumen Babylonis ducuntur, vbi omnia fluunt, cùm in Sione omnia firmiter permaneant. Nullas arbores flumen Babylonis irrigat, præter salices steriles & amaras. Quære in mundi confusione salutarem fructum, nullum vnquam inuenies.

f *Quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine.)* Præ occisorum multitudine.

g *Ponam enim super Dibon additamenta.*) Quæ sint hæc additamenta, sequenti versiculo explicat dicens, se immissurum leonem, qui deuoret eos Moabitas, qui effugerint, reliquias, quæ euaserint. Poteris per leonem tyrannum intelligere. De hac visione vide Ieremiam capite 48.

Vectes eius vsque ad Segor.) Pro *vectibus eius* in Hebraico ita: בריחה bericheha. Verbum ברח significat fugere: vt secundo Regum decimo tertio. Por-

A *rò Absalom fugiens abiit. Vnde nomen toar beriach significat fugitiuum & profugum: ideò potest verti:* Fugitiui eius vsque ad Segor. *Quasi dicat: Qui euaserint ex euersione Moab, fugient in Segor. Sed quoniam* בריח *significat vectem, vt Iob trigesimooctauo:* Et posui vectem, *transtulit noster interpres, vectes eius, & rectè quidem. Ac si dicat: Non solùm liberi, sed etiam illi, qui vectibus ferreis fuerint ligati, metu perterriti fractis vinculis fugiēt ad Segor. Vel per vectes intelligit principes & potentes propter eorum longum & durum dominium & principatum, vt capite vigesimosexto explanauimus.* D

Argumentum capitis XVI.

Orat diuinus vates cœlestem patrem, vt mittat è cœlis filium suum, quem præuideb at sumpturum esse carnem ex genere Ruth Moabitidis. Et ipsorum Moabitarum vaticinatur excidium ob eorum immanitatem & superbiam.

CAPVT XVI.

EMitte [a] agnum Domine dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Siō. [b] Et erit: Sicut auis fugiens, & pulli de nido auolantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon. [c] Ini consilium, coge concilium, pone quasi noctem vmbram tuam in meridie. Absconde fugientes, & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei. Moab esto latibulum eorum à facie vastatoris. [d] finitus est enim puluis, consummatus est miser, [e] defecit qui conculcabat terram. [e] Et præparabitur in misericordia solium, & sedebit super eum in veritate in tabernaculo Dauid iudicans, & quærens iudicium, & velocitet reddens quod iustum est. [f] Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde. Superbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius plusquam fortitudo eius. Idcirco vlulabit Moab ad Moab, vniuersus [g] vlulabit. [h] His, [3] qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas. [i] Quoniam suburbana Hesebon deserta sunt, & vineam Sabama Domini Gentium exciderunt. [k] Flagella eius vsque ad Iazer peruenerunt, errauerunt in deserto, propagines eius relictæ sunt, transierunt mare. [l] Su- E
B per hoc plorabo in fletu Iazer vineam Sabama: inebriabo te lachryma mea Hesebon & Eleale: [m] quoniam super vindemiam tuam, & super messem tuam vox [4] calcantium irruit. [n] Et auferetur lætitia & exultatio de Carmelo, & [o] in vineis non exultabit nec iubilabit: vinum in torculari nō calcabit, qui calcare consueuerat: vocem calcantium abstuli. [p] Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, & viscera mea ad murum cocti lateris. [q] Et erit: Cùm apparuerit quòd laborauit Moab super excelsis, ingredietur ad sancta sua, vt obsecret, & non valebit. [r] Hoc verbum quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc. Et nunc locutus est dicens: [s] In tribus annis, quasi anni mercenarij, auferetur gloria Moab super omni populo multo, & relinquetur in eo sicut racemus paruus modicus nequa quam multus.

EXPLANATIO.

a *Emitte agnum.)* Iudæi interpretantur hoc de agnis, quos Moabitæ regi Israelis tribuere solebant. Sed longè falluntur opinione. Intelligitur enim locus hic de Christo Deo nostro, cuius aduentū Esaias
C ardenter desiderabat. Ita asserit diuus Hieronymus, quem multi posteà sunt secuti. Prædixerat vates sanctus capite præcedenti Moabitarum vastitatem: nunc Deum obsecrat, ne omnes illos deleat, quoniam sciebat filium Dei fore ex genere Dauidis, qui ex Ruth Moabitide genus ducebat. Nam Ruth nupsit Booz, de quo genuit Obed, qui genuit Iesse patrem Dauidis, ex cuius semine Christus natus est. Petra deserti erat ciuitas Moabitarum, vbi dicunt natā fuisse Ruth. Per montē filiæ Sion significatur Hierosolyma, & per eam Ecclesia, quæ est visio pacis in Sione, hoc est in specula sublimi, cōstituta: de qua dictū est in Psalmo:
Psal. 50. *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ierusalem.* Non enim existimo excellentem vatem de mœnibus terrenę vrbis locutum fuisse, sed de Ecclesiæ Catholicæ ædificatione per agnum illum immaculatū, cuius aduentus desiderio tenebatur Esaias, vt hominum genus à miserrima captiuitate liberaret, ita dicens: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Ac si diceret: Ne perdas Domine omnes Moabitas, ex quorum progenie nasciturus est Christus: Emitte iā eum, qui innocentissimus agnus pro nobis immolatus hominum facinora suo preciosissimo sanguine deleat, qui est dominator terræ. Ipsius enim est quicquid omnibus terrarum finibus continetur. Emitte, inquam, eum de petra deserti, de ciuitate Moabitarum, vbi nata est Ruth Moabitis, ad montem filiæ, Sion, hoc est, ad Ecclesiam Catholicam, constituendam & gubernandam, per terrenam Hierosolymam significatam. Appellari Christum agnū asserit Diuus Ioannes Baptista, qui eum ostendens dicebat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ac si diceret: Agnus ille immaculatus, quem iuxta id quod in Exodo Moyses scriptum reliquit, immolatus, cuius sanguis positus super postem, & in superliminaribus domorum vestrarum, vos in exitu ab Aegypto eripuit ab interitu, erat eius agni imago quædam & figura: ille erat vmbra, hic est verus Dei agnus innocentissimus, qui pro mundo immolatus, suo purissimo sanguine hominum genus ab æterna damnatione potenter eripiet. Hic est agnus ille absque macula, de quo dixit Esaias: *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus corā tondente se obmutescet.* Hic est agnus quem Esaias in hoc capite mitti petebat, cuius videdi desiderio flagrabat. Ostendit hic locus filium mitti à patre, quod Apostolus testatur dicēs: *Misit Deus filiū suū factum ex muliere.* Verùm ex Hebræo potest verti: Mittite in plurali, & ita redidit Latinè verbum Hebraicum Pagninus, & nonnulli alij, iuxta quorum versionem filius mittitur à Patre, & Spiritu sancto, id quod sine dubio verum est. Nā ipse Christus dicit per hunc eundē Prophetā c. 48. *Nunc misit me Dominus, & Spiritus eius.* Quē locū diuus Ambrosius in libr. tertio de Spiri

Ioan. 1. *Exod. 12.* F *Infrà. 53* *Gal. 4.*

A Spiritu sancto ita interpretatur : Quis est qui dicit, me misit Dominus, & Spiritus eius, nisi qui venit à Patre, vt saluos faceret peccatores : id est Christus? Ergo & pater filium misit, & Spiritus sanctus. Hæc Ambrosius. Eam ob causam Esaias ait, *emittite*. Particula, *Domine*, non est in Hebraico, nec in versione Septuaginta interpretum, nec in textu Diui Hieronymi. Petram deserti, per quam exposuimus ciuitatem regionis Moab, quæ est in Arabia Petræa. Diuus Hieronymus existimat esse periphrasim ipsius Ruth, quæ erat petra quædam Gentilitatis, quæ à vero Dei cultu erat deserta. Alij per petram deserti intelligunt petram illam refugij, ad quam omnis peccator desertus, ac virtute destitutus debet confugere, quæ est sanctissima illa Dei genitrix Maria, peccatorum omnium asylum, & turris munitissima. Mons filiæ Sion periphrasis est Hierosolymæ, quæ ex monte Sione nasci videtur, in quo ad latera Aquilonis sita est, iuxta id quod dicitur in Psalmo : *Mons Sion latera aquilonis: ciuitas regis magni.* Et aduerte, Non dicit: Emitte leonem crudelem, sed eum, qui cùm sit totius terræ dominator, agnus mitissimus sit. Aspicis hoc de Christo intelligi, qui est totius terræ dominator. Ita eum etiam Malachias appellat dicens: *Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis.* Et hoc dominium non fuit coactum, sed voluntariũ. Ideo de illo aiebat Iacob : *Et ipse erit expectatio gentiũ*: vel, vt potest verti ex Hebraico : Et ipsi gentes adhærebunt.

Psa. 47. *Mala. 3.* *Gen. 49.*

B b *Et erit sicut auis fugiens*) Sensus est, Deprecor te sũme Deus, ne perdas omnes Moabitas, video enim tam ingẽtem fore eorum cladem & vastitatem, vt nemo se audeat defendere. Fugient nonnulli, & præ metu incredibili tanta velocitate current, vt cũ auibus comparẽtur, cùm magis volare quàm currere videãtur. Moabitas appellat filias Moab, non filios, vt eorum metum & imbecillitatem significaret. Sunt qui per filias Moab intelligãt oppidula & vicos. Alij mulieres Moabitidis regionis habitatrices, quæ se in fugam coniicientes fluuiũ Arnon vadabãt: est enim Arnon fluuius in finibus prouinciæ Moabitidit, vltra quem se Moabitæ conferebant.

c *Ini consilium.*) Capta Samaria nonnulli ex decem tribubus fugientes acerbam captiuitatẽ & tyrãnidẽ Assyriorum, confugiebant ad Moabitas, qui non solùm eos non receperunt benignè, sed eorum calamitatem irridentes Assyriis tradiderũt. Et eã ob causam permisit Deus, vt essent posteà Moabitæ ab iisdẽ Assyriis occisi, & in captiuitatẽ asperrimã abducti. Jubet igitur Deus ne faciant Iudæis, quod Israelitis fecerant, sensus est: Suscipite posthac consiliũ vos Moabitæ: facite conuentum, congregate prudentes, facite

C quod suadeo, si vultis salutem adipisci. In meridie, hoc est in clara & aperta fuga Iudæorum, qui vastata Iudæa, & obsessa Hierosolyma ad vos confugient, estote illis veluti vmbra & nox, vt abscõdatis eos, qui se ad vos contulerint : suscipite profugos patriaque pulsos, ne eos prodatis: referte gratiã posteris Abrahami, qui patri vestro Lot opem sæpe tulit: miseremini eorum, & ego miserebor vestri. Id autem quod dicitur, *Pone quasi noctẽ vmbram tuam in meridie*, potest etiam hunc habere sensum: Pone tu, ô Moab vmbram tui refugij super afflictos Iudæos, esto illi vmbra refrigerij & subleuationis, & nox hospitalitatis in æstu feruentissimo suarum calamitatum. Comparat itaque afflictionem æstui meridiano, & pręsidiũ vmbræ æstuãtib. dulcissimæ. In eo fortasse quod dicit ponendam esse vmbram vt noctem, significat magnam debere esse vmbram defensionis & tutelæ.

Ioan. 1. *Exod. 12.* *Infrà. 53* *Gal. 4.*

d *Finitus enim puluis.*) Poterant dicere Moabitæ, se non audere Iudæos ad se confugientes recipere, quoniam timebant Sẽnacheribum. Huic tacitæ obiectioni occurrit propheta dicens: Ne vos terreat vastator, quia citò veluti puluis peribit, eiúsque potentia euanescet, consumetur miser, & miserabiliter interibit, qui modò terram populatur. Quibus verbis interitum Sennacheribi, eiúsque exercitus admirabilem cladem prædicit. Tu verò alta mẽte pende, quàm vili rei comparetur rex ille illustrissimus, qui orbẽ terrebat: puluis appellatur ille, qui superbia elatus regibus imperabat. Poteris per pulue-

D rem, exercitum Sennacheribi intelligere, solet enim diuina scriptura ingentem multitudinem pulueri cõparare quemadmodum capite tertiodecimo Genesis, vbi Deus in hũc modum alloquitur Abrahamum: *Faciam semen tuum sicut puluerem terræ, si quis hominũ potest numerare puluerem terræ, semen quoque tuum numerare poterit.* *Gen. 13.*

e *Et præparabitur in misericordia solium.*) Confracto Sennacheribo permanebit in regno Iudææ Ezechias, cui Deus ob suã misericordiã thronũ præparabit, & sedebit super eũ in veritate, hoc est, sine acceptione personarũ, in tabernaculo Dauidis. Quæret iudicium, ipse per se inquiret veritatem, etiã à nemine requisitus, & reddet velociter vnicuique quod suum est. Tres qualitates tribuit iusto regi: prima est, iudicare

E sine acceptione personarum, secunda etiã non rogatum inquirere iudicium, tertia est non esse negligẽtem & tardum, sed velocem & diligentem in exercenda iustitia. Conuenire autem bono regi aut iudici primam harum qualitatum, nemo est qui dubitet. Cùm enim rex debeat in iudicando, Deum imitari, apud Deum autem non sit personarum discrimen, vt ait Diuus Paulus in epistola ad Romanos, & diuina scriptura multis in locis testatur, apertè concluditur, non debere esse apud iudicem personarum discrimẽ. Esse verò secundam qualitatem iudici necessariam, ostendit sapientissimus ille ac illustrissimus rex Dauid, qui cùm vocaretur ad exitum vitæ, filium suum Salomonẽ ita allocutus est: *Nosti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, occidit duos principes exercitus Israelis.* Quibus verbis ostendebat rex iustus, prius seipsum esse offensum cæde duorum virorum, quàm ipsos viros defunctos. Non enim dicit, scis quid Ioab fecerit duobus viris, quos immaniter occidit, *sed nosti quæ fecerit mihi.* Cùm enim regis sit rempublicam custodire, & iustitiam seruare, plus ipse ab homicida læditur quàm ipse interfectus, & eam ob causam debet iustus rex aut iudex etiam nõ rogatus neque requisitus, veritatem inquirere, & iustitiam exercere. Iam tertiam qualitatem quis non videt esse regi & iudici summè necessariam? Quis est qui nesciat inter laudes iusti regis & iudicis esse diligentiã in exequenda iustitia con

F numeratam? Perpẽde quàm citò Christus Deus noster filios Zebedæi eorúmque matrem fuerit allocutus, quam sine mora sententiam tulerit: *Nescitis*: inquiens, *quid petatis.* Non eos ad alios remisit, non dilatauit tempus, non eos passus est in postulatione vitam consumere. Et in cruce pendẽs grauiter cruciatus, & acerbissimis contumeliis affectus, etiam morti propinquus, supplicãtem audiuit, eique statim respõdit, *Hodie*, inquiẽs, *mecum eris in paradiso.* Quæ maior poterat esse in absoluẽda petitione diligẽtia? Omnes has qualitates attigit Iosaphat Iudæorũ rex in ea oratione, quã habuit ad eos, quos iudices cõstituerat, vt in libro secũdo Paralipomenõ literę diuinę testãtur. *Videte*, inquit, *quid faciatis, nõ enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit.* Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite : non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. Hæc Iosaphat rex. Cæterùm

Matt. 20. *Luc. 23.* *2. Reg. 23* *Rom. 2.*

A omnes hæ qualitates potius Christo, quàm Ezechiæ conueniunt. Et ob eam causam sensus horum verborum Esaiæ talis est: *Non te pœnitebit ô Moab suscipere Iudæos ad te confugientes*: nam ex genere nasciturus est
2.Par.19 Christus in temporis plenitudine, qui regnabit in æternum, sedebit super solium Dauid, verè atque iustè iudicans, quærens iudicium, & vnicuique quod suum est diligenter reddens.

f *Audiuimus superbiam Moab.*) Hæc fuit vna ex præcipuis causis vastitatis Moabitarum. Erant enim insolentes & superbi. Talibus enim resistit Deus, iuxta
Luc.1. id quod cecinit Beatissima Dei genetrix: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.*

g *Vlulabit Moab ad Moab.*) Hoc est, Moabitæ ad inuicē vlulabunt, séque alternis lachrymis respiciēt. Nullus erit extraneus, ad quem possint confugere, sed inter se ipsos suas ærumnas deplorabunt. Vel sic: Moabitæ viui mortuos Moabitas lugebunt.

h *His qui lætantur super muros cocti lateris.*) Hoc est, explicate ô Moabitæ excidium ciuitatum iis, qui earum mœnibus gloriabantur. Dicite illis, quàm parum eis prosint fortissimi muri cocti lateris, in quibus spem suam constituerant. Significat tantam fore hostium fortitudinem, vt nulla illis mœnia possint resistere,

i *Quoniam suburbana Hesebon.*) Inter Hesebon & Sabama, vt ait Diuus Hieronymus, vix sunt quingenti passus. Per vineæ translationem totius regionis vastitatem significat. Dominos Gentium appellat
B Assyrios, qui Moabitas euerterunt. Fortasse eam ob causam Moabitas comparat cum vinea, quoniam filij erant ebrietatis. Inebriatus enim Lot genuit ex
Gen. 19. filia Moab, qui, vt Moyses in Genesi scriptum reliquit, fuit Moabitarum pater.

k *Flagella vsque ad Iazer peruenerunt.*) Flagella sunt vites, & capita sarmentorum, vbi nascuntur vuæ, per quæ ciues & optimates significantur, per propagines verò, quæ sunt vites vetulæ & suppressæ, ex quibus aliæ vites producuntur, homines obscuri intelliguntur. Per vineam verò, totam regionem, vel per propagines patres, per flagella verò filios intelligit. Est ergo sensus, Excisa & deuastata vinea, hoc est euersa ab Assyriis regione Moab, quidam ex Moabitis, nimirum ciues & nobiles adolescentes fugerunt vsque ad Iazer, quæ est ciuitas sita in finibus Moab, qui vt mortem euaderent, se in desertum contulerunt: alij verò nimirum plebeij & senes qui non potuerunt fugere, fuerunt capti, & in Assyriam abducti, mare transeuntes, hoc est, Euphratem quem in
C Assyriam migrantes traiecerunt. Alij sic explanant, & fortasse melius: Domini Gentium exciderunt vineā, & flagella eius, hoc est, totam terrā cum ciuibus euerterunt. Et hìc finitur periodus, tunc sequitur: Vsque ad Iazer peruenerunt, non Moabitæ sed Assyrij, vt eam popularentur, & vastauerunt Moab vsque ad desertum inhabitabilem: & propagines relictæ, hoc est, Moabitæ, qui superstites euaserunt, fuerunt per Euphratem in Assyriam translati.

l *Super hoc plorabo in fletu Iazer.*) Verba sunt Propheræ plorantis calamitates Iazer, Sabama, Hesebō, & Eleale, quæ fuerunt vrbes quondā florentissimæ.

m *Quoniam super vindemiam tuam.*) Ideò super tē D vim lachrymarum profundam, quia in tempore tuæ lætitiæ audies clamorem exercitus hostilis in te irruentis. Lege quadragesimumoctauum caput Ieremiæ & inuenies totam hanc historiam explicatam,

n *Et auferetur latitia, & exultatio de Carmelo.*) Carmelus est mons feracissimus, vbi Elias flexis genibus 3.Re.18.
pluuiam à Domino impetrauit. Comparat igitur vates fertilitatem Moab monti Carmelo, quam prædicit esse auferendam,

o *In vineis non exultabit.*) Subauditur Moabita, nec vinū in torculari calcabit, quoniam hostilis exercitus equorum pedibus vuas comprimet. Vocem calcantium abstulit, hoc est ego, ait, Deus, abstuli à Moabitis omnem lætitiam, & vocem calcantium, hoc est, cantiones & verba, quibus illi qui vuas pedibus conculcabant, se ad opus cohortabantur. Hoc expressit Ieremias his verbis: *Super messem tuam & vin-* Ierem.47
demiam tuam prædo irruit: ablata est lætitia & exultatio de Carmelo, & de terra Moab, & vinum de torcularibus substuli. Nequaquam calcator vuæ solitum celeuma cantabit.

p *Super hoc venter meus.*) Id est, ob hanc calamitatem cor meum & viscera mea lugebunt, & quasi cithara sonabunt. Videtur alludere ad antiquorum consuetudinem, qui in luctibus pulsabant citharas, & lamentis dediti lugubria carmina canebant.

q *Et erit cùm apparuerit.*) Sensus est: Cùm se Moa- E
bitæ viderint frustra orando laborare in locis excelsis, vbi eorum idola sunt constituta, ingredientur templum sui præcipui idoli, vt ibi fundant precationes: sed præ fatigatione non poterunt ingredi, nec salutem obtinere. Significat magnam Moabitarum calamitatem. Solent enim homines cum in acerbis ærumnis versantur, precationes fundere, & templa venerari. At Moabitæ nullum in diis suis inuenerunt præsidium, imò eadem calamitas erat illis cum idolis communis.

r *Hoc verbum.*) Sensus est: Hoc quod dico, eueniet sine dubio, nam sermo hic de Moabitarum euersione, quem Deus olim prædixit, modò iterum dicit. Particula *ex tunc*, capitur aliquando pro æternitate, vt in Psalmo, *Parata sedes tua ex tunc.* Aliquando pro Psal. 92.
certo tempore præterito, vt hoc in loco, & infrà capite quadragesimoquarto. *Ex tunc audire te feci, & annunciaui*: & aliis in locis.

s *In tribus annis, quasi anni mercenarij.*) Prædixerat Deus longè antè hanc Moabitarum euersionem, nūc dicit venturam esse intra triennium: Acsi diceret tribus annis durabit prælium, in quibus tota terra Moab vastabitur. Vel prædicit esse terram illam vastandam tribus annis post euersionē Hierosolymę. Ideò F
ait: *quasi anni mercenarij*, quia mercenariis est certum tempus præscriptum & constitutum. Simili phrasi vtitur noster vates capite vigesimoprimo, dicens: *Adhuc in vno anno quasi anno mercenarij, & auferetur omnis gloria Cedar.* Et Iob capite quarto: *Recede paulùlum ab eo vt quiescat, & sicut mercenarij dies eius.*

t *Sicut racemus.* Quemadmodum parui atque pauci racemi manent in vinea post vindemiam, ita pauci Moabitę manebunt superstites in terra Moab.

ANNOTATIONES EX Hebræo in
CAPVT XVI.

1 Emitte agnū Domine dominatorem terræ.] *In Hebraico ita est scriptum* שלחו בר מושל ארץ *xilchu char moxel ærats. R. Ioseph per dominatorem terræ intelligit Ezechiā regem Iuda: & existimat vertendum esse hūc locū hoc modo:* Emittite agnum dominatoris terrę, *hoc est, Emittite vos Moabitæ agnos regis Ezechiæ, qui est dominator terræ: soluite illi debitū tributū. Nomē enim moxel, quod significat dominatorē, nō solū potest verti per accusatiuū, sed etiam per genitiuum, & per omnes ferè casus. In hanc opinionem adductus est Rabbinus ille, motus, vt, ipse*

A *ipse ait, historia illa, quæ est in libro quarto Regum memoriæ prodita, capite, tertio, vbi narrat scriptura fuisse regem Moabitarum tributarium regi Israelis, cui solitus erat mittere singulis annis centum milia agnorum, & centum milia arietum. Hunc secuti sunt multi alij Iudæi: & quod admirabilius est, nonnulli Christiani, quorum vnus est Pagninus, qui vertit:* Mittite agnum dominatoris terræ. *Brixianus vertit:* Emittite agnum dominatori terræ: *& in scholis sequitur eandem Iosephi expositionem. Sed qui fieri poterat, vt diuinus vates dominatorem terræ appellaret Ezechiam, qui in duas tribus solùm dominabatur, in angulo quodam terræ promissionis? Præterea quomodo agnos illos dicit esse regis Ezechiæ, cui nusquam diuinæ litera commemorant eos fuisse debitos, nec tributos? Neque possunt per dominatorem terræ intelligere Oseam regem Israelis, qui quando hæc Esaias mandauit literis, aut iam regnum amiserat, & tota Samaria erat vastata & funditus euersa, aut saltem in misero, & in fœlici statu iacebat. Quando enim Esaias hanc vaticinationem consignauit monimentis, obtinebat regnum Iudæ Ezechias, quo tempore decem tribus fuerunt captæ, & afflictæ, & in Assyriam translatæ. Non igitur possunt hoc regi Israelis tribuere, quin in reprehensionem debitam in-*

B *currant. Nam aut iam Samaria erat vastata, & regnum deletum, aut non: si iam euersa erat, ridiculum est dicere, appellari dominatorem terræ, eum qui captiuus erat, & nullius dominabatur. Si verò adhuc Oseas regnabat, non est credibile impio regi & idolorum cultori, postulari tributum à vate sanctissimo, eúmque terræ dominatorem appellari, qui in sola Samaria regnum gerebat, & erat regis Assyriorum seruus & tributarius: nam eo regnante incidit regnum Israelitarum propter eorum incredibilia scelera, & impia facinora in ærumnas acerbissimas, & ita iacuit in illo calamitoso ac abiectissimo statu, donec eum Deus euertit, & ad luctuosum excidium & vastitatem vocauit: Legamus igitur:* Emitte agnum Domine dominatorem terræ, *quemadmodum habet versio antiqua ab Ecclesia approbata, & per agnum dominatorem terræ cum Diuo Hieronymo, Diuo Thoma, aliisque viris doctissimis Christum Deum nostrum intelligamus, quemadmodum*

C *etiam in officio aduentus hic versus de Christo explanatur. Cùm autem ex Hebræo possit verti per accusatiuum, & per accusatiuum verterint Septuaginta interpretes, & hæc nostra versio contineat admirabile redemptionis humanæ mysterium, sitque ab Ecclesia approbata, & de Christo exposita, & ita à sanctis ac sapientibus viris explicata, nescio cur Christiani recusarint in huius interpretationis societatem, tanquam in equum Troianum cum principibus includi, & voluerint potius sequi hoc in loco Iudæorum opinionem, cùm etiam multi ex Iudæis hunc locum de Messia intellexerint, quorum vnus est Ionathas Chaldaicè inter eos magni quidem nominis & celebritatis: alter est R. Dauid Kimhi, qui non solùm Iudæos suæ ætatis, sed etiam multorum antiquorum memoriam ingenij præstantia superauit. Per montem filiæ Sionis in explanatione interpretati sumus Ecclesiam. Possumus tamen intelligere simpliciter eundem montem, ad quem agnus ille innocentissimus missus fuit, vt ibi spinis coronatus immolaretur: cuius imaginem gessit agnus ille, quem vidit Abrahamus habentem caput vepribus circundatum, qui pro Isaac immolatus est. Vt enim non Isaac occisus fuit, sed aries, ita Iesus Christus non quatenus Deus, sed quatenus homo fuit mortuus, & grauissimis contumeliis, acerbissimisque flagris cæsus & vulneratus. Nam quemadmodum si quis ignito ferro aquam superinfundat, extinguitur ignis, qui natus est pati ab aqua, ferrum autem manet incolume. Sic, vt Damascen similitudine vtar, humanitas passa fuit, quæ pati poterat, sola autem impas-* D *sibilis diuinitas non admisit passionem. Mons ille in quo Abrahamus arietem obtulit in holocaustum, est mons hic Sion, de quo hoc in loco loquitur diuinus vates. Ait enim scriptura capite vigesimosecundo Geneseos fuisse arietem illum immolatum in monte visionis, vbi postea, vt in libri secundi capite tertio Paralipomenon scriptum legimus fuit templum Salomonis ædificatum: & quamuis in eodem monte, non tamen in eodem montis loco, sed credibile est fuisse agnum illum occisum in summitate montis, in loco Caluariæ. Et hæc est Iudæorum sententia, vt refert Diuus Hieronymus in commentariis in Marcum capite quintodecimo. Est igitur Caluariæ locus mons ille visionis, vbi Christus fuit visus, non solùm ab his qui tunc aderant, sed etiam à vatibus antiquis. Ibi eum vidit Esaias, quando dixit:* Non est species ei, neque decor: *Infrà 53.*
vidimus eum, & non erat aspectus. Et in libro Geneseos capite vigesimosecundo, vbi editio vulgata habet, In monte Dominus videbit, *potest verti ex Hebræo:* In E
monte Dominus videbitur. *quod intelligentes Septuaginta interpretes transtulerunt:* In monte Dominus visus est. *His rationibus concluſum esse arbitror, montem Sionem quò mittendus erat agnus, cuius desiderio Esaias tenebatur, esse montem Caluariæ situm in vertice Sionis, vbi cœlestis agnus Christus Deus noster seipsum in cruce immolans, suis vulneribus sanauit nostra vulnera, & sua morte nobis vitam tribuit immortalem.*

2 Defecit qui conculcabat terram.] *In Hebraico est:* חמו רמס מן הארץ *tammu romes min haarets. Verbum* רמס *significat conculcare, vt Psalmo* 91. Conculcabis leonem & draconem. *quam significationem secutus est noster interpres. significat etiam reperre* ש רמש *remes reptile, vt Geneseos primo capite,* omne reptile terræ. *Hac ratione adductus Pagninus vertit.* Consumpta sunt reptilia de terra, *Comparat regem Sennacheribum, eiúsque exercitum reptilibus. Si verba Hebræa reddamus Latina vt iacent, vertenda sunt hoc modo:* Defecerunt conculcantes è terra. *Vnde R. Abraham exponit: Consumpta sunt nempe castra regis Assyriorum, qui terram conculcabat.* F

3 Vox calcantium irruit.] *In Hebraico est* הרר גבל *hedhadh naphal. vox hæc* הרר *significat vocem seu clamorem multorum, cùm vno aliquid iubente omnes vniformiter respondent: appellatur celeusma: & capitur hîc pro barbarico hostium clamore irruente in Moabitas. Sed quoniam verbum naphal significat etiam cadere & perire, vertit Pagninus:* Celeusma cecidit, *hoc est, vox Moabitarum, eorúmque cantus periit & cessauit, vt vox calcantium non referatur ad Assyrios, sed ad Moabitas. Potest verti:* Vox gratulationis periit. *Pro eo quod hoc in loco ait Esaias,* Super vindemiam tuam, & super messem tuam vox calcantium irruit, *dixit Ieremias capite quinquagesimooctauo:* Super messem tuam, & vindemiam tuam prædo irruit. *Pro voce calcantium posuit prædonem, vnde videtur vox calcantium ad hostes potius Moabitarum, quàm ad ipsos Moabitas esse referenda.*

4 His, qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas.] *Totum hoc potest in hunc modum verti ex Hebræo:* Propter fundamenta ciuitatis fictilis cogitabitis vos claudi, qui solùm euasistis. *Vt sit sensus: vos inermes obscuriique homines, qui tantùm ex prælio remansistis, eritis vehementer solliciti, & in communibus miseriis præ interitu principum vestrorum incredibili dolore affecti, meditabimini quemadmodum magnates, qui populi fundamenta dicuntur, interierint, ad eorumque luctuosum occasum animum & cogitationem conuertetis. Vbi videre poteris principes*

& re-

Ierem. 47

Psal. 91.

A & reges populi fundamenta appellari. Hoc intelligentes Græci regem populi basim appellarunt, βασιλεὺς enim, quo nomine rex appellatur, dicitur à βάσι, quod est basis, & λαὸς populus, quòd populi fundamẽtum, cuius pondus tanquam firma basis sustineat, D qui vt Pseusippus philosophus definit est, homo imperans iuxta leges, illis subiectus, iustus, publiciq́ue ordinis institutor.

Argumentum capitis XVII.

1 *Minatur Damasco excidium & vastitatem, & etiam decem tribubus cum Damasco fœderatis, ob earum obliuionem, & in Deum incredibilẽ impietatem. 2 Postremò Assyriorum interitum imminere vaticinatur. Omnes hi Dei populum affligere conabantur, sed in acerbissimas afflictiones inciderunt, æqualémque æruminarum sortem experti sunt.*

CAPUT XVII.

ONus [a] Damasci. Ecce Damascus desinet esse ciuitas, & erit sicut aceruus lapidum in ruina. [b] Derelictæ ciuitates Aroer gregibus erunt: & requiescent ibi, & non erit qui exterreat. [c] Et cessabit adiutorium ab Ephraim, & [d] regnum à Damasco: & [e] reliquiæ Syriæ sicut gloria filiorum Israel erunt, dicit Dominus exercituum. [f] Et erit in die illa: Attenuabitur gloria Iacob, & pingues carnes eius emarcescent. [g] Et erit sicut cõ- E gregans in messe quod restiterit, & brachium eius spicas leget, & erit sicut quærens spicas in valle Raphaim. Et relinquetur in eo sicut racemus, & sicut excussio oleæ duarum vel trium oliuarũ B in summitate rami, siue quatuor aut quinque in cacuminibus eius, fructus eius, dicit Dominus Deus Israel. [h] In [i] die illa inclinabitur homo ad factorem suum, & [i] oculi eius ad sanctum Israel respicient, & non inclinabitur ad altaria quæ fecerunt manus eius: & quæ operati sunt digiti eius non respicient lucos & delubra.

EXPLANATIO.

a *Onus Damasci. Ecce Damascus desinet esse ciuitas.)* Damascus ciuitas est Syriæ, &, vt ex cap. 7. huius Prophetę constat, caput & metropolis totius regni. Hęc solebat decem tribubus contra Iudã auxilium ferre, 4. Reg. 16 vt diuinæ literæ in libris Regum & Paralipomenon 2. Par. 18 cõtestantur. Fuit hæc vrbs ab Assyriis capta & euersa, sed sub Ptolemæo rege rursus ædificata. Prædicit igitur sanctus vates euertendam esse hanc vrbem, & fore cumulum lapidum, quemadmodũ in ruina ædificiorum esse solet, vt pristinę dignitatis ciuitatis illius, quæ vna inter omnes eminebat, erátque opibus & potentia florentissima, solùm vestigia in ruinarum magnitudine demonstrarentur.

C b *Derelictæ ciuitates Aroer gregibus erunt.)* Tanta erit vastitas, vt vbi nunc ciuitates sunt sitæ, nulli futuri sint habitatores. Sed requiescent ibi pecora, & nemo erit qui ea exterreat. Tanta erit solitudo, vt ne insidiator quidem timeatur. Aroer, vt inquit Diuus Hieronymus in libro de locis Hebraicis, est oppidũ Moabitarum, quod situm est super ripam torrentis Arnon. Est etiam quædam regio Syriæ, pro qua hoc in loco accipitur.

c *Et cessabit adiutorium ab Ephraim.)* Euersis Damascenis cessabit præsidium, quod ab ipsis decem tribubus implorare solebant. Appellantur decem tribus Ephraim, quoniam Ieroboam & plerique reges Israelis fuerunt de tribu Ephraim.

d *Et regnũ à Damasco.)* Subaudi cessabit. Quasi dicat Amittetur regnũ Syriæ, cuius Damascus est caput.

e *Et reliquiæ Syriæ sicut gloria filiorum Israel erunt.)* Sensus est: Quemadmodum decem tribus fuerunt in miseram captiuitatẽ abductę, omnis earũ gloria versa est in ignominiam: sic Syri illi qui superstites euaserint, nulla erunt gloria celebrati, sed in tenebris & caligine iacebunt. Fortasse ipsas decem tribus appellat gloriam ironicè, quoniã in omnem ignominiam & dedecus incurrerant. Cùm enim in Deum nõ respexissent, nullaque præsidia in ope cœlesti diuinæque virtutis imitatione, sed in humanis rebus collocassent, amiserunt regnum, & pulsæ patria in perpetuum exilium fuerunt turpiter & ignominiosè relegatæ. His comparat Damascenos, quibus prædicit omnes suas diuitias esse amittendas, omnémque suam gloriam obscurandam. Nos verò eam gloriam, eásque opes comparare studeamus, quas nec casus possit eripere, neque inuidia labefactare, neque vetustas vlla consumere. Est hoc loco aduertendum, fuisse Damascum euersam non solùm propter eius superbiam, sed etiam quia decem tribubus idolorum F cultricibus contra Iudam veri Dei cultorem auxiliũ tulerat. Eos euertit Deus qui impiorum contra pios causam suscipiunt, qui iniustis hominibus fauent aduersus iustos, & peccãtibus tribuunt amplius peccandi occasionem.

f *Et erit in die illa.)* Sẽsus est: Capta Damasco & fũditus euersa erit Samaria omni auxilio nudata. Solebãt enim decẽ tribus cũ erãt in descrimẽ adductæ, & in periculis & calamitatibus versatę, ad Damascenos cõfugere, ab eisq; auxiliũ implorare, sed illis euersis obscurabitur gloria decem tribuum, quæ hic per Iacob significantur, corúmque fortitudo debilitabitur & languescet. Capi pinguedinem pro fortitudine diximus in annotationibus ex Hebræo in caput decimum. Vel in die illa, hoc est, in euersione & vastitate Samariæ. Prædixerat euersionem Damasci, nunc Samariæ vastitatem prædicit.

g *Et erit sicut cogregãs in messe.)* Id est. Tã pauci remanebũt in Samaria post eius euersionẽ, vt cõparẽtur paucis spicis remanẽtibus post segetẽ messã, & racemis peracta vindemia, & oleis, quæ diligentiã excutientiũ & colligentiũ in paucis arboribus euaserint. In prima parte dicunt Hebræi capi oleã pro arbore, posteà verò olinam pro fructu. Latinis vtraque dictio vtrumque significat fructum & arborem. Hebræi hoc distinguunt. Messores sunt Assyrij, qui spicas hoc est, Israelitas ad Assyriam adduxerunt. Spicæ remanentes sunt Hebręi illi, qui euaserunt: ille, qui has paucas spicas collegit, est rex Ezechias, vt in libro secundo Paralipomenon cap. trigesimo, & trigesimoprimo literæ diuinæ testantur.

h *In die illa inclinabitur homo ad factorẽ suum.)* Hoc est, Vastatis decem tribubus & in Assyriam abductis nonnulli Israelitæ eorum, qui euaserint, ad Deum conuertentur, & repudiata superstitione venient ad tem-

templum Hierosolymæ, vtrumque Dei cultum amplectentur. Lege librum secundum Paralipomenon, vbi hanc inuenies historiam. Aspicis hic calamitatis & afflictionis cõmodum. Israelitæ, cùm rebus prosperis & ad voluntatem fluentibus vterentur, erant à Deo auersi: cùm verò in acerbas ærumnas inciderẽt, ad Deum conuersi sunt.

i *Oculi eius ad sanctum Israel respicient.*) Sanctus Israelis est Dei periphrasis, vt aliis in locis annotauimus: quoniam Israelem sanctificauit, & suam erga Israelem sanctitatem ostendit. Est igitur sensus: Oculi peccatorum humi defixi ad Deum eleuabuntur. Vnde colliges peccatorum oculos terram solum intueri, & tunc duntaxat Deum respicere, quando peccata relinquunt, quod fieri non potest nisi Deus eos oculis suæ misericordiæ intueatur. Vt enim in speculo imago, quæ oculos habet deflexos in terram, non potest eos à terra sursum erigere, vt in eam faciem, cuius est imago, intendat, nisi facies quæ est illius exemplar, oculos suos prius in illam iniecerit, sic peccatoris spiritus, qui iuxta vocem Psalmisticam oculos suos statuit declinare in terram, non potest oculos suos, nempe intellectum & voluntatem, in illam Dei faciem, cuius imago ipse est, intendere, nisi Deus oculis suæ misericordiæ illum prius respiciat, illuminans eius intellectum, vt peccatum suum agnoscat, & affectum inflammans, vt scelera detestetur. Ex quo colligitur neminem posse ad Christum cõuerti, nisi eum cœlestis pater respiciat. Vnde Christus apud Ioannem, *Nemo*, inquit, *venit ad me, nisi pater meus traxerit eum*, & alibi, *Sine me nihil potestis facere*. Hoc intelligens sponsa dicebat in Canticis: *Trahe me post te*, & Dauid: *Deduc me Domine in via tua*. Et Ezechiel: *Ingressus est in me Spiritus, postquam locutus est mihi, & statuit me supra pedes meos*. Et Ieremias: *Conuerte nos Domine, & conuertemur*. Et Oseas: *Perditio tua Israel, tantummodò in me auxilium tuum*. Vnde Apostolus, *Gratia Dei*, inquit, *sum id quod sum*. Quî enim fieri potest vt aliquis possit esse sapiens sine sapientia, iustus sine iustitia, sanctus sine sanctificatione, redemptus sine redemptione? Christus enim, vt verbis vtar Apostoli, *factus est pro nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*. Respexit igitur Deus Israelitas illos, qui euersa Samaria euaserunt, & statim conuersi sunt, & sanctum Israelis respexerunt, & in montes illos oculos leuarunt, de quibus dicitur in Psalmo: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi*, quorum montium nomine significantur cœli, de quibus dicitur in alio Psalmo: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis*. Nos verò ad Deum mentis oculos leuemus, vt eum posteà in æterna beatitudine facie ad faciem videamus,

Simile. *Psal. 61.* *Ioan. 6.* *Ioan. 15.* *Cant. 1.* *Psal. 85.* *Ezech. 2.* *Thren. 5.* *Osee 12.* *2 Cor. 15.* *1. Cor. 1.* *Psal. 120.* *Psal. 124*

ANNOTATIONES EX Hebræo in CAPVT XVII.

1 In die illa inclinabitur homo ad factor ẽ suũ.] *In Hebræo pro* inclinabitur est וישעה *à verbo* שעה *xaah, quod significat inclinare, aspicere, sperare, fidere, timere, inniti, delectari, narrare, quiescere. Vnde potest verti:* In tempore illo aspiciet homo ad creatorẽ suum, *vel sperabit in creatore suo, vel fidet creatori suo, vel timebit creatorem suum, vel innitetur in creatore suo, vel requiescet, vel delectabitur, vel meditabitur, & mente tractabit creatorem suum. R. Abraham exponit sperabit aut fidet. R. Selomoh*, respiciet: *Thargum*, innitetur. *Alij aliter explanant. Quarto cap. Geneseos accipitur pro respicere:* Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem, & ad munera eius, non respexit. *Vbi poterat verti:* Delectatus est Deus Abel & muneribus eius: Cain autem eiúsque muneribus non fuit delectatus. *In Psalmo centesimo decimo octauo, vbi versio nostra habet:* Nam & testimonia tua deliciæ meæ sunt, *vel, vt habet versio Diui Hieronymi*, sed & testimonia tua voluntas mea. *Et in eodem Psalmo*, Nisi quòd lex tua meditatio mea est, *pro meditatione vertit Diuus Hieronymus delectationem*, & pro in iustificationibus tuis meditabor, *vertit*, in iustitiis tuis delectabor. *Et hanc interpretationem sequitur R. Abraham, quamuis dicit posse etiam verti*, Præcepta tua narrabo. *Verbum enim xaah omnia hæc significat. Pagninus vertit*: In die illa aspiciet homo ad factorem suum. *Nonnulli ex Iudæorum Rabbinis exponunt verbũ hoc* ישעיה *ijxeh pro* יבוה *ijphueh, quod significat conuertere, quòd calamitas in causa sit, vt homo se ad Deum conuertat.*

C In[a] die illa erunt ciuitates fortitudinis eius derelictæ, sicut aratra, & segetes, quæ derelictæ sunt à facie filiorum Israel, & eris deserta.[b] Qui oblita es Dei saluatoris tui, & fortis adiutoris tui non es recordata. [c] Propterea[1] plantabis plantationem infidelem, & germen alienum seminabis. In die plantationis tuæ labrusca, & manè semen tuum florebit: ablata est messis in die hæreditatis, & dolebit grauiter. [d] Væ multitudo populorum multorum, vt multitudo maris sonantis, & tumultus turbarum sicut sonitus aquarum multarum. Sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundantium,[e] & increpabit eum & fugiet procul: & [2] rapietur sicut puluis montium à facie vẽti, & sicut turbo coram tempestate. [f] In tempore vespere & ecce turbatio: in matutino & non subsistet. [g] Hæc est pars eorum qui vastauerunt nos, & sors diripientium nos. F

a *In die illa erunt ciuitates fortitudinis eius derelictæ sicut aratra, &c.*) Quando filij Israelis venientes ex Ægypto ingressi sunt terram promissionis, gentes quæ eam colebãt, metu & admiratione perculsæ aratra & aceruos frugum in agris dimittebant, salutem pedibus quærentes. Habes hanc historiam Iosue capite sexto & septimo. Ait ergo Propheta: Quo tẽpore capta fuerit Samaria ab Assyriis, ita derelinquẽtur ciuitates fortitudinis eius, hoc est fortes & munitæ, quemadmodũ derelinquebantur aratra & segetes in ingressu filiorũ Israelis. Quod intelligẽtes lxx. verterunt: *Erunt ciuitates tuæ derelictæ, sicut dereliquerunt Amorrhæi & Aeuæi à facie filiorum Israel.*

b *Quia oblita es Dei saluatoris tui.*) Aspice ingratitudinis fructum. Aufert Deus ab ingratis gloriam & dignitatem, ad quam eos extulerat.

c *Propterea plãtabis plãtationẽ infidelẽ.*) Tu ô Samaria, ô populе Israelitice plãtabis vites, quę etiã si bonę videãtur, bonũ tamen fructũ nequaquã ferent. *Et germen alienum seminabis*, hoc est ea seminabis quæ non colliges: tu seminabis, & Assyrij colligent segetem tuam. *In die, qua plantaueris, erit labrusca*, hoc est, plantabis vites, quarum fructus erit tibi acerbus. *Manè semen tuum florebit*, videbis manè segetes florentes, sed non colliges, nec metes illas, auferentur enim & diripientur ab hostibus tuis in die hæreditatis: Id est, eo tempore quo fructus erant in horreo recondendi, & pro fructu colliges dolorem, hoc est, quod inquit: & dolebit grauiter, nimirum qui seminauerit. Nonnulli codices habent: Propterea plantabis plantationem fidelem, & germen alienum seminabis. Quæ verba hunc habent sensum:

A sensum: Plãtabis vites optimas, & germen alienum, hoc est, vites exquisitas allatas ex regionibus alienis longẽque distantibus, sed earum fructus tibi in dolorem conuertetur. Potest sensus esse: Tu ô Synagoga in principio obtinebis fœliciſſimum statum, sed posteà tamen miserè finieris, licet manè videaris florere, licet in principio rebus vtaris ad voluntatẽ tibi succedentibus, tamen auferetur à te messis in die hæreditatis, dabis pœnas tuorum flagitiorum, amittes gloriam tuam, & in summa calamitate tandem versaberis. Poteris hæc ita intelligere, Quasi Deus dicat: Tu ô Synagoga fuisti à Domino pulcherrimè plantata, sed tu plantasti plantationem infidelem, & filios sceleratos, qui cùm germen meum, filiíq; mei esse deberent, me dereliquerunt, & facti sunt germen alienum, & filij inobedientes & flagitiosi. Hoc est semen illud, hi sunt illi filij, quorum ingratitudinem & scelera nefaria diuinus vates iis verbis primo capite deplorauit: *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerũt*
B *Dominum, blasphemauerunt sanctum Israelis, abalienati sunt retrorsum.* Eos nunc appellat germen alienum, & vites infideles, hoc est, filios alienos, & in Christum
Psal. 17. non credentes, de quibus dicitur in Psalmo: *Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.* Filij appellantur Hebræi, sed mendaces, alieni, inueterati, & claudi. Mentiti enim sunt Christo, quoniam quem venturum spectabant, & summo studio ac ardentissimo desiderio se illum amplexuros ostendebant, eum ipsum posteaquã venit, acerbissimis ac incredibilibus contumeliis affecerunt, vulneribúsque grauissimis circumfossum vita priuarunt. Iure igitur optimo Christus eos vocat filios alienos, quoniam non iam filij sui sed potius
Ioan. 8. diaboli appellandi sunt. Ideò apud Ioannem eos alloquens, *Vos*, inquit, *ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere.* Hoc idem querebatur
Sup. 1. Christus, hæc verba apud Esaiã emittẽs: *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Hi filij se animi præstantia & amplitudine nudauerunt, suámque dignitatem turpi dedecore maculauerunt, atque nefariis flagitiis se vndique implicarunt. Ex eo effectum est, vt captiui ducerentur, & in ærumnas luctuosissimas inciderent, in quibus adhuc versantur: quoniam nulla est in mundo natio Iudæis abiectior & calamitosior. Illud est hoc in loco aduertẽdum, He-
C bræos ideò pro fructu collegisse dolorem, quoniam in mundi voluptate seminauerunt. Qui enim seruiunt mundo, diabolo, & carni, quamuis in gaudio seminent, metunt tamen in dolore: at qui seruiunt Christo, etsi seminẽt in dolore, metũt tamen in gaudio. Qui pro Christi fide, pro vera religione & charitate, miseram hanc, fluxámque vitam in summũ discrimen adducunt, eam, quæ est beata, & immortalis sine dubio consequuntur, vbi summis atque sempiternis gaudiis obiectantur, iuxta id quod dicitur in
Psal. 125. Psalmo: *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.*

d *Væ multitudo populorum multorum.*) Calamitatem Assyriorum prædicit. Prædixerat hoc capite Damascenos & Israelitas esse ab Assyriis euertendos, nunc de ipsorum Assyriorum euersione vaticinatur. Aspice mundi varietatem & inconstantiam. Sensus est: Vę vniuersis gentibus, quæ venturæ sunt cum Sẽnacheribo Assyriorum rege ad oppugnandam Hierosolymam, quæ præ multitudine, strepitu, & clamore possunt magno ac sonanti mari comparari.

e *Increpabit eum, & fugiet procul, & rapietur sicut puluis montium, &c.*) Sensus est: Deus coërcebit Sẽnacheribum regem Assyriæ, qui se in fugam coniicier occiso exercitu suo, & veluti puluis flãte atque raptante vento dispergetur, & erit veluti turbo coram tempestate, vel sicut stipula flante turbine, vel à vento vehementi exagitata, increpare hoc in loco significat coërcere & compescere, quemadmodũ Psalmo centesimoquinto: *Increpauit mare Rubrum, & exsiccatum est,* & apud Lucam capite octauo: *Increpauit ventum, & tempestatem aquę, & cessauit, & facta est tranquillitas.* Vt autem apertè videas quid sit esse Sennacheribum à Domino increpatum, lege caput decimumnonum libri quarti Regum, vbi Deus ex- E
plicans quid sit increpare Sẽnacheribum, ita inquit, *Ponam circulum in naribus tuis, & camũ in labiis tuis, & reducam te in viam per quam venisti.* Quæ verba inuenies etiam apud Esaiam capite trigesimoseptimo. Illud est hoc in loco considerandum, comparari superbissimum regem puluerì à vento agitato, id quod etiam superiore capite videre poteris. Tales enim sunt peccatores, quemadmodum dicitur in Psalmo: *Non sic impij non sic, sed tanquam puluis, quem proticit* *Psal. 1.*
ventus à facie terræ. Puluis ascendit sursum, sed fauore venti: sic impius ad dignitates aliquãdo euehitur, sed per medium vanitatis. Puluis est terra in aëre, sic peccator terra est elata in vano aëre constituta. Pul- *simile.*
uis ascendẽs obcæcat oculos, sic impius lædit iustos. Puluis coinquinat, sic nefarius homo sermonibus suis impuris, moribúsque deprauatis alios contaminat, illísque tetram maculam atque labem inurit.

f *In tempore vespero, & ecce turbatio, & in matutino, & non subsistit.*) Sensus est, Vesperi erit Hierosolymæ turbatio, & timor propter obsidionem & oppugnationem ciuitatis ab Assyriis: manè verò sequentis diei non subsistit, nempe exercitus Sennacheribi. Sed apparebit consumptus, ab Angelo Dei occisus. Habes hanc historiam quarti libri Regum capite decimonono.

g *Hæc est pars eorum, qui vastauerunt nos.*) Hoc qui- F
dem est quod veluti pro sorte & hæreditatis portione euenìet Assyriis nos ad vastitatem vocare conantibus. Dabunt operam vt nos euertant, at Deus nos liberabit, eos autem euertet. Pulchro epiphonemate voluit diuinus vates hoc caput concludere, ac si diceret, ita percutiuntur qui bellum inferunt quiescentibus, qui in populum Dei perniciem machinantur.

ANNOTATIO.

1 Plantabis plantationem infidelem) *Pro infideli est in Hebraico* נעמנים *naamanim. Quidam putant esse nomen substantiuum in plurali, & vertunt hoc modo:* Plantabis plantationem pulchritudinum. *Quidam verò existimant adiectiuum esse, & vertunt:* Plantabis plantationem pulchrarum, *nempe plantarum. Est enim nomen hoc tóar à verbo* נעם *naam, quod significat pulchrum fieri, pulchrum esse, placere, esse dulce, suaue, & amœnum. Secundo libro Regum, vbi editio vulgata habet* Frater mi Ionatha decore nimis, *potest verti:* Dulcis fuisti nimis, *vel,* Placuisti mihi nimis. *Et capite primo Ruth, vbi nos habemus:* Ne vocetis me Noemi, *id est, pulchram, potest verti:* Ne vocetis me dulcem. *Quia sequitur:* Sed vocate me mara, *id est, amaram. In hoc autem nostro loco pro* נעמנים *naamanim vertit Diuus Hieronymus,* fidelem. *Vnde nonnulli correcti codices habent*

A bent ad marginẽ, fidelem, *quanuis in textu habeant*, infidelem. *Extimo hoc fuisse à Septuaginta interpretibus desumptum: ita enim habent*: Plantabis plantationem infidelem, *magis sensum quàm nominis significationem sequentes. Quod quem habeat sensum, in explanatione exposuimus. Aquila & Theodotio prosideli verterunt* pulchrã, *Symmachus* bonam, *Pagninus* pulchras. *Ego, vt meam etiam sententiam in apertum proferam, eam semper doctioribus subiiciens, existimo posse rectè verti*: Plãtabis plantas dulces, *quia sequitur*: In die plantationis tuæ labrusca. *Vt sit sensus: Tu in principio plantabis vites dulces, at metes ex illis vuas amaras. Labruscæ sunt vuæ amaræ, erraticæ, & agrestes in labris, hoc est sepibus marginibusque nascentes. Perpende hanc meã interpretationem, & fortasse eam non omnino contemnendam esse iudicabis.*

2 Rapietur sicut puluis montium à facie venti.) *Pro* sicut puluis, *est in Hebræo* כטש *cemots. Nomen hoc non solùm puluerem, sed glumam etiam & quisquilias significat. Ideò poterat verti*: Rapietur sicut gluma, *&* *Gluma quid*
B *ita transtulit Pagninus. Est autẽ gluma folliculus grani frumentarij, habens aristam quandam. Hę autẽ aristę sunt tela & aculei spicæ: Nam fruges structa ordine spicæ contra auium minorum morsus, vt Ciceronis in Senectute vtar verbis, munitur vallo aristarũ. Hoc nomen* מוץ *mots, quod hìc ponitur, inuenieis apud Oseã capite 13. vbi nostra versio puluerem habet, dicens*: Sicut puluis turbine raptus ex area. *Et in primo Psalmo.* Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis quẽ proiicit ventus. *In quibus locis poterit pro puluere gluma verti: quemadmodum in alio Psalmo*: Fiant tanquam puluis ante faciẽ *Psal. 15.* venti. *Aspicis igitur maleuolos impiósque homines aristis minutissimisque paleis comparari. Vnde sanctificatus ille* D
Baptista aiebat apud Matthæum capite tertio de Deo verba faciens: Permundabit areã suã, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. *Per triticum iusti significantur, per paleas verò glumas & quisquilias iniqui & flagitiosi. Et quemadmodũ aristæ, tritici que tegumenta granum opprimunt, & vndique constringunt, sic impius virum iustum & pium vexat, & vndique affligit. Sed vt quò arctius aristæ granum cingunt & cõprimũt, eò maiori custodia illud ab auiũ morsu tuentur, sic quantò acerbiores calamitates infert viris virtute insignibus, sapientiáque præditã* *similitudo*
tibus, tantò eos clariores reddit, & ad importunas aues, hoc est, ad malas cogitationes arcendas munitiores. Vbi vides iniquos homines esse iustis adiumento. Non enim Deus homines crearet, quos impios futuros esse præsciisset, nisi pariter nosset, eos viros optimos affligendo, esse in eos vtilitatẽ collaturos. Nihil est enim ad laudem illustrius, quã calamitas ipsa: hæc nanque solet virorũ iustorũ nomẽn ad immortalem memoriã propagare. Atque ita, vt diuus ait Augustinus libro vndecimo de ciuitate Dei, mundi ordinẽ Deus tanquam pulcherrimum carmen ex E
quibusdam antithetis honestauit. Est autem antitheton contrapositum. Ita appellatur figura ea, qua contraria contrariis opponuntur, vt apud Ouidum: Frigida pugnabant calidis, humentia siccis. *Xenophon ille, cuius voce quasi musas locutas ferunt, qui teste Volaterrano dictus est musa Attica ob eloquentiæ dulcedinem & suauitatem, in suo Oeconomico inter opes & diuitias connumerat inimicos homines sceleratos, & ait eos esse nobis adiumento, si illis vti sciuerimus. Et Plutarchus librũ edidit de vtilitate, quam quis potest ex inimicis comparare.*

Argumentum capitis XVIII.

Præcedenti capite minatus fuerat diuinus noster vates exitium Damasco, quòd decem tribus relicto vero Deo, spreto cœlesti præsidio, in illa omnem suam spem & fiduciam collocauerint. Nunc minatur Aegyptiis eorum vastitatem, quòd duæ tribus illis siderent, ad eósque summo Deo contempto confugerent, diuinúmque auxilium non implorauerint. Quemadmodum enim Damasceni iniquo & deprauato animo auxilium ferebant Israelitis, ita Aegyptii Iudais. Quam ob causam fuerunt euersi, & Hebræi in eorum præsidio spem omnem figentes grauissimè vexati. Vult enim Deus vt omnes in periculis constituti ad eum confugiamus, & hac in re, quemadmodum etiam in aliis naturali rationi obtemperemus. Vt enim est cœlo proprium moueri in orbem, & terræ in ima sede veluti mundi centro conglobari, ita est in hominis natura insitum, cùm se viderit in discrimen adductum, & periculorum procella iactatum, ad Deum confugere, & vota facere, eiusque præsidium vehementer implorare. Prædicta igitur in hoc capite Aegyptiorum euersione, vaticinatur de illorum Iudaorum conuersione, qui, relicta synagoga, ad Ecclesiam conuenerunt.
C

CAPUT XVIII.

F

Vae a terræ [1] cymbalo alarũ, [b] quę est trans flumen Æthiopiæ, [c] quæ mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas. [d] Ite angeli veloces ad Gentem conuulsam & dilaceratam: ad populum terribilẽ, post quem nõ est alius: [2] ad Gentẽ expectantẽ & cõculcatã, cuius diripuerunt flumina terram eius: [e] ad montẽ nominis Domini exercituũ, montem Sion. [f] Omnes habitatores orbis qui moramini in terra, cùm eleuatum fuerit signũ in montibus, videbitis, & clangorem tubæ audietis: quia hæc dicit Dominus ad me. [g] Ego quiescam & considerabo in loco meo, sicut meridiana lux clara est, & sicut nubes roris in die messis.

[h] Ante messem enim totus efflоruit, & immatura perfectio germinabit, & præcidentur ramusculi eius falcibus: & quæ derelicta fuerint, abscindẽtur & excutientur. [i] Et relinquẽtur simul auibus montiũ & bestiis terrę [k] & æstate perpetua erunt super eum volucres, & omnes bestiæ terræ super illum hyemabunt. In tẽpore illo deferetur munus Domino exercituum à populo diuulso & dilacerato: à populo terribili, post quem nõ fuit alius, à Gente expectante, & conculcata, cuius diripuerunt flumina terram eius, ad locum nominis Domini exercituum montem Sion.

EXPLANATIO.

2 *Væ terræ cymbalo alarum.*) Hoc est, Væ Ægypto, habenti alas, hoc est, exercitus, instar cymbali sonantes. Est igitur terra cymbalum alarum periphrasis Ægypti, quę magnis ac potentibus exercitibus abund abat. Ala enim præter alias significationes significat equitum turmam, quòd pedites tegant vice alarum, nam in equitum ordinibus circum legiones dextra siniſtráque tanquam alæ in auium

h corpo

A corporibus locantur. Possumus per alas vela nauium intelligere, quæ alæ appellãtur, iuxta illud poetæ, *Vela virum panimus alas:* & tunc erit sensus, Vestram perniciem annuncio ô Ægyptij, qui abundatis nauibus, quorum vela plena vento veluti cymbalum sonant. Quidam per cymbalũ alarum intelligũt sonitum Nili, qui fluuius ad illa quę Catadupa nominantur præcipitat ex altissimis mõtibus, tanto impetu, vt ea gẽs quæ illum locum accolit, vt Cicero in sexto libro de republica scriptũ reliquit, propter magnitudinẽ sonitus sensu audiendi careat. Et Herodotus libro secundo ait, Ægyptũ à Catadupis & Elephãtina vrbe incipere. Verùm hæc videtur longè petita periphrasis. Prima videtur melior, nam etiam capite octauo hic idem Propheta alas posuit pro copiis & exercitibus Assyriorum, vt ibi annotauimus, locum illum explanantes. *Et erit extensio alarum eius implens latitudinem terræ tuæ ô Emanuel.*

b *Quæ est trans flumina Aethiopiæ.)* Id est, trãs riuos Nili. fluuius enim Nilus de Æthiopia in Ægyptum fluit, vt asserit Solinus capite quadragesimoquinto,
B & Plinius capite nono. Diodorus verò Siculus libro primo de ortu Nili sic ait: Nilus à Meridie ad Septẽtrionem fertur, ortus ex fontibus in extremis Æthiopiæ finibus. Et paulò post: Eius decursus ab Æthiopię montibus. Hoc videmus in orbis descriptione quę mappa mundi appellatur. Et nostri Lusitani, qui totum fere orbem peragrarunt, narrant se in Æthiopia Nili ortum inuenisse.

c *Quæ mittit in mare legatos.)* Quæ nempe terra Ægypti: vel qui, vt nonnulli codices habẽt, nempe populus Ægypti mittit per mare nuntios duabus tribubus in vasis papyri, hoc est, in cimbis quæ ex papyro fiebant. Scribit Plinius libri tertiidecimi capite primo nauigia construi ex papyro. Est papyrus arbor quędã in Ægypti palustribus locis nascẽs, decẽ cubitorũ lõgitudine, in gracilitatẽ fastigiata, ex qua arbore fiebant chartę quędam, in quibus veteres scribere solebãt. Vnde id, in quo modò scribimus, papyrus appellatur. Et ob eã causam fortasse per vasa papyri intelligit epistolas, quas populus Ægypti mittebat ad Iudæos, quibus illis suum pollicebãtur auxilium. quẽ sensum reddiderũt lxx. quorum versio sic habet: *Qui mittit in mari obsides, & epistolas biblinas, super aquam.* Nomine maris possumus Nilum intelligere, more diuinarum literarum; quæ omnem aquarũ congregationem mare appellant. Priori expositioni, vt per vasa papyri naues intelligantur, fauet versio Pa-
C gnini sic habens: *Et in naui iuncea super faciem aquarum*

Papyrus arbor.

d *Ite angeli veloces.)* Ægypti verba sunt ad nuntios, quos ad Iudęos mittebat. Nuntij angeli vocantur. Est igitur sensus: Ite velociter vos nuntij ad Iudæorũ Gentem afflictam, & Assyriorũ impugnatione laceratam, ad populũ quondam terribilẽ, qui Dei vtebatur imperio, qui cum nullius alius fuit vnquã comparandus, ad Gentem quæ solebat Dei spectare præsidiũ, quæ nunc affligitur & conculcatur, cuius terram flumina, hoc est, Assyrij vastauerunt. Capite etiã octauo regem Assyriæ, eiusque exercitum aquis fluminis comparauit: ita enim ait: *Ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas:* regem Assyriorum, & omnem gloriam eius. Vbi nostra editio habet: *Ad Gentem spectantem & conculcatam,* habẽt nonnulli codices ad marginem, *spectantẽ,* vt legatur: *Ad Gentẽ exspectantem, exspectatem & conculcatã.* Quę verba possunt hunc habere sensum: Ite ad Gentem quæ nostrum auxilium auidè spectat, quoniam ab Assyriis oppugnatur.

e *Ad montem nominis Domini exercituum montem Sion.)* Totum hoc non est in Hebraicis exemplaribus, neque in Græcis, nec in versione diui Hieronymi. Et in Bibliis correctis est notatum obelo. D

f *Omnes habitatores orbis.)* Per orbem eam mundi plagam intelligit, de qua loquebatur, nimirũ Ægyptum. Signum appellat vexillũ, quo in exercitu duces vtuntur. Sensus est: Cùm Assyrij vexillum erexerint, & Ægypto bellum intulerint, & bellica tuba sonuerit, & milites ad præliũ incitauerit, tunc videbitis & audietis, & apertè cognoscetis, quid Dominus aduersus Ægyptum cogitauerit.

g *Ego quiescam.)* Irruentibus Assyriis in Ægyptios ego, ait Dominus, quiescam, nullum auxilium feram Ægyptiis, sed in loco meo, hoc est, in cœlo prælium considerabo, & ero veluti lux meridiana, nubęsque rorida in die messis. Hoc est, ero placidus & quietus nullam opem Ægyptiis ferens.

h *Ante messem.)* Sẽsus est: Quemadmodum segetes erumpentes ante maturitatem citò pereũt, & germinantes ante temporis perfectionem inutiles redduntur, sic Ægyptij populi euertentur, & quasi rami inutiles resecabuntur. Et Ægyptij, qui post Ægypti vastitatem remanserint, etiam occidentur. Ideò comparat Ægyptios segetibus ante tempus erumpentibus, sed posteà præcisis, vt ostendat eos in medio rerum successu, in statu fœlici cõstituros, esse gladiis Assyriorum occidendos, & finem non esse fausto principio responsurum.

i *Et relinquentur auibus montium, & bestiis terræ.)* Per ramos excisos intelligit Ægyptios interfectos, quos dicit esse in campo relinquẽdos, vt essent auium & bestiarum cibus.

k *Et æstate perpetua erũt super eum volucres.)* Significat tam ingentem interfectorum multitudinem, vt nemo ex Ægyptiis euaderet, qui cadauera sepeliret. E
Aut per auium & bestiarum multitudinem intelligit gentes, quæ Ægyptiis bellum & exitium intulerunt, quas ob velocitatem & immanitatem auibus & beluis comparauit. Lege caput vigesimumnonum Ezechielis, vbi hanc eandem vaticinationem literis mandauit.

l *In tempore illo deferetur munus Domino exercituũ.)* Euersa Ægypto reuertentur ad se Iudęi, & nequaquam hominibus fidẽt, sed omnẽ suam spem in Deo vero collocabunt, eum inuocabunt, cuius solum auxilium firmissimum credent, & ad montem Sionem, ad Dei templum adibunt, munera Deo & sacrificia offerẽtes. Videntes Iudæi se esse humano refugio destitutos, & calamitatibus oppressos, ad verum Dei præsidiũ confugerũt. Vide quid vtilitatis in hominẽ conferat calamitas ipsa. Conducit quidem ad Deum quærendum, & ad eximiæ virtutis gloriam magnificentius illustrandam. Sed hoc intelligitur, si Deus afflictum animũ incendat igne cœlestis cuiusdam desiderij. Vt enim ex duro informique ferro nullum ele- *simile.*
gãs opus efficitur, in quo artifex suum exprimat artificium, quãquam illud malleo percutiat, nisi ferrum ipsum ignitum sit: nam secus erit id quod dicitur in Prouerbio, ferrum frigidũ contundere, & operã perdere, sic frigidus & induratus animus nequaquam po- F
terit perpoliri & excoli, licet sit afflictionibus percussus, nisi igne diuini auxilij fuerit incensus. Quidã dicunt hanc Iudæorum ad Deum conuersionem fuisse sub Ezechia, alij sub Zorobabele, & Esdra, & Nehemia. Quod etsi veritatẽ contineat, ego tamen existimo, diuinum vatem ad tempus Messiæ hęc retulisse, quod cùm hoc vaticinium mandaret monimentis animo intuebatur. Est igitur meo iudicio huius loci sensus: Victo per Christum mundo, qui nomine Ægypti intelligitur, euersa idololatria vanáq; superstitione, multi ex Iudæis instructi & Christi & Apostolorum doctrina, veram fidẽ recipient, in Christum

A stum credent, eíque in loco nominis Domini exercituum, in monte Sione, hoc est, in Ecclesia catholica, munera offerent, vbi diuinum presidium implorabunt. Hæc sunt munera & sacrificia illa iustitiæ, de quibus regius vates dicebat in Psalmo: *Tunc acceptabis sacrificiũ iustitiæ oblationes & holocausta.* Sacrificia iustitiæ appellat ea, quę fiunt animo scelere expiato, & iustitia prædito, quæ sunt Deo acceptissima, quæ ipse præuiderat esse à Christianis facienda. Iudæos appellat hîc Esaias populũ diuulsum, dilaceratũ, sperantem humanum auxilium, & direptum, quoniam erant à fide separati. Tales enim sunt omnes infideles, & ij etiam, qui quamuis habeant fidem, sunt tamen omnibus flagitiis contaminati, & sceleribus imbuti, quorũ fides mortua est, vt ait diuus Iacobus in epistola sua, quoniam est sine operibus, nec est charitate formata. Vt enim qui loco deserta, sed à latronibus habitata, nocte penetrant, non valent hostiles insidias effugere: sic qui per huius mundi deserta nocte suorum sine lumine diuinæ gratiæ iter faciunt, non possunt quandiu à Deo sunt seuocati, bonorũ direptionem, malorúmque omnium impetum declinare. Talis fuit ille, qui, vt est apud Lucam capite decimo, descendens à Hierosolyma in Iericho incidit in latrones, qui eum spoliarunt, & plagis vulneratum semiuiuum reliquerunt. Sed fuit à cœlesti medico curatus, & in diuersoriũ, hoc est, in Ecclesiam catholicã adductus. Qui est Hierosolymæ colonus, qui requiescit in visione spiritualis pacis, non existimet se esse omnino securum, potest enim descendere in Iericho & qui descendit, & iacet mortiferis vulneribus traiectus, nõ adhibeat suis sceleribus desperationem, potest enim Hierosolymam ascẽdere. Id fuit nobis in illa scala demonstratũ, quam vidit in somnis Iacob stantem super terrã, & cacumen illius tangebat cœlum, per quam ascendebant. Qui in imo iacent, possunt ascendere: qui verò summitatem tenẽt, possunt precipitari. Fuit tempus illud, quo Iudæi erant virtutum opibus locupletes, iustitiam & pietatem colentes: at irruentes in eos diabolus, mundus, & caro, hominum hostes, eos omnibus virtutum ornamentis spoliauerunt, atquẽ pestilentibus vlceribus saucios deformarunt. Sed adueniente Christo Deo nostro multi receperunt fidem, & fuerunt æternam beatitudinem consecuti. Hos igitur intuebatur diuinus vates dicens, esse illos in monte Sione Deo munera oblaturos, qui anteà fuerant dilacerati, conculcati, & direptioni commissi.

Psal. 50. Sacrificia iustitiæ

Iacob. 2. simile.

Luc. 10.

Gen. 28.

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT XXIII.

1 Væ terræ cymbalo alarum.] *Pro cymbalo alarum est in Hebraico* צלצל בנגרמי *tsiltsal cenaphaim. Prima dictio est à verbo* צלל *tsalat, quod præter alia significat tinnire, vt quarto libro Regũ capite vigesimo primo:* Vt quicunque audierit, tinniant ambæ aures eius. *Vnde tsiltsalim cymbala significat, vt in Psalmo cẽtesimoquinquagesimo:* Laudate eum in cymbalis bene sonantibus. *Et hanc significationem secutus est noster interpres. Sed quoniam verbum hoc tsalal significat etiam adumbrare, vertit Pagninus:* Væ terræ vmbræ alarum. *Potest verti:* Væ terræ alis vmbranti. *Quidã Hebræus ita exponit:* Væ terræ vmbram vniuerso orbi ob alarum suarum magnitudinem multitudinemque facienti: *Quibus verbis vult translatitiè significare variarum rerum genera, quæ ex Aegypto ad alias terræ regiones egrediebantur, ciúsque negotiationum infinitatẽ. Sed hic idẽ alio in loco nomine vmbræ alarum vela nauium intelligit: quam opinionẽ nos in explanatione attigimus. Huic expositioni fauet Thargum Ionathæ ita habens:* Væ terræ, ad quam veniunt cũ nauibus è terra longinqua, & vela sua extendũt vt aquila volans alis suis. *Hanc interpretationẽ secuti Septuaginta ita transtulerũt:* Vę terræ nauium alarum. *Quã etiam Aquila fortasse secutus, pro cymbalo vmbram posuit. Et quamuis hæc interpretatio sit satis conueniens, magnisque authoribus confirmata: ego tamen existimo per vmbram alarum intelligi præsidium, vt sit sensus: Væ tibi Aegypte, quæ aliis auxilium promittis, atque in vmbra alarum tuarum præsidium polliceris. Hic sensus conuenit argumento capitis, multisque scripturæ locis fulcitur, in quibus vmbra alarum pro præsidio accipitur. In Psalmo sextodecimo:* Sub vmbra alarũ tuarum protege me, *quis no videt alarũ vmbram pro præsidio poni? Eodem modo accipitur Psalmo quinquagesimo sexto, cuius hæc sunt verba:* In vmbra alarum tuarum protege me, donec transeat iniquitas. *Hoc est, Præbe mihi Domine auxilium tuum, feropem mihi vndique afflicto, donec Saulis inuidia & scelus finiantur. Vel capitur iniquitas pro tempore afflictionis. Et apud hunc nostrum prophetam capite sextodecimo, aliisque in locis vmbram pro auxilio & defensione inuenies. In Psalmo nonagesimo, vbi communis editio habet:* Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur, *habet versio diui Hieronymi ex Hebræo:* In vmbra omnipotẽtis commorabitur. *Et non solùm vmbra, sed etiam ala pro auxilio ponitur, vt capite secundo Ruth, & sæpe in diuinis literis. Cùm igitur dictio hæc* צלצל *tsiltsal vmbram significet, & vmbra alarum Hebraismus sit, & auxilium protectionemque significet, apertè existimo esse coclusum veram rectamque esse hanc nostram interpretationem, nunimeque contemnendam, quanquam alias etiam libenter amplectior.*

Psal. 150

Infrà 16.

simile.

2 Ad Gentem expectantẽ.] *In Hebraico est:* Ad Gentem *kau-kau, id est, expectantem, expectantem. Pro quo poteris vertere,* auidè expectantẽ. *Sed quoniã hæc dictio* קו *significatetiã lineam, vertit Pagninus,* Ad Gentem lineatim. *Et in suo thesauro exponit* Gentẽ lineatim operantẽ, *sumpta translatione à cœmentariis. Vt enim illi extensa linea efficiunt ordinem vnum parietis, & super illum iterũ extendunt, vt faciant ordinẽ alterum, & posteà alium, donec parietem perficiant, ita qui paulatim aliquid efficit, illud linea & linea, siue lineatim dicitur efficere. Et quoniã in textu est* Ad Gentẽ expectantẽ & cõculcatã, *potest verti:* Ad Gentẽ paulatim concucaltam. *Et quia nomen hoc* קו *kau, quod hic ponitur, significat etiam regulam, normam, directorium, & perpendiculum, potest verti:* Ad Gentem rectè. *siue* iniquè, *siue* meritò, cõculcatã. *In Psalmo decimo octauo, vbi nos habemus,* In omnẽ terrã exiuit sonus eorũ: *pro sono est in Hebraico hoc nostrũ nomen kau. Quapropter potest rectè conerti ex Hebræo:* In omnem terrã exiuit regula eorũ, vel norma, vel directorium, *vel* perpẽdiculum, *vel* ædificatio, *vel* architectonia eorum. *Omnia enim hæc, quæ hoc nomẽ significat, Apostolorũ prædicationi rectè accõmodãtur. Et ex Paulo apostolo in epistola ad Romanos constat, esse locũ illũ Dauidis de Apostolorũ prædicatione intelligendum. Nitatur Christianus concionator, qui Christi Apostolos imitari desiderat, vt sit eius cõcio regula, vitæque Christianæ perpẽdiculũ, atq; ædificãdi ars & structura. Tũc enim cõcionator ædificabit, cũ eius vita verbis respoderit. Et vt regula, vt rẽ dirigat, recta esse debet; sic cõcionator, qui alios ad virutẽ hortatur, summa opere niti decet, vt sit virtutis rectitudine conspicuus.*

Rom. 10.

similitudo

Argumentum capitis XXIIII.

Solent diuini vates, cùm mandant literis aliqua obscura, & explicatu difficilia, subnectere verba apertiora, quibus seipsos interpretentur. Et quoniam Esaias prædixerat capite præcedente Aegypti euersionem verbis inusitatis, obscuris, propéque inexplicabilibus, nunc se latius atque fusius explicat, pranuncians esse Aegyptios ab Assyrus ad ferrum & flammam vocandos, penitúsque euertendos. Sed eos posteà vaticinatur esse ad veram religionem & Christi fidẽ venturos. Voluit Deus decem plagas Aegypti hac vna medicina sanare, afflictis & ægrotis mederi, eósque ad veritatem adducere, vt iam non irent ad mare Rubrum obreundi, sed ad aquas baptismatis vinificandi.

CAPVT XIX.

ONus a Aegypti. b Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum. c Et commouebuntur simulachra Aegypti à facie eius, & d cor Aegypti tabescet in medio eius. Et cõcurrere faciam Aegyptios aduersus Aegyptios: & pugnabit vir cõtra fratrem suum, & vir contra amicum suũ, ciuitas aduersus ciuitatem, regnũ aduersus regnum. e Et dirumpetur spiritus Aegypti in visceribus eius, f & consilium eius præcipitabo. Et interrogabunt simulachra sua, & diuinos suos, & pythones, & ariolos. g Et tradam Aegyptum in manu dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus exercituum. h Et arescet aqua de mari, & fluuius desolabitur, atque siccabitur. Et deficient flumina: & attenuabuntur, & siccabuntur riui aggerum.

i Calamus & iuncus marcescet, k nudabitur alueus riui à fonte suo & i omnis sementis irrigua siccabitur, arescet, & non erit. m Et mœrebunt piscatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamũ, & expandẽtes rete super faciẽ aquarum marcescent. Cõfundentur n qui operantur linũ, plectẽtes & texentes subtilia. o Et erunt irrigua eius flaccẽtia: omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces. p Stulti principes Taneos, sapientes cõsiliarij Pharaonis dederunt consiliũ insipiens. q Quomodo dicetis Pharaoni: Filius sapientium ego, filius regũ antiquorũ? Vbi nunc sunt sapientes tui? Annuntient tibi, & indicẽt quid cogitauerit Dominus exercituũ super Aegyptũ. Stulti facti sunt principes. Taneos, emarcuerũt principes Mẽpheos, r deceperũt Aegyptũ r angulũ populorũ eius. s Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, & errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens. t Et non erit Aegypto opus, quod faciat caput & caudam incuruantem & refrenantem.

EXPLANATIO.

a *Onus Aegypti.*) Hoc est, Sequitur vaticiniũ ventu ræ calamitatis Aegyptiorũ. Est explanatio eius quod dixerat in principio capitis præcedẽtis: *Væ terræ cymbalo alarũ*, quę est trans flumen Æthiopię. Hãc Ægyptiorum cladẽ & afflictionem scribit Ieremias capite quadragesimosexto, & Ezechiel cap. 30.

b *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum.*) Euersa & vastata Samaria, & decem tribubus in miseram captiuitatem adductis cõspirauerũt Aegvtij & Æthiopes cõtra Assyrios. Sed pernicies, quã alijs moliebãtur, in suũ caput redundauit. Nã Assyrij mouerũt exercitũ aduersus hostes, eisque bellũ crudelissimũ intulerũt, & Ægyptũ penitus vastarũt. Hũc Assyriorũ exercitũ appellat Propheta *nubẽ leuẽ*. Nubẽ appellat, vt ostẽdat horribilẽ tẽpestatẽ, & vastationẽ, quã impendentẽ videbat Ægyptiis. *simile.* Quemadmodũ enim ex nube oritur aliquãdo turbulenta ac repẽtina procella, sic ex Assyriorũ exercitu proueniura erat subita & luctuosa pernicies. Et hoc fortasse voluit significare Ezechiel capite trigesimo, vbi tempus huius excidij Ægytiorũ diem nubis appellat. Leuẽ vocat, vt significet Assyriorũ velocitatẽ & expeditionẽ, qui tam prompto & alacri animo, tãque vehementi & cõcitato impetu ad bellũ mouebãtur, vt potius volare quàm ambulare viderẽtur. Est igitur sensus: Ecce Dominus inspirabit Assyriis, vt Aegyptiis bellũ inferãt, & ascẽdẽs ipse super exercitũ, vt eã vastet, & repẽtino prælio euertat. Erũt Assyrij instrumẽtũ, quo Deus ad exitiũ Aegyptiorum, ob eorũ flagitia vtetur. Chrysostomus in Matthęũ capite secũdo explanãs hęc verba: *Ecce Angelus Domini apparuit in somniis Ioseph dicẽs: Surge, & accipe puerũ, & matrẽ eius, & fuge in Aegyptũ:* de illo secessu & ingressu Christi in Aegyptũ hãc Esaię vaticinationẽ intelligit. Et per nubẽ leuẽ Christi corpus sacratissimum sine vllo peccatorũ põdere interpretatur. Eleganter ille quidem & piè. Sed existimo germanum huius loci sensum esse eum, quem modò de Assyriorum exercitu explanaui.

c *Et mouebuntur simulachra Aegypti.*) Id est, Deiiciẽt Assyrij idola Aegyptiorum de locis & altaribus suis, & ea cõculcabũt. Acsi dicat: Nõ solũ idola nõ eripiẽt cultores suos, sed nec seipsa poterunt seruare. Vide quibus in rebus stulti spem suã figebant. Ezechiel capite trigesimo hoc iis verbis scribit. *Hæc dicit Dominus Deus: Disperdã simulachra, & cessare faciã idola de Memphis.* Est aũt Memphis ciuitas magna Aegypti. Possumus hoc in spirituali sensu ita intelligere: Ingresso filio Dei in Aegyptũ, hoc est, in mũdũ, in nube leui, hoc est, in vtero sacratissimo purissimę virginis nullo virili semine grauato, ceciderũt idola, cõtremuerũt dæmones, Christi prẽsentiã ferre nõ valẽtes. Cõmoti sunt à facie eius, hoc est corã eo. Phrasis est in diuinis literis frequens. Fuit Aegyptus victa: hoc est mundi idololatria & impietas ablata.

d *Cor Aegypti tabescet in medio eius.*) Subaudi metu Assyriorũ. Per cor intellige regẽ, q cor populi debet esse, in medio omniũ, àquo oẽs veluti mẽbra à corde vitã quodãmodo accipiãt. Vel p cor intellige prẽsulẽ aut sacerdotẽ. Nã vt cor primò recipit vitã ab anima, & trãsfundit in corpus, quasi mediũ inter animã & corpus, ita sacerdos debet esse mediũ inter Deũ & populũ. Qua de re poteris videre ea, quæ c. 1. annotauim^s. Fortasse huius loci sensus hic est: Metu Assyriorũ frãgẽtur Aegyptiorũ corda, languescẽt & deficiẽt. *simile.* Sic c. 7. Iosue scriptũ est, pertimuisse cor populi, hoc est totũ Israelẽ animo cecidisse, & audi nostrũ Prophetam. *Excæca cor populi huius*, id est, totum populũ. *Sup. c. 6.*

e *Et corruere faciã Aegyptios aduersus Aegyptios.*) Permittã vt Aegyptij in Ægyptios irruãt, & nulla inter se cõcordia cũiungãtur. Quasi dicat Deus: Ego euertã Ægyptios, & signũ euersionis erit discordia inter eos. Diuidentur & nullo amicitię & beneuolẽtiæ vinculo cõtinebũtur, & ita delebitur eorũ regnũ. Vbi vides nullã esse regnis pestilẽtiorẽ pernicię, quàm discordiã. Fieri enim nõ potest, cùm populi nauis in alto fluitat, odij atq; seditionũ tẽpestatibus agitata: quin in medijs fluctib. miserè obruatur. Id est, quod dicebat Christus Deus noster: *Omne regnũ in se diuisũ desolabitur. Cõcordia res paruæ crescunt, discordia verò maximæ dilabũtur. Cõcordia*, vt dicitur in Prouerbio, *fulciũtur opes*, etiã exiguæ. Si linguarũ diuisio in turre Babylonis ædificiũ labefactauit, quãtò magis volũtatũ diuisio & discordia? Diuide fluuiũ, amittet vim, diuide ignẽ, extinguet. Ad generationẽ rerũ naturaliũ necesse est elementa inter se discrepantia & contraria conuenire, & sedata discordia inter se amicitia quadam vniri & copulari, & ex tali concordia nascitur lapis preciosus, cæteraque res naturales quarum pulchritudinem & excellentiam admiramur.

Matt. 12. Luc. 11. *Gen. 11.* *similia.*

Quid

A Quid docet medicina nisi amorem & concordiam quatuor humorum in corporibus humanis? Ex humorum temperata concordia redundat pulchra atque recta valetudo & ex eorum intemperata discripantia & concitatione nascuntur variæ ægritudines. Quid aliud docet musica quàm vocum inter se dissidentiũ amicitiam & concordiam, ex qua suauis harmonia, admirabilísque concentus oriatur? Hoc considerans Orpheus dicebat amorem habere claues omnium rerum, quibus earum aperit conceptum, & in lucem prodit. Vnde Empedocles Pythagoreus mundum dicebat constare concordia, discordia autem dissipari. Hoc voluit nobis natura in lapide Tirrheo ostendere, qui in aquam coniectus, si est integer, quamuis magnus innatat, diuisus verò & comminutus mergitur: sic no integri atque concordes sustinemur, diuisi verò & discordes pessum imus. Eam ob causam comparat Gregorius Nazianzenus homines cõcordes cum arca Noe in diluuio seruata, quia ibi omnes concordia quadam connectebantur. Da mihi concordiam, dabo tibi rempublicam permanentem, & in omni diluuio, & afflictionum procellis conseruatam. Cùm in mundi principio Deus crearet multa animantia, noluit multos homines simul creare, creauit vnum, de quo multitudo propagaretur, vt hac admonitione, huius rei memoria, etiam in multis concordem vnitatem seruaremus, vt intelligeremus, esse nos omnes vnius hominis filios, & videremus, quàm esset Deus vnitate delectatus. Hæc est causa, vt ait Diuus Augustinus, quare Deus voluerit vt omnes ab vno ab ipso creato originem duceremus. Et eam ob causam cùm Deus daret arma brutis animalibus, alia dentibus muniendo, alia vnguibus, alia cornibus, solum hominem armis destituit, nudum atque inermẽ formauit, tanquam ad amorem pacémque conseruandam creatum, vt ipsa coporis compositio eum doceret, ad quid esset editus in lucem, & in mundo cõstitutus. Vnusquisque exercitus habet vexillum & signum militare, quo cognoscatur: & vnaquæque nobilis familia habet stẽmata, arma & insignia, quibus omnes ex illo genere ab aliis discernuntur. Signum Christianorum est amor & concordia. Hæc sunt eorum stemmata & insignia, his armis cognoscuntur & ab aliis separantur. Hoc est quod Christus suis discipulis dicebat, vt est apud Ioannem capite tertiodecimo: *In hoc cognoscent omnes quiá discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Sed heu quàm pauci hoc signo muniuntur. Nam pro amore & charitate insurrexerunt dissensiones, seditiones, odia, insidiæ *Sup. c. 6.*

C fraudes, & bella, & cæteræ pestes, quæ ex iis dimanarunt. Quæ quidem opera sunt dæmonis, cuius officiũ est dispergere, & discordiam inducere, cùm Dei officium sit colligere, & congregare. Vnde apud Matthæum dicebat Christus: *Quoties volui congregare vos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluistis?* Triplex est vnitas & congregatio, prima qua homo secũ debet esse vnitus, de qua dicitur in Psalmo: *Dominus autem assumpsit me*, pro quo versio Diui Hieronymi ex Hebraico habet: *Dominus autem collegit me*, hoc est, congregauit & vniuit. Et in Psalmo octuagesimoquinto, vbi nostra versio habet, *Latetur cor meum, vt timeat nomen tuum*, potest verti ex Hebraico, *vni*, vel *vnitũ fac cor meũ*, pro quo Diuus Hieronymus vertit: *Vnicum fac cor meum.* Altera vnitas est qua omnes inter nos debemus esse concordes, quã docet Apostolus Paulus ad Ephesios scribens, vt simus soliciti seruare: de qua dicitur in Actis Apostolorum: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna.* Hanc præcepit Christus inquiens: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicẽ sicut dilexi vos.* Tertia vnitas est, qua viri iusti & pij sunt Deo con-

Matt. 23.

Ephes. 4.
Act. 4.

Ioan. 15.

B

iuncti, de qua ait Apostolus: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.* Hæc est vnitas quam Maria Magdalena amplectebatur. Hoc est illud vnum, de quo Christus dicebat, *Porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit.* Erat enim Deo vnita: & vnus spiritus cum eo. Hanc vnionem & cõcordiam nobis tribuit Christus, quapropter eum Apostolus ad Ephesios pacem nostram appellat. Et in epistola ad Romanos, *Iustificati*, inquit, *ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christũ.* Huius triplicis vnitatis & concordiæ author est Deus. Sed nos de ea nunc potissimum loquimur, quam secundã diximus, quæ est hominum inter homines, quorum vnitus animus inter se eos conseruat, disiunctus verò corrumpit & euertit. Vnde dicebat Oseas, *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* Ex quo colligitur excidij caput esse discordiã. Quod etiam gentiles lumine gratiæ priuati, sola naturali luce illustrati intellexerũt, & literis mãdarunt. Marcus Tullius in libro quinto de Finibus hæc verba scribit: Neque ciuitas in seditione beata esse potest, neque in discordia dominorum domus, multò minus animus à se ipso dissidens, secúmq; discordans, gustare partem vllam liquidæ voluptatis & liberæ potest. Et Plato in quinto dialogo de Republica, nihil, inquit, perniciosius esse ciuitati quàm discordiam, nihil vtilius quàm vnionem & amicitiam. Amplectamur igitur concordiam, eam colamus, & veneremur, & omnem memoriã discordiarum obliuione sempiterna deleamus. Qua de re poteris videre ea, quæ capite vndecimo annotauimus, vbi probauimus, Dei officium esse congregare, diaboli verò seiungere & diuidere.

Luc. 10.

Ephe. 2.

Rom. 5.

D

E

e *Et dirumpetur spiritus Aegypti in visceribus eius.*) Sæuiente seditione in Aegypto, aliis volentibus se tradere Assyrio, aliis nolẽtibus, scindetur Aegyptiorum voluntas, inter se discrepabunt, & in varias sententias distrahentur. Vel capitur spiritus pro intelligentia: vt sit sensus, Vsque eo erũt perturbati, vt parùm absint ab insania. Euacuabitur Aegyptiorum sapientia ex animis eorum. Vel sic: Tam acerbo dolore prementur, vt eorum animus in medio viscerum rumpi videatur.

f *Et consilium eius præcipitabo.*) Id est, Ad nihilum redigam. Non sortietur effectum. Vel sic: *Præcipitabo eorum consilium*, hoc est, efficiam vt sit repentinum, acceleratum, temerarium, sine maturitate & iudicio. Vbi vides celerem ac festinam consilij temeritatem esse Dei vltionem. Punit Deus impios, eorum consilium præcipitando. Debet enim consilium esse perspectum & deliberatum, præsertim in rebus difficilibus, in quibus solet animus distrahi, & afferre ancipitẽ curam cogitandi. Oportet enim tunc rẽ alta mente cõsiderare, ne repẽtino impetu quasi vento animus concitatus perniciem sibi ipsi machinetur. Bias ille Prienẽsis, vt est apud Laertium, dicebat duo maximè esse contraria consilio: iram & festinationem. Sic velim tamen existimes non me tarditatem & moram laudare, sed maturitatem. oportet enim festinare, sed cum prudẽtia & limato iudicio. Id quidem est, quod dicitur in veteri Prouerbio, Festina lentè. Hanc sententiam continent antiqua Titi Vespasiani nummismata, præferentia ex vna parte anchoram, cuius medium seu temonem delphin obuolutus complectitur. Per anchoram tarditas ostenditur, per delphinum verò omniũ piscium, vt ait Plinius, velocissimũ, festinatio significatur. Aspicis igitur hoc symbolũ nihil aliud sibi velle, quã id quod est in veteri Prouerbio, Festina lentè. Vnde quidã sapiẽs dicebat: Delibere vtilia, mora tutissima est. Sed est hæc mora cũ festinatione coniungenda, vt alterum altero temperetur. Voluit Deus Aegyptios euertere, ideò eorum

F

A consilium permisit esse præceps,& temerarium.

g *Et tradam Aegyptum in manu dominorum crudelium.)* Hoc est, Assyriorum, qui immanitate multis in locis etiam ipsas feras superarunt.

h *Et arescet aqua de mari.)* Sensus est: Tam immanis erit Assyriorum Rex in Aegyptios, vt omnia diripiat & populetur. Incident Aegyptij in tam miseras & acerbas calamitates, acsi Nilus esset illis exsiccatus, à quo omnem suam habent vtilitatem. Non poterat Propheta maiores ærũnas illis minari,quàm eas quæ Nili ariditati compararentur. Quoniam tota Aegyptus rigatur Nilo,& eius inundatione fœcũdatur,& nutritur, ob pluuiæ perpetuum defectum. Nunquam enim ibi pluit. Et pro miraculo narrat Herodotus semel in Thebis pluisse quasdam guttas. Et sub allegoria siccitatis Nili inducit Propheta piscatores,textores retium,lacunas,& viuaria. Elegans absque dubio in hoc vate dicendi exornatio, & mirum quasi poëticum artificium. Nomine maris,vt iã diximus,Nilus intelligitur more scripturæ,quę aquarum congregationem solet mare appellare.Sunt qui per aquam maris hoc in loco intelligant partem illam maris mediterranei, in quam septem ostiis ingreditur Nilus. Hanc siccandam prædicit, & aquis destituendam,vt per mare Aegyptiacum annona apportari non possit:& per fluuium, Nilum intelligũt.

B Alij per mare intelligendum putant lacum Mareotidem,qui erat Aegyptiis vtilissimus,nonsolùm propter piscium multitudinem, sed etiam propter gemmas & margaritas,quæ ibi producebantur. Nec mirum est, si Aegyptiis desit aqua maris, fluminum,& fontium,& arescant plantæ,& fugiant seu moriantur pisces, & rerum abundantiæ succedat admirabilis inopia, & tandem omnibus bonis spoliati relinquãtur,quoniam ipsi Deum dereliquerunt.

i *Calamus & iuncus marcescet.)* Arefactis fluuiis cæterísque aquis, arescent omnia, quęaquis nutriuntur. Quidam per mare intelligunt regnum, per fluuium regem,per riuos, nobiles & magnates, per calamum & iuncum vilem plebem. Poteris per Aegypti fluuios huius mundi opes, vitam,gloriam, potentiam, & cæteras huiusmodi res intelligere, quæ instar fluminum fluentes modò inundantes,modò decrescentes, nullam habentes constantiam & firmitudinem, in mari mortis tandem finiuntur. Nascuntur iuxta hæc flumina,iuncus fragilis nullum fructum proferens,

C & calamus foris viridis,intus vacuus. Spes mũdi iuncus est virore pulcher, sed fragilis & inutilis, nulli vsui nisi vt pedibus conteratur. Contere igitur fallacem mundi spem,conculca pedibus iuncum Aegypti. Ne respicias eius florentem viriditatem, sed animaduerte nullum ferre fructum. Ne te decipiat mundi spes, suisq; illecebris trahat ad interitum,sed considera nullam te inde esse veram vtilitatem percepturum. Nam altè perpendere si voles,videbis apertissimè eos omnes qui spei mundi crediderunt, fuisse deceptos, & in summas ærumnas incidisse. Id voluit diuinus vates significare dicens iuncum fluuiorum Aegypti marcescere.Quanquam enim spes mũdi magna promittat, marcescit tamen:& illi,qui erãt in sublimi dignitatis gradu constituti præcipitantur, miseram illam & in breui tam celerem &tam variam commutationem deplorantes.Nec solùm iunco, sed etiam calamo, hoc est, arundini virenti Esaias spem mundi comparauit. Quemadmodum enim arundo vento mouetur & rapitur, sic mundi spes est vento expo-



sita,nullam habens certitudinem, & quemadmodum arundo pulchritudinem præ se fert,& excellentem in foliis viriditatem, qua oculos spectãtium fallit,sed intus vacua est,nihil habens soliditatis:sic huius mundi spes humanarum rerum speciem repre-

sentat, qua homines seducit,& ad se illecebris delinitos adducit,cum sit fallax & inanis,mullámq; continet eminentem effigiem veritatis, sed adumbrata quandam imaginem humanæ gloriæ. Et eam ob causam mundus hic cum arundineto comparatur. Ait enim scriptura in libro Sapientiæ: *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Scintillis splendidis & rutilantibus cõparat viros iustos, igne charitatis incensos,vita ac exemplo tanquam lucidissimis radiis micantes, mundum verò cum arundineto viridi & inani,& vento agitato. Omnis enim mũdi gloria, quæ deceptis hominibus pulchra & expetenda videtur,inanis est, par leuibus ventis nihil expressi repræsentans, sed fallacem quandam pulchritudinem insipientium oculis obuersantem. Hæc tẽporis puncto euanescit & extinguitur. Præclarè igitur illustrissimus ille ac regius vates canebat, *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum super cedros Libani. Transiui,& ecce non erat:quæsiui,& non est inuentus locus eius.* Et in alio Psalmo eum beatum appellat qui nõ in mundo, sed in Deo ponit spem rerum suarum, *Beatus,*inquiẽs,*vir,cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas.* Vide quid mundi gloriam & opes appellet, vanitates & insanias fallas. Et in alio Psalmo, *Tu es*, inquit, *Domine spes mea.* Hæc est spes illa, de qua in libro Sapientiæ scriptũ legimus: *Spes illorũ immortalitate plena est.* At sceleratorem spes marcescit,& tandẽ extinguitur, de qua ait Salomon in Prouerbiis, *Spes impiorũ peribit:* quãhoc in loco Esaias calamo & iunco cõparatã marcescere confirmauit: Nos verò, vt verbis vtar Diui Pauli in epistola ad Hebræos scripta: *asperſi corda à conscientia mala,& abluti corpus aqua munda,teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.*

D

Psal. 36

Psal. 39.

Psal. 10.

*Sap.*3.

Prou. 10.

E

Heb. 10.

k *Nudabitur alueus.)* Nempe ab herbis virentibus, & riui nudabuntur à fonte suo,hoc est, arescent omnino. Arefacto enim fonte necesse est riuum arescere. Vel alueus riui, hoc est littus fluminis Nili arescet omnino,fonte suo arefacto.

l *Et omnis sementis irrigua siccabitur.)* Semẽtis significat seminationem, & aliquando segetem, pro qua hìc accipitur.

m *Et mœrebunt piscatores.)* Subaudi,Propter fluminum siccitatẽ Mysticè verò, Omnes illi qui in mũdi mare retia mittunt, mundi opes & potentiam piscãtes,dolore cruciãtur, cùm eis desunt ea,quæ quærunt. At diuini piscatores animas quærunt, non diuitias. Hi sunt,quibus Christus dixit: *Faciã vos fieri piscatores hominum.* Non dicit piscatores diuitiarum, nõ dignitatũ,non nominis,non opum,*sed hominum.* Debent concionatores animas quærere, non autem ad humanas inanésque opes aspirare.

*Matth.*4

F

n *Qui operabantur linum.)* Hoc est,qui faciebant retia ex lino.

o *Et erunt irrigua eius.)* Hoc est, fontes terram irrigantes. Quamuis enim irriguum sumitur pro re,quæ irrigatur,vel irrigari potest, hoc tamẽ loco accipitur in actiua significatione,quemadmodum apud Virgilium libro Georgicorum quarto: *Irriguúmque bibant violaria fontem.*

p *Stulti principes Taneos.)* Tanis ciuitas est Aegypti, vbi Moyses multa signa fecit, ait enim Psalmist. *Posuit in Aegypto signa suã,& prodigia sua in cãpo Taneos.* Memphis quoq; ciuitas est Aegypti, magicis artibus dedita,vbi vigebat humana sapiẽtia. At in Aegypti euersione nihil profuerũt sapiẽtiũ cõsilia,quin potius illi,qui alios anteire sapiẽtia existimabãtur, in errores incredibiles inciderũt, & ignorãtiæ caligine inuoluti,suã stultitiã indicarũt. *Apprehẽdit,* inquit Iob, *sapiẽtes in astutia eorum, & cosiliũ prauorũ dissipat.* Salomõ in Prouerbiis: *Nõ est* inquit, *sapiẽtia, no est prudẽtia,*

*Iob.*5.

Pro. 21.

A *tia, non est consilium contra Dominum.* Et Ieremias ait: *Stultus factus est omnis homo à scientia.* Cęterum de antiquitate huius ciuitatis Tanis vide caput tertiumdecimum Numerorum, vbi Septuaginta pro Tăni Titanim verterunt.

Ierem.10.

q *Quomodo dicetis Pharaoni.)* Verba sunt Prophetæ sapientes Aegyptios alloquentis, & subsannantis. Vos Aegyptij consiliarij, qui vobis sapientiam sumitis & arrogatis, quomodo dicetis regi Pharaoni, pollere vos consilio, sapientia, & authoritate, essęque ex sapientum ac priscorum regum stirpe genitos, cùm sit perspicuum esse vos insipientes, nullúmque illi salutare consilium tribuisse? Et statim dirigit sermonem ad Pharaonem regem dicens: Vbi sunt sapientes tui, ô rex Aegypti? Vbi sunt tui vates, qui sapientum & antiquorum regum familia gloriantur? Indicent tibi, quid Deus contra Aegyptum cogitauerit. Irridet regis fiduciam, quam in suis sapientibus habebat.

Sap.3.

Pſal. 36

Pſal. 39.

r *Angulum populorum.)* Hoc est, Memphim ciuitatem munitissimam, & fortissimam. Robur enim & decus angulus appellatur, quemadmodũ in Psalmo: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* hoc est, in caput & firmamentum roboris & pulchritudinis totius ædificij, vtrunque parietẽ cõtinens & coniungens. Vel per angulũ ipsum regnum significatur, in quo multi velut parietes in angulo copulantur. Fuit autem Memphis condita à Mineo multò ante Abrahamũ. Author est Iosephus capite 6. libri octaui de Antiquitatibus.

Pſa.117.

Pſal.10.

Sap.3.

B

s *Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis.)* Hoc est inconstantiæ & varietatis. Nulla res est quæ capitaliorem perniciem afferat hominibus, quàm inconstantia, quæ eos perturbat, vt in nulla sententia sint permanentes, sed instabiles & vacillantes. Ideò à Deo petebat diuinus Psaltes, vt hostes suos homines impios in nullo proposito firmos esse permitteret. *Deus meus,* inquiens, *pone illos vt rotam, hoc est,* fac eos instar rotæ in orbem volutari, fac eos nullam in suis consiliis & cogitationibus habere constantiam, nullã perpetuitatem. *Stultus,* ait scriptura, *sicut luna mutatur,* & de sapiente ait: *Homo sensatus in sapientia manet sicut Sol.* Est quidẽ homo insipiẽs similis lacui illi qui est apud Troglodytas, quẽ referunt sexies in die naturali mutari, & modò esse dulcem, modò amarũ, sic nõnulli nunc sunt lenes, nũc truculenti, nũc diligũt, mox odio prosequũtur, modò aiũt, modò negant, nũquã deniq; in eodem proposito perseuerant. Poteris per spiritum vertiginis ventũ turbinis intelligere, vt sit sensus: Dominus euertit Aegyptum, quemadmodum stipula abripitur flatu venti & turbinis. Pagninus vertit: *Spiritum peruersitatũ.* Fortasse per spiritũ vertiginis intelligit erorẽ. Nam qui mouẽtur in orbẽ velut i vertigine agitati, non sunt apud se, & tanquam insani cadunt in terram, ideò Aegyptios errore deceptos ebrio vomẽti cõparat, qui vino correptus, iacet sine iudicio prostratus. Vertigo est turbo, quẽ Sallustius turbinũ motũ appellat. Quanquam dicant nonnulli vertiginem solum capitis dolorem & ægritudinem significare. Diuus Hieronymus spiritum vertiginis spiritum erroris siue errorum interpretatur.

Eccle.27 ibidem. simile.

D

t *Et non erit in Aegypto.)* Hoc est, Quid facient Aegyptij, cùm omnes in errore versentur? cùm sapientes errare fecerint, caput & caudã, incuruantẽ & refrenãtẽ, hoc est, nobiles & obscuros, senes & pueros? Nomine capitis intelligit viros illustri laude celebratos, nomine caudæ plebeios & infimo loco natos, nomine incuruãtis senem, nomine refrenantis adolescentẽ, qui seipsum refrenare debet. Diuus Hieronymus in commẽtariis dicit pro refrenante posse esse lasciuientem, & ita erit apertior interpretatio, vt per lasciuientẽ, adolescentẽ intelligamus. De iis nominibus locuti sumus cap. nono in Hebraicis annotationibus. Poterit hic esse sẽsus: Nec magnates nec plebeij, nec fortes, nec fragiles, poterunt aliquid efficere, quod possit occidenti reipublicæ prodesse.

E

Hebr. 10.

ANNOTATIONES EX Hebræo in CAPVT XIX.

1 Deceperunt Aegyptum angulum populorum.] *Pro angulo est in Hebræo* פנה *pennath in singulari. Pagninus tamen posuit in plurali, ita vertens:* Errare fecerunt Aegyptum anguli tribuũ eius. *Et tunc est sensus: Sapientes, qui sunt anguli, quorum consilio populi cõiunguntur & copulantur, Aegyptum fefellerunt. Vbi aspicis officium esse sapientum & consiliariorũ ciues coniungere, eósque inter sese amicitia beneuolentiáq; conseruare. Potest verti:* Decepeiũt angulũ populorum Ægypti. *Vt sit sensus: Aegyptij sapientes deceperunt regem, qui erat veluti angulus populorum Aegypti. Volens diuinus vates ostẽdere Aegypti miseriam & excidiũ, satis esse duxit indicare, esse regẽ à suis consiliariis seductũ atque deceptũ.*

Mat.b.4

F

C In die[a] illa erit Aegyptus quasi mulieres, & stupebũt & timebũt[b] à facie cõmotionis manus Domini exercituũ, quã ipse mouebit super eã. [c] Et erit terra Iuda Aegypto in festiuitatem, omnis qui illius fuerit recordatus, pauebit à facie consilij Domini exercituũ, quod ipse cogitauit super eam. [d] In die illa erũt quinque ciuitates in terra Aegypti loquẽtes lingua Chanaã, & iurantes per Dominũ exercituũ: [e] Ciuitas [f] Solis vocabitur vna. [g] In die illa erit altare Domini in medio terræ Aegypti, & titulus Domini iuxta terminũ eius: & erit in signũ & in testimoniũ Domino exercituũ in terra Aegypti. [h] Clamabunt enim ad Dominũ à facie tribulãtis. & mittet eis saluatorẽ & propugnatorẽ, qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Aegypto, & cognoscẽt Aegyptij Dominũ in illa die, & colent eum in hostiis & in muneribus: & vota vouebũt Domino, & soluent. [i] Et percutiet Dominus Aegyptũ plaga, & sanabit eã, & reuertẽtur ad Dominũ, & placabitur eis, & sanabit eos. [k] In die illa erit via de Ægypto in Assyrios, & intrabit Assyrius Ægyptum, & Ægyptius in Assyrios, & seruient Ægyptij Assur. [l] In die illa erit Israel tertius Ægyptio & Assyrio: Benedictio in medio terræ, cuibene dixit Dominus exercituum dicẽs: [m] Benedictus populus meus Ægypti, & opus manuum mearum Assyrio, hær editas autem mea Israel.

Iob.5.

Pro. 21.

a *In die illa erit Aegyptus quasi mulieres.)* Qui quondã fortitudine pollebãt, erũt imbecilli, & veluti mulieres animo cadẽt. Quando Deus vult, nemo habet nec corporis neq; animi fortitudinẽ. Ieremias ait capite 51. *Cessauerunt fortes Babylonis à prælio, habitauerunt in præsidiis, deuoratum est robur eorũ, & facti sunt quasi mulieres.* Aequũ fuit vt Aegyptij, qui pueros Hebræorum sussocabãt, & fœminas relinquebant, essent veluti mulieres effœminati & imbecilli.

Exod.1.

A b *A facie commotionis manus Domini exercituum.*) Hoc est, A supplicio vltionis cómotæ à Deo per Assyrios. Mouere manum, extendere manum, ponere manum, significant punire. De iis Hebraismis locuti sumus capite primo, & quinto.

c *Et erit terra Iuda Ægypto in festiuitatẽ.* Hoc est, calamitas Iudæorum consolabitur Ægyptios. solet enim aliorum miseria afferre aliquod gaudium ærumnosis, eósq; dolore aliquo modo leuare. Pro festiuitate habent nonulli codices ad marginem pauorem, & etiam nonnulli in proprio textu. Pagninus ex Hebræo etiam vertit pauorem. Vox Hebraica vtrunque significat, festiuitatem & pauorem, est enim in Hebraico לְחַגָּא lechagga, à verbo חגג, quod significat diem festum agere, celebrare, & festiuare. Leuitici vicesimotertio, *Celebrabitis ferias Domini septem diebus.* Vnde nomen chagga significat festiuitatem: & quoniam in festis diebus tenemur Deum maiori religione & filiali amore venerari, capitur pro timore. Et Diuus Hieronymus in primis commentariis ait debere potius hîc verti *in timorẽ* quã *in festiuitatem.* Et Thargum *pauorem* interpretatur: quem etiam secutus Aquila vertit, γύρωσιν, cum aliquis pauidus & tremens circunfert oculos, & aduenientem formidat inimicum. Et ita erit sensus: Tam fragiles erunt Aegyptij, vt etiam vocabulum Iudæ eis ingerat pauorem, quoniam ob exilium quod ei præbuerunt animo
B iniquo, in tantam calamitatem inciderunt. Vel sic: Veniet tempus, ait Propheta, quando Aegyptij non possint, sine timore audire nomen Iuda, in qua ego hæc vaticinatus sum. Vel ideò Aegyptij timebunt Iudæos, quoniam audient cladem Assyriorum apud Hierosolymam, vbi exercitus Sennacheribi fuit funditus extinctus.

d *In die illa erunt quinque ciuitates.*) Diuus Hieronymus asserit sua etiam ætate fuisse aliquas ciuitates in Aegypto lingua Chananitide loquentes. Putant nonnulli fuisse Syros à Nabuchodonosore rege Babyloniorum in Aegyptum translatos, qui Syri etiam Chananitica lingua loquebãtur. Diuersa erat lingua Syriaca à Iudaica, vt constat ex capite trigesimosexto huius Prophetæ, sed vtraque Chananitica appellabatur. Alij tradunt regem Sennacheribum habisse in exercitu suo multos Aegyptios, quos vicerat & secum duxerat ad oppugnandam Hierosolymam, sed per cusso exercitu Assyriorum euaserunt Aegyptij,
C quos Ezechias dimisit superstites, vt Dei gloriam, & admirabilem Assyriorum cladem in Aegypto prædicarent: & erectis aris verum Deum colerent, & sacrificiis venerarentur. Et hos aiunt esse quinque ciuitatum, quarum Esaias hoc in loco meminit, cultores, quos lingua, quam Hierosolymæ didicerant, Propheta prædicit esse locuturos, & per Deum verum, non per idola iuraturos. Alij dicunt hæc verba Esaiæ nihil aliud significare quàm futuram magnam inter Iudæos & Aegyptios coniunctionem, & familiaritatem. Alij narrant multos ex Iudæis se in Aegyptum contulisse post Babylonicam captiuitatẽ, & has quinque ciuitates coluisse. Fortasse cùm diuinus vates hæc literis mandaret, tempus gratiæ respexit. Tunc enim fideles ex Gentibus & Iudæis fuerunt communicatione coniuncti. Aegyptus mundus est, quẽ Deus vicit, vt homines saluos faceret. Quid aliud nobis vult significare Propheta per eos, qui ad Deum fuerunt conuersi, quàm conuertendas esse Gentes ad fidẽ Christi, & lingua sancta locuturas? Lingua mundi, lingua est Aegyptiaca, lingua verò verorum Christianorum sancta est. Pij homines lingua Hierosolymæ, impij verò lingua Aegypti loquuntur. Vis hominem cognoscere cuius sit nationis, audi eum loquentem: sermo enim eum manifestum facit. *Ex abundantia cordis*, vt Christus ait, *os loquitur.* Omnis homo aut habitator est Hierosolymæ, aut Aegypti, aut tenebrarum & perturbationum, aut visionis pacis colonus, cognoscitur autem in verbis. Nam, vt dicebat Themistocles, sermo est similis stragulis picturatis: vt enim illæ dum extenduntur, imagines ostendunt, dum contrahuntur celant easdem: sic oratio prolata animum demonstrat, & aperit, quæ abscondita eum absconditum tenebat, & occulta occultabat. Vnde quidam sapiens dicebat: *Qualis est homo, talis est eius sermo.*

D Matth. 12.

simile.

Ioan.

e *Ciuitas solis.*) Hæc erat pulcherrima quædam & florentissima ciuitas, cuius Propheta meminit ob eius præstantiam & excellentiam.

f *In illa die erit altare Domini in medio terræ Aegypti.*) Hæc non solùm nostri, sed etiam Iudæi de Christi aduentu intelligunt. Et est sensus: Cùm Christus venerit: & homines docuerit, atque sua morte ipsam mortem occiderit, erit in medio Aegypti, hoc est in medio mundi altare vnum, in quo Deus offeretur, erit vna Ecclesia, vnum baptisma, vna fides.

g *Et titulus Domini iuxta terminum eius.*) Sensus est: In terminis Aegypti erit titulus in signum & memoriã Dominicæ passionis, hoc est in vniuerso mundo coletur memoria redemptionis humanæ. Capitur titulus pro monumento, & perpetua rerum gestarum memoria, quemadmodum capite vigesimooctauo Geneseos, vbi memoriæ proditum est, erexisse
E Iacob lapidem in titulum, in memoriam mirabilis illius scalæ, quam ibi viderat: & promissionis, quam à Domino acceperat. Vel sic: In altari erit titulus, hoc est, statua aut figura, in quam significationem accipitur sextodecimo capite Leuitici, vbi dicitur: *Non facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis.* In libro secundo Regum capite decimooctano ita scriptum est: *Porrò Absalom erexerat sibi cùm adhuc viueret, titulum*, hoc est, statuam. Quamuis nonnulli per titulum pyramidem, alij arcum triumphalem interpretentur. Ego existimo per altare Aegypti ecclesiam intelligi, & per titulum honorem Christo exhibendum, aut memoriam nostræ redemptionis in altari celebrandam. Iudæi nonnulli asserunt hanc Esaiæ vaticinationem fuisse tempore Machabæorum completam, quando Onias in Aegypto altare Deo ædificauit. Sed longè falluntur opinione. Quin potius Onias peccauit, quia præceptum Domini con-
Deut. 16. Deut. 12. fregit, quo est in lege prohibitum, ne durante lege altare Domino in Aegypto ædificaretur. Præterea si hoc Iudæi interpretantur de tempore Messiæ, quî fieri potest, vt tempore Machabæorum impleretur? Sed cùm in lege sit prohibitum fieri altare extra Hierosolymam, & Esaias prædixerit in Aegypto rectè faciendum, indicat legem abrogandam & antiquandam esse. *Translato enim sacerdotio*, vt verbis Paulinis vtar, Hebr. 7. *necesse est, vt & legis translatio fiat.*

F h *Clamabunt enim ad Dominum.*) Versantes Aegyptij in ærumnis clamabunt ad Dominum, & ipse eos exaudiet, mittétque eis saluatorem, hoc est Christũ, qui appellatur Iesus, hoc est saluator, qui eos ab animorum hostibus eripiat. Et cognoscetur Christus ab omnibus fidelibus. Hoc vaticinatus fuit iis verbis Ieremias: *Omnes cognoscent me*, ait Dominus, *à minimo* Iere. 31. *eorum vsque ad maximum.*

i *Et percutiet Dominus Aegyptum.*) Post magnam cladem conuertentur Aegyptij, & Deus illis medebitur. Dominus percutit, & simul medetur. Dum aliud agere videtur, agnitionem sui affert hominibus. Punit vt misereatur: quem enim diligit Dominus Hab. 6. & 7. corripit, vt ait apostolus ad Hebræos scribens, & *castigat omnem filium, quem recipit*, & Iob, *Ipse*, inquit, Iob. 5. *vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.*

k In

A k *In die illa érit via de Aegypto in Assyrios.*) Significat concordiam & commercium, & spiritualem ac Euangelicam pacem inter Gentes, quæ erãt in Christum creditura, de qua pace vide ea, quæ suprà annotauimus cap. secundo.

l *In die illa erit Israel tertius Aegyptio & Assyrio.*) Hoc est, Erunt Israelitæ sicut Aegvptij & Assyrij, Omnes credentes erunt in vna Ecclesia, *fiet enim vnum ouile, & vnus pastor.* Et erit benedictio in medio terræ: non solùm benedicentur Israelitæ, sed etiam Ioan. 10. Gentes per Christum. Prędicit fore, vt Gentes essent æquales Iudæis.

m *Benedictus populus.*) Populus Aegyptiacus anteà maledictus, erit benedictione cumulatus, & Assyrius erit opus manuum mearum: nam ego eum conuertam, in eiúsque conuersione clementiam meam magnopere demonstrabo. Et Israel erit hæreditas mea, quia in Iudæa nascar & patiar. Fortasse ideò hæ tres regiones singulariter nominantur, & benedicendæ prædicuntur, quia in his creuit magnopere Christi religio, & fuit admirabilis quædam sanctorũ monachorum abundantia.

D

ANNOTATIO.

1 Ciuitas Solis vocabitur vna.] *Hic variant Hebræa exemplaria: Nam in nonnullis pro Sole est* חהרס *ha cheresi, in aliis verò* החרס *ha heres. Prior dictio significat Solem, vt Iob capite nono:* Qui præcepit soli, & non oritur, *posterior verò contritionem, euersionem, & vastationem. Diuus Hieronymus legit cheres* חרס, *Pagninus* חר *heres. Cùm igitur in Hebraicis codicibus sit varie-*
B *tas, quid mirum est in Latinis interpretibus inueniri varietatem? Chaldæus paraphrastes habet:* ciuitas Solis, *quemadmodum est in editione vulgata cum Diuo Hieronymo. Et hæc videtur recta interpretatio: Nã in Aegypto sita erat quædam ciuitas appellata Heliopolis, vt author est Herodotus libro secundo, quam Diodorus Siculus Thebas esse ait. Et Iosephus capite septimo libri secundi Antiquitatum, & capite quarto libri tertijdecimi eam in Aegypto sitam esse asserit. Quod à diuinis literis non discrepat. Est autem perspicuum* ἡλιόπολις *Latinè sonare Solis ciuitatem. Inuenies hoc nomen Geneseos cap. quadragesimo primo, vbi scriptum est Putipharem Aegypti fuisse sacerdotem Heliopoleos. Cũ versione communi, & Chaldæa paraphrasi, & Diuo Hieronymo, concordat Symmachi versio. Quare ea est meo iudicio tenẽda: Non enim solùm magnorum scriptorum authoritate fulcitur, sed etiam admirabilem in spirituali intelligentia habet doctrinã. Ait propheta in hac Aegypti ciuitate tantam fore conuersionem,*
C *vt relictis idolis, & Aegyptio sermone, vnum Deũ colerẽt, linguáq; Chananitica loquerentur. Fieri non potest, vt ciuitas Aegypti, hoc est anima tenebris circunfusa, atq; errorum scelerúmque caligine cooperta, ad Deum conuertatur, nisi fuerit diuini Solis rádio illustrata, Solísque ciuitas appelletur. Sed si hoc nomen scribatur litera siue potius aspiratione hac* ח, *deriuatur à verbo* חרס *haras, quod significat destruere & conterere, vt apud nostrum Prophetam cap. quartodecimo:* Vrbes eius destruxit. *Et in Psalmo quinquagesimooctauo:* Deus conteret dentes eorum. *Ideò potest verti:* Ciuitas contritionis siue euersionis, *neque sine mysterio. Vt enim oportet corrumpi* similitudo. *veterem phœnicem, vt aiunt, incendioque flagrare, vt noua oriatur, sic oportet hominem veterem conteri & corrumpi, vt nouus renouetur. Ait enim Apostolus in epistola sua secunda ad Corinthios:* Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renouatur E de die in diem. *Et ad Romanos scribens ait:* Nolite con- *Rom. 12.* formari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri. *Et ad Colossenses:* Mortificate ergo mem- *Colos. 3.* bra vestra, quæ sunt super terram, *& paulò post*: Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitione Dei, secundum imaginem eius, qui creauit eum. *Et in prima ad Corinthios:* Expurgate vetus fermentum, vt *1. Cor. 5.* sitis noua conspersio. *Et ad Ephesios:* Deponite vos se- *Ephe. 4.* cundum priſtinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, renouamini autem Spiritu mentis vestrę, & induite nouum hominem, qui secundum Deũ creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. *Quemadmodum igitur illa Aegypti ciuitas erat conterenda, vt Deum piè coleret, sic homo, vt Deo obtemperet, sanctáque religione veneretur, debet seipsum conterere, daréque operam, vt ratio coerceat & retineat appetitus, ne modum transeuntes, & obedientiam abijcientes, animum perturbent, ciúsque constãtiam à sua sede & statu deijciant.*

F

Argumentum capitis XX.

Prædicitur Aegyptiorum & Aethiopum captiuitas. Idem est argumentum huius capitis & duorum præcedentium: est enim hoc caput quasi actuarium illorum.

CAPVT XX.

IN [a] anno quo ingressus est Thartan in Azotum, cùm misisset eũ Sargon rex Assyriorum, & pugnasset contra Azotum, & cepisset eam: in tempore illo [1] locutus est Dominus in manu Esaiæ filij Amos, dicens: Vade, [b] & solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et [c] fecit sic vadens nudus, & discalceatus. Et dixit Dominus: Sicut ambulauit seruus meus Esaias nudus & discalceatus, [d] trium annorum signum & portentum erit super Aegyptum, & super Aethiopiam: sic minabit rex Assyriorum captiuitatem Aegypti, & transmigrationem Aethiopiæ, iuuenem & senem, [e] nudam discalceatã, discoopertis natibus ad ignominiam Aegypti. [f] Et timebunt & [2] confundentur ab Aethiopia, spe sua, & ab Aegvpto gloria sua. Et dicet habitatio insulæ huius in die illa: [h] Hęccine erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, vt liberarent nos à facie regis Assyriorum? & quomodo effugere poterimus nos?

EXPLANATIO.

a *In anno quo ingressus est Thartan in Azotũ.*) Azotus, vt refert Iosephus Hebræus, vrbs fuit Palæstinæ, quã expugnauit Thartan dux Sennacheribi Assyriorum regis, qui hîc Sargon appellatur: habebat enim Sennacheribus, vt annotauit Diuus Hieronymus, multa nomina. Huius Thartanis meminit scriptura libro quarto Regũ capite decimooctauo. Anno igitur quo Azotus fuit capta, præcepit Deus Esaiæ, vt deponeret tunicam sacceam, qua induebatur, & calceamenta tolleret de pedibus suis, quod Esaias fecit in signum

A signum nuditatis futuræ Aegypti & Aethiopiæ, quæ regiones fuerunt tribus annis ab Assyriis euersæ. Et Aegyptij ac Aethiopes, qui ex prælio euaserunt, fuerunt capti, & ab Assyriis in Assyriam adducti, vbi nudi, vestibus & calceamentis spoliati, in summa ignominia versabantur. Hoc vaticinatus fuit Esaias, vt viderent Iudæi vastandos esse Aegyptios, in quibus spē suam collocauerant: & ad quos contempto & derelicto Deo confugere decreuerant.

b *Solue saccum de lumbis tuis.)* Hic erat habitus prophetarum populi delicta plangentium, & propria corpora cilicio domantium.

c *Et fecit sic vadens nudus, & discalceatus.)* Aspice Prophetæ obedientiam. Erat Esaias illustri loco natus, vir nobilitate & authoritate præstanti, & non erubuit nudus incedere: nihil enim honestius & illustrius iudicauit, quàm Dei præceptis obedire. Sūt qui existimēt hęc in visione imaginaria gesta fuisse. Diuus tamen Hieronymus realiter inquit contigisse quemadmodum litera sonare videtur. Existimo tamen eum ita fuisse nudum, vt verendas partes tectas habuerit.

d *Trium annorum signum.)* Hoc est, Hæc nuditas
B Prophetæ erit signum euersionis Aegyptiorum, & Aethiopum ipsis Aegyptiis opem ferentibus, quæ durabit tribus annis, quibus Aegyptus & Aethiopia vastabuntur. Vel indicat illam euersionem venturam esse transactis tribus annis. Fortasse ter nudus incessit vates.

e *Nudam & discalceatam.)* In ipsa transmigratione ibunt Aegyptij & Aethiopes vestibus & calceamentis nudati, tam iuuenes quàm senes. Perpēde: Aegyptij, hoc est tenebris circunfusi, Pharaoni, hoc est dæmoni seruientes, captiui ducuntur ab Assyriis, hoc est à peccatis. Est enim peccatum vilis quædam & infamis captiuitatis, in qua omnes detenti nudi sunt, veræ dignitatis vestibus & ornamentis priuati. At qui charitate sunt præditi, soli sunt veste nobilissima in-
Matt.22. duti. Hæc est vestis illa de qua Christus apud Matthæum, *Amice*, inquit, *quomodo huc intrasti non habens*
1.Petr.4. *vestem nuptialem?* Et Apostolus Petrus, *Charitas*, in-
Psal.31. quit, *operit multitudinē peccatorum.* Et Dauid in Psalmo: *Beati*, inquit, *quorum remissæ sunt iniquitates, &*
C *quorum tecta sunt peccata.* Charitas enim operit & tegit: vnde qui sine ea sunt, meritò nudi dicuntur, quod
Apoc.3. significans Diuus Ioannes dicebat cuidam in Apoca-
Gen. 3. lypsi: *Nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Ideò ait scriptura primos nostros parentes, cùm in peccatum inciderunt, cognouisse se esse nudos. Quamuis enim ante peccatum nudi essent, habebant tamen pro vestimento diuinam quandam dignitatem, quam, si in illo fœlici statu permansissent, non amisissent, quin potius fuissent semper admirabili quadam gloria cumulati. At cùm Dei præceptum transgressi sunt, erubuerunt, & fuerunt hac veste nudati, & senserunt anxios timores, inanes solicitudines, aliásque perturbationes, quę in eos tanquā procellæ & tempestates irruerunt. Est igitur charitas diuina quædam vestis. Hæc est vestis illa, qua Elias
3.Reg.19 operuit Elisæum, quem inuenit arantem. Hac enim indutus Elisæus combussit aratra, in quorū igne coxit duos boues, quos occidit, & statim secutus est Eliam, qui super eum pallium proiecerat. Quid per
Figura. Elisæum terram colentem intelligitur, nisi peccator terrenis operibus implicatus? Quid per Eliam igneo curru cœlū ascendētem, nisi Christus charitate inflāmatus, in cœlū assumptus? Cùm Christus peccatorē cooperit pallio diuinæ gratię, statim homo terrena ac turbulenta negotia, & impia cōmercia relinquit: & iuga boum, hoc est, mundi vincula, & nefarios labo- D
res, contemnit, comburit aratra, hoc est instrumenta peccandi: & boues, qui iuga mundi portabant, occidit, & coquit aratrorū igne, hoc est, appetitus interfecit, & seipsum occidit igne contritionis peccatorū, ita vt iā ipse qui anteà erat nō viuat, sed sit Deo immolatus. Non viuat homo carnalis, sed spiritualis, non homo terrenus, sed cœlestis, quemadmodum de seipso Diuus Paulus dicebat: *Viuo autem iam non ego, viuit in me Christus.* Ille Paulus qui anteà viuebat, erat *Gal.2.*
in cruce immolatus, iuxta id quod ipse dicebat: *Mihi* *Gal.6.*
absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Aspicis itaque quid profuerit Elisæo pallium illud, quo fuit ab Elia indutus, per quod charitas significatur, sine qua Aegyptij nudi & discalceati dicūtur. Hi, qui pascha Domini celebrabant, calceati erant, vt in libro *Exod.12.*
Exodi referunt diuinarum literarum monimenta: at Aegyptij scelerum vinculis astricti, erāt pedibus nudi, quoniam verum pascha dignè non comedebant. *Pascha enim nostrum.* vt ait Apostolus, *immolatus est* *1.Cor.5.*
Christus, quem ipsi non sequebantur, per quos nefarij E
omnes mortiferis sceleribus vulnerati intelliguntur. Cæterùm litera poterit ita ordinari: Sic minabit rex Assyriorum captiuitatem, & transmigrationem nudam & discalceatam, hoc est, Aegyptios, & Aethiopes nudos & discalceatos.

f *Et timebunt, & confundentur.)* Sensus est: Cadent Iudæi animo, & pudore afficientur, videtes captiuos, afflictos, & ærumnosos Aegyptios, quibus ipsi fidebant, & quorum auxilio gloriabantur.

g *Habitator insulæ huius.)* Insulam appellat Hierosolymam, quia erat fluctibus Assyriorum concussa, & bellis ac periculis circumagitata. Alij per insulam totam Iudææ terram intelligunt, quòd mari alluatur: nam ab occasu cingitur mari mediterraneo, à meridie verò mari Galilææ. Fortasse insula appellatur Hierosolyma, respectu Babylonis, quam in sequenti capite Propheta appellat mare, ob eius incredibilem magnitudinem.

h *Hæc erat spes nostra.)* Verba sunt Iudæorum Aegyptio vastatos ignominiáque affectos videntium. Videte vbi spem nostram ponebamus, in hominibus qui seipsos liberare non potuerunt. Damascus in qua F
Israel spem posuerat fuit euersa. Iudæa fidit Aegypto, fuit Aegyptus vastata. Aegyptij confugiebant ad Aethiopes, at Aethiopes fuerunt ab Assyriis superati. Assyrij victoriis ac triumphis elati, viribus suis gloriam suam tribuentes, victi fuerunt à Babyloniis. Babylonij impietate & insolentia gloriantes, & Iudæos in misera & acerba captiuitate retinentes, fuerunt à Medis & Persis grauiter oppressi, & amplissimis opibus spoliati, & ita miseri ex alto apparentis, sed falsæ dignitatis gradu præcipites ruerunt. Persæ & Medi fuerunt ab Alexandro contriti & deleti, Alexander verò superbia elatus periit veneno, eiúsque regnum fuit diuisum & seiunctum. Vide Dei iudicia, humanarúmque rerum mutationes. Quod fretum tot habet vicissitudines? Qui mensis Martius tot habet florum ac colorum varietates? Quæ rota facilius *simile.*
mouetur quàm mundus? Vt enim sæpenumerò contingit, in magna aëris tranquillitate oriri repentè sæuam & horribilem tempestatem, sic in statu fœlici rerúmq; gestarum gloria florenti, successibus prospero flatu & ad voluntatem fluentibus, incidunt sępissime acerbissimæ rerum perturbationes, luctuosissimæ calamitates, incredibiles malorum omnium procellæ. Quare non debemus mundo fidere nec eius prosperitatem firmam & stabilem putare.

ANNO

ANNOTATIONES EX Hebræo in CAPVT XX.

1 Locutus est Dominus in manu Esaiæ.] *Pro in manu est in Hebraico* ביד *beiad: quod significat in manu, quēadmodum vertit interpres noster. Potest etiam verti.* Per manum Esaiæ, *quemadmodum habet versio Pagnini. Et quoniam dictio, iad, quæ hoc in loco est, significat Prophetiam, vt in annotationibus in caput octauū explicui, poterat verti:* Locutus est Dominus per Prophetiā Esaiæ, *hoc est, per Esaiam Prophetam. Eodem modo illud Malachiæ capite primo, vbi editio vulgata habet:* Onus verbi Domini ad Israel in manu Malachiæ: *poterat etiam verti:* per Prophetiā Malachiæ. *Quasi diceret: Sequitur grauis & criminatoria oratio ad Israelem, quam Deus locutus est per Prophetam Malachiam.*

2 Confundentur ab Aethiopia spe sua.] *Hoc est, in qua spem suam posuerant. Pagninus vertit:* Pudore afficientur ab Aethiopia aspectu suo. *Id est, in quam oculos conijciebant, ab ea pendentes, & auxilium expectantes. Potest verti:* Suffundētur ab Aethiopibus, in quos respiciunt. *Quę omnia in idem recidunt. Solemus enim in eos oculos conicere, à quibus opem expectamus: vnde aspectus pro spe & confidentia ponitur.*

Argumentum capitis XXI.

Prædicit diuinus vates euertendam esse Babylonem à Persis & Medis, Idumæam autem & Arabiam ab Assyriis & Chaldæis. Pertinet autem huius capitis prima pars ad caput tertiumdecimum & quartumdecimum, in quibus etiam fuit Babylonis vastatio prænuntiata. Vaticinatur toties Esaias de Babylonorum excidio, quoniam ab eis erant Iudæi vastandi & in acerbam captiuitatem adducendi.

CAPVT XXI.

Onus [a] deserti maris. [b] Sicut turbines ab Aphrico veniūt, de deserto venit, de terra horribili. [c] Visio dura nuntiata est mihi: [d] qui [1] incredulus est, infideliter agit: & qui depopulator est, vastat. [e] Ascende Elam, obside Mede, omnem gemitum eius cessare feci. [f] Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me, sicut angustia parturientis: corrui cùm audirem: conturbatus sum, cùm viderem. Emarcuit cor meū, tenebræ stupefecerunt me: [g] Babylon [2] dilecta mea posita est mihi in miraculum. [h] Pone mēsam, [1] cōtemplare in specula: comedentes & bibentes, surgite principes, arripite clypeum. Hæc enim dixit mihi Dominus: [k] Vade & pone speculatorem: & quodcunque viderit annuntiet. Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, & ascensorem cameli: & contemplatus est diligenter multo intuitu. Et clamauit vt leo: super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem: & super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. [l] Ecce, iste venit ascensor vir bigæ equitum, & respōdit & dixit: Cecidit cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum eius contrita sunt in terram. Tritura mea, & filia areæ meæ quæ audiui à Domino exercituum Deo Israel, annunciaui vobis.

Abac. 2. a Iona. 3. d.

Abac. 2. d Ierc. 51. a Apoc. 14. b

EXPLANATIO.

a *Onus deserti maris.*) Solent Prophetæ ea, quæ verbis obscuris, & explicatu difficilibus scripserunt, posteà apertius explanare. Id quod hoc in loco fecit Esaias. Esset enim non parua difficultas in expositione principij huius capitis, nisi ipse vates posteà explicaret, hoc mare desertum, cuius onus viderat, esse Babylonē, cùm ait: *Cecidit cecidit Babylon.* Ex quo perspicuum est per mare desertum Babylonem sine dubio significari. Et cùm onus significet Prophetiam, in qua prædicitur dolor & afflictio, sensus horum verborum hic est: Sequitur vaticinium, in quo Babylonis calamitas prænuntiatur. Diuus Hieronymus existimat appellari Babylonem mare ob eius magnitudinem, & multitudinem habitantium. Fortasse ideò scriptura hoc tropo vtitur, quia quemadmodum mare multa in se flumina recipit, sic Babylon multa regna. Desertum appellatur ab officio, quod alia regna deserta faceret. Vel quia erat in solitudinem redigēda. Sic apud Ieremiam capite quinquagesimoprimo, vbi hæc Babylonis euersio prænuntiatur, ait Deus: *Desertum faciam mare eius, & siccabo venam eius, & erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, stupor & sibilus, eò quòd non sit habitator.* Potest fortasse appellari mare, quòd mare sit inquietum, sæuum, & tempestuosum: perspicuum est enim fuisse Babylonios superbos, immanes, & procellas ac tempestates in alias nationes mouentes & excitantes. Ita dictum est in Psalmo: *Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum.* Vbi immanitas & concitata vis impiorum aduersus fideles mari procelloso, & vndarum impetu montes concutienti cōparatur. *Psal. 45.*

b *Sicut turbines ab Aphrico veniūt.*) Verba sunt Babylonis, quam Esaias facit loquentem, & calamitatem suam explicantem, ac si diceret: *Venit mihi hæc calamitas & vastitas de deserto, & terra horribili,* hoc est, de Persia & Media, quemadmodum veniunt turbines & procellæ flante vento Aphrico. Significat Prophetа esse Babylonem vastandam subitò & vehementi cum tumultu, à Cyro & Dario regibus. Possunt esse verba ipsius Prophetę. Est autem Aphricus ventus flans à parte Meridionali inter Austrum & Zephyrum, cuius meminit iis verbis Horatius in Odis: *Luctantem Icariis fluctibus Aphricum.* Cæterùm poterit hoc in loco verti pro ab Aphrico à Meridie, hoc enim nomen negeu, quod hic ponitur, Meridiem etiam significat, vt Geneseos capite vigesimooctauo: *Dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem, & Meridiem:* & quoniam ventus Auster flat à Meridie, ponitur etiam pro Austro, vt Iosuæ cap. decimoseptimo: *Ephraim sit ab Austro,* & Esaiæ cap. trigesimo:

A gesimo: *Onus iumentorum austri.* Sed quoniam ventus Aphricus parum distat ab Austro, &, vt diximus, inflat à Meridie, vertit noster interpres: *Sicut turbines ab Aphrico*, pro quo Pagninus transtulit *Austrum.*

c *Visio dura nuntiata est mihi.)* Id est, Prophetia de Babylonis euersione, quam ego mentis oculis aspexi.

d *Qui incredulus est, infideliter agit: & qui depopulator est, vastat.)* Medos & Persas appellat incredulos, & depopulatores, quos dicit infideliter, hoc est immaniter & impiè Babylonem vastaturos. Fortasse ideò dicit, *Infideliter agit*, quia cùm Cyrus amicus esset regis Babylonis, fidem fregit, eique bellum crudelissimum intulit. Sunt qui dicant Cyrum pacem finxisse cum rege Babylonis, & sic eum dolo & fraude interfeciſſe, cùm esset ab eo ad conuiuiũ inuitatus. Capite quinto Danielis scriptum est, Balsasarem regem Babylonis fecisse magnum conuiuium, & eadem nocte fuisse interfectum, succesſisséque in regnum Darium Medum. Vbi nulla fit mentio Cyri, quòd iunior esset
B auunculo suo Dario Medo, Artaxerxis filio. Sed in eodem capite scriptum est vaticinatum fuisse Danielem regnum Babylonicum dandum esse Medis & Persis: nam Darius fuit Medus, Cyrus autem Persa, qui posteà imperauit.

e *Ascende Elam, obside Mede.)* Verba sunt, quæ vates audiuit, quibus Deus Elamitas & Medos inspirauit, vt Babylonem oppugnarent, & euerterent. Sensus est: Parate bellum, & Babylonem obsidete vos ô Elamitæ & Medi. Ne timeatis eius fortitudinem & munitionem: nam omnem gemitum & dolorem, quem aliis nationibus inferebat, cessare faciam, iam amplius neminem affliget, quoniam à vobis funditus euertetur. Elam ciuitas est Persidis, sed pro tota Perside accipitur. Appellantur etiam Persarum principes Elamitæ, ab Elam filio Sem, vt ait Iosephus. Id quod dicit: *Omnem gemitum eius cessare feci*: potest etiam habere hunc sensum: Tantus erit Babylonis timor, vt ne gemitum quidem audeat liberè proferre.

f *Propterea repleti sunt lumbi mei dolore.)* Verba sunt
C Prophetæ, qui pietate motus perniciem Babyloniorum dolebat. Sunt qui dicant verba esse Balsasaris, vel vt in aliis codicibus inuenitur, Balthasaris regis Babylonis. Cæterùm lumbos impleri dolore, significat imbecillitatem & fragilitatem, sicut contrà lumbos succingere strenuitatem & fortitudinem significat.

g *Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum.)* Hoc est, in admirationem. Si verba sunt Balthasaris, apertus est sensus: si autem sunt Prophetæ, dicendum est, Babylonios esse ab eo dilectos quatenus proximi erant, & à Deo creati, non autem quatenus improbi & infideles. Eos enim, quatenus tales erant, detestabatur sanctus vates, non eorum naturam oderat, sed malitiam. Rex Dauid omnes hominines diligebat, & tamen dicebat: *iniquos odio habui, & legem tuã dilexi.* D *Psal. 118.* & alio in loco: *Odiui Ecclesiam malignantiũ, & cũ impiis non sedebo*, & alibi: *Nónne qui oderunt te Domine oderã: & super inimicos tuos tabescebã perfecto odio oderã illos, & inimici facti sunt mihi.* *Psal. 25.* *Psal. 138.* Aspicis igitur sanctum regem, qui omnes homines amore prosequebatur, iniquos, qua ratione tales erant, odio habuisse, eorũq; scelera fuisse detestatum.

h *Pone mensam.)* Alludit ad conuiuium, quod Rex Babylonis fecit eo die, quo interfectus est.

i *Contemplare in specula.)* Cùm paratum esset conuiuium, missus est speculator, qui videret ex specula num inimici vrbem inuaderent, qui videns eos adoriri ciuitatem, alloquitur Babylonios comedẽtes, exclamans vt surgerent, & arma arriperent. Potest hoc ita explanari: Instrue mensam tu ô Babylon, & contemplare in specula, hoc est, in scriptura manus scribentis, quæ mirabiliter in pariete apparuit, vt est apud Danielem quinto capite. Et vos ô Medi & Persæ, qui cum rege Babylonis accumbitis, surgite ad occidendum regem. E

k *Vade & pone speculatorem.)* Verba sunt Dei Prophetam alloquentis: Vade tu ô Esaia, & pone te speculatorem. Et quæcunque hic speculator viderit annunciet. Et vidit currum. Nunc loquitur Esaias. Et hic speculator, hoc est, ego ipse, vidi currum duorum equitum, & trahebant currum asinus & camelus. Hi duo equites erant Cyrus Rex Persarũ, & Darius Rex Medorum, duo animalia, quæ currum trahebant, erãt duo exercitus, nempe Medorum & Persarum. Per asinum intelliguntur Persæ, qui ante Cyrum neglecti, in obscuritate iacebant, per camelum Medi, qui sẽper fuerunt in omnium gentium luce & celebritate constituti. Et speculator ille, qui mentis oculis hæc aspexerat, clamauit vt leo. Quis autem esset hic speculator explicat, esse seipsum, dicens: *Super speculam Domini ego sum stans iugiter per diem, & super custodiam meam ego sum stans totis noctibus*: Quibus verbis indicat Propheta, se positum esse veluti in specula, ex qua F videret spiritu prophetali ea, quæ erant vẽtura, Deiq; imperio diebus ac noctibus obediret, vt ea, quę Deus præciperet, loqueretur, & literis mandaret. Indicat præterea, diuinus vates esse speculatores, iuxta id quod apud Ezechielem ait Deus: *Fili hominis speculatorem dedi te.* Id autem quod dicitur: *Exclamauit vt leo*, potest habere hunc sensum: Exclamauit speculator dicens: Venit Cyrus vt leo. *Ezec. 3.*

l *Ecce iste venit ascensor.)* Hæc sunt quæ clamabat speculator, nimirum ipse Propheta Esaias: Ecce venit Cyrus contra Babylonem, quæ est vastãda, & omnia eius idola conterenda. Meminit idolorum, vt perpenderent Iudæi quàm fragilia adiumenta quæsiuissent, nempe idola, quæ erant confringenda, & pedibus conculcanda.

ANNOTATIONES

ex Hebræo in

CAPVT XXI.

1 Qui incredulus est, infideliter agit: & qui depopulator est, vastat.] *In Hebraico est in hunc modum:* חבוגד בוגד והשודד שודד *haboghed boghed ve-haxodhedh. Duo tantùm sunt verba bis posita: vnum est baghad, quod significat infideliter agere, siue præuaricari, vt Ieremiæ capite duodecimo:* Bene est omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt: *alterũ est xadhad, quod significat vastare, vt Ezechielis trigesimo secundo:* Et vastabunt superbiam Ægypti. *Ideo potest verti:* Qui infideliter agit, infideliter agit: & qui vastat, vastat: *vt sit sensus, Cyrus, qui in alios infidelis est, etiam Babylonis fidem violabit: & qui alias regiones vastat, etiam Babylonem vastabit. Cyrum fadifragum & immanem appellat, quia inuitatus à rege Babylonis eum paratis insidiis interfecit. Deberet certè regi, qui eum in ædem recipiebat, fidem etiam seruare. Septuaginta verterunt:* Prævaricator prẽuaricatur, & iniquus inique agit. *Potest ita verti:* Irruit sceleratus in sceleratum, vastatórque in vastatorem, *hoc est, Cyrus in Balthasarẽ Babyloniorũ regẽ.*

Baby-

A 2 Babylõ dilecta mea posita est mihi in miraculũ.) *Pro Babylone est in Hebraico* משאת *nax æph, quæ dictio significat caliginẽ, rem caligine circũfusam, noctis initium, & ipsam noctẽ. Et quoniã Babylon appellatur caligo, mõsque obscurus & caliginosus, vt capite tertio decimo ostẽdimus, vbi pro caliginoso est in Hebræo* נשפת *nixpah, ideo diuus Hieronymus rectè pro caligine hoc in loco vertit Babylonẽ. Potest verti:* Nox à me desiderata versa est mihi in horrore. *Vel ita:* Caligo desiderij mei facta est mihi in pauorẽ. *Idem enim nomẽ miraculũ, pauorem, & horrorẽ significat. Solet hebraismus rem dilectã appellare rem desiderij. Pagninus vertit:* Noctẽ amabilẽ mihi posuit in pauorem. *Et ita sunt verba Balsasaris, seu vt in nonnullis codicibus inuenitur, Balthasaris regis Babylonis. In ea enim nocte, qua magnificũdámque conuiuiũ fecerat, vidit digitos scribentes in pariete verba suã pernicie significantia, vt est apud Danielẽ quinto ca. Ait igitur: Nox illa, qua statuerã animum remittere, deliciisque affluere, versa est mihi in mœrorẽ & calamitatẽ. Tales sunt mũdi voluptates & oblectationes. Quo tẽpore rex ille Babylonis lætitia gestiebat, neque erat illi quicquam magis in optatis, quàm vt omnes secum gaudio perfunderentur, fuit regno spoliatus, immanitérque occisus. O falsam spem, ô volucrem variámque vicissitudinem, ô cæcam cupiditatem, ô præposteram gratulationem, quam subitò ea, in quibus solent mortales spem suam vanè locare, ex lætitia & voluptate in luctum atque lachrymas conuertuntur.* D

Tritura[a] mea & filia areæ meæ, quæ audiui à Domino exercituum Deo Israel annũtiaui vobis.[b] Onus[1] Dumah.[c] Ad me clamat ex Seir. Custos quid de nocte? custos quid de nocte? Dixit custos: Venit manè & nox. Si quæritis quærite: cõuertimini & venite.[c] Onus in Arabia.[f] In[2] saltu ad vesperam dormietis in semitis Dodanim. Occurrentes sitiẽti ferte aquã: qui habitatis terrã Austri cum panibus occurrite fugienti. A facie enim gladiorum fugerunt, à facie gladij imminentis, à facie arcus extẽti, à facie grauis prælij: quoniã hæc dicit Dominus ad me: [g] Adhuc in vno anno quasi in anno mercenarij, & auferetur omnis gloria Cedar. [h] Et reliquiæ numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur: Dominus enim Deus Israel locutus est.

a *Tritura mea & filia areæ meæ.*) Apostrophe est ad Hierosolymam, quã appellat triturã, quòd esset multis afflictionibus triturata, & oppressa, qua ratione eam etiam appellat filiã areę: est enim area, vbi frumẽta arescunt & teruntur, de qua ait Virgilius primo Georgicorũ libro: Area tũ primùm ingẽti est æquãda cylindro. Vel quia tẽplũ Salomonis ædificatũ est B in area Ornæ, vt est in libro secundo Paralipomenon mandatũ memoriæ, & libro primo c. vigesimo primo, & 2. Regum cap. vltimo, ideò voluit Hierosolymã filiam areæ appellare. Est igitur sensus: Crede ô Hierosolyma iis, quæ de euersione Babylonis vaticinatus sum, nã Deus est qui loquitur, qui nunquam fallit. Vel sunt verba Dei dicentis, Babylonẽ futurã esse triturã & aream, hoc est conquassandã & concul candam esse ab hostibus, sicut frumentũ in area conteritur & trituratur. Prima interpretatio est diui Hieronymi. Tu verò perpende Hierosolymam ciuitatem sanctam, homines in visione pacis, in Sione, hoc est, in alta contemplationis specula collocatos, tritu- *simile.* ram appellari, & filios areæ Dei. Nã quemadmodum triticum, quod est in horreum recondendum, prius à bobus trituratur, vt ab eo excutiantur paleæ, & ipsum purũ remaneat: sic viri in hoc mũdo variis afflictionibns teruntur, multísque inuidię telis expositi, atq; infinitis calamitatib⁹ oppressi à bobus, hoc est, à seleratis, veraq́; sapientia carentibus conculcãtur, vt sic mundi & purificati, nudi à paleis & terrenis affectibus, in horrea Christi, hoc est, in cœlestes mãsiones reconditi, diuina visione in æternum fruantur.

C Aspicis igitur esse hunc mundum afflictionum areã, cœlum autem iustorum cellarium.

b *Onus Duma.*) Duma regio est Idumææ, iuxta quã sunt montes Seir, hoc est pilosi & hispidi hominis, qui fuit Esau. Seir enim pilosum significat. Pro Duma vertunt lxx. Idumæã. perspicuum est enim, Idumæã esse regionẽ Esau, quæ quòd ille Edom vocabatur, tale nomen accepit. Diuus Hieronymus existimat hanc Idumææ captiuitatem factam fuisse ab Assyriis, aut à Nabuchodonosore. Quæ autẽ fuerit huius vastationis causa, aperit Amos Propheta capite primo ita dicens: *Super tribus sceleribus Edó, & super quatuor non conuertam eum, eò quòd persecutus sit in gladio fratrem suum, & violauerit misericordiam eius, & tenuerit vltra furorem suum, & indignationem suam seruauerit vsque in finem.* Vbi vides ideò Idumæos fuisse afflictos & vastatos, quia cũ Iudęos amore prosequi deberẽt, hostili odio persecuti sunt. Eam ob causam dicebat diuinus Psaltes: *Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalem. Qui dicunt, exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Quibus verbis Propheta precatur mala Idumęis, Babylonios aduersus Hierosolymã excitantib⁹, vt eã funditus euerterẽt. Lege Ieremiã capite quadragesimonono, Ezechielẽ capite vigesimoquinto, & Abdiam capite primo, vt E hanc vaticinationem plenius intelligas. *Psal. 137*

c *Ad me clamat ex Seir.*) Quoniã qui clamat patitur, significat his verbis diuinus vates Idumæorũ afflictionẽ. Figura est metaleptis satis in diuinis literis frequens, quãdo vnum ex alio significatur. Hęc verba sunt Dei quasi dicẽtis, Habitatores montium Seir calamitatibus oppressi ad me clamant dicentes: Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? Hoc est, Tu ô Deus qui eos qui ad te cõfugiũt custodis, & tueris, quare nos nõ protegis ab hac calamitatũ nocte?

d *Dixit custos: Venit manè & nox.*) Clamantibus Idumæis respondet Deus: Aliquando vobis luxit manè prosperitatis, nunc verò accedit & incubat atra nox afflictionis. Vos autẽ manè, dum res vobis ad voluntatem fluunt, estis mei immemores, nocte autẽ caliginis & doloris me ore inuocatis. Igitur si quæritis quęrite. Si meũ auxiliũ imploratis in ærumnis, implorate etiã in gaudiis. Si vultis vt vobis opem ferã, conuertimini ad me toto vestro animo, & ad me properate. Non ore sed animo etiam mei ipsum quærite, & ego vos ab ærumnis, in quibus versamini, liberabo. F Vbi aspicis ideò nos non esse aliquando à Domino exauditos, & à calamitatibus ereptos, quia Deũ toto animo non inuocamus. Ait enim scriptura Deuteronomij capite quarto: *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Intuere quàm vtilis sit afflictio. Vt enim in machina, quã nostri Bõbardam vocant, ignis proiicit lõgissimè pilam vehemẽti impe- *simile.* tu cõcitatã, sic afflictio eleuat feruentẽ orationẽ vsque ad interiora cœli. Ideò dicit: *Venit manè & nox.*

A Quasi dicat: Quæritis me in afflictione, non autem in lætitia. Narrat Pomponius Mela esse in Cyrenaica prouincia fontẽ admirabilẽ media nocte feruentem, Meridie verò frigidissimum, qui solis fons appellatur. Tales nos absque dubio sumus: nã Meridie prosperitatis tepescimus, nocte autem afflictionis igne diuini amoris inflammamur.

Simile.

e *Onus in Arabia.*) Arabia est regio Asiæ maioris, inter Iudæam & Aegyptum, & est in tres partes distributa, in Arabiam Fœlicem, Petræam, & Desertam. Et quanuis Arabia complectatur Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Ismaelitas, hoc in loco solùm agitur de ea, in qua habitant Ismaelitæ, qui sunt Cedareni progeniem ab Ismaele ducentes, qui falso nomine dicuntur Sarraceni, cùm potius Agareni dici debeãt. Hi ob eam causam victi & vastati fuerunt, quia nullam benignitatem Iudæis ad eos confugientibus ostenderunt.

f *Insaltu ad vesperã dormietis in semitis Dodanim.* Verba sunt quibus vates Iudæos profugos, & Hierosolymam ob Babyloniorum obsidionẽ relinquẽtes, alloquitur. Vos ô Iudæi fugietis in Arabiã, vbi in saltu & solitudine requiescetis ad vesperam, in itineri-

B bus ducẽtibus ad Dodanim locũ in Arabia. Et statim cõuertit sermonẽ ad Ismaelitas dicens: *Occurrentes sitienti ferte aquam, &c.* Quasi dicat: Ne sitis feri & immanes aduersus Iudæorum gentem, vestrũ quærentẽ præsidiũ. Ferte aquam populo præ nimio solis feruore sitienti, porrigite illi panem, ne fame deficiat.

g *Adhuc in vno anno quasi in anno mercenarij.*) Annus mercenarij appellatur annus certus, & definitus, qui nec minuitur, nec vltra terminũ extenditur, qua de re locuti sumus capit. sexto decimo. Est igitur sensus: In vno anno certo & constituto euertetur regio Cedarenorum, & omnis eorum gloria obscurabitur.

h *Et reliquiæ numeri sagittariorum.*) Alludit ad Ismaelem, qui fuit sagittarius, vt diuinæ literæ Geneseos capite vigesimo primo testantur. Fortasse Ismaelitæ artem patris sequebantur. Hanc Agarenorum vastitatem & cladem ferunt fuisse ab Assyriis illatã. Sunt qui dicant fuisse à Babyloniis. Fortasse fuerũt Ismaelitæ euersi prius ab Assyriis, & posteà à Babyloniis: & ita illa verba, *Adhuc in anno vno, &c.* intelliguntur de prima euersione: illa autem verba, *Et reliquiæ numeri*, de secunda.

ANNOTATIO.

1 Onus Duma.] *Pro Duma est in Hebraico* דומה *Dumah à verbo* דמה *dum, quod significat tacere. Vnde dumah significat infernũ, vt Psalmo nonagesimo tertio:* Paulominus habitasset in inferno anima mea. *Fortasse ita appellatur, quia ibi iacent damnatorum animæ nullos inter se lætos sermones conferentes. Quod significans poeta Latinus ait libro sexto:* Dij quibus imperiũ est animarum, vmbræque silentes: Et chaos & phlegethon, loca nocte silentia latè. *Poterat verti Psalmus ille:* Paulominus habitasset in silentio anima mea, *vt per silentium infernus intelligeretur. Nomẽ enim hoc, quod significat infernum, silentium etiam significat, vt ait diuus Hieronymus. Quam ob causam in hoc Esaiæ loco Aquila pro dumah silentium posuit: acsi diceret Propheta: Video graue pondus super eos, qui silent, quando ea occurrunt, quæ non oportet silentio præterire: graue enim crimen est aliquando tacere & veritatem abscondere. Præterea omnes impij silent, quoniã ad Deum nequaquã clamant: clamantes enim tacent, quoniam animo non clamant.* Quoniam tacui, *ait Dauid,* inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die. *Vbi vides eum silere dum clamabat. Cõtrà verò iusti etiam silentes clamant. Vnde Dominus dicebat*

Psal. 31. *Exod.* 14.

C *Moysi:* Quid clamas ad me. *cùm tamẽ ipse taceret. Quoniam quamuis tacebat ore, animo tamen loquebatur, atque penetrabiles voces ardentiáque suspiria cœlum trãscendentia effundebat. Qui igitur Deum ore tantùm inuocat, ab eo animum habens seuocatum, ne loquitur quidẽ. Hoc intelligens diuinus vates canebat:* Clamaui in toto corde, exaudi me Domine, iustificationes tuas requi-

Psal. 118. *Psal.* 26. ram. *Et alibi:* Tibi dixit cor meũ, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requirã. *Ergo super tacentes, super eos, qui ad Deum toto animo non confugiunt: neque clamant, sed mortiferis labibus inquinati maleficio & scelere pascuntur, videbat diuinus vates onus grauissimum imminere. Quid enim onerosius & grauius quã iniquitatum multitudo? Hoc est pondus, de quo aiebat vates,* Quoniã iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. *Po-* *Psal.* 37. E *teris etiam per silentium hoc in loco inutile otium intelligere, iuxta id quod ait Sallustius insignis historiographus: Omnes homines qui sese student præstare cæteris animantibus, summa ope niti decet, ne vitã silentio trãseãt. Hi vitam silentio transire dicuntur, qui nihil agũt, quod post eorum mortem eos vixisse testetur. Hoc intelligens Hesiodus asserebat otium opprobrium esse, negotium verò minimè. Quã sententiam Socrates approbat apud Xenophontẽ in libro de eius dictis & factis, ita eã interpretãs, vt per otium & silentium vitium intelligat, per negotiũ verò virtutem. Nam eos tantùm aliquid efficere existimat, qui in honestatis studia incumbũt, eos verò otio silentioque atatẽ transigere, qui cæcam cupiditatem, temeriã, bonarũq; cogitationum expultricẽ sequuntur. Omnis enim eorũ memoria aut statim extinguetur, aut sensim obscuratur & euanescit. At illi in silentio non sunt, qui quamuis sileant, tamen de eorum vita haud quaquã siletur: cùm ea efficiant, quæ no solùm statim non obruuntur, sed potius perpetuis monumentis mandantur. Cæterũ pro* דבר *dumah Septuaginta interpretes* Idumæam *transtulerunt.*

2 In saltu ad vesperam domietis.] *Pro ad vesperam est in Hebraico* בערב *baarau, quæ dictio significat vesperam atque Arabiam. Ex quo effectum est, vt alij hoc in loco vesperam, alij Arabiam transtulerint.* F

Argumentum capitis XXII.

Describit diuinus vates luctuosum excidium Hierosolymæ à Babylaniis inferendum, eiusque crudelem vastationem, acerbámque captiuitatem scelere eius & impietate conflatam deplorat. Prædicit hominem impium daturum esse pœnas suarum fraudum, qui contra Dominum suum Ezechiam cum Sennacheribo coniurauit, eséque in eius locum Eliachimum substituendum. Inde sumpta occasione aperit mysterium redemptionis humanæ per crucem, quam Christus gloriosam reddidit. Ea enim, quæ orat anteà infame extremúmque supplicium, fuit corpore Christi sacrata & illustris: atque post eius mortem mansit in monte Caluariæ erecta, tanquam illustre trophæum, atque diuinæ victoriæ clarissimum monumentum. Ea gloriamur & munimur, intelligentes esse illam excellentissimum nostræ dignitatis ornamentum & decus, nostræque salutis certissimum præsidium.

CAPVT

CAPVT XXII.

ONus [a] vallis visionis.[b] Quidnã quóq; tibi est, quia ascẽdisti & tu oĩs in tecta?[c] clamoris plena, vrbs frequẽs, ciuitas exultãs, [d] interfecti tui nõ interfecti gladio, nec mortui tui mortui bello. Cũcti principes tui fugerũt simul, duréque ligati sunt: omnes qui inuẽti sunt, vincti sunt pariter, [e] procul fugerũt. Propterea dixi: [f] recedite à me, amarè flebo: nolite incũbere vt cõsolemini me super vastitate filiæ populi mei. Dies enim interfectionis, & conculcationis, & fletuũ Domino Deo exercituũ in valle visionis, [g] scrutãs murum, & magnificus super montẽ. Et [h] Elam sumpsit pharetrã, currum hominis equitis, & [i] parietẽ nudauit clypeus. Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarũ, & [k] equites ponent sedes suas in porta. Et reuelabitur [l] operimentum Iudæ, & videbitis in die illa [m] armamentarium domus saltus, & scissuras ciuitatis Dauid videbitis, quia multiplicatæ sunt.

EXPLANATIO.

a *Onus vallis visionis.*) Vaticiniũ annuntiãs afflictionẽ, onus, vt est à nobis aliis in locis explicatũ, appellatur: Vallẽ visionis appellat diuus vates Hierosolymam, quòd esset prophetarũ domiciliũ: prophetia enim, vt primo capite fusè ostẽdimus, vocatur visio, quasi res certissima, & mẽtis oculis perspecta. Est igitur horũ verborũ sensus: sequitur vaticiniũ prænuntiãs calamitatẽ Hierosolymæ, quã coluerunt diuini vates futura vidẽtes. Sed cùm hęc vrbs sita sit in mõte Sione ad aquilonarẽ partẽ, iuxta id quod est scriptũ in Psalmo: *Mons Sion latera Aquilonis ciuitas regis magni*, non parua occurrit dubitatio, cur vallis, & nõ potius mons appelletur. Ad quod respondẽdum existimo, ideò vallẽ appellari, quia adeò erat conculcanda, & delenda, vt nõ mons sublimis, sed vallis abiecta dici mereretur: fuit enim ab hostibus ferro flãmęque exposita, funditús que deuastata. Vel quia sancti illi, quibus Deus visiones ostendit, & splendore diuinorum mysteriorũ illustrat, non sunt in monte superbiæ locati, sed in humilitatis valle constituti.

Psal. 47.

b *Quidnam quoque tibi est, quia ascendisti & tu omnis in tecta?*) Solebãt Palæstini habere super domos plana tecta, vbi deambulare poterãt: quod etiã de Moabitis capite quinto decimo diximus. Ad hæc tecta, ingredientibus hostibus vrbẽ cõfugiebãt Iudæi, vt in illis locis sublimibus se defenderẽt, & inde lapides, tela, aliáque arma missilia in inimicos proiicerent.

Sapr. 15.

c *Plena clamoris.*) Hoc est, Tu, quæ olim, reportatis de Gentibus victoriis, triumphare solebas, nunc tuam calamitatem deploras, & lamẽtis tuũ indicas dolorẽ. Fortasse ideò Hierosolymã plenã clamoris appellat, quia cùm esset populosa, non poterat esse absque magno hominum strepitu & clamore.

d *Interfecti tui non interfecti gladio.*) Hoc ideò ait, quia obsidionis tempore amisit Hierosolyma magnã hominum multitudinem non gladio, sed fame pereuntium. Et qui se in fugam cõiecerunt, direpta ciuitate fuerunt à sagitariis comprehensi, vinculísque ligati. Habes hanc historiam capite vltimo quarti libri Regum. Et Ieremias in Threnis, *Melius*, inquit, *fuit occisis gladio, quàm interfectis fame.*

Thren. 4.

e *Procul fugerunt.*) Principes Hierosolymæ videntes Babyloniorum obsidionẽ, existimantésq; se non posse eorum impetum sustinere, quadam nocte perforato muro se fugæ mandarunt: at capti à Babyloniis in campis Ierichontinis traditi fuerunt Nabuchodonosori. Lege Ieremiam capit. trigesimonono, & quartum librum Regum capite vltimo.

f *Recedite à me amarè flebo.*) Vide quo dolore Propheta vastitatẽ Hierosolymæ deplorabat. Tãto gemitu, tantísq; lamẽtis plãgebat, vt ne consolationẽ quidẽ admittere vellet. Videbat vastandã esse patriã suã, & funditus delendã, antiquas possessiones hostiũ direptioni cõmittendas, tẽplum diuino cultui dedicatũ flãmis comburendũ, ideo acerbissimè angebatur, neq; poterat lachrymas cõtinere. Quis esset tam incultus & immanis, qui non funderet fluuios lachrymarũ, videns funditus euerti ab infidelibus vrbem illam præclarã, sanctorũ vatum receptaculũ, vbi quondã fides viguerat, ciuitatẽ insignẽ, diuitiarũ copia affluentẽ, rerũ gestarũ gloria florentem, omníq; nobilitate & sapiẽtia pręstantẽ? Et volens Propheta reddere rationẽ suarũ lachrymarũ, hanc vastationẽ inquit quã mẽtis oculis intuebatur, esse in valle visionis: ac si diceret: Si ciuitas aliqua infidelis vastaretur, esset quidẽ tolerabile: sed quî fieri potest vt nõ doleã, summísq; cruciatibus premar, cùm videã incẽdio flagrare montẽ illũ Sionẽ, vbi fides quiescere solebat, vbi Deus viris iustis & pietate pręstantibus loquebatur, & diuinas visiones ostẽdebat, montẽ illũ celebrẽ, ab hostibus adeò conculcatũ, vt non mõs, sed vallis possit meritissimò appellari? Hinc orta etiã sunt lamẽta illa mœstissima intimis gemitibus sociata, & cũ amarissimis suspiriis cõiũcta, quę Deo dicata, pius ille atque sanctus Ieremias flebiliter canebat. Sed ego existimo hos diuinos vates, cũ hęc deplorabãt, etiã animo intueri miserabilẽ illã euersionẽ & cladẽ à Romanis inferendã, de qua ita ait Iosephus, oculatus testis: Captiuorũ quidẽ omniũ, qui toto bello cõprehensi sunt, nonaginta & septẽ milliũ cõprehensus est numerus. Mortuorũ verò per omne tẽpus obsidionis vndecies cẽtũ millia. Hęc ille c. decimoseptimo libri septimi de bello Iudaico. Sed sãcti vates nõ tam Iudęorũ cladẽ, quã scelera & impietates, ob quas illi in luctuosissimas illas ęrũnas inciderũt, deplorabãt. Ita quando Christus saluator noster vidẽs ciuitatẽ fleuit super illã, vt diuus Lucas ait, potius ob Iudæorũ ingratitudinem & nefaria facinora, quàm ob murorum ruinam & vastitatem lachrymas fundebat.

Luc. 19.

g *Scrutãs murũ.*) Adesse video diẽ, in quo hostis murũ scrutabitur & rumpet, qui quidẽ dies erit magnificus & iucũdus hostibus nostris super montẽ Sionem ascendentibus. Quidã ita interpretantur: *Clamor vsque ad montẽ eleuabitur.* Vel sic: *Hostis irruens in murũ hortabitur milites, vt ascendant ad Sionem.*

h *Elam sumpsit pharetram.*) Elamitę coniuncti sunt cum Babyloniis ad euertendam Hierosolymam, & sumptis pharetris, quoniam erant sagittarij, instruxerunt equitatum, & currus bellicos.

i *Parietẽ nudauit clypeus.*) Afferẽt Elamitę clypeos, qui in parietibus ędiũ suarũ pendebãt, & ita manebit paries nudat⁹. Vel sic: Clypei hostiũ parietes Hierosolymę nudabũt, hoc est, hostes clypeati nõ solùm muros vrbis, sed etiã domesticos parietes euertent.

k *Et equites ponẽt sedes suas in porta.*) Describit expugnationem Hierosolymæ, quę facta est anno Sedechiæ vndecimo, de qua Ieremias sic ait: *vndecimo anno Sedechiæ mẽse quarto quinta mẽsis aperta est ciuitas, & ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, & sederunt in porta media, &c.* Sedebant autem in porta ne Iudæi fugientes euadere possent.

Ierc. 39.

l *Operimẽtum Iudæ.*) Dicũt nonnulli esse templũ,

A vbi Iudæi existimabãt se esse operiendos, & ab omni hostiũ oppugnatione liberandos. Et eam ob causam Ieremiæ, aliisque vatibus diem necis destinauerunt, quia sunt ruinã templi vaticinati. Vel loquitur de operimento & velamine, quo sancta operta erãt. Septuaginta habent: *Reuelabunt portas Iudæ.* Vbi vides eos per operimentum portas intelligere.

m *Armamentariũ domus saltus.*) Domus erat à Salomone cõdita instrumentis bellicis plena & instructa, quæ quoniã erat arboribus circũdata, domus saltus siue nemoris appellabatur: vel quia erat ex lignis Libani ædificata. Est igitur sẽsus: In die illa tota vestra fiducia erit in rebus humanis fixa, & obliti Dei vestri ad domũ armorũ respicietis, ad eã oculos leuabitis, in ea erit spes omnis vestra collocata. At nihil vobis proderit tã inanis fiducia. De hac domo vide tertium librum Regum capite septimo.

ANNOTATIONES ex Hebræo in

CAPVT XXII.

1 Onus vallis visionis.] *Septuaginta habẽt: Verbum vallis Sion. Quibus verbis ostendunt vallẽ visionis Hierosolymã appellari, quæ est sita in mõte Sionis. Quibus verbis ostẽdunt vallẽ visionis Hierosolymã appellari, quæ est sita in mõte Sionis. Præter rationem, quã in explanatione attulimus, cur Hierosolyma vallis visionis appelletur, potest etiã dici, eã ita vocari, quia ibi Dominus visus est, iuxta id quod ait Baruch Propheta: In terris visus est, & cum hominibus cõuersatus est. Hic est mons ille de quo dixit Dominus Abrahamo, vt in libro Geneseos literæ diuinæ testantur: Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eũ super vnum montium, quem monstrauero tibi. De quo monte poteris videre ea, quæ suprà annotauimus capite sextodecimo in annotationibus ex Hebræo.*

2 Et parietẽ nudauit clypeus.] *Pro nudare in Hebraico est verbũ* ערה *arad, quod significat nudare & adhærere. Vnde potest verti: Et parieti adhæsit clypeus, nẽpe ad euertendum murum. Thargum enim habet: Et muro adhæserunt clypei.*

Et[a] cõgregastis aquas piscinę inferioris, & domos Ieruſalẽ numerastis, & destruxistis domos ad muniendũ murũ. Et lacum fecistis inter duos muros, & aquã piscinę veteris, & nõ suspexistis ad eũ, qui fecerat eã, & operatorẽ eius de longè non vidistis.[b] Et vocauit Dominus Deus exercituũ in die illa ad fletũ & ad plãctũ, ad caluitiũ & ad cingulũ sacci. Et ecce gaudiũ & lętitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinũ. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.[c] Et reuelata est in auribus meis vox Dñi exercituum: Si dimittetur iniquitas hęc vobis[1] donec moriamini: dicit Dominus Deus exercituum.[d] Hęc dicit Dñs Deus exercituum: Vade: ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo,[e] ad Sobnam præpositum tẽpli, & dices ad eũ: Quid tu hîc? aut quasi quis hîc, qa excidisti tibi hîc sepulchrum, excidisti in excelso memoria lediligẽter, in petra tabernaculum tibi? Ecce Dominus asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictũ sic subleuabit te.[f] Coronãs coronabit te tribulatione,[g] quasi pilã mittet te in terrã latã & spatiosam: ibi morieris, & [h] ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus Dñi tui. Et[i] expellã te de statione tua, & de ministerio tuo deponã te. Et erit in die illa: vocabo[k] seruũ meũ Eliachim filiũ Helcię, & [l] induã illum tunica tua, & cingulo tuo cõfortabo eum, & potestatẽ tuam dabo in manu eius: & [m] erit quasi pater habitãtibus Hierusalẽ, & domui Iuda.[n] Et dabo clauẽ domus Dauid super humerum eius: & aperiẽt, & nõ erit qui claudat: & claudet, & nõ erit qui aperiat.[o] Et figã illum paxillum in loco fideli,[p] & erit in solium gloriæ domui patris sui. Et suspẽdẽt super eum omnẽ gloriã domus patris sui, vasorum diuersa genera, omne vas paruulum à vasis craterarum vsq; ad omne vas musicorum. In die illa dicit Dñs exercituum.[q] Auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fideli: & frangetur, & cadet, & peribit, quod pependerat in eo, quia Dominus locutus est.

Sup. 2. b. 1. Cor. 15. Inf. 25. d.

Iob 12. c Apoc. 3. b

a *Congregastis aquas.*) Obiicit Iudęis dedisse operam ad parãdã ciuitatẽ obsidioni, nulla posita in Deo spe nec fiducia. Cõgregarũt aquas piscinę seu cisternę inferioris ad bibẽdũ, & ad diluẽdã terrã ad muros reparãdos. Et numerauerũt domos, vt ex illis eas euerterent quę in obsidione non possẽt sustentari, & ex eorũ lapidibus publica mœnia reficerent: & nonnulla alia fecerunt, vt se ab hostibus protegerent: Dñm autem non inuocauerunt, nec eius auxilium implorarunt. Vtitur propheta præteritis pro futuris, vt aliis in locis annotauimus.

b *Et vocabit Dominꝰ Deꝰ exercituũ in die illa ad fletũ & ad plãctũ.*) Quis vnquã ex catholicis doctoribꝰ talia scripsit? irridẽt insani homines fletũ, & plãctũ, & cilicium, cũ hîc habeamus apertissimũ locũ, vbi nos Deus ad hęc inuitat & vocat. Et apud Ioelẽ, *Cõuertimini, inquit ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in plãctu, & scindite corda vestra, & non vestimẽta vestra.* Hoc intelligẽs Dauid dicebat in Psalm. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectũ meũ, & lachrymis meis stratũ meũ rigabo.* Vide quo dolore angebatur, quos cruciatus sustinebat, quos gemitus, quas lachrymas fundebat, ob scelus admissum, & diuinã legem violatam. Et alio in Psalmo ostendens corpus suum esse assiduis lachrymis & mœroribus cõsumptũ dicebat: *Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Et paulò post: *Quia cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam.* Plus est hoc, quàm terrores conscientię, quos dicunt hęretici. Sed quid cito duo, aut tria loca? lege totam scripturam, inuenies passim requiri ad pœnitentiam fletum, ieiuniũ, cilicium, & cętera huiusmodi, quæ hæretici detestantur. Lege veteres illos patres sanctissimos, Ambrosium, Hieronymum, Cyprianum, Augustinum & reliquos, quorum salutarem & excellentem doctrinam Ecclesia catholica amplectitur, & videbis apertissimè omnes eos in hac sententia cõcorditer permanere. Hæc diuus Ambrosius, & multa alia huiusmodi, quæ ibi poteris videre. Diuus Hieronymus in Malachiam habet hæc verba: Qui peccator est, & quem propria conscientia mordet, cilicio pœnitẽtiæ accingatur, & plangat tam sua delicta, quàm populi: atque iterum ingrediatur Ecclesiam, de qua egressus fuerat: & cubet in sacco, vt præteritas delicias, per quas Deum offenderat, vitæ austeritate compensęt. Hæc diuus ille Hieronymus. Sed ne longius dilatarem orationem, quàm fortasse par est, vide

Ioel. 2.

Psal. 6.

Psal. 101

Sanct

A Sanctum Cyprianũ ſermone quinto de lapſis, & glorioſum Auguſtinum de vera pœnitentia, alióſque catholicos doctores, vbi de pœnitentia diſſerunt, & intelliges quàm falſa, impia, & deteſtabilis ſit hæreticorum de pœnitentia doctrina, quàm contraria ſcripturæ diuinæ, & omnibus viris catholicis, & quàm repugnans ipſi veritati. Eſt præterea hoc in loco animaduertenda Dei miſericordia, qui eos vocabat ad pœnitentiam, quos eum non audituros eſſe ſciebat. Vt enim fons perennis aquas fundit, etſi nemo bibat ex illo, ſic Deus eos vocabat, quamquam ipſi ad fontem diuinę pietatis accedere nequaquam vellent. Emittebant diuini vates pias & queribundas voces, hortabantur Iudæos ad pœnitẽtiam, pietatem, & religionem: ſed quemadmodũ non dulceſcit mare dulcibus fluminibus in illud quotidie introeuntibus, ſic Iudæorũ populus nolebat dulceſcere vocibus Prophetarum, qui eum ab errorum atque ſcelerum amaritudine reuocare volebant, & ad veræ religionis pietatis pleniſſimæ ſuauitatem adducere. At Iudæi illi inſipientes ab omni non modò honeſtate, ſed etiã ſimulatione honeſtatis relicti, ſuæ duritiæ & impietatis pœnas meritiſſimas dederunt, quemadmodum omnibus euenit, qui diuinas voces contemnunt. Sic
B enim ait Deus in Prouerbiis Salomonis: *vocaui, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meũ, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro videbo, cùm vobis id, quod timelatis, aduenerit: cum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio & angustia.* Hæc ibi. Tu verò nolim exiſtimes ſolos Iudæos verba Dei contempſiſſe: nos enim Chriſtiani, nos ſumus illi, quos Deus quotidie vocat, quique eorum voces & clamores deſpicimus, & pro nihilo putamus. Clamat adeò Chriſtus non ceſſans clamare, vt dicat in Pſalmo: *Rauca facta ſunt fauces mea.* Et apud Matthæum: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis.* Vocat nos per Prophetas, per Apoſtolos, per Euangelium ſuum, per concionatores, per aſpirationes, per afflictiones, per proſperitates: at nos veluti aſpides ſurdæ, aures obturamus. Id plorabat Dauid dicens in Pſalmo: *Alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti ſunt falſa: furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, quæ non exaudit vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* Vocabat Deus Samuelem, & ille, vt in libro Re-
C gum ſcriptura teſtatur reſpõdebat Eli, qui eum hortabatur, vt dormiret. Vocat nos Deus, & reſpondemus mũdo, nobis ſuadenti, vt in peccatis dormiamus nec vnquam mentis oculos aperiamus, & ad Deum leuemus. Nos autem mundo potius quàm Deo obtemperantes, in ſomno obliuionis permanemus. O deſidiam noſtram, & intolerabilem amentiam. Reſpondeamus Chriſto nos ad pœnitentiã vocanti: ſurgamus, ne falſa mundi ſuaſione decepti in perpetua ignominia & ſcelere voluamur. Si volumus euadere, ſi concupiſcimus Babylonis miſeram captiuitatẽ fugere, ſi appetimus in æterna Hieroſolyma, in beatiſſimis illis ſedibus permanere, pœnitẽtiam hic agamus, Deique vocibus obtẽperemus. Deus vocat nos ad lachrymas, mundus verò ad voluptates. At hæ lachrymæ ſemina ſunt gloriæ, iuxta illud Dauidis in Pſalmo: *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent:* iuxta id quod ipſa Veritas ait: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Voluptates verò pœnas ęternas parunt, iuxta illud: *Væ vobis diuitibus, qui habetis hic conſolationem veſtram.* Particula enim, Væ, æternam damnationem minatur. Et paulò poſt: Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.

c *Et reuelata eſt in auribus meis.*) Senſus eſt: Dominus ex ercituum mihi dixit hæc verba. *Si dimittetur* D *iniquitas hæc vobis donec moriamini.* Id eſt, Nõ vobis hæc iniquitas dimittetur. Poteſt eſſe a poſio peſis, quam Marcus Tullius appellat reticentiam. figura eſt iratis non infrequens. Eſt igitur ſenſus: Si hęc iniquitas vobis dimiſſa fuerit, ne mihi amplius credatis, aut quid ſimile. Intelligitur enim id, quod non dicitur, vt eſt apud Vergilium: *Quos ego*, ſubaudi, puniã, vel aliquid tale. Quidam vertit, Non expietur vobis hæc iniquitas, donec moriamini, hoc eſt nunquam.

d *Vade, ingredere ad eum.*) Quæ à principio capitis vſque ad hunc locum dicta ſunt, referuntur ad euerſionẽ Hieroſolymæ per Nabuchodonoſorem. Ea verò, quæ ſequuntur vſque ad finem capitis, pertinent ab obſidionẽ per Sẽnacheribum, in qua affuit Eſaias.

e *Ad Sobnam præpoſitum tẽpli.*) Hic Sobna fuit Sacerdos & Pontifex, homo ſuperbus & elatus. Tradũt nõnulli fuiſſe eum alienigenam, & perſuaſiſſe Iudæis ne crederent Prophetis, & cum Sennacheribo aduerſum Ezechiam coniuraſſe. Contra hunc iubetur Propheta vaticinari, eique dicere: Quid tu agis hic in tẽplo Dei, cùm ſis ſceleribus addictus? Quid tibi rei eſt cum templo noſtro, cùm ſis extraneus? Quis es tu, vt excideris hic magnificum more principum & clarorum virorum? Tu exiſtimas eſſe te hic perpetuò mã- E
furum, at longè falleris opinione. Deus enim te hinc proiiciet, & demigrare faciet, & tam facilè in miſerã captiuitatem adduceris, quàm facilè aſportatur gallus gallinaceus ligatus, & ſine labore, & ita te adducet, quemadmodum viator in humero ſuo pallium ſuum aſportat. Sceleratus & impius erat hic Sobna, & tamen volebat ſui memoriam longam efficere, & immortalitati commendare. Mortem ſuam ornandã monumẽto, & magnifico ſepulchro putabat, cuius vitam ſpoliatam virtutum omnium ornamentis aſpiciebat. Heroſtratus homo abiectus & improbus, vt memoriæ proditum eſt, templum illud Dianæ celeberrimum vna nocte cremauit, vt hoc celebri facinore, & nefario ſcelere, nomen ſuum ita propagaret, vt vigeret memoria omniũ ſeculorum. Tam late enim patet immortalis famæ deſiderium, vt etiam homines obſcuros & impios nulla ſapientia excultos, nullo virtutum præſidio munitos incendat, & incredibili gloriæ cupiditate inflammet. Heu quot Heroſtratos habet ſeculum noſtrum: qui cùm non poſſint virtute celebritatem conſequi, hoc intentant aliorum famã extinguendo.

f *Coronans coronalit te tribulatione.*) Habebis coro- F
nam non laminarum aurearum, ſed doloris & calamitatis. Pro dignitate, quam indignè quæſiiti, incides in miſeriam & afflictionem.

g *Quaſi pilam mittet te in terrã latam & ſpatioſam.*) Quemadmodum rota ſiue globus currit per locũ deciiuem, ita tu ad terram latiſſimam, hoc eſt ad Babylonis campos, aſportaberis, vbi miſerè morieris. Cõparat diuinus vates hominem improbum & inconſtantẽ pilæ ſiue rotæ, quæ facilè mutatur & circũuoluitur. Cũ enim omnis eius ſpes & cogitatio pendeat ex mundo, ſit autem mundus inconſtantiſſimus, neceſſe eſt, eum nullam habere conſtantiam. At vir verè ſapiens & pius fixus manet, & fortitudine ac tolerantia rerum humanarum ſeptus, nec frãgitur neque expugnatur. Quando Deus vult impiorum ſcelera vlciſci, permittit ſæpe, vt nullam habeant cõſtantiam. Id intelligens Dauid dicebat in Pſalmo: *Deus meus pone illos vt rotam.* Id eſt, inſtabiles & agitatos inſtar rotæ. Et in Eccleſiaſtico ſcriptum legimus: *Præcordia fatui quaſi rota carri.* Ex peccatis prouenit inſtabilitas. Vnde Ieremias in Threnis, *Peccauit*, inquit, *Hieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.* In capite quinto Geneſis vbi noſtra verſio habet *Egreſſus Cain a facie*

A *Domini, habitauit profugus in terra, &c.* pro profugo in Hebraico est, *Nod*, quod propriè significat instabilẽ & inconstantem. Tales enim sunt, qui se à Domino separant & seiungunt. Illud est præterea aduertẽdũ, eum mori qui in terra lata & in via spatiosa versatur dicit enim: *Quasi pilã mittet in terram latam & spatiosam, ibi morieris*, ait enim Christus apud Matthæum: *Lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem.* Matth. 7.

b *Ibi erunt currus gloriæ tuæ ignominia domus Domini tui.*) Hoc est, Currus quibus vtebaris ad gloriam ac pompam, cùm eras Hierosolymæ, tibi in infamiã vertentur. Qui in luce hominũ ac celebritate versabaris, in tenebris atq; obscuritate iacebis, quia domũ Domini tui perdere voluisti. Dum falsam dignitatẽ quæreres, veræ dignitatis ornamenta amisisti. Solet enim Deus impiorum gloriam in dedecus conuertere, iuxta id quod ipse ait per Oseam Prophetam: *Gloriã eorum in ignominiam commutabo.* Oseæ 4. Poteris hoc ita intelligere: Ibi, nimirum in Babylonica captiuitate, gloria quam fueras Hierosolymę cõsecutus, erit ignominia templi Salomonis, cùm videãt Babylonij te hominẽ sceleratissimũ fuisse in eo sacerdotẽ. Aspicis hoc loco improbos sacerdotes esse dedecori Ecclesiæ. Est quidem illa sancta & pulchra, sed ipsi quantum in se est

B eam maculant & deformant.

i *Expellã te de statione tua.*) Verba Dei sũt aduersus Sobnam. Ego, inquit Deus, te de statu tuo deiiciam.

k *Seruum meum Eliacim:*) Hic functus est officio Sobnæ, vt habetur quarti Regum capite decimo septimo, & decimo octauo, & Esaiæ cap. 36. & 37.

l *Et induam illum tunica tua.*) Id est, omnia ornamẽta tua tradam illi, tẽque de pontificatu proiiciã. Induere aliquẽ nobili tunica, est efficere, vt de illo honorificè sentiant, eúmque illustri laude celebrẽt. Similis phrasis est in Ecclesiastico, *Stola gloriæ vestiet illum.* Eccl. 15. Volũt nõnulli per Sobnę põtificatũ Iudæorum sacerdotiũ significari, per Eliacim verò, successionẽ cultus Euangelici. Eliacim significat Deũ surgẽtem. *Trãslato enim sacerdotio*, vt ait Apostolus ad Hebræos, *necesse est, vt legis translatio fiat*, & Euãgeliũ succedat: Sobna autẽ, vt ait Diuus Hieronymus, interpretatur cõuertere nũc. Hęc est synagoga, cui dicitur, conuertatur. Hebr. 7.

m *Et erit quasi pater habitantibus Hierusalem.*) Qui præest, pater subditorum debet esse. Hinc præsul dicitur abbas, ab abba, quod est pater. Reges Palęstinę

C omnes appellabantur Abimelech, quod interpretatur pater mi rex, vel pater rex. Quãdo enim scriptura cap. 26. Geneseos ait: *Abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum*, non personę nomen significat, sed regię dignitatis nomẽclaturã. Quod Diuus Augustinus annotauit. Omnis enim rex siue pręsul debet esse Abimelech, hoc est, pater & rex. Qui verè rex est, pater est. Vnde omnis lex à rege aut præsule lata & cõstituta, debet amore paterno & igni charitatis cõflari. Alioquin nec subditi eam æquo animo seruabũt, nec ipsa diutius permanebit. In Deuteronomio ita scriptũ legimus: *Apparuit Dominus de mõte Pharã, & cũ eo sanctorũ millia: In dextera eius ignea lex. Dilexit populos*, &c. Quis erat ignis ille, quo lex illa ignita erat & in flãmata, nisi amor? Hic est ignis ille, quẽ Deus in terram misit, quo hominũ animos incendit vt æternitatis desiderio flagrarent, de quo ipse apud Lucã, *Ignẽ*, inquit, *veni mittere in terrã, & quid volo nisi vt accendatur?* Aspicis igitur debere præsulẽ esse patrem, & amore paterno gubernatorem. *Dabo vobis pastores*, ait Deus per Ieremiam, *iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.* Non dicit: Dominabuntur vestri, sed pascent vos non odio, inuidia, iracũdia, elatione, sed *scientia & doctrina.* Vbi per scientiam intelligitur scripturarum cognitio, & secundum eas exhortatio, per doctrinam verò operum exhibitio. Ex quo col- D liges oportere præsulem esse & sapientia & virtute præditum, & pietate ac charitate ornatum. Ea enim differentia, quæ est inter aurũ & reliqua metalla, debet esse inter præsulem & subditos. Vnde Socrates ille Philosophorum gentium sapientissimus, ciuitatem illam eximiam, omnibus bonis affluentem, omnibúsque numeris absolutam, quam finxit apud Platonem, in tres ordines distribuit, nempe aureum, argenteum, & ferreum. Per aurum intelligit principẽ, & præsulem, per argentum nobiles, per ferrum verò infimo loco natos. Vult itaq;, vt princeps præstet cæteris sapiẽtia, virtute charitate, æstimatione, quæ omnia per aurum significantur. Et ita interpretatur ætates illas auream, argenteam, & ferream, quas antiqui sapientes fictis fabulis memoriæ prodiderũt. Sed sic velim existimes me ita amorem & pietatem præsulum laudare, vt eorum iustitiam & in flagitiosos & improbos punitionẽ non adimã. Oportet enim pręsulem bonis fauere, & præmia constituere, nefarios verò coercere, & pœnis afficere. Id significãt diuinæ E literæ asserentes in Exodo, præcepisse Deum, vt summus sacerdos vngeretur oleo & sanguine. Exod. 29. Quid per oleum nisi benignitas: quid per sanguinem nisi austeritas significatur? Ezechiel ait vidisse in templo sibi Ezech. 41 à Domino demonstrato cherubim & palmas. *Erat*, inquit, *palma inter cherub & cherub: duáque facies habebat cherub: faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte.* Cherubim præsules sunt. Sonat enim cherub quasi magistrum. præsules autem magistri esse debẽt, iuxta id quod ait Paulus in epistola ad Ephesios: *Ipse dedit quosdã quidem Apostolos: quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores.* Ephe. 4. Vbi vides eos qui pastores sunt magistros esse & doctores. Quid per faciem hominis lenẽ & placatã, nisi humanitas & pietas intelligitur? Quid verò per faciem leonis nisi iustitiæ seueritas significatur? Sed siue præsul meritis præmiis bonos afficiat, siue iustis pœnis impios opprimat, semper oculos ad palmam debet erigere, non iuxta corruptam affectionem iudicare, non odiũ, nec particularem amorem intueri, sed ad cœlũ respicere, palmámque illam, quam Deus in æterna patria bonis largitur, cõtẽplari, omniáque sua opera ad Deum dirigere, eiúsque amore gubernare. Hoc est patris officium, quod optimo præsuli conuenit, iuxta id quod F Deus hoc in loco ait per Esaiam: *Et erit quasi pater habitantibus Hierusalem.*

n *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius.*) Dabo, ait pater cœlestis, super humerũ Eliacim serui mei clauem domus Dauid. Hic Eliacim gerebat imaginem Christi veri sacerdotis, de quo dicitur in Psalmo: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinẽ Melchisedec.* Psal. 109 Super eius humerum posuit pater clauẽ domus Dauid, hoc est, crucem illam sacratissimã, quæ Dei tẽplũ, & æternã domũ aperuit, & aditũ ad cœlestẽ illã ac beatissimam gloriam reserauit. Hanc baiulauit Christus Deus noster super humerum suum, brachiis eam amplectens, vt ostenderet quãto eam amore prosequeretur. In ea erecta in Caluariæ loco pependit Deus noster, vt mortẽ nostram moriendo occideret, & indignis calamitatibus acceptis genus hominum ab inferorũ faucibus eriperet, & veræ dignitatis ornamentis decoraret, atque ad immortalem æternamque vitam tandem adduceret. Et quoniam in cruce nostra scelera expiauit, & antiquam maculam sanguine suo deleuit, & ostium paradisi aperuit, vocat eam, clauẽ domus Dauid. Erat enim anteà paradisus clausus, & nemo illuc introierat: at mortuo Christo in cruce, apertum est cœlum, & illo die fuit latro cum Christo in paradiso. Hæc clauis, quam Christus super

hume-

A humerum baiulauit, appellatur ab hoc Propheta capite nono principatus, vbi dicitur: *Et factus est principatus eius super humerum eius.* Cæterùm si sensum illum respiciamus, quem litera ex se præbet, possumus hunc locum ita explanare, vt per clauem domus Dauid, potestatem aperiendi & claudendi templum intelligamus. Est igitur sensus: *Ego*, inquit Deus, dabo seruo meo Eliachim sacerdotiũ, & templi prefecturam. Clauem domus Dauid appellat prælationem, & curam pastoralem, quæ claui meritò cõparatur, quoniam suo modo aperit subditis ostium cœli, quando præsul vita, doctrina, & exemplo instruit suos: claudit autem cùm eis sua ignorantia, ignauia, morũ corruptela, præbet interitus occasionem. Claudit præterea & aperit, quia illi subditi obediunt: & quod ille iubet, hoc fit: quod prohibet, vitatur. Sed mirandum quidem videtur, cur Deus dicat daturum seruo suo clauem hanc super humerum, cùm clauis non in humero, sed in manu, aut in corrigia ex cingulo pendẽte soleat portari. Quæ est hæc clauis tã grauis? Quod est hoc tantum pondus, vt non in manu, sed in humeris baiuletur? At si volueris animo celeriter circũspicere, videbis planè non solùm hanc clauem humeris quibuscunque indigere, sed validissimis & integerrimis. B Quid est enim grauius, quàm animarũ gubernatio? Ideò enim hæc clauis non in manu prælatorum ferenda dicitur, sed in humeris, vt animaduertas, summáque consideratione perpendas, quanti põderis sit animarum prælatio & cura. Præsul ille, quem Deus constituit & elegit, clauem in humero baiulat: ille autem qui ab hominibus eligitur non vocatus à D Deo tanquam Aaron, non in humeris sed in manu, & ad collum velut ornamentum & monile eam portat, non pondus magistratus & præfecturæ curãs, nec laborem, sed solùm dominationem, honorem, & dignitatem. De talibus pastoribus ait Deus per Oseam: *Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.* Nihilominus tamen oportet illis obedire, dũmodò mala non præcipiant, non solùm bonis & modestis, sed iuxta beati Petri sententiam, etiam dyscolis. Osea 8.

o *Et figam illum paxillum in loco fideli.)* Hæc figurata locutio hunc habet sensum: Eliacim possidebit solidum dignitatis gradũ, quo omnes posteri sui gloriabuntur. Erit enim veluti clauus siue lignum affixum parieti, in loco firmissimo, in quo omnia vasa suspenduntur, tam parua quàm magna. Omnes enim tam nobiles, quos per vasa parua intelligit, ex eo pẽdebunt. In eo nitetur ciuitatis salus, illi que eius posteritas acceptum referet suum splendorem, & nominis claritatem. 1. Pet. 2.

p *Et erit in solium gloriæ domui patris sui.)* Hoc est, genus suum & familiam illustrabit.

q *Auferetur paxillus.)* Hoc referunt nonnulli ad Sobnam: Alij verò ad Eliacim, cuius dignitatem & Amplitudinem Babylonica captiuitas subuertit. Et E qui ex eo pendebant corruerunt. Docet nos hic locus non esse fidem hominibus, relicto Deo, sed fiduciam nostram esse in Deo locandam, in quo solùm niti debemus.

ANNOTATIO.

1 Donec moriamini.] *Thargum habet*: Donec moriamini morte secunda. *Acsi diceret*: Nõ *dimitetur vobis, nec hic nec in inferno, per mortem enim secundam intelligit aternam damnationem.*

Argumentum capitis XXIII.

Minatur Deus per diuinum vatem cladem Tyro à Nabuchodonosore inferendam, luctosámque vastitatem & euersionem. At post septuaginta annos promittit eam esse reparandam, atque repudiato idolorum cultu ad veram Christi fidem venturam.

CAPVT XXIII.

ONus a Tyri. b Vlulate naues maris, quia vastata est domus vnde venire cõsueuerant: de terra Cethim reuelatum est eis. d Tacete qui habitatis in insula: negotiatio Sidonis trãs fretantes mare repleuerunt te. e In aquis multis semẽ Nili, messis fluminis fruges eius: & facta est negotiatio Gentium. f Erubesce Sidõ, ait enim mare, fortitudo maris, dicẽs, C Nõ parturiui, & nõ peperi, & nõ enutriui iuuenes, nec ad incremẽtũ perduxi virgines. g F Cùm auditum fuerit in Aegypto, dolebunt cùm audierint de Tyro. h Trãsite mari, vlulate qui habitatis in insula i Nunquid non vestra hæc est, quæ gloriabatur à diebus pristinis in antiquitate sua. k Ducent eam pedes sui longè ad peregrinandum.

EXPLANATIO.

a *Onus Tyri.)* Tyrus ciuitas est Phœniciæ, vt ait Põponius Mela. Phœnicia autẽ est in Syria contermina Iudææ. Fuit Tyrus ciuitas florentissima, & regia dignitate ornata: fuit Sidoniorum colonia, negotiatio maris, emporium totius vniuersi. Et cùm esset insula, vt ait idem Pomponius, tamen ab Alexandro Magno propter expugnationem, multis in breui aggeribus in fretũ iactis, terra cõtinens facta est, quod iã anteà facere conatus fuerat Nabuchodonosor. Et quoniam apud hanc vrbem inueniuntur conchylia, quorum sanguine tingũtur vestes purpureæ, ideò eædem vestes Tyriæ dicuntur. Berosus ait vrbẽ hanc à quodã, qui Tyrus vocabatur, fuisse conditam anno post diluuium 189. Iosephus anno 240. ante templum Salomonis. Iustinus lib. 18. à Sidoniis conditã refert. Fuit hæc ciuitas à Mauris exusta, à Dominico Veneto capta, sed à Soldano anno Domini 1290. tandem incẽsa. Huius ciuitatis meminit scriptura libri secundi Regum capite 5. & capite 26. Ezechielis, qui hanc euersionem prædicit, eiúsque causam ait fuisse Tyriorum immanitatẽ, qui captis Iudæis insultarunt, eorúmque miseria & captiuitate fuerunt delectati. Aequum enim est, vt qui aliorum iactura gaudent, in eandem incurrant.

b *Vlulate naues maris.)* Per naues maris intelligit ipsos nauigantes. Est igitur sensus: Vos negotiatores, qui per mare Mediterraneũ importatis merces, plorate Tyrum, quoniã euersa est. Hæc enim erat domus vnde venire solebatis.

A c *De terra Cethim reuelatum eſt eis.*) Non vos eſtis, quibus primo reuelatum eſt, eſſe Tyrum delatam, iam enim hi, qui habitant in terra Cethin, hoc ſciunt. Vtitur propheta præteritis pro futuris. Per Cethim intelligit Cyprum. Eſt enim Cyprus inſula quædam in Carpathio mari, inter Ciliciam & Syriam. Fuit in hac inſula vrbs quædam nomine Citium patria Zenonis philoſophi, vt ait Laertius in vita Zenonis, quæ vrbs etiam tempore diui Hieronymi extabat, & & ideo nomen retinebat, vt idem Hieronymus aſſerit, à qua vrbe totam inſulam coniectãt nonnulli appellatam eſſe Cethim. Sunt qui per Cethim intelligant Romanos, qui Babylonios contra Tyrum incitarunt. Et tenuerit ſenſus: De terra Cethim reuelatum eſt eis, hoc eſt, Romani reuelauerunt Babyloniis hanc Tyri euerſionem. Alij per Cethim intelligunt inſulas Italiæ & Græciæ, quibus reuelatum fuit fuiſſe Tyrum deletam, & vaſtatam, ne illuc merces ſuas conferrent.

d *Tacete qui habitatis in inſula.*) Tyrum inſulam vocat. Senſus eſt: Silete præ nimio dolore vos Tyri habitatores. Appellat etiam Tyrum negotiationem Sidonis, quia Sidonij negociatores eam ſuis mercibus implebant.

e *In aquis multis ſemen Nili.*) Periphraſis eſt frumenti Aegypti. Nilus enim inundatione & irrigatione ſua campos Ægypti frugiferos reddit. Ægyptus
B verò erat velut horreum Tyriorum, quoniam inde deferebatur frumentũ ad Tyrios, & legumina Ægypti erant fruges Tyriorum.

f *Erubeſce Sidon, ait enim mare, fortitudo maris, &c.*) Tyrus erat, vt diximus colonia Sidoniorũ, quapropter ad eos pertinebat, eam defendere. Conuertit igitur Propheta ſermonem ad Sidonem, quæ coloniam D ſuam dereliquerit. Erubeſce Sidon, quæ cùm Tyrum genueris, nullum ei auxilium præbuiſti, nõ enim ſperare deberes nauigantes ei opem laturos. Ait enim mare & fortitudo maris, hoc eſt, negotiatores & nauigantes. Sidoniorum intererat Tyrios defendere: nã nos non nos genuimus, nec nutriuimus, vt teneremur pro illis hoſtibus ſuis bellum inferre. Vel ſic: *Erubeſce Sidon, ait enim mare & fortitudo maris*, id eſt, ait enim Tyrus, quæ mare & maris fortitudo appellabatur: Ego nõ parturiui, nec peperi, facta ſum quaſi mulier ſine filiis, quoniã nemo mihi auxilium tulit. Idem eſt non habere filios, ac eos tales habere qui te in periculis relinquãt. Hoc ideò dicit, quia cùm Tyrus multas colonias dediſſet: nulla tamen fuit quę illi auxilium ferret. Nam Carthago, Leptis, Vtica, Gades, coloniæ fuerunt Tyri. Lege Plinium libri quinti capite decimonono.

g *Cùm auditum fuerit.*) Ægyptij cùm audierint vrbem vicinam & florentiſſimam obſidione deletam, dolore afficientur, exiſtimantes idem ſibi eſſe euenturum.

h *Tranſite maria.*) Alloquitur ipſos Tyrios in obſidione poſitos. Vos ô Tyrij tranſite maria, diſcedite ab vrbe veſtra, fugite inimicos, quoniam nulla alia ſpes eſt euadendi. Ideò plorate habitatores inſulæ, E hoc eſt, Tyri.

i *Nunquid non hæc veſtra eſt.*) Irridet Tyriorum iactationem, qui Deo contempto maiorum antiquitate & nobilitate gloriabantur.

k *Ducent eam pedes ſui longè ad peregrinandum.*) Hoc dicit propter eos qui in vrbe manſerunt, & capti à Nabuchodonoſore ducti fuerunt in Chaldæam.

ANNOTATIONES EX Hebræo in CAPVT XXIII.

1 Tranſite maria.] *In Hebræo eſt* עברו ח ישרשה *iurutarxixah. Sed quoniam Tharſis ſignificat mare, & eſt etiam nomen gẽtis, & loci, vertit interpres noſter* Tranſite maria. *Pagninus verò vertit*, Tranſite in Tharſis. *pro quo Septuaginta habent:* Ite Carthaginem. *Fuit enim Carthago colonia Tyriorum, vt ait Plinius lib. quinto, & Poeta:* Vrbs antiqua fuit, Tirij tenuere coloni, Carthago, &c. *Ideò credibile eſt Tyrios ad Carthaginienſes confugiſſe. Et in principio huius capitis vbi noſtra editio habet:* Vlulate naues maris, *habent Septuaginta,* Vlulate naues Carthaginis. Et ita etiam habet paraphraſtes Chaldæus.

a Quis cogitauit hoc ſuper Tyrũ quõdã coronatã, b cuius negotiatores principes, ir ſtitores eius F
inclyti terræ? c Dñs exercituũ cogitauit hoc, vt detraheret ſuperbiã oĩs gloriæ, & ad ignominiã deduceret vniuerſos inclytos terræ: d Trãſi terrã tuã quaſi flumẽ filia maris, e nõ eſt cingulum vltra tibi. f Manum ſuam extendit ſuper mare, conturbauit regna: Dominus mandauit aduerſus Chanaã,
C vt contereret fortes eius, & dixit, non adiicies vltra vt glorieris, calumniã ſuſtinens virgo filia Sidonis, g in Cethim conſurgens tranſfreta, ibi quoque non erit requies tibi. h Ecce terra Chaldæorum, talis populus non fuit. i Aſſur fundauit eam: in captiuitatem traduxerunt robuſtos eius: ſuffoderunt domos eius, poſuerunt eam in ruinam. k Vlulate naues maris, quia deuaſtata eſt fortitudo veſtra. Et erit in die illa: In obliuione eris ó Tyre ſeptuaginta annis ſicut dies regis vnius: l poſt ſeptuaginta autem annos erit Tyro quaſi canticum meretricis. Sume tibi citharam, & circui ciuitẽ meretrix obliuioni tradita: bene cane, frequenta canticum, vt memoria tui ſit. m Et erit, poſt ſeptuaginta annos viſitabit Dñs Tyrum, & reducet eã ad merces ſuas, rurſus fornicabitur cum vniuerſis regnis terræ ſuper faciem terræ. n Et erunt negotiationes eius & merces ſanctificatæ Domino: non condentur, neque reponentur: o quia his, qui habitauerint coram Domino, erit negotiatio eius, vt manducent in ſaturitatem, & veſtiantur vſque ad vetuſtatem.

a *Quis cogitauit hoc ſuper Tyrum quondam coronatã.*) Coronatam eã vocat, quia inſignis erat, & regia florebat dignitate. Eſt igitur ſenſus: Quis vnquam cogitauit ampliſſimam illam ciuitatem opibus abundantem, aliarum ciuitatum dominantem, auro & gemmis fulgentem, ſic eſſe deiiciendam, vt ſuis pedibus ire in captiuitatem cogeretur?

b *Cuius negotiatores principes.*) Tanta erat Tyri diuitiarum abundantia, vt eius mercatores poſſent eſſe aliarum ciuitatum principes, eiúſque inſtitores eſſent celebres & illuſtres. Inſtitores ſunt negotiatores eò dicti, vt ait Vlpianus, quòd inſtent negotiis gerẽdis,

c *Dominus exercituum cogitauit hoc.*) Dixerat paulò antè: *Quis cogitauit hoc, &c.* Nunc reſpõdet: Deus eſt qui hoc cogitauit, qui ſuperborũ ſtatum euertit, eorúmque cogitationibus reſiſtit. Docet hic locus neminem debere exiſtimare ſe eſſe tutum, licet ſit potẽs, & diuitiis affluat. Veniet enim tempus, quãdo in ærumnis ſuis Dei potentiam diſcat, cuius clemẽtiam in proſperitate noluit cognoſcere. Detrahit enim

Deus

A Deus gloriam ſuperborum, & permittit vt eorũ honor & amplitudo in dedecus & ignominiam conuertantur. Tu verò conſidera quàm fluxa ſit & incerta mundi gloria.

d *Tranſi terram tuam quaſi flumen.)* Horratur Tyrum ad fugam, ac ſi diceret: Tu ô Tyre tranſi terrã tuam ita facilè, vt riuulum tranſires. Vel, Tranſi quaſi flumen, celeriter imitare fluminis impetum & velocitatem, ne te occupet inimicus: non enim illi poteris reſiſtere, quia non eſt cingulum vltrà tibi. Id eſt, non habes fortitudinem, vt poſſis te ab hoſtibus defendere. Lũbos cingulo cingere, eſt fortitudine polle re: carere verò cingulo, & imbecillitate laborare.

e *Manum ſuam extendit ſuper mare.)* Hoc eſt, ſuper Tyrum, vt ait Diuus Hieronymus. Ac ſi dicat: Percuſſit Deus Tyrum ciuitatum maritimarum nobiliſſimam, qua percuſſione perterruit multa regna: Non enim cogitauerant talem euerſionem fieri vnquam poſſe. Et timuerunt ne quid tale ſibi eueniret. Intelligi autem Tyrum nomine maris explicat id quod ſequitur: *Dominus mãdauit aduerſus Chanaan.* Nam Tyrus eſt in terra Chanaan, vt conſtat ex Euãgelio Matthei capite quintodecimo, vbi Chananæa ſcribitur egreſſa de finibus Tyri & Sidonis. Quid autem ſit manum extendere, eſt à nobis explanatum capite primo illud explicantibus: *Et conuertam manum meam ad te.* Et capite quinto, vbi illud expoſuimus: *Extendit manum ſuam ſuper eum.*

f *Et dixit, non adijcies vltrà, vt glorieris.)* Hoc dixit Deus. Nequaquam vltrà tua potentia & nobilitate
B gloriaberis filia Sidonis, hoc eſt, tu ô Tyre Sidoniorum colonia, nam euerteris omnino. Ideò aſſumptis nauibus fuge in Cyprũ. Sed nec ibi poteris requieſcere. Vel ſic: Tu quoque Sidon quæ adhuc virgo es, à nullis victa nationibus, ſimili calamitati obnoxia es. Idem eſt Sidon, & filia Sidonis, quemdmodum Babylon & filia Babylonis: quod alio in loco annotauimus.

g *Ecce terra Chaldæorum, talis populus non fuit.)* Tyri habitatores fracti obſidione, fuerunt in duas partes diſtracti, alij ſe in fugam coniecerũt, quibus Propheta dixerat: *In Cethim conſurgens tranſreta.* Alij verò manſerunt in vrbe, qui capti ducti fuerũt in Chaldæam, cuius metropolis erat Babylon ciuitas florentiſſima. His loquitur modò vates ita dicens: *Ecce terra Chaldæorum*, ad quam ducemini, populus eſt inſignis, ab Aſſyrio fundatus. Eò ducent Chaldæi nõ ſolùm Tyrios imbecillos, ſed eos, qui fortitudine pollebant, & muros ciuitatis funditus euertent, atque domos radicitus delebunt.

h *Vlulate naues maris, quia deuaſtata eſt fortitudo veſtra.)* Per naues maris intelligit nauigantes & negotiatores, per fortitudinẽ verò Tyrũ, vbi opes cõparaC bant, quę ſunt & belli & rei domeſticæ robur & fortitudo.

i *Septuaginta annis, &c.)* Septuaginta annis fuit Tyrus oppreſſa: nam tot fuit templum Dei vaſtatum. Aequum enim erat vt Tyrij tempus captiuitatis Iudæorum imitarentur, quorum ærumnis lætabantur. Appellat propheta hos ſeptuaginta annos dies vnius regis, quia communiter qui longum tempus habet regnandi, ſeptuaginta annos non tranſeat. Quidam dicunt per hunc regem intelligi Dauidem, qui tot annis vixit, vt in libro ſecundo Regum capite quinto ſcriptum legimus: Alij Nabuchodonoſorem eiúſque D
filios vnum regem intelligunt. Prima harum interpretationum melior videtur.

k *Poſt ſeptuaginta autem annos.)* Ab hoc loco vſque ad finem capitis proſpera Tyro annuntiantur. Senſus eſt: Quemadmodum meretrix neglecta à primis amatoribus, quia cum aliis ſe miſcet, deſiderat ad ſe trahere eos, à quibus fuerat prius dilecta, ſic tu ô Tyre, quia Chaldæis adhæſiſti, qui te captiuam duxerunt, fuiſti à negotiatoribus, qui te prius amore proſequebantur contempta. Nunc verò libera à Chaldæis, canticis & illecebris priſtinos tuos amatores reconcilia. Cane & pulſa tu, quæ eras obliuioni tradita. Da operam vt veluti meretrix cantionibus amatores allicias, vt illis in memoriam redigaris. Hoc ideò dicit, quia ſolent meretrices cantibus vanos adoleſcentes ad ſe trahere.

l *Et erit, poſt ſeptuaginta annos viſitabit Dominus Tyrum.)* Hæc ad literam impleta fuiſſe hiſtoriæ Græcorum & Phœnicum memoriæ produnt, vt etiam Diuus Hieronymus teſtatur. Fuit enim Tyrus poſt annos ſeptuaginta ad priſtinum ſtatum reſtituta, & exercuit commercium cum omnibus gentibus: fuit enim poſteà celebre emporium, quò ex omnibus nationibus congregabantur multi ad exercendas negotiationes, quas hic propheta fornicationes vocat. Verſio Septuaginta habet in hunc modum: *Poſt ſeptuaginta annos viſitationem faciet Dominus Tyri, & iterum reſtituetur in antiquum, eritque negotiatio eius omnibus regnis orbis terrarum ſuper faciem terræ.* Quę verba ſatis indicant quid per fornicationes hoc loco intelligatur. E

m *Et erunt negotiationes eius, & merces eius ſanctificatæ Domino.)* Vaticinatur de conuerſione Tyri ad Chriſtum, quæ poſt multos annos futura erat. Multi enim ex Tyriis receperunt fidem, vt videre licet apud Lucam Actorum c. vigeſimoprimo. Eſt igitur ſenſus: Tyrij negotiationes terrenas in ſpirituales commutabunt, erunt enim eorum merces Domino dicatæ & ſanctificatæ. Non condentur neque reponentur, hoc eſt, non facient theſauros in terris, ſed *Matth. 6.* diuitias inter pauperes diſtribuent, & iuxta Chriſti ſententiam in cœlo theſaurizabunt.

n *Quia his qui habitauerint coram Domino.)* Senſus eſt: Qui Deo ſeruierint, hoc ſolùm vellent ex temporali negotiatione, nempe habere victum, quo ſaturẽtur: & honeſtum indumentum, quo veſtiantur. Capitur autem hîc ſaturitas non pro redundãtia & ſuperfluitate, ſed pro decenti & honeſta refectione, quam ſolam deſiderare debemus, iuxta id quod ait Paulus *1. Tim. 6.* ad Timotheum: *Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia.* Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid poſſumus. Hãbentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contẽti ſimus. Docet hic locus Eſaiæ fideles ac pios homines negotiatores eſſe non humanis ac turbulentis negotiis implicatos, ſed eos, qui quærẽtes bonas margaritas, inuenta vna precioſa, vendunt omnia ſua, & emunt eã, quæ quidẽ Chriſtus eſt. Hi ſunt negotiatores illi, quibus homo nobilis datis talentis dixit, *Negotiamini dũ venio*, vt eſt apud Lucam c. 19. qui operantes, fuerunt alia talenta lucrati, quorum meminit etiam Matthæus capite 25. Hi ſunt, qui fletu emunt gaudium, terra cœlum, re finita infinitam, & temporali æternam, & auro terreno aurum cœleſte, de quo dicebat Chriſtus in Apocalypſi Diui Ioannis

A nis Apoſtoli: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias.* O fœlices nundinas, ô admirabiles commutationes. Eamus omnes ad tale emporium, vbi paruo precio æternam gloriam comparemus. Sed quoniam diabolus eſt etiam mercator, qui breues ac peſtilentes voluptates, aliáſque mortiferas merces precio animarum vendit, aut ſaltem promittit, vt nos ad æterna ſupplicia deducat, eſt ſumma diligentia & conſideratione aduertendum, ne cum tali negotiatore commercia exerceamus. Oſtendit dapes in ſuperficie ſuaues & appetendas, ſed intus funeſtas & latenti veneno contaminatas. Non eſt aurum id, quod apparet, ſed ſcoria: non mel, ſed fel: non vita, ſed mors: non fama, ſed ignominia: non bonum ſed *ſimile.* malum. Vt enim ſtultus cenſetur, qui equum empturus non ipſum inſpicit, & faſtidioſè perpēdit, ſed ſolùm eius frænum, ſtratum, & exteriora ornamenta in-
B tuetur: ſic inſanus iudicandus eſt, qui mercium diaboli ſpeciem ſolùm aſpicit, interiora verò minimè contemplatur. Non eſt cryſtallus omne id, quod cry- D
ſtallus apparet, vitrum enim cryſtallum imitatur, res fragilis & vilis rem ſolidam & precioſam. Imò venenum habet aliquando ſpeciem medicamenti. Tres *ſimile.*
mercatores ſunt peſtilentes & pernicioſi, qui perniciem nobis voluptatis ſpecie & ſimulatione tegentes vendunt, & ad ſuas officinas alliciunt, & vocant, diabolus, mundus, & caro, qui nobis interitum & exitiū machinantur. Eos fugiamus, eorum voluptates contemnamus, & peſtiferas merces deteſtemur. Quid nobis cum mundo, quem antiqui malorum congeriem appellarunt? cuius vitam & naturam Plotinus Platonicus quaſi magicam eſſe affirmauit, imagines boni veri ac pulchri vbique fingentis, falſúmque pro vero ſimulantis. Cæterùm reſpice & conſidera Eſaiæ artificium, quemadmodum ex hiſtoria ſe cōtulit ad Spiritum, & ad tempus Meſſiæ, de quo eſt ſuum præcipuum propoſitum tractare.

ANNOTATIO.

E

1 Non eſt cingulum vltra tibi.] *Pro* cingulo *in Hebraico eſt* מזרח *mezach, quod nomen ſignificat fortitudinem & cingulum, quòd cingat lumbos, vbi robur eſt, & fortitudo, à verbo mazach, quod ſignificat roborare. Thargum habet tekoph, quod nomen propriè fortitudinem ſignificat. Ideò Pagninus vertit:* Non eſt fortitudo vltrà. *Septuaginta habent:* manus tua nequaquam præualet. *Symmachus:* Non poteris vltrà reſiſtere, interpretans ſenſum potius quàm verba.

2 In Cethim conſurgens transfreta.] *Pro* Cethim *autem eſt in Hebraico Cittim, & bis eſt in hoc capite ita ſcriptum hoc nomen. Eſt etiam eodem modo ſcriptum Numerorum capite vigeſimoquarto, vbi pro Cittim editio vulgata habet Italiam, ita dicens:* Venient in trieribus de Italia, ſuperabūt Aſſyrios, vaſtabúntque Hebræos.
C *Quibus verbis Balaam vaticinatus eſt Romanos tempore Meſſiæ eſſe Iudæam vaſtaturos. Id quod perſpicuum eſt ſub Tito Veſpaſiano euenisſe. Et quoniam tunc Hieroſolyma & tota Iudæa fuit ob Iudæorum infidelitatem, impietatem, & ingratitudinem euerſa, perſpicuum eſt, tempus Meſſiæ aduenisſe. Intelligi autem vaticinationem illam de tempore Meſſiæ, indicant verba Balaā ita in eodem capite literis mandata:* Dabo tibi conſilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore. *Planum eſt enim tempus extremum ſiue nouiſſimum in diuinis literis tempus Meſſiæ appellari, vt in explanatione ſecundi capitis Eſaiæ explicuimus. Et volens Balaam indicare id, quod dicebat fore tempore Meſſiæ, qui erat vt lux magna venturus, ait:* Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael. *Pro quo Thargum Onkeli, hoc eſt paraphraſis Chaldæa Onkeli ita habet:* Cùm ſurrexerit rex ex Iacob, natúſq; fuerit Meſſias ex Iſrael: *Vbi vides per ſtellam & virgam Chriſtum ſignificari. Hæc eſt virga illa, de qua dixit capite vndecimo Eſaias:* Egredietur virga de radice Ieſſe. *Et paulò poſt ait Balaam:* Venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios vaſtabúntque Hebræos. *Neque poſſunt Iudæi negare dictionem hanc Cittim illic poſitam Italiam ſignificare: nam Chaldæus Paraphraſtes, quem modò citaui, qui eſt apud eos ſummæ authoritatis, ita illum locum tranſtulit:* Et naues veniēt à Romanis. *Septuaginta etiam interpretes pro Cittim Italiam vertunt. In qua ſententia eſt Thargum Hieroſolymitanum, cuius ad literam hæc ſunt verba:* Egredietur copiæ multæ ex prouincia Italiæ vnà cum multis legionibus Romanorum. *Sed quoniam poſtquam hic aut ſcriptura:* Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael, *ſequitur ſtatim:* Et percutiet duces Moab, vaſtabítque omnes filios Seth, *negant Iudæi vaticinium hoc Chriſto noſtro conuenire, quoniam aiunt eum nunquam Moabitas percuſſiſſe, nec filios Seth vaſtaſſe, ſeu, vt habet Thargum Onkeli, omnibus filiis hominum fuiſſe dominatum. At non intelligunt cæci & ſtulti homines, hæc non carnaliter ſed ſpiritualiter eſſe intelligenda. Duces Moab ſunt dæmones, quos Diuus Paulus in epiſtola ad Philippēſes appellat principes & poteſtates, harúmque tenebrarum rectores. Hos percuſſit Chriſtus ſaluator noſter, & de illis diuinam victoriam reportauit. Per filios Seth intelliguntur impij peccatores, quos Chriſtus euertit, non quo ad perſonas, ſed quo ad impietates, non auferendo ab illis vitam, ſed idololatriam: non ſalutem, ſed impietatem. Perierunt igitur quatenus peccatores, hoc eſt, periit eorum impietas & deprauata cæcitas. Id prædixerat diuinus* Pſal. 9. *Pſaltes ita Meſſiam alloquens:* Increpaſti gentes, & periit impius, nomen eorum deleſti in æternum, & in ſeculum ſeculi. *Et quoniam hi à iugo dæmonis liberati* F *ſe Chriſto ſubiecerunt, ideò vbi communis editio habet:* Vaſtabit omnes filios Seth, *vertit Chaldæus paraphraſtes:* Dominabitur omnibus filiis hominum. *Intelligit per filios Seth omnes homines, quoniam à Noë omnes originem ducimus, Noë autem à Seth, qui in locum Abelis occiſi ſucceſſit, cùm Cain proles fuerit diluuio extincta. Hic Meſſias, quem hic omnium hominum dominatorē ſcriptura iuxta Onkelum appellat, eſt ille, de quo dicebat* Eſaias: Emitte agnum Domine dominatorem terræ, *Sap. 16.* de petra deſerti ad montem filiæ Sion. *Cùm autem in illo Numerorum loco Cittim Italiam ſignificet, credibile eſt hoc in loco Eſaiæ eandem etiam ſignificare. Inuenies hanc dictionem apud Ieremiam capite ſecundo, & apud Ezechielem capite vigeſimoſeptimo, vbi noſter interpres Italiam vertit, & meritò quidem. Nam Cittim regnum Italiæ obtinuit, qui à Ianiginis fuit etiam Italus vocatus. Author eſt Beroſus Chaldæus libro quinto Antiquitatum, qui floruit ante Alexandri monarchiam. A Cittim autem Italo fuit regio illa Cittim & Italia nominata. Vnde deberet hæc dictio per i, non autem per e ſcribi, quemadmodum bis in hoc capite, & ſemel in capite decimo Geneſeos eam ſcriptam inuenies. Cethim autem, quę ſcribitur per e, eſt ciuitas quædam Macedoniæ, de qua in primo capite libri primi Machabęorum inſcriptum legimus:* Poſtquam percuſſit Alexander Philippi rex Macedo, qui primus regnauit in Græcia, egreſſus de terra Cethim, Darium regem Perſarum & Medorum &c.

3 *Aſſur*

A 3 Assur fundauit eã.] *Pro Assur est in Hebraico* אשור *Axur, quemadmodum Geneseos capite decimo, vbi scriptum legimus egressum fuisse Assur de terra Senaar, ædificásséque Niniuem ciuitatem magnam, in terra autem Senaar regnasse Nemrod. Vnde inferunt nonnulli populum Chaldæorum non fuisse ab Assur, sed à Nemrod fundatum: & ob eam causam hic existimant per eam intelligi Tyrum, non autem Chaldæam, cùm tamen prophanæ historiæ dicant Tyrum coloniam fuisse Sidonis, conditam ab Agenore tempore Troianæ euersionis. Ideò mihi prior opinio magis placet, quoniam etsi Assur non fuerit Babylonis constructor, condidit tamen Niniuem in Chaldæa, eiusque populum fundauit. Si fusè scire volueris, quis fuerit hic Assur siue Assyrius, à quo Assyria nomen accepit, lege Xenophontem de æquiuocis capite primo, vbi asserit hunc appellatum esse Ninum, Herculem, & Iouem, à quo, quia Ninus vocabatur, fuit ciuitas Niniue denominata.* D

Argumentum capitis XXIIII.

Superioribus capitibus vaticinatus fuerat Esaias de euersione Hierosolymæ, Babylonis, & nonnullarum aliarum nationum in particulari: nunc autem generalem totius terræ interitum & vastitatem, eiúsque habitatorum in extremo iudicio confusionem prædicit.

CAPVT XXIIII.

Ecce [a] Dominus dissipabit terram, [b] & nudabit eam, & affliget faciem eius, & dispergit habitatores eius. [c] Et erit sicut populus sic sacerdos, & sicut seruus sic dominus eius, & sicut ancilla sic domina eius, sicut emens sic ille qui vendit, sicut fœnerator sic is qui mutuum accipit, sicut qui repetit sic qui debet. Dissipatione dissipabitur terra, & direptione prædabitur. Dominus enim locutus est verbum hoc. [d] Luxit & defluxit terra, & infirmata est: defluxit orbis, & [e] infirmata est altitudo populi terræ. [f] Et terra infecta est ab habitatoribus suis, [g] quia transgressi sunt leges, [h] mutauerunt ius, [i] dissipauerunt [4] fœdus sempiternum. [k] Propter hoc maledictio vorabit terram, [l] & peccabunt habitatores eius, ideóque [m] insanient cultores eius, [n] & relinquentur homines pauci. [o] Luxit vindemia, infirmata est viris. Ingemuerunt omnes qui lætabantur corde. [p] Cessauit gaudium tympanorum, quieuit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. Cum cantico non bibent vinum: amara erit potio bibentium illam. [q] Attrita est ciuitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte. [r] Clamor erit super vino in plateis: deserta est omnis lætitia, translatum est gaudium terræ. Relicta est in vrbe solitudo, & calamitas opprimet portas. [s] Quia hæc erunt in medio terræ in medio populorum, [t] quomodo si paucæ oliuæ quæ remanserunt, excutiantur ex olea, & racemi cùm fuerit finita vindemia. [u] Hi leuabunt vocem suam, atque laudabunt: cùm glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. [x] Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum: in insulis maris nomen Domini Dei Israel. [y] A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iusti. Et dixi: secretum meum mihi, secretum meum mihi. [z] Væ mihi. Præuaricantes præuaricati sunt, & præuaricationes transgressorum præuaricati sunt. [aa] Formido, & fouea, & laqueus super te, qui habitator es terræ. *Ier. 48. g.*

F

C

EXPLANATIO.

a *Ecce Dominus dißipabit terram.*) Hoc est, Deus in fine mundi vniuersam terram vastabit. Esse terram in fine mundi transituram, asserit Christus apud Matthæum iis verbis: *Non præteribit generatio hæc, donec hæc omnia fiant. Cœlum & terra transibunt, &c.* Quamuis enim dicat Ecclesiastes, *Terra autem in æternũ stat*, hoc intelligitur per essentiam, sed præteribit & mutabitur ab eo statu, in quo nunc est, & figuram suam amittet. Id dicunt nonnulli voluisse significare Diuum Paulum cùm dixit in epistola prima ad Corinthios: *Præterit figura huius mundi.* Non dixit Præterit mundi substantia, sed *figura.* Et ad Hebræos hæc verba Psalmistæ citat: *Et tu in principio Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascent. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur.* Potest etiam locus ille Salomonis ita explanari: *Terra immobilis manet ad longum tempus permansura.* In æternum enim capitur aliquando pro longi temporis spatio, vt Exodi capite vigesimoprimo: *Et seruient in æternum.* Id est, ad iubilæum. Anno enim iubilei omnes liberi manebant, vt habes capite vigesimoquinto Leuitici. Illud certum est terram transituram esse, & terrã nouam futuram, ait enim Angelus Ioannis Euangelistæ in Apocalypsi: *Vidi cœlum nouum & terram nouam.* Primum enim cœlum & prima terra abiit. Non quòd alia terra & aliud cœlum condendũ sit, sed ait renouanda esse ea ipsa, quæ nunc sunt. Ita graues authores locum illum interpretantur. Qua de re vide ea, quæ copiosè tractat Diuus Petrus capite tertio epistolæ suæ secundæ.

Matt. 24. *Eccle. 1.* *Sap. 16.* *Hebr. 1.* *Psal. 101.* *Apoc. 21.*

b *Et nudabit eam.*) Subaudi ab habitatoribus, ita vt maneat deserta. *Et affliget faciẽ eius*, hoc est, dabit ei aliam faciem & figuram. *Et dispergit habitatores eius*, hoc est, iustos ad gaudia æterna perducet, impios verò ad inferorum supplicia.

c *Et erit sicut populus.*) In illa die nulla erit hac in re differentia inter nobiles & obscuros, sacerdotes & laicos, sed omnes apparebunt ante Christi tribunal reddituri de vita sua rationem. Non respiciet Deus ibi generis nobilitatem, aut obscuritatem, sed virtutes & vitia, vt vnus quisque iuxta opera sua aut præmio afficiatur, aut supplicio. *Non enim est acceptio personarum apud Deum.*

d *Luxit & defluxit terra.*) Vtitur Propheta præteritis pro futuris more Prophetico. Sensus est: Cùm terra defluxerit, lugebunt & plangent in die iudicij homines, qui, vt alio in loco etiam annotauimus, nomine terræ significãtur. Ait enim Christus apud Matthæum: *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cœlorum mouebuntur: & tunc parebit signum filij hominis in cælo. & tunc plangent omnes tribus terræ.* *Mat. 24.*

e *Et*

A e *Et infirmata est altitudo populi terræ.*) Id est, Diuites & potentes confringentur. Nihil illis valebunt diuitiæ, imperia, & magistratus. Nam, vt ait Salomon in Prouerbiis, *Non proderunt diuitiæ in die vltionis, iustitia autem liberabit à morte.* Dicent enim impij in inferno, vt in libro Sapientiæ scriptum legimus. *Quid nobis profuit superbia? & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa sicut vmbra, & tanquam nuntius præcurrens.* Primi aduersus quos Propheta hoc in loco vaticinatur, sunt diuites & potentes.

Prou 11.

Sapien. 5.

f *Terra infecta est ab habitatoribus suis.*) Imminente iudicio terra reddetur sterilis propter iniquos habitatores. Vbi vides ideo terram non ferre vberes fructus, quia ab improbis colitur.

g *Quia transgressi sunt leges.*) Loquitur de legibus ciuilibus. Potest etiã hic locus intelligi de omnibus legibus, naturali, & scripta data per Moysem, & de Euangelio Christi. Primam tamen expositionẽ magis amplector propter ea quæ sequũtur. Sed quæ sit mea propria huius loci expositio & sententia, videbis in annotationibus ex Hebræo.

B h *Mutauerunt ius.*) Id est, Pro libito suo sententias tulerunt, non considerata iustitia nec ratione. Peruertunt iudices fundamenta naturę, cùm à sententiis iustitiam seiungunt.

i *Dissipauerunt fœdus sempiternum.*) Violauerunt amicitiam, quam deberent cum amicis perpetuò conseruare. Vide quanti æstimanda est amicitia. Vel loquitur aduersus Iudæos, qui fœdus sempiternum, & pactum quod de seruanda diuina lege fecerant, fregerunt. Capitur igitur fœdus pro pace, & fide, ac pacto. Sed quoniam fœdus accipitur etiam pro lege: vt apud Virgilium: *Regémque dedit, qui fœdere certo, Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas,* existimo hoc in loco posse ipsam diuinam legem significari. Sic Deus apud Oseam *Transgressi sunt,* inquit, *fœdus meũ.* Et explicans quid esset transgredi fœdus, subiungit: *Et legem meam præuaricati sunt.* Sed tunc quædam insurgit dubitatio, quî fieri potest vt lex appelletur sẽpiterna, cùm cessauerit? Sed huic quæstioni facilè respondetur, si legem ipsam loquentem audierimus, quę æternum & sempiternum appeliat id, quod vsque ad tempus Messiæ, & ad promulgationem Euangelij erat duraturum. Et ita Deus promisit semini Abrahæ terram Chanaam in possessionem æternam, quam Iudæi post Christi mortem, & sufficientem Euangelij promulgationem amiserunt. Possunt etiam omnia legalia dici sempiterna ratione sui significati, erant enim figuræ earum rerum, quæ semper duraturæ sunt. Paulò antè dixerat: *Transgressi sunt leges.* Et statim: *Mutauerunt ius.* Et confestim subiungit: *Dissipauerunt fœdus sempiternum.* Et quoniam solet Esaias sæpenumero multa vnum atque idem diuersis verbis significantia congerere, fortasse hoc in loco per leges, ius & fœdus idem voluit intelligere, vt sit congeries rhetorica.

Ose 8.

C

Gen. 17.

k *Propter hoc maledictio vorabit terram.*) In principio benedixit Deus creaturis, quas fecerat: sed quoniam homines impij & scelerati suum dereliquerũt creatorem, séque vitiis dediderunt, maledicentur in fine mundi, erúntque à Deo maledicti. Vel sic: Hominum maledictio & flagitium terram consumet, & velut bestia deuorabit.

l *Peccabunt habitatores terræ.*) Illi se flagitiis implicant, qui sunt terræ ciues, quibus in Apocalypsi Ioannis dicitur: *Væ habitantibus in terra.* Viri enim iusti & pij non in terra habitant, sed in cœlo, de quibus ait Paulus Apostolus: *Nostra enim conuersatio in cœlis est.* Vnde Cain terrenam ciuitatem condidit. Abel autem non item, vt, & non sine mysterio, literæ diuinæ testantur. Vtuntur viri iusti terra hac, tanquam peregrini, non habentes hic ciuitatem manentem, sed futuram inquirentes. Ideò mundi voluptates & opes contemnunt, temerarias cupiditates coërcent, timores, & inanes solicitudines pellunt, & neque rerum aduersarum ictibus franguntur, neq; vlla temporum varietate labefactantur. Si autem ruunt, & in crimen aliquod incidunt, eriguntur diuino auxilio, & ad cœlestia aspirantes diuini numinis amore rapiuntur.

Apoc. 8.

Phil. 3

Gen. 4

D

m *Insanient cultores eius.*) Aspicis hic apertissimè homines humanis vitiis implicatos, qui non cœli sed terræ cultores appellantur, insanos esse, eorúmq; insaniam ex peccatis prouenire. Ait enim Propheta: *Peccabunt habitatores terræ:* ideóque insanient cultores eius. Omnes qui se vitiis contaminant, & in illis perseuerãt, iudicio absque dubio carent. Vnde ait Salomon in Prouerbiis, *Impius ignorat scientiam.* In Psal. vbi nostra editio habet: *Dixi iniquis, nolite iniquè agere,* habet versio Fœlicis: *Dixi insipientibus, nolite insanire.* Idem enim vocabulum & iniquum & insipientem significat: omnis enim iniquus est insipiens. Id quod etiam gentium Philosophi asseruerunt. Aristoteles enim planè inquit omnem hominẽ flagitiosum ignorantem esse. Qua de re poteris ea videre, quæ fusius scripsimus cap. 5. illa verba explanantes: *Propterea ductus est captiuus populus meus, quia non habuit scientiam.*

Psal. 13

Psal. 74

E

n *Et relinquẽtur homines pauci.*) In fine mũdi priusquam indicij tempus adueniat, pauci homines reperientur. Præcedẽt enim bella & pestilentiæ. Et erit, vt est apud Lucam, in terris pressura gentium præ cõfusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus, præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi. Vel homines, eos tãtùm appellat, qui eo munere funguntur, cuius colendi efficiẽdíq; causa, Deus eos creauit, eísque naturam rationis participem dedit. Formauit enim Deus hominẽ, & sui sanctissimi numinis simílem fecit, vt pestiferas voluptates contemneret, ipsum Deum summè coleret, eiúsque amore ardentissimè flagraret, & in beatissimis sedibus ac cœlestibus mansionibus æuo sempiterno frueretur. Ex quo efficitur, vt illi, qui vitiis imbuuntur, & in erroribus & vanitatibus versantur, immemores æternitatis, summam fœlicitatem in mundi opibus & voluptatibus collocantes, indigni sint, qui homines appellentur. Græci appellant hominem ἄνθρωπον, quasi sursum vergentem, & contemplantem. Nam reliqua animantia terræ prona sunt, ventríque obtemperantia, solus homo est erectus, & ad cœlum, eiúsque considerationem & contemplationem quasi ad propriam patriam eleuatus. Vnde apertè concluditur eos nomine hominum priuari, qui non in sublime feruntur, sed terrena tantùm intuentur. Socrates apud Platonem in Cratylo, existimat dici ἄνθρωπον, quasi ea, quæ aspicit, contemplãtem: cùm cętera animalia altitudine & excellẽtia cõtemplationis careant, quæ etiam ratio conuenit huic nostræ interpretationi. Prior tamen nominis deriuatio est Lactantij Firmiani capite primo libri secundi diuinarum institutionum.

Luc. 11.

F

o *Luxit vindemia, infirmata est vitis.*) Hoc est, deficiet vinum, nullam habebunt iniqui consolationem, & omnis impiorum lætitia in luctum conuertetur.

p *Cessauit gaudium tympanorum.*) Describit mœrorem, quo afficientur iniqui.

q *Attrita est ciuitas vanitatis.*) Totum orbem appellat ciuitatem vanitatis. Elegans quidem & pulchra periphrasis. Quasi dicat: Nemo existimet esse hunc terrarum orbem perpetuò duraturum. Est enim vana quædam ostentatio, quæ citò peribit. Fortasse per ciuitatem vanitatis eas vrbes intelligit, quæ ido-

A idololatriæ,superstitionibus,cæterisque vanitatibus deditæ sunt.

r *Clamor erit super vino.*) Plorabunt se fuisse vino deditos. Vel lugebunt vini defectum.

s *Quia hæc erunt in medio terræ,in medio populorũ.*) Explicat fore hunc interitum in toto orbe terrarũ.

t *Quomodo si paucæ oliuæ.*) Comparat hoc in loco Propheta viros iustos,qui appropinquante seculi cõsummatione fuerint relicti in terra,raris baccis oliuarum,quæ post excussionem remanserunt in ramorũ cacumine: & paucis racemis,qui post vindemiam fuerunt in vitibus relicti. Quanquam enim multi sunt vocati,pauci tamen sunt electi. *Matt.20.*

v *Hi leuabunt vocem suam,atque laudabunt.*) Iusti, qui manserint in terra,vocibus suis in sublime leuatis Dominum laudabunt. Et veniente Christo,in maiestate regnante,hinnient præ lætitia, equorũ more, & in mari huius seculi lætabuntur. Quidam vertit: *Exultabunt ab Occidente*, vt sit sensus: Illi qui in finibus terræ in Occidentali plaga fuerint, afficientur gaudio,Christi gloriam aspicientes. Prima tamen expositio est communior & melior. Orbem terræ vocat mare,quemadmodum capite vigesimoprimo, Babylonẽ ipsam mare etiam appellauit. *Onus*, inquiẽs, *deserti maris.* Tu verò considera Dei nostri clementiam,eámque alta mente perpende, qui cùm in hoc capite minetur peccatorib. horribiles timores extremi iudicij,iustos tamẽ cõsolatur. Christe sancte quã immensa est tuæ pietatis magnitudo,qui inter præconia tuæ iustitiæ,non es oblitus tuæ misericordiæ! Eodem modo apud Lucã post minas & terrores subiungit: *His autem fieri incipientibus, suspicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Non est redemptio,nisi vbi præcessit captiuitas: cùm verò in fine mundi appropinquet iustorum redemptio,apertè concluditur hunc mundum esse eorum carcerem & captiuitatem. Id intelligens Dauid dicebat in Psalmo: *Conuerte Domine captiuitatem nostram sicut torrẽs in austro.* Igitur in fine mũdi leuabũt capita,erigent seipsos illi,qui hic abiecti ab iniquis premebantur,& gaudio afficientur. Quando igitur appropinquauerit tempus illud formidolosum, quo omnes vocabimur in iudicium,omnium nostrarũ actionũ rationem reddituri,improbi & flagitiosi premẽtur,eorúmque dominabuntur iusti & pij,qui nũc ab illis acerbissimè vexantur.

B *Sup. 21.* *Luc. 21.* *Luc. 11.* *Psal.125*

x *Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum.*) Vos qui in doctrinis,hoc est,qui beneficio scripturarũ cognoscitis tanta vobis gaudia reseruari, laudate Dominũ. Et non solùm vos viri iusti,qui in terra stabili estis, hoc est qui in animi trãquillitate & securitate viuitis,qui vos ab hominũ frequentia in solitariã quietẽ recepistis,sed vobis qui in insulis habitatis, hoc est,qui tentationum fluctibus cõtiminis, qui negotiis implicati impetum maris mundi huius sentitis,laudate & glorificate nomen Domini Dei Israelis. Docet nos hic locus vitam contemplatiuã terræ firmæ & stabili comparari,actiuã verò insulæ maris fluctibus concussæ similem esse. Vtrunque tamen, & eum qui contemplationi, & qui actioni deditus est, Deum laudare debere. Possumus hunc locum ita explanare: *Laudate Dominum*,non solum vos qui habitatis in medio terræ,sed vos etiam qui in insulis & locis remotissimis vitam degitis.

C D

y A *finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iusti.*) Dixerat versu superiore habitantibus in insulis vt dominum laudarent: tunc prædicit hoc ita futurũ esse. Sensus est: Nos qui Spiritu Prophetico inspirati sumus,audiuimus à Domino dandam esse gloriã iusto, hoc est Christo,à finibus terræ,hoc est,ab illis etiam, qui colunt insulas remotissimas. Et cùm Propheta hæc dixisset, vidit mentis oculis multa, quæ nõ licet homini loqui. Dicerẽ ego vidisse Spiritu gloriã iustorũ,& impiorũ supplicia,eo modo quo Deus illi hæc voluit ostendere,& audiuisse arcana,quę, vt ait diuus Paulus, *non licet homini loqui.* Ideo inquit: *Secretum meum mihi,secretũ meum mihi.* Acsi diceret: Non possum ea,quæ vidi explicare. Bis posuit secretum, quoniam & præmium viderat bonorum,& flagitiorum suppliciũ. Hargum ita hunc locum interpretatur: *Dixit Propheta: Secretum mercedis iusti conspectũ est mihi,secretum vltionum impiorum reuelatũ est mihi.* Quæ verba huic nostræ explanationi apertissimè fauent. *2.Cor.12.*

E

z *Væ mihi,præuaricantes præuaricati sunt.*) Cùm vidisset Propheta impiorum & sceleratorum multitudinem,in hæc verba prorupit. Acsi diceret: Non possum non plorare tot hominum interitum & supplicium.

aa *Formido,& fouea,& laqueus, super te qui habitatores terræ.*) Appropinquante tempore iudicij, in timore,& dolore,& periculis versabuntur homines iniqui,quos non cœli sed terræ habitatores appellat,de quibus dixerat paulò ante: *Peccabũt habitatores terræ.*

F

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT XXIIII.

1 Ecce Dominus dissipabit terram.] *In Hebræo pro dissipare est* בוקק *bokek, quod significat dissipare,euacuare,populari. Nahum cap.2.* Quia vastatores dissipauerunt. *Quod etiam poterat verti:* Euacuatores euacuauerunt. *vel,* Populatores populati sunt. *Vnde illud Oseæ cap.10.* Vitis frondosa Israel, *poterat etiam verti:* Vitis vacua est Israel. *Vertit tamen interpres noster* frondosa, *quoniam eæ vites quæ siluescunt, & frondibus crescunt,nec amputantur, inutiles sunt & vacuæ: quod Symmachus intelligẽs vertit:* Vitis materialis, *hoc est,non amputata,sed frondibus atque palmitibus abundans. Eam ob causam vertit Pagninus hoc in loco:* Ecce Dominus euacuat terram, *hoc est,in solitudinem redigit. Quod non multùm distat à communi versione. Quod autem sequitur:* Et nudabit eam, *ita conuertit Pagninus:* Et desolare faciet eam. *In Hebræo est* ויבולקה *vuolekah à verbo* בלק *balak, quod significat nudare, desolare,& aperire. Est igitur terrã nudare, eam desertam facere absque vllo habitatore. Sed quoniam verbum hoc significat aperire, potest rectissimè locus hic ita ex Hebræo reddi in Latinum sermonem:* Ecce Dominus dissipabit terram eámque aperiet: *Vt significet in die iudicij aperiendam esse terram, vt mortui egrediantur, & resurgant. Qui dicunt intelligi totum hoc cap. de euersione Hierosolymæ per Titum, dicent Praphetam hic vaticinari aperiendam esse vrbem exercitui Romano.*

F

2 Luxit & defluxit terra.] *Pro* luxit *vertit Pagninus,* destructa est. *Verbum Hebraicum est* אבל *anal, quod significat lugere, vt patet mille in locis diuinarum literarum, Exodi 33.* Audiens populus sermonem hunc pessimum luxit, *Threnorum 1.* Viæ Sion lugent. *Oseæ 10.* Quia luxit super eum populus eius. *& multis alijs in locis, quæ breuitati studens omitto. Ideò existimo editionem vulgatam hoc in loco, quemadmodum in nonnullis alijs, magis esse secundum veritatem Hebraicam quàm Pagnini versionem. Septuaginta etiam verterunt,* luxit terra.

3 Terra infecta est.] *In multis codicibus Latinis est,*

A Terra interfecta est, *sed legendum* est infecta est, *vt nõ nulli codices correcti habent. Est enim in Hebraico: Et terra* חנפה *chanephah, à verbo* חנף, *quod significat polluere, & inficere. Ita apud Ieremiam 23.* Propheta nanque & sacerdos polluti sunt. *Vbi Trãslatio Chaldaica Ionathæ habet:* Fecerunt furtum legis eorũ. *Hoc est, mente legis abusi sunt. Tunc enim homines se inficiunt & polluunt, cùm Dei legem trãsgrediuntur, eámque ad suam voluntatem detorquent. Est igitur huius loci sensus: Habitatores terræ eam suis sceleribus ita polluerũt, & sterilẽ reddiderunt, vt nullos lætos fructus produceret. Pagninus hunc locum ita Latinũ reddidit:* Terra impiè egit *propter habitatores suos.* Verbum enim חנף *quod est in Hebraico, significat etiam iniquè agere, & personam acceptare. Vnde locus hic Ieremiæ, quẽ modò citauimus, potest ita verti,* Propheta nanque & sacerdos impiè egerunt, *vel, acceptatores personarum fuerunt. Potest igitur hic locus sic explanari: Terra impiè egit, hoc est, pœnas luit, acsi impietatem & scelus admisisset, Tunc enim terra dicitur pœnas dare, quando vastatur, & in sterilem solitudinem redigitur. Ita R. Dauid doctus inter Iudæos hũc locum interpretatur. Thargum vertit,* peccauit, *pro eo quod nostra versio habet* infecta est. *quam interpretationem secutus est Pagninus, cui fauet versio Septuaginta, quæ ita habet:* Terra autem egit impiè propter habitatores suos.

4 Dissipauerunt fœdus sempiternum.] *Septuaginta pro fœdere sempiterno verterunt* testamentum æternum, *quod ego absque dubio existimo esse Euangelium, quod etiam diuus Paulus Apostolus in epistola ad Hebræos eodem modo appellat, ita dicens:* Deus autem pa- *Heb. 13.*
B cis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouiũ in sanguine Testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum. *Quemadmodum enim Moyses legem firmaturus, manu poculum tenebat, in quo erat sanguis pecudum, vt in Exodo scriptum legimus: sic Christus nouam legem confirmaturus, calicẽ ostendit, in quo fuit prius eius sanguis, pro salute hominum fundendus. Ideò Apostolus ait,* In sanguine Testamenti æterni. *Et in consecratione vini vtitur Ecclesia hac forma:* Hic est calix sanguinis mei noui & æterni Testamẽti, *&c. Hoc est Testamentum illud quod Deus per Ieremiam promisit dicens:* Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda Te- *Exod. 24.*
D stamentum nouum, non secundum Testamentum, *Ierem. 31.*
quod feci patribus eorum. *Quem locum diuus Paulus in epistola ad Hebræos ca. 8. de Christi euangelio interpretatur. Et quoniam vetus lex fuit abrogata, noua autẽ semper est duratura, appellatur hîc ab Esaia* fœdus sempiternũ, *aut vt volunt Septuaginta,* Testamentum æternum. *Dixerat modò,* Trangressi sunt leges, mutauerunt ius: *& confestim subdit,* Dissipauerunt fœdus sempiternum. *Quæ verba Septuaginta ita verterunt:* Præuaricati sunt legem, mutauerunt præcepta, Testamentum æternum. *Tria sunt, ob quorum præuaricationẽ Deus mundi ruinam & vastitatem minatur, lex, præcepta & æternum Testamentum. Ego existimo per legem intelligi legem naturalem, per præcepta legem scriptam, per Testamentum æternum, legem gratię & Christi Euangelium.*

5 Insaniẽt cultores eius.) *Septuaginta habent:* Pauperes erunt habitatores terræ. *Omnes iniqui sunt insani, omnes autem insani pauperes, quia spirituales diuitias perdiderunt. In Hebraico est* חרר *charu, à verbo* חרר *charar, quod significat insanire, æstuare, ardere, deficere.* E *Ideó Pagninus vertit:* Cõbusti sunt habitatores eius. *Æstuant, insaniunt, deficiunt, & comburuntur, qui non cœlum sed terram colunt, & intuentur, qui negotiis humanis implicati, tanquam mundi ciues ad cœlestia nequaquam aspirant.*

Et erit, a qui fugerit à facie formidinis, cadet in feueã: & qui se explicauerit de fouea, tenebitur laquco: b quia cataractæ de excelsis apertæ sunt, & concutientur fundamenta terræ. c Confractione confringetur terra, contritione cõteretur terra, cõmotione commouebitur terra: agitatione agitabitur terra, sicut ebrius, & auferetur d quasi tabernaculum vnius noctis: & grauabit eam iniquitas sua, & corruet: & nõ adiiciet, vt resurgat. Et erit: In die illa e visitabit f Dominus super militiam cœli in excelso: & super reges terræ, qui sunt super terrã. f Et congregabuntur in congregatione vnius fascis in lacum, & claudẽtur ibi in carcere: & post multos dies visitabuntur. g Et erubescet luna, & confundetur, sol, cùm regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Ierusalem, & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.

a *Et erit, qui fugerit à facie formidinis, cadet in foueã.)* Describit calamitates improborum aduentante extremo iudicio, qui volentes declinare vnum periculum, incident in aliud.

b *Quia cataractæ.)* Dixerat nullũ peccatorem esse à formidine, fouea, & laqueis euasurũ: nũc reddens huC ius rei causam, inquit hoc ita fore, quia tunc in extremo tempore aperientur fenestræ cœli, & videbit Dominus vniuersa hominũ peccata, quæ anteà, quia ea non puniebat, videbatur non videre. Quibus visis cõcutientur præ timore fundamenta terræ. Ita dicitur in Psalmo: *Qui respicit terram, & facit eam tremere.* *Psal. 113*
Describit Propheta admirabilem Dei potentiam qui facit totam terram vel solo aspectu concuti, tremoréque labefactari. Fortasse in cataractis in cœlo apertis alludit ad id, quod est scriptum in Psalmo decimo: *Pluet super peccatores laqueos.* Hoc est, improbos acerrimè puniet, eis laqueos instar pluuiæ emittens, quibus eos capiat & perdat. Septuaginta hũc Esaiæ locum ita verterunt: *Fenestræ cœli apertæ sunt.*

c *Confractione confringetur terra.)* Quasi volens absorbere peccatores.

d *Quasi tabernaculum vnius noctis.)* Id est, quasi tentorium siue tuguriolum, quod pastor singulis noctiF bus de loco ad locum transmutat.

e *Visitabit Dominus super militiam cœli.)* Id est, super sidera. Vbi nostra editio c. quarto Deuteronomij habet: *Ne fortè eleuatis oculis ad cœlum videas Solem, & Lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea,* habet versio Pagnini pro astris cœli *militiam cœli.* Nec est infrequens in literis diuinis astra, militiam, & exercitus, & virtutes cœli, appellari. Hunc sensum habent verba illa libri quarti Regum capite vigesimo primo: *Et adorauit omnem militiam cœli.* Ac si diceret: Non erat in cœlo stella, quam impius Manasses superstitioni idololatriæque deditus non coleret. Est igitur huius loci Esaiæ sensus: In tempore extremi iudicij conturbabit Dominus omnia sidera. Nam sol obscurabitur, vt ait Christus apud Mat- *Matth. 4.*
thæum, & *luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo.* Sunt qui per cœlum hoc in loco aërem intelligant, & per cœli militiã dæmones, quos diuus Paulus

A lus tenebrarum harum rectores appellat. Prior tamẽ expositio mihi magis placet, quoniam non solet scriptura dæmones cœli militiam vocare.

f *Et congregabuntur.*) Sensus est: Reges terræ cum primùm excesserint è vita, in inferno congregabuntur. Sed post multos dies, nempe in die iudicij visitabuntur, quãdo ab illis exigetur suæ vitę ratio. Sed audita sententia iterum in inferos in æternum relegabũtur. Est enim ignis ille æternus, vt apud Matthęũ ait Christus cap. vigesimoquinto, & diuus Ioannes apocalypsi cap. 14. Neque est dubitandum sit necne liber Apocalypsis à diuo Ioanne Euangelista cõscriptus, cùm id teneat Ecclesia, sítque ab antiquissimis scriptoribus assertum & comprobatum. Eusebius in historia Ecclesiastica libro quarto cap. decimooctauo ait Iustinum martyrem illud affirmasse, & libro sexto capite decimonono ait hanc esse firmam Origenis sententiam. Cæterùm id, quod hîc Esaias dicit aduersus reges, non est de omnibus intelligendum, cùm multi sint sapientia conspicui, iustitiaque præcellentes, sed de impiis & flagitiosis.

Ierem. 31

g *Et erubescet luna.*) Explicat id quod dixerat: *Visitabit Dominus super militiam cœli.* Vel per solem intelligit principes Ecclesiasticos, per lunam verò seculares, qui se in vita vitiis implicarunt, & in violãda iustitia impia scelera admiserunt. Tunc enim in illo terribili iudicio, visa Christi maiestate, quem illi contẽpserant, turbabuntur, & confundentur. Quoniam cùm deberent, dum viuebant, alios illuminare, non solùm non illuminarunt, sed etiam obscurauerunt. Quî enim fieri poterat, vt alios suorum radiorum splendore illustrarent, cùm ipsi eclipsim paterẽ tur, essẽntque tenebris & caligine circũfusi? Vt enim eclipsis lunæ est interpositio terræ inter solem & lunam, sic quando terra, hoc est, mundi opes & voluptates interponuntur inter mundi principes, qui lunæ nomine significantur, & solem illum iustitiæ Christum Deum nostrum, efficitur vt lumine careant principes, defectúmque patiãtur, in vmbra terrę existentes. Tunc enim fit eclipsis, cùm luna in terræ vmbra consistit. Quid aliud sunt mundi magistratus, potentiæ, diuitię, & voluptates, quàm vmbra terræ? Illos, qui in infernum detrusi æternis cruciatibus torquentur, in hunc modum scriptura in libro Sapiẽtiæ facit loquentes: *Quid nobis profuit superbia? Et diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa sicut vmbra.* Et in Ecclesiastico hi, qui has mundi res inanes, fallaces, & fluxas, quærunt & appetunt, illis comparantur, qui sequuntur ventos, & apprehendunt vmbras. Hoc pertinet ad Lunæ eclipsim. Sol verò tunc obscuratur, cùm interponitur luna inter ipsum & homines. Quis est hic sol nisi præsul, qui cũ debeat omnes illuminare, ob eã causam deficit, nullisque micat radiis, quia interponitur & obiicitur illi luna, hoc est humana potentia? Eam ob causam antistites, Ecclesiæque pastores tenebris offunduntur quia non Dei obsequium & honorem, sed humanas dignitates & voluptates intuentur. Non loquor de illis, qui rectè gubernant. Sunt enim multi, qui oues suas saluberrimè pascunt, qui illas tantùm opes quærunt, quæ animum amplificant, diuitémque faciũt, ex quibus vera dignitas redundat & efflorescit. Sed de illis loquor, qui curæ pastoralis obliti, virtutísq; ornamentis nudati in summa ignominia versantur.

simile.

Sap. 5. Eccle. 34.

Totum hoc caput exposuimus de mundi interitu, vltimíque iudicij tempore. Et hæc diui Hieronymi sentẽtia, quam posteà secuti sunt multi, quorum explanationem amplectimur. Sunt tamen nonnulli, qui omnia hæc ad captiuitatẽ decẽ tribuum referãt, quæ omnes dispergendæ prædicantur in varias regiones absque vlla personarum differentia, quòd fuerint diuinam legem præuaricatæ. Cùm enim euerterent fundamenta iustitiæ, impiisque sceleribus pascerentur, veróque Deo relicto falsa idola colerent, æquum fuit, vt omnes pariter punirẽtur. Sed tunc nescio quemadmodum possit cum hac sententia cõuenire id, quod hîc dicitur: *Et erit in die illa, visitabit Dominus super militiam cæli.* Non enim legimus talia in illa captiuitate euenisse: nisi per militiã cœli intelligant exercitum Israelis. Præterea sunt nonnulla alia in hoc capite, quæ non videntur huic interpretationi cõgruere. Ideò alij de euersione duarum tribuum ob Christum non receptũ, quãdo Hierosolyma fuit à Tito funditus euersa, illud interpretantur: quę opinio non videtur habere tot impedimenta. Nam Iosephus Hebræus, insignis historiographus ca. 12. libri 7. de bello Iudaico inter prodigia & præsagia excidiũ Hierosolymę præcedentia narrat, sydus simile gladio supra ciuitatem stetisse, tantúmque circa tem plũ lumen noctù effulsisse, vt clarissimus dies putare tur. Sed quoniam Esaias præcedente capite locutus fuerat de Tyri euersione, nõ deest qui totum hoc caput existimet esse non ad Hebræorum, sed ad Tyrio rum euersionem calamitatémque referendum, quoniam solet Esaias ea, quæ in vno capite breuiter attingit, in sequẽti latius dilatare. Nos verò ex his quatuor explanationib. eam exponẽdam sumpsimus, quę nobis visa fuit cõmunior, literęq; accõmodatior, liberum vnicuique iudicium suum relinquentes.

B C D E F

ANNOTATIO.

1 Visitabit Dominus super militiam cœli.) *in aliquibus codicibus est* malitia *pro* militia. *In Hebraico est* צבא *tseua, quod significat exercitum, militiam, virtutem, & tempus statutum. Vnde id quod dicitur cap. 7. Iob,* Militia est vita hominis super terram, *potest verti:* Tempus determinatum est vita hominis super terram: *scit enim Deus quanto tempore vnusquisque victurus est.*

Argumentum capitis XXV.

C 1 *Agit propheta gratias Deo pro vastatione synagogæ, & insigni victoria de morte, ac dæmone reportata. Asserit seruandos esse fideles per Christum, qui nobis lucẽ attulit, labes omnes abstersit, gratiam tribuit, vt gloriam illam cælestem, nullis vnquam seculis interituram consequeremur. Sunt qui asserant intelligi hoc caput de supplicio damnatorum, & de præmio iustorum post mundi consummationem, quas ob causas propheta in gratiarum actionem prorũpit.*

CAPVT XXV.

DOmine a Deus meus es tu, & exaltabo te, & confitebor nomini tuo: quoniã fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amẽ. Quia posuisti ciuitatem in tumultũ, vrbẽ fortẽ in ruinã, b domũ alienorũ: vt nõ sit ciuitas, & c in sempiternũ non ædificetur. d Super 1 hoc laudabit te populus fortis: ciuitas Gẽtiũ robustarũ timebit te. e Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, vmbraculũ ab æstu. f Spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem. g Sicut æstus in siti, tumultum alieno

Matth. 4.

A alienorum humiliabis,h & 2 quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere fa- D
cies.i Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium,con
uiuium vindemiæ, conuiuium pinguium medullatorum,vindemiæ defæcatæ.

EXPLANATIO.

a *Domine Deus meus es tu,exaltabo te, & confitebor nomini tuo.*) Laudibus te efferã Dñe Deus meus,& nomen tuũ celebrabo ob admirabilia opera tua,& quia antiquas cogitationes tuas completurus es. Omnia enim tua cõsilia ore ꝓphetarũ prædicta firmabuntur,& suos effectus obtinebunt. Es enim Hierosolymã ciuitatem ingratam & infidelẽ euersurus, quia non solùm te verũ Messiam non recepit, sed iactis in te acerbissimis contumelis,te ad mortem crudelissimam adduxit,& aduersus discipulos tuos odiũ vsque ad sanguinẽ excitauit. Ago igitur tibi gratias
B quia posuisti ciuitatem in tumulũ,hoc est,quia funditus delebis per Titum Vespasianũ Hierosolymã. Pro tumulo habent nonnulli codices *tumultũ*, sed versio, cui diuus Hieronymus adiecit cõmentaria, habet tumulum: & ita habent Septuaginta, & dictio Hebræa idẽ significat. Quare legendũ est *in tumulũ*, non autẽ in tumultum. Tu verò aduerte morẽ prophetarũ. Superiore capite plorauerat Esaias peccatorum flagitium,interitum,& excidium,nunc in eodem iudicio laudat Deum,eiq́ue debitum honorem reseruat. Æquum est vt dolore afficiamur ob hominum scelera, propter quæ ęterna supplicia merentur. At laudaturi sumus Deũ qui iustitiam suam ostendit in sceleratorum punitione,& misericordiam suam in prẽmio iustorum.

b *Domum alienorum.*) Efficies vt Hierosolyma sit domus Romanorum, quos alienos vocat,quia nõ erant de populo Dei,sed alieni à fide: solet enim scriptura diuina gentiles alienos appellare, vt apud hũc eundem Prophetam: *Regionẽ vestram corã vobis alieni deuorant.* Ita Paulus in epistola ad Ephesios eos alienatos appellat à vita Dei. Qui enim impius est, non suus sed alienus est existimandus: tot enim Dñis seruit,quot vitiis traditus est. Cùm autem ad se redit, &
Psal. 57. spiritui obtẽperat,suus efficitur, qui anteà alienatus erat,iuxta illud: *Alienati sunt peccatores à vulua,errauerunt ab vtero.* Acsi diceret,non esse mirandũ homines sceleratos tot fraudes & facinora admittere,cum ab ipsis incunabilis se à Deo alienauerint, & à seip-
C sis atque à recta viuendi ratione aberrauerint. Cęterum quoniã etiam ipsi Iudæi in literis diuinis alieni appellantur, vt in Psalmo: *Quoniã alieni insurrexerũt aduersum me*,hoc est,Hebræi nefarij,qui virtutũ & re-
Psal. 17. ligionem contempserunt,& in alio Psalmo: *Filij alieni mentiti sunt mihi,filij alieni inueterati sunt.* Ideò potest hic locus ita explanari: *Posuisti ciuitatem in tumulũ*,quę quidem est domus alienorum,hoc est quod Septuaginta pro alienis verterunt impios.

c *Et in sempiternũ non ædificetur.*) Post euersionem Hierosolymæ per Titum nunquam fuit reædificata, nec in æternum reædificabitur. Nã ea quæ modò extat,non est vbi anteà fuit, sed fuerunt fundamenta mœniorum iacta per alia loca. Qui hoc caput exponunt de mundi consummatione nõ de Hierosolyma duntaxat hoc intelligunt,sed de omnibus ciuitatibus quæ post diem iudicij non reædificabuntur in æternum.

d *Super hoc laudabit te populus fortis.*) Hoc est, populus Christianorũ videns ingratã Hierosolymã euersam,& synagogã vastatam,& Iudęos captos à Romanis,& per totum orbẽ dispersos, te Dñe laudibus efferet,studiisque prosequetur. *Et ciuitas gentiũ robustarũ timebit te*,hoc est Ecclesia ex Gentibus congregata,te pio & filiali timore,& religione obseruabit. Christianos vocat fortes & robustos,quoniã debent aduersus diabolum,mundũ, & carnem acerrimè pugnare,& animo excelso & inuicto in fide,& virtutis cõstantia permanere. Vt enim dura & robusta quercus ventorum ac procellarum ictibus resistit, & *Simile.*
quamuis frondes amittat, intus tamen virtus inclusa perseuerat, sic verus Christianus vbi tentationum & calamitatum exagitatus, immobilis consistit, & quamuis mundi opes,authoritatem, & æstimationem perdiderit, animi tamen virtus & charitas intus vigent, quas nec casus eripit, nec tempus labefactat, neque vetustas vlla consumit. Potest quidem vir iustus & pius à mundi opibus & dignitatibus seiungi: at à charitate Christi quis eũ vnquam poterit separare? Id intelligens diuus Paulus, *Rom.8.*
Quis nos,inquit,*separabit à charitate Christi? Tribulatio,an angustia,an fames,an nuditas,an periculum, an persecutio,an gladius?* Et subiungit, nihil esse, quod eum posset à tali charitate diuidere. Hęc est vera fortitudo,inuicta,& glorioſa,& ampliſſimis laudibus decoranda. Hìc habes locum contra hæreticos,qui nec E
viris iustis tribuũt fortitudinem. Appellat enim eos Deus fortes & robustos.

e *Quia factus es fortitudo pauperi.*) Hoc est, illi qui suam agnoscẽs miseriam,diuinum implorat auxiliũ. Tales eripit Deus à procella,& ab æstu celamitatum & tentationum.

f *Spiritus enim robustorum.*) Sensus est: Vehemens tentatio siue à dæmone, siue à mundo,siue à à carne, similis est turbini parietem impellenti. Vt enim vehemens turbo corpora exagitat, secúmque rapit,nisi sint solidissima,& fortitudine quadam *simile.*
roborata: sic tentatio animum percutit,& vincit,nisi sit fortis,& constantia quadam confirmatus.

g *Sicut æstus insiti.*) Non aliter infringes & conteres impetum alienorum,hoc est impiorũ, quo in viros iustos irruunt,quàm ardentissimus æstus superueniens debilitat,& attonitos facit homines in arida ac vasta solitudine deprehensos, vbi nullum est omnino refrigerium.

h *Et quasi calore sub nube torrente.*) Quemadmodum propago vitis vrente æstu flaccescit,sic tuo fauore & potentia langueſcet & debilitabitur impiorũ tyrannis aduersus pios & humiles. Vel sic: Tu Domine labefactabis & euertes potentium tyrãnidem,qua iu
F stos affligebant,quos tu in hac vita velut propaginẽ ab ęstu affligi permittebas,sed ita vt illis esset æstus cum vmbra nubis. Ita enim tentatio & calamitas iustos percutiunt,vt interna consolatione interim recreentur & reficiantur: præbes enim illis vires,quibus afflictiones toleranter ferant,ipsíque delectentur: imò pro te sanguinẽ fundere ardẽter appetant: quoniam intelligunt loco huius miseræ fluxæque vitę pro te in discrimen adductę,eam quę est beata, & immortalis,se esse consecuturos.

i *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium.*) Per hũc montẽ intelli-

lige

A lige Sionem,& per conuiuium Euangeliũ,quod cœpit Hieroſolymę prędicari. Vel per Sionẽ intellige Eccleſiam,quemadmodũ multis aliis in locis diuinarum literarum,vbi Chriſti Euãgelio animę reficiũt. Eſt enim verbũ Dei animi alimentum omnibus dapibus dulcius & præſtãtius:Non enim immeritò ait Propheta: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.* Et volens Eſaias ſignificare huius cõuiuij excellentiam illud appellat vindemiæ , & pinguium medullatorũ,& vindemiæ defæcatæ, hoc eſt, pulchrũ & excellẽs,in quo ſint fercula pinguia, opima,& iucunda,& vina defæcata & optima. Ne intelligas has exquiſitiſſimas & delicatiſſimas dapes corporeas eſſe,ſed ſpirituales voluit enim Propheta hac trãſlatione ſignificare,eſſe Chriſti Euãgeliũ animarũ cibũ,cum quo nullæ aliæ epulæ debeant comparari. Sed heu quot ſunt,qui nolint ad hoc diuinũ conuiuium accedere,& hoc ſuauiſſimo pabulo tanquã ne- *ſimile.* ctare & ambroſia animũ alere& reficere? Vt enim illum rectè valere dicimus,qui corporis cibũ ſuo tempore appetit:eum verò langueſcere & ægritudine laborare,qui faſtidit epulas, ſenſúſq; ſtupore earũ ſuauitatẽ non ſentit: ita eum animũ rectè valere dicemus,qui verbũ Dei auidè audit & arripit,eũ verò debilitari& præ ęgritudine deficere,qui verbo Dei nõ delectatur,qui Euangelicas conciones ſpernit , qui harũ diuinarũ epularũ ſuauitatẽ nõ ſentit,ex quibus effloreſcit pietas,& charitas,cæteræque virtutes,quibus hominum mẽtes ſuſtentãtur,& amore æternitatis rapiuntur.Hoc conuiuium de quo hic agit Eſaias eſt prandium illud,de quo ait Chriſtus apud Mat
Mt.22. B thæũ:*Iterũ miſit alios ſeruos,dicens:Dicite inuitatis:Ecce prandiũ meum paraui,tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata,venite ad nuptias.* Eſt enim prandiũ hoc,vt ibi ait Chryſoſtomus,doctrina iuſtitiæ,& verba cœleſtiũ myſteriorũ,quibus ſe homo reficiẽs vitã immortalem,veréq; beatã conſequetur.Hęc eſt cœna illa magna,quã fecit Deus,de qua loquitur Chri
Luc.14. ſtus apud Lucã,ad quã inuitati accedere noluerunt. Nos verò acceda.nus ad hanc cœnã,has diuinas epulas auidè ſumamus,& in mentis ſtomacho conſeruemus.Vt enim nõ prodeſt , ſi eum ſtatim euomimus, *ſimile.* & foras reiicimus,ſic paruã nobis vtilitatem afferet verbũ auditum,ſi ſtatim illius obliuiſcimur, eiúſque *ſimile.* memoriã obliuione delemus. Etquemadmodũ cibus abſque naturali calore non digeritur, indigeſtus verò,onus eſt non cibus,& non ſolùm non nutrit, ſed D
corrũpit,quam ob cauſam videmus redũdate varias ægrotationes,ſic verbũ Dei auditum,in frigidũ animum receptũ:non digeritur ſine igne diuini amoris, crudus verò & mentis ſtomacho innatans, pondere premit:& non ſolùm non alit animũ ad ęternitatem, ſed eo ipſo animus inflatur,& in peſtilentiorẽ ſuperbiam incidit,vitio non cibi,ſed animi frigidi & contaminati,qui ob malitiã ſuam diuinum pabulum in venenũ conuertit. Ait enim diuus Paulus in epiſtola
1. Cor. 8. prima ad Corinthios:*Scientia inflat ,charitas verò ædificat.* Cæterùm qui totũ hoc caput volunt de mundi conſummatione intelligi,poterunt conuiuiũ hoc interpretari de cœleſti gloria,& de viſione diuina , qua beati in Sione,hoc eſt,in cœleſti patria,in illa ęterna Ieruſalẽ,ſempiterno ęuo fruũtur. Ibi enim ſancti diuinis epulis ſatiãtur. Hoc intelligens diuinus quidã
Pſal. 16. vates dicebat:*Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Acſi diceret,Cùm animus meus è corporis vinculis tanquã ex carcere ad ſedes tuas beatiſſimas euolauerit, tunc ęternis dapibus ſatiabor,omnibúſq; gaudiis & voluptatibus cumulatus,te Deũ meum ſummum & immẽſum intuebor. Ad hoc cœleſte conuiuiũ nos in
Luc.22. uitat angelus in Apocalypſi Ioannis dicens:*Venite & congregamini ad cœnam magnam Dei.* Et apud Lucam Chriſtus.*Ego*,inquit,*diſpono vobis,ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum , vt edatis & bibatis ſuper menſam meã in regno meo.* Hoc eſt cõuiuiũ,ad quod ipſe Deus nos inuitat,ad quod omnes viri iuſti & pietate præſtantes accedũt,de quibus dicitur in Pſalmo:*Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis*
Pſal 35 E *tuæ potabis eos.* Hæ dapes,hoc nectar , hæc ambroſia, hæc pabula mẽtis ſunt,nõ corporis alimenta. Et hoc eſt conuiuium de quo hic loquitur Eſaias in cœleſti Sione parato,vbi ſancti in ęternũ ſatiantur. O glorioſum conuiuiũ!O ſedes illas cœleſtes , æternáque domicilia,in quibus beatorũ mẽtes diuinis oblectationibus cumulatę,ęterniſque ornamentis & cœleſtium bonorũ copia redundantes,ęternis dapibus abundant,& immortali pulchritudine decorantur. Salue ciuitas florentiſſima cœleſtis Hieroſolyma , ſanctorũ patria,vbi ipſi glorioſi immarceſſibilibus gaudiis triũphant. Ad te ſuſpiro,te ardenter appeto , te laudibus efferre cupio:ſed non poſſum rem tam eximiam ob ingenij mei tenuitatem pro dignitate explicare.

ANNOTATIONES EX Hebræo in
CAPVT XXV.

1 Super hoc laudabit te populus fortis,ciuitas gẽtiũ robuſtarũ laudabit te.] *Septuaginta habẽt:* Propter
C ea benedicit tibi populus pauperũ,& ciuitas hominum iniquitatem ſuſtinentiũ benedicẽt tibi.*Chriſtianos,qui iuxta comunẽ verſionẽ fortes dicuntur, Septua-*
Matth.5. *ginta pauperes appellant.De quibus ait Chriſtus:* Beati
Matth.11 pauperes Spiritu,quoniã ipſorũ eſt regnũ cœlorum. *Cùm autẽ regnũ cœlorũ vim patiatur,vt ipſe Chriſtus aſſerit,illúdque nõ niſi à viris fortibus capiatur,loquor de adultis,ſit autẽ regnum cœlorũ ipſorum pauperũ,apertè cocluditur:ipſos pauperes fortes eſſe, qui regnũ cœlorum cõſequũtur.Præterea eos, quos comunis verſio appellat robuſtos,appellãt Septuaginta ſuſtinẽtes iniquitatẽ. Illi ſunt verè robuſti & fortitudine præſtãtes , qui propter Chriſtũ calamitates & afflictiones tolerãter ferunt. Vn-*
Prou. 16. *de ait Salomon in Prouerbijs:*Melior eſt patiẽs viro forti:& qui dominatur animo ſuo,oppugnatore vrbiũ. *Et quidã poeta canit:*Fortior eſt qui ſe,quã qui fortiſſima vincit Oppida,*&c. Glorioſior fuit victoria,quã ob*
1.Reg.24 & 26. *tinuit Dauid parcens Sauli hoſti ſuo immanaſſimo, cũ eũ poſſet occidere,quàm cũ Goliã fortiſſimum gigantẽ interfecit.Cũ enim Dauid eſſet ipſo gigante fortitudine animi,amplitudine& magnitudine præſtantior,quoniã ipſum*
1.Reg 17 *gigantẽ iugulauit,illuſtrior fuit illa victoria in qua ſeipſũ* F *vicit,& potuit appetitũ coercere,atq; rationi ſubmittere quã ea in qua inoblato ac cõſtituto certamine ſuperbũ gigantẽ trucivultu barbarã immanitatẽ præ ſe ferentẽ ſuperauit. Hic vicit gigantẽ,illic verò ſeipſum,qui gigantẽ vicerat. Hîc gigãtis caput amputauit,illic verò diaboli caput interfecit , eſt enim caput diaboli cogitatio ad ſcelus perpetrandum,quã Dauid amputauit. Hæc fuit illuſtriſſima victoria. Hic fuit clariſſimus triumphus,ampliſſimis laudibus decorandus. Ergo veri Chriſtiani , viri iuſti & pij ſunt fortes,& robuſti,& pauperes Spiritu, & aduerſitates , atque acerbos variósque caſus æquo animo tolerantes.*

2 Quaſi calore ſub nube torrente propaginem fortium marceſcere facies.) *Propagine eſt in Hebræo* זמיר *Zemir,à verbo Zamar,quod ſignificat canere,& vitẽ putare,vnde* זמיר *Zamir ſignificat cantum & putationem.*

D ANNOTATIO. D

Can. 2. *Ideò id quod est in Canticis:* Tẽpus putationis aduenit *potest verti:* Tẽpus cantus siue cantionis aduenit. *Hoc autẽ nomen zamir significat etiã cantum, & fremitum & surculum, & propaginem, & amputationem seu excisionẽ, quæ omnia huic loco rectissimè conueniunt. Potest igitur esse huius loci sensus: In tẽpore illo conteretur & deficiet cantus & lætitia tyrannorum, & hominum potentium, sicut aufertur æstus torrens adueniente frigida & densa nube. Vel deficiet eorũ fremitus & ferocia, vel eorũ posteritas, & propago, vel eorum excisio, hoc est, iã vltrà alios non occidẽt. Hæc omnia auferentur instar vehementis caloris, qui ob aduentũ magnæ atque placidæ nubis aufertur. Quidã vir doctus ita hũc locum interpretatur: Quemadmodum vmbra nubis grauidæ & densæ dispellit æstum feruentem, ita excisio, quæ veniet à Deo euertet fortes & tyrannos. Ita Deus occidet eos, vt vmbra nubis refrigerantis, solis calorẽ repellit. Huic interpretationi fauet versio Pagnini, quæ ita habet:* Sicut æstus in vmbra nubis, excisio fortium humiliabit eos. *Nonnulli codices habent* excisionem fortium: *sed existimo legendum esse,* excisio fortiũ. *Potest huius loci hic esse sensus: Vt feruentissimus æstus tollit vmbram nubis, nubem ipsam consumendo & siccando, sic afflictio vehementissima auferet & consumet impiorũ refrigerium. Id enim quo impij proteguntur & delectantur, vmbra est, nõ rei solidæ, sed nubis, quæ in aere versans citò labefactatur, dispergitur, & consumitur: & mors eos conteret & absorbebit.*

Et a præcipitabit 1 in monte isto faciẽ vinculi cõlligati super omnes populos, b & telam, quam orditus est super omnes nationes. c Præcipitabit mortem in sempiternum. d Et auferet Dominus Deus lachrymã ab omni face, & opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra: quia Dominus locutus est. Et dicet in die illa: Ecce Deus noster iste, expectauimus eũ, & saluabit nos: iste Dominus, & sustinuimus eum, & exultabimus, & lætabimur in salutari eius. f Quia requiescet manus Domini in mõte isto, & triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleæ in plaustro. h Et extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandũ, & humiliabit gloriam eius cum allisione manuum eius. i Et munimenta sublimium murorum tuorum concident, & humiliabuntur, & detrahentur in terram vsque ad puluerem. *Apoc. 7. & 21.*

a *Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati.*) Hoc est, delebit peccatũ, quod per vinculũ colligatum intelligitur. Christus in monte Sione sua morte acerbissima nostra scelera deleuit, quando se pro nobis salutarem hostiã deuouit, atque constituit. Et
B vt ostenderet propheta Christum suo purissimo sanguine, quantum in se est, nos ab omnibus animorum maculis abluisse, non dicit eum præcipitaturũ vinculum colligatum, sed faciem vinculi colligati, vt ostẽderet ita euertẽdum esse peccatum, vt ne facies eius appareat. Appellatur autem peccatum vinculũ colligatum, quod faciat homines esse alligatos, & in dæmonis carcere deuinctos. Qua de re poteris ea videre, de quibus fusè disseruimus capite quinto, verba
Sup. 5. illa explanantes: *Propterea ductus est captiuus populus meus, quia non habuit scientiã.* Poterimus etiam per faciem vinculi colligati intelligere obligationem, qua Iudæi tenebantur legi Moysi, quã obligationẽ Christus abstulit suo Euangelio, & deleuit eã suo sanguine, &
Coloss. 1. sua morte præcipitauit. Hæc obligatio est chirographũ illud, de quo ait diuus Paulus: *Delens quod aduersus nos erat chirographũ decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Quamuis enim chirographũ illud decreti sit ipsum, quo se per esum ligni vetiti, omnésque posteros Adamus ęternę morti reddiderat obnoxios, iuxta Dei de
Gen. 2. cretum dicẽtis: *Quacũque hora comederitis, moriemini,* vt multi interpretãtur, Chrysostomus tamẽ illud de obligatione Iudæorũ legi Moysi etiã exponit: Dixe-
Exod. 24. rũt enim, vt in Exodo literæ diuinæ testantur: *Quæcunque dixit Deus faciemus, & audiemus.* Et hęc est etiam Diui Hieronymi interpretatio illũ locũ Apostoli explanãtis, quãuis hîc in cõmentariis in Esaiã
C huius expositionis non meminerit.

b *Et telam quam orditus est super oẽs nationes.*) Delebit, inquit, Christus suo Euãgelio & morte operimẽtum errorũ, quo opertus est mundus, vt repudiatis superstitionibus & vanitatib', cæterísque erroribus sublatis, lucẽ & veritatẽ intueremur. Venit enim in mũdũ Filius Dei, vt hominũ genus è cæcis tenebris in clarum splendorẽ vindicaret, à scelerũ maculis expiaret, & ad verũ decus multis ornamẽtis illustratum restitueret. Erat mũdus quadã tela coopertus, quę illi lucem auferebat, quam Diabolus voluit ordiri, ne homines æterni solis claritatem intuentes, ad cœlestia aspirarent. Hãc telam, hanc errorum nubem, hoc mundi operimentum, scidit Christus, & sua doctrina caliginem omnem dispulit, hominúmque mẽtes sol ille iustitiæ suis radiis illustrauit.

c *Præcipitabit mortẽ in sempiternũ.*) Hoc est, Christus morte sua mortẽ euertet, & vitã resurrectione repara bit. Hãc vaticinationẽ impletã esse & nos credimus, & diuinę literę cõtestantur. Surrexit Christus caput nostrũ, ergo & nos resurgemus. Quid est aũt mortuorum resurrectio, nisi mortis destructio? *Cũ autẽ mortale hoc induerit immortalitatẽ,* vt verbis diui Pauli v- *2. Cor. 5.*
tar, tũc fiet sermo qui scriptus est: *Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus* *Osea 13.*
E *tuus?* Hic locus est Oseę Prophetę, quẽ Apostolus aliis verbis, sed in idẽ incidentibus citat. Verba enim Prophetę hęc sunt: *De manu mortis liberabo eos: de morte redimam eos. Ero mors tua ô mors, morsus tuus ô inferne.* Hãc de morte victoriam reportauit Christus sua morte, & reditu ad vitã, sed in mundi cõsummatione cùm corpora resurrexerint, videbimus apertissimè mortẽ ipsius mortis: de qua ait Apostolus: *Nouissimè autẽ inimica destruetur mors,* quã tamen iam Chri- *1. Cor. 15*
stus sua morte & resurrectione occiderat. Positus fuit Christus mortuus in sepulchro, & exiit viuus. Si in clausum sepulchrũ homo viuus includatur, tertia die inuenietur mortuus: at Christus mortuus in clauso sepulchro cõditus, tertia die viuus apparuit, & pul
F cherrimus surrexit. O mirã Dei potẽtiã! Hîc mutatus est mũdi ordo, & fuit cursus naturalis in admirabilẽ modũ cõuersus. In mortuorũ sepulchro fuit se- *Ioan. 14.*
pulta ipsa vita, ipse enim de se ait: *Ego sum via, veritas & vita.* Domus mortis fuit tunc domus vitæ. Sed domus illa mortis non corrupit mortuum. Id quod diuinus ille vates & illustrissimus Rex Dauid Psalmo decimo quinto multò anteà iis verbis in persona Christi præcinerat: *Quoniam non derelinques animam* *Capi. 13.*
meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. In Epiro, inquit Solinus, fontem esse admirabilem, in quem immersæ faces ardentes extinguuntur, extinctæ verò inflammantur: vbi si facem

A cem mortu am proiicias, exit viua: si autem viua immergatur, mortua exit. Est quidem fons hic stupendus, & in admirationẽ homines traduxit, sit ita est, vt Solinus commemorat. Sed in sepulchro idem factum fuisse firmiter credimus, & asseueranter affirmamus. Ex eo nãque, ex quo viuus exiuit mortuus, mortuus surrexit viuus. Ita enim dixit Angelus mulieribus, vt est apud Marcum: *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic. Ecce locus vbi posuerunt eum.* Mortuus igitur rediit ad vitam, mors autem mansit mortua & sepulta. Quod intuẽs Propheta dixit: *Præcipitabit mortem in æternum.*

d *Et Auferet Dominus Deus lachrymã ab omni facie.)* Significat his verbis, eos qui se Christo dedicant, eúmque ardentissimè amant, incredibili gaudio, & maximis beneficiis ab illo affici: neque id solùm in altera illa vita, quæ beata est & immortalis, sed etiam in hac misera & fugaci. Quanquam enim calamitatibus aliquando premuntur, tamen voluptate perfunduntur, quia propter Christum cruciantur. Et amore diuino inflammati, vitámque cœlestem in corporibus humanis imitantes, tantam sentiunt dulcedinem, tótque oblectationibus Deus eos afficit, vt iam in cœlo quodammodo habitare existimentur. Ex
B quibus quidam dicebat: *Nostra enim conuersatio in cœ-*
Phil. 3. *lis est.* Qui totum hoc caput intelligunt de mundi cõsummatione, hoc gaudium intelligunt de voluptate diuinæ visionis, qua sancti in patria fruentur. Id
Apoc. 21. quod Diuus Ioannes iis verbis in Apocalypsi testatur: *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit neque clamor, nec dolor erit vltrà, quæ prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia.* Qui locus de mundi consummatione intelligitur. Cùm autem eadem hîc dicat Esaias, videtur hoc caput de die iudicij, & mundi fine intelligi: & quia est veluti explanatio capitis præcedentis, quod multi de mundi consummatione interpretantur. His rationibus ego adductus hanc expositionem etiam amplector, quamuis existimo posse totum hoc caput de primo Christi aduentu, de eius Euangelio, de Iudæorum euersione, & de fidelium lætitia & salute, explicari, quod & nos facimus. Et etiam locum hunc Apocalypsis, quem modò citaui, existimo posse etiam referri ad spiritualem voluptatem, qua viri iusti & pij etiam in hac vita afficiuntur.

e *Ecce Deus noster iste.)* Verba sunt populi Christiani, qui recepto Euangelio illuminatus fide, Christum cõfitebatur verum esse Deum, ac seruatorem nostrũ.
C f *Quia requiescet manus Domini in mõte isto.)* Hoc est, quia in Sione, in Ecclesia Christi cessabit manus Dei, nõ puniet æterno suplicio fideles, qui in gratia excesserint ex vita. Quemadmodum extendere manũ super aliquẽ est eum punire, vt in capite quinto exposuimus, ita cessare manum aut quiescere, est non punire. Hæc possunt aptissimè referri ad cœlestem patriam post extremum iudicium. In illa enim ciuitate D
nullus punitur: sed inexplicabili gaudio lætãtur, qui hac in vita afflicti fuerunt. In templo illo Salomonis, quod gerebat Ecclesiæ triumphantis imaginem, nec malleus, nec securis, nec vllum ferramentũ audiebatur, vt in libro tertio Regum diuinæ literæ commemorant. Aedificabatur templum illud magnificentissimum, & celeberrimũ, & nullus ictus in eo sonabat. Dolabantur lapides & ligna extra templum, & in lapidicinis, & fabrorũ officinis audiebantur ferramẽtorum pecussiones. Mundus hic lapidicina est, in qua malleis tundimur, & officina in qua afflictionibus percutimur, & premimur, at in templo illo supernо, in illa beata & immortali vita, nulla est afflictio sed requies admirabilis, & gaudiũ sempiternum. Hîc angimur aduersitatibus, variisq; calamitatibus exercemur, vt illic locis congruis disponamur, & malleis afflictionum cessantibus, amoris glutino copulemur. Pro eo quod nostra versio habet: *requiescet manus Domini*, habet Pagninus: *Requiest et percussio Domini.* Quę verba nostram explicant interpretationem.

g *Et triturabitur Moab.)* Gaudentibus iustis impij, qui per Moab significantur, in inferno æterno suplicio cruciabuntur. Figura est sinecdoche frequens in *figura.*
literis diuinis, cùm à parte totum intelligitur. Ponitur Moab pro mundo, & Moabitæ pro impiis accipiuntur. Et quemadmodum paleæ conterente ferrato carpento conteruntur, sic impij tundentur. Id autem quod dicitur, *sub eo*, intelligitur sub Dei potẽtia. Vel sic: *Triturabitur Moab sub eo*, hoc est, in semetipso cõteretur, ita vt nihil in eo integrum remaneat: Ac si diceret: acerbissimè torquebitur & cruciabitur.

h *Et extendit manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum.)* Sensus est: Christus cædet Moab, hoc est impios: & ita porriget vtranque manũ ad eos puniendos, quemadmodũ qui peritus est natandi vtrãque manum secundum aquam extendit. Et humiliabit gloriam eius cum allisione manuũ eius. Quasi dicat: Expandet Christus brachia sua vt natator, & cũ allisione manuũ suarum, hoc est, cubitis suis, quibus maximè natatores aquam allidunt & secant, eos tanget & puniet, eorúmque gloriam confringet, atque penitus obscurabit.

i *Et monumenta sublimium murorum tuorum concidet & humiliabuntur.)* Verba sunt ipsius Prophetæ ad Moab, hoc est ad impios directa, quasi dicat: Tunc alta mœnia tua ô Moab, ô Christi aduersarie ruẽt, nullum erit præsidium murorum tuorum, sed omnia, qui F
bus fidebas, in terram deiicientur, vt in puluerem redigantur. Aspicis hîc omnes mundi opes, imperia, & magistratus in quibus homines impij collocant fidũciam suam, consumi tempore, esséque rex fluxas infirmas, & fugaces, virtutem verò esse immortalẽ, quæ viget memoria omnium seculorum: quam posteritas alit, quam ipsa æternitas semper intuebitur.

ANNOTATIO.

1 Præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos.] *Pro vinculo colligato est in Hebræo* חלוט חלוט *hallot hallot, à verbo* לוט *lut, quod significat inuoluere, operire, occultare, prius est nomen, alterum verò participium passiuum. Pagninus vertit:* Perdet in monte hoc faciem operimenti operti super omnes populos. *Quæ possunt de peccato & errore ac superstitione intelligi, quibus mundus ante Christi aduẽtum coopertus erat. Ide ò noster interpres vertit*, faciem vinculi colligati, *& rectè quidẽ: est enim peccatũ vinculũ colligatũ, vt in explanatione diximus. Symmachus vertit:* faciem dominatoris, qui dominatur super omnes populos. *Quod de diabolo intelligitur, quẽ Christus apud Ioannem huius mundi principem appellauit. Potest intelligi de morte, de qua ait Apostolus*: Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysem, & c. *Potest etiam de peccato & errore intelligi, quod Aquila planius explanauit, vertens*: Faciem tenebrarum super omnes populos. *Perspicuum est enim peccata & errores tenebras appellari. Paraphrastes Chaldaus videtur hoc de diabolo*

Ioan. 12
Rom. 5.

A *bolo intelligere habet enim:* Præcipitabit faciem principis, cuius principatus est super omnes populos. *Pro præcipitare in Hebraico est verbum* בלע *bala, quod significat absorbere, deglutire, deuorare, vt Exodi septimo:* Deuorauit virga Aaron virgas eorum. *Et Esaiæ quadrageſimonono:* Longè fugabuntur, qui absorbebãt te. *Vnde Diuus Paulus,* Absorpta est, *inquit,* mors in victoria. *Ideò verti poterat* : Absorbebit in monte hoc faciem, &c. *Significat etiam præcipitate: vt secundi Regum vigesimo* : Quare præcipitas hæreditatem Domini? Respondénsque Ioab ait: Absit hoc à me, non præcipito. *Vbi poterat verti :* Quare absorbes, &c. *Et in Psalmo quinquageſimoprimo :* Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa, *habet versio Diui Hieronymi iuxta veritatem Hebraicam :* Dilexisti omnia verba ad deũorandum linguam dolosam. *Verba sunt, quibus Dauid inuehitur in Doegum hominem sceleratum & impium, ac si diceret: Amas ea verba, quæ possunt bonorum vitam & famam absorbere, eisque perniciem moliri. Amas itaque linguam dolosam, & sermones quibus hominum gloria infringitur, eorúmque nominis splendor maculatur.* D

Argumentum capitis XXVI.

B *Solebant veteres patres pro rebus prosperis & ad voluntatem fluentibus hymnos Deo canere, & literis mandare ad memoriam perpetuam posteritatis. Et quoniam diuinus vates prædixit victoriam, quam Christus erat de peccato, dæmone, & morte reportaturus, vt præcedenti capite explanauimus, præcinit nunc & scribit canticum, quæ fideles tempore gratiæ erant Deo pro interitu synagogæ & Ecclesiæ constitutione gratias acturi. Describitur in hoc cantico ipsa Ecclesia, & iustorum splendor, ac impiorum cæcitas & infelicitas, 2 reditus mortuorum ad vitam, & 3 exhortatio ad afflictiones æquo animo tolerandas. Etsi enim fideles hymnos laudis & gratiarum hic canunt, tamen veræ lætitiæ cantica sunt in cœlesti patria, quæ hic cantare non possumus. Quomodo enim cantica cœlestis Hierosolymæ iuxta flumina Babylonis cantabimus? Hic suspendimus organa lætitiæ in salicibus amaris, vbi sedentes & desiderio æternæ patriæ flagrantes vim lachrymarum profundimus, ibi autem dulcia voluptatis cantica in æternum cantabimus.*

CAPVT XXVI.

IN[a] die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda:[b] Vrbs fortitudinis nostræ Sion, E saluator ponetur in ea murus & antemurale.[c] Aperite portas, & egrediatur gens iusta, custodiens veritatem. [d] Vetus error abiit: seruabis pacem, pacem, quia in te sperauimus. [e] Speratis in Domino in seculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. Quia incuruabit habitantes in excelso,[f] ciuitatem sublimem humiliabit: humiliabit eam vsque ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem. Conculcabit eam pes, pes pauperis, gressus egenorum. [g] Semita [z] iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum. [h] Et in semita iudiciorum tuorum Domine sustinuimus te: nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. [i] Anima mea desiderauit te in nocte, [k] sed spiritu meo in præcordiis meis, de manè vigilabo ad te: [l] cùm feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis. [m] Misereamur impio, & nõ discet iustitiam facere, [n] in terra sanctorum iniqua gessit: & non videbit gloriam Domini. [o] Domine exaltetur manus tua, vt non videant: videant & confundantur zelantes populi, & ignis hostes tuos deuoret. Domine [p] dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis. [q] Domine Deus noster possederunt nos domini absque te, tantum in te recordemur nominis tui. [r] Morientes non viuant, gigantes non resurgant: propterea visitasti, & contriuisti eos, & perdidisti omnem memoriam eorum. [s] Indulsisti Genti Domine, indulsisti Genti: nunquid glorificatus es? elongasti omnes C terminos terræ. [t] Domine in angustia requisierunt te: [u] in tribulatione murmuris doctrina tua eis. [x] Sicut quæ concepit cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus à facie tua Domine. [z] Concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis: [aa] iustitiam non fecimus in terra, ideò non ceciderunt habitatores terræ. [bb] Viuent mortui tui, interfecti mei resurgẽt: [cc] expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere: [dd] quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam. Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicùm ad momentum, donec pertranseat indignatio. [ff] Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, & reuelabit terra sanguinem suum, & non operiet vltrà interfectos suos. F

EXPLANATIO.

a *In die illa cantabitur.)* Sensus est: In tẽpore gratiæ mortua synagoga, & Christi Ecclesia plantata & constituta, veráque religione toto orbe terrarũ propagata, gratias agent fideles Deo cuius misericordia repudiauerint superstitionem, & sanctissimæ religioni veritatis ac pietatis plenissimæ adhæserint. Canent Deo hoc canticum laudis in terra Iuda, hoc est, in terra confessionis. Iuda enim confessionem significat. Hæc est Ecclesia, vbi est veræ fidei confessio, & vbi peccata nostra sacramentaliter confitemur, ex quo mirificum fructũ percipimus. Id quod Michæas Pro- *Matth.5.* pheta dixit: *Et tu Bethlehẽ Ephrata,* vertit diuus Matthæus: *Et tu Bethlehem terra Iuda.* Ephrata significat terram frugiferam. Volens autem Euangelista docere in quo esset hic fructus, pro Ephrata posuit Iudã, quod vocabulum significat confessionem. Mirabilem enim fructum ex confessione percipimus. Capitur etiam confessio pro laudatione, quemadmodum passim in diuinis literis confiteri pro laudare.

b *Vrbs fortitudinis nostræ Sion.*) Hoc est canticum, quod durat ad finẽ vsq; capitis. Vrbs hæc est Christi Ecclesia, quam diuinus vates appellat Sionẽ, hoc est, speculam, ex qua cœlestia contemplamur. Huius meminit Propheta ita inquiens: *Psallite Domino, qui habitat in Sione.* Et alibi, *Mons Sion in quo habitas in finem.* Quæ non tam de Sione, & Hierosolyma illa terrena, quàm de Ecclesia militante intelligũtur, in qua prædixit hoc in loco Esaias ponendum esse Christum, tanquam murum & antemurale, vt eam *Psal.9.* *Psal.73.*

mun-

A muniret,& ab hostium impetu protegeret. Christum appellat saluatorem. Iesus enim idem est quod saluator. Ita enim dixit Angelus Ioseph: *Pariet autem filium,& vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Hunc prædixit Esaias fore murum Ecclesiæ, quod ipse Christus iis verbis dixerat per Zachariam: *Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.* Vbi vides Christum esse nostrum murum,& antemurale,& nostram gloriam. O Ecclesia sancta, ciuitas magnificentissima, vrbs fortitudinis nostræ, extra quam nulla est in mundo vera fortitudo, vrbs florentissima, quæ Deo muniris & decoraris. *Quàm gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Tu es illa contra quam, vt ait Matthæus, ipsa Veritas, *portæ inferi non preualebunt.* Sunt autem portæ inferi persecutiones quibus Ecclesia oppugnatur, sed non vincitur, sunt hæreticorum doctrinę, ipsam Ecclesiam vastare conantium, sed suum effectum non consequentium. Est namque Ecclesia inexpugnabilis, quæ Deum habet pro muro & protectione. Cæterùm hæc dictio Sion non est in textu Diui Hieronymi, nec in codicibus Hebraicis. Nihilominus tamen hæc vrbs Ecclesia Catholica est.

Matth. 1.

Zacha. 2.

Psal. 86.

Matt. 16.

c *Aperite portas,& ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem.*) Verba sunt Dei angelos alloquentis, vel

B ipsos Apostolos, vt portas Ecclesiæ militantis aperiant, quò gens sancta Ecclesiam ipsam introeat, quę custodiat veritatem. Vbi aspicis non satis esse veritatem colere & custodirei, sed oportere Christianos iustos esse, non satis esse fidem habere, sed necesse esse secundùm eam operari. Ea nanque fides apud Deum valet, quæ, vt ait Apostolus, *per charitatem operatur. Fides nanque sine operibus*, vt inquit Iacobus Apostolus, *mortua est. Et ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm*, vt ipse Apostolus testatur. Prętera veritas iuxta morem diuinarum literarum ad mores,& ad ipsa rectè facta etiam pertinet. Scriptũ est enim quarto libro Regum: *Memento quomodo ambulauerim coram te in veritate.* Ambulare in veritate iuxta idioma Hebrææ linguæ est rationem vitæ ad veritatem doctrinæ sanctæ dirigere. Vnde verba illa, quæ erant in rationali sacerdotis, *doctrina & veritas*, significabant, in præsule debere esse doctrinam, & ad eam, vitam & mores dirigere.

Gal. 5. Iacob. 2.

4. Reg. 20

Exod. 28.

d *Vetus error abiit, seruabis pacem pacem.*) Verba sunt fidelium, qui relictis idolis, & recepto Euangelio, has voces emittunt. *Vetera enim transierunt*, vt ait Diuus Paulus in secunda epistola ad Corinthios, *ecce facta*

1. Cor. 5.

C *sunt omnia noua.* Et tu Domine seruabis nobis pacem, de qua dixisti: *Pacem relinquo vobis*, quia in te sperauimus. Aduerte bis nominatam esse hoc in loco à Propheta pacem, & bis simili modo à Christo apud Ioannem dicente: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, vt intelligas esse pacem gratiæ in hac vita,& pacem gloriæ in altera. Vel vtraque refertur ad pacem gratiæ, quæ ideò dicitur pax pax, quia hæc Euangelica pax, est vera pax. Pax enim, quæ datur à mundo, quæ in bonis externis consistit, non est vera nec solida. Fieri enim potest, vt sceleratus & impius pace externa huius mundi gaudeat. At hæc non est vera pax. Ait enim Esaias alio in loco: *Non est pax impiis.* Contrà verò pius ac iustus homo in medio externarum persecutionum in pace consistit, iuxta id quod ait apud Ioannem ipsa Veritas: *Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis, &c.* Vbi vides iustos & pios inter labores & calamitates in pace quiescere, animique tranquillitatem non amittere. Poteris hac de re ea videre, quæ secundo capite annotauimus.

Ioann. 14.

Infrà 48.

Ioan. 16.

Psal. 9. Psal. 73.

e *Speraſtis in Domino.*) Verba sunt Prophetæ sermonem cum sanctis conferentis, qui in Deo spem semper collocarunt. Appellat autem Dominum fortem, quòd superbos & elatos opprimat, & ita abiiciat vt pedibus pauperum conculcentur. Solet enim Deus aliquando superbos & potentes ex alto dignitatis gradu ita deiicere, vt nullum penitus maneat pristini honoris vestigium. Et quamuis superbus magnas opes, potentiam, honorem in vita possideat, in morte tamen omnia amittit, & ipse in terra sepultus pedibus conculcatur. Vt enim nubes magna exhalationibus intus plena totum cœlum cooperit, & mundum horrore, tonitribus, fulminibus perterret, quæ statim in aquam resoluta cadit in terram, ex qua lutum efficitur, quod pedibus teritur: ita magnates & potẽtes nubes plenæ fumis terręin aere versantes, & superbia, opibus, & potentia totum orbem terrentes, sed cadentes in terram, ipsa sepulchra attingentes, conuertuntur in terram & lutum,& pedibus eorum, quorum anteà dominabantur, conteruntur. Quid igitur superbiunt vani homines, suæ fragilitatis oblìti? Ait enim Ecclesiasticus: *Substantiæ impiorum sicut fluuius siccabuntur, & sicut tonitruum magnum in pluuia personabunt.*

D

simile.

Eccle. 40.

f *Ciuitatem sublimem humiliabit.*) Hoc est, Hierosolymam, quam propter Christi cædem, & Iudæorum impietatem Deus per Titum euertit & vastauit. Potest etiam hoc intelligi de quacunque alia ciuitate, superba, & opum ac mundi potentiæ gloria florenti. Quod autem dicit: *Conculcabit eam pes, pes pauperis, gressus egenorum*, significat elatos & potentes homines esse ab Apostolis, hominibus pauperibus. & contemptibilibus superatos. Id quidem est, quod ait diuus Paulus in epistola prima ad Corinthios: *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret.*

E

1. Cor. 1

g *Semita iusti recta est.*) Dixerat suprà, superbos & elatos esse deiiciendos,& incuruandos, ambulant enim in via perditionis: nunc verò iustorum viam rectam esse asserit, æquabilem & planam. Quasi dicat: Iustus inuenit viam facilem,& erroribus non implicatur. Ita Dauid in Psalmo: *Pax multa diligentibus legem tuam,& non est illis scandalum.* Quod diuus Paulus iis verbis affirmat: *Scimus quoniam diligentibus Deũ omnia cooperantur in bonum.* Ideò scandala omnia deuitat, quoniam *iustum*, vt in libro Sapientiæ scriptũ legimus, *deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei.*

Psal. 118.

Rom. 8.

F

Sap. 10.

h *Et in semita iudiciorum tuorum Domine sustinuimus tę.*) Verba sunt fidelium iustorum, quorum est sensus: Quando super nos Domine tuo iusto iudicio calamitates & afflictiones venire permittis, tantum abest vt à te recedamus, vt potius in te speremus, tęque sustineamus, & memoria tenentes delectemur.

i *Anima mea desiderauit te in nocte.*) In afflictione mea te desidero, ad te vehemẽter aspirat anima mea. Cùm acerbioribus calamitatibus premor, tunc ardẽtius te appeto. Aspice afflictionis vtilitatem. Potest etiam accipi nox non pro afflictione, sed pro ipsa nocte, vt fit sensus: Finitis & transactis curis ac laboribus diei, veniente nocte meis cogitationibus grata, me ad solitudinem recipio, & in illa tranquillitate teipsum contemplor, animique desiderio ardẽter appeto. Hoc desiderio tenebatur regius vates, cùm in Psalmo has voces amore flagrantes emittebat: *Quẽadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuũ: Quãdo veniam & apparebo ante faciẽ Dei?*

Psal. 41.

k *Sed*

A k *Sed & ſpiritu meo in præcordiis meis de manè vigilo ad te.)* Senſus eſt: Quandiu ſpitus meus rexerit præcordia mea, hoc eſt, quandiu vixero, ſemper ad mane ad te vigilabo. Vel ſic: Non ſolùm nocte te deſiderat anima mea, ſed etiam ſpiritus meus ad te de ſummo manè vigilat. Cum primùm luceſcit, te ipſum contẽplor, & hoc eſt quod primò ago. Deſcribit Eſaias virum pium & iuſtum, & declarat iis verbis, quod deſiderio teneatur adhærendi Deo, & quantam oblectationem ex diuina contemplatione percipiat. Id de
Pſal. 62. ſeipſo dicebat iis verbis Dauid: *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* Sed quoniam per noctem in verbis præcedentibus intelligi poſſe dicebamus aduerſitatem, poſſumus per manè proſperitatem intelligere.

l *Cùm feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis.)* Senſus eſt: Non ſolùm iuſti te in afflictionibus quærunt & deſiderant, ſed etiam improbi, quos terræ habitatores appello, tua videntes iudicia emendantur, iuſtitiæ & pœnitentiæ ſtudentes.

m *Miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam facere.)* Senſus eſt: Si beneficiis affecerimus impium, non corrigetur. Verba ſunt Dei. Vbi aſpicis impios beneficiis fieri deteriores.

n *In terra ſanctorum iniquè geſſit.)* Exaggerat ſcelus impij, dicens eſſe inter viros ſanctos admiſſum. Vbi hac ratione vides deteſtabilius eſſe delictum religioſi in monaſterio, quàm laici in mũdo. Poteris per terram ſanctorum, eorum corpora intelligere, vt ſit ſenſus: Impius viros pios & ſanctos in corpore affligit & vulnerat. Nã in anima nemo lęditur niſi à ſeipſo. Primam tamen expoſitionem potius amplector, cui fa-
Iere. 11. uet id, quod ait Deus per Ieremiam: *Quid eſt quòd di-*
B *lectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? Pro in terra ſanctorum iniquè geſſit*, vertit Pagninus: *In terra, vbi debet recta facere, iniquè aget.*

o *Domine exaltetur manus tua, & non videant.)* Senſus eſt: Domine percute grauiter impios, & non videant gloriam tuam, videant infœlicitatem ſuam, & confundatur. Eorum zelus extendere manum ſuper aliquem, vt capite quinto diximus, eſt eum punire. Exaltare manum eſt grauiter percutere. Solent enim irati manus leuare, vt grauius lædant. Vel capitur manus pro effectu, vt ſit ſenſus: Domine effice opera magnifica, & illuſtria, ſed ea Iudæi non videbunt mẽtis oculis, nec te recipient, quin potius teipſum vidẽtes zelo ſuarum ceremoniarum à malitia & contumacia orto, te in ſummũ capitis diſcrimen vocabunt. Sed confundentur, quoniam fides tua per totum orbem terrarum dilatabitur, & illi in ignominia verſabuntur. Vbi aſpicis zelum non ſatis eſſe, nec excuſare, cùm proficiſcitur à malitia, & verbo Dei contrariatur. Iudæi enim zeli ſtimulis incitati, Chriſti Apoſtolos affligebant, & de eorum interitu cogitabant,
C *Ioan. 16.* iuxta id quod Chriſtus illis prædixerat: *Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* at talis zelus erat impius & peſtilens. *Habent Iu-*
Rom. 10. *dæi*, vt inquit diuus Paulus, *æmulationem, ſed non ſecũdum ſcientiam.*

p *Domine dabis pacem nobis.)* Senſus eſt, Tu Domine operatus es in nobis tormenta & afflictiones, quibus nos exercuiſti, nunc poſt tot bella & victorias dabis nobis pacem æternam, omnem ſenſum exuberantem. Vel ſic: Tu Domine dabis nobis pacem Euangelicam, quam niſi tu eam dederis, habere non poſſumus. Tu enim nobis das quicquid boni agimus: omnia enim bona, quæ nos operamur, à te pro- D
cedunt, & tu ea operaris, ſine te enim nos ea operari non valemus. Docet hic locus Deum operari bona opera in nobis. *Deus enim eſt*, vt ait Apoſtolus Paulus in epiſtola ad Philippenſes, *qui operatur in nobis* *Phil. 2.* *velle & perficere.* Tamen liberum arbitrium cooperatur gratiæ. Vnde Apoſtolus ad Corinthios, *Non* *1. Cor. 15.* *ego*, inquit, *ſed gratia Dei mecum.* Sic Deus operatur opera bona in nobis, vt nos etiam ea operemur. Vt *ſimile.* cùm nauis expanſo velo proſpero vento agitatur, parum videtur agere nauclerus, quanquam aliquid agat, quoniam ipſum velum flatibus expanſum tenet, quòd ſi contraxerit, non agitur nauis, ſic homo qui agitur ſpiritu atque gratia Dei noſtri, quamuis parum agere exiſtimetur, agit tamen, quoniam pandit diuinæ gratiæ arbitrij libertatem & Spiritu ſancti flatui velum bonæ voluntatis extendit, & ita arbitrium cooperatur gratiæ. Dicere Deum ita bona noſtra operari, vt nos nihil operemur, eſt velle totam ſacram ſcripturam euertere & conculcare. Nónne Deus eſt pater ille familias, qui conduxit operarios in vineam ſuam, vt eſt apud Mattheum cap. 20. Ille eſt qui quibuſdam dixit: *Quid hìc ſtatis* *tota die ocioſi? Ite vos in vineam meam.* Et apud Ioan- *Ioan. 6.* nem, *Operamini*, inquit, *non cibum, qui perit, &c.* Diuus Paulus in epiſtola prima ad Corinthios, *opus enim*, inquit, *operatur.* Et paulò poſt: *Vt ſubditi ſitis omni* *cooperanti & laboranti.* Sumus igitur Dei cooperatores. Ideo ait diuus Ioannes in vltima epiſtola ſua, *3. Ioan.* *Cooperatores ſumus veritatis.*

q *Domine Deus noſter poſſederunt nos domini abſque te.)* Inducit Propheta fideles loquentes, qui imperio tyrannorum premebantur. Te Domine Deus noſter deſideramus diuino cultu celebrare, & magnis ac publicis laudibus efferre. At tyranni infideles non nobis hoc ſinunt. Et quoniam tu Domine hoc permittis, hoc ſaltem nobis concede, vt nunquam ex animo noſtro diſcedat memoria tui. Poteris per E
hos Dominos & tyrannos intelligere affectus carnales, vel animæ inimicos, diabolum, mundum, & carnem. Hi enim ſunt immaniſſimi tyranni.

r *Morientes non viuant, gigantes non reſurgant.)* Omnes quidem mortales tam iuſti quàm iniuſti reſurrecturi ſunt, cùm Chriſtus venerit è cœlo ad iudicium vniuerſale exercendum. At ſcelerati & impij non dicuntur reſurgere, quia eorum reſurrectio non erit ad vitam æternam, ſed ad iuſtam ſuam damnationem audiendam. Id vult Eſaias hoc loco ſignificare. *Morientes*, inquit, *qui ad inferos deſcenderunt, non* *viuant cum iuſtis*, nec ad veram ac beatam vitam reſurgant: ſed damnati ſeclusíque à cœtu & concilio beatorum in perpetuas pœnas relegentur. Ita dicitur in Pſalmo: *Ideò non reſurgunt impij in iudicio, nec* *peccatores in concilio iuſtorum.* Poteſt tamen pro verbo reſurgendi verti verbum ſtandi aut conſiſtendi. Quaſi dicat: Non poterunt improbi & flagitioſi homines in iudicio illo extremo conſiſtere. Non ſtabunt, ſed cauſa cadent, cùm Chriſtus verus iudex ab eis vitæ rationem exquiſierit. Per gigantes intellige F
principes elatos, omnes potentia præſtantes, & tyrannidem exercentes. Poterunt hæc verba ita explanari: A te Domine poſtulamus, ne iterum viuant tyranni, qui è vita exceſſerunt. Non quòd Prophe-
ta exiſtimaret eſſe impios ad vitam hanc reuocandos, vt hìc iterum viuerent, & pios homines vexarent, ſed voluit ſignificare tot calamitatibus eſſe pios ab impiis agitatos & affectos, vt quaſi exterriti eos adhuc metuere viderentur.

s *In-*

A s *Indulsisti Genti Domine, indulsisti Genti: nunquid glorificatus es?*) Sensus est: Tu Domine huic Genti, nempe tyrannis, cæterisque hominibus impiis ac potentibus, sæpe in hac vita indulsisti, multa eis bona terræ tribuisti, eorúmque terminos terræ elongasti. Dedisti eis possessiones & imperia. At illi tantorum beneficiorum obliti nequaquam te colere voluerũt. Nam nunquid glorificatus es ab illis? Non quidem, imò à te longè recesserunt, securitas enim contemptum peperit. Videtur hîc Propheta reddere rationẽ, quare Deus debeat sceleratos ac tyrannos homines coërcere, & punire, quoniam indulgentia fiunt deteriores. Sic ait Ecclesiasticus: *Equus indomitus euadet durus, & filius remissus euadet præceps.* Et in Prouerbiis dicitur: *Prosperitas stultorum perdet eos.* Qui vult equum domare, vtitur freno: & qui vult fructus vberes ex vinea colligere, amputat eam: sic Deus nos freno moderatur, & à nobis superuacanea resecat, ne effrenati & indomiti reddamur, & sylvescentes fructũ virtutis amittamus, sed in gyrum rationis & doctrinę ducti, à rebúsque superfluis expediti & amputati, ad Deum ipsum toto animo aspiremus.

Ecclc. 30. Prou. 1. Simile.

B t *Domine in angustia requisierunt te.*) Vide afflictionis vtilitatem, quæ homines ad Deum quærendum inducit. Sic Deus per Oseam prophetam: *In tribulatione,* inquit, *sua manè consurgent ad me: & Ieremia capite 2. In tempore afflictionis dicent: Surge & libera nos.* Et in Psalmo scriptum est: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Et in alio Psalmo. *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Et in alio, *Ad Dominum cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me.* Vnde Diuus Paulus *tribulamur*, inquit, *sed non angustiamur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur.*

Osea 6. Psal. 82. Psal. 31. Psal. 119. 1. Cor. 4.

u *In tribulatione murmuris doctrina tua eis.*) In afflictione, in qua ne clamare quidem audebant, sed mussitare, & submissa voce preces fundere, tuam doctrinam amplectebantur. Vide quemadmodum exaggerat afflictionis vtilitatem: & merito quidem. Nam ex ea admirabilis quædam exardescit in Deum amoris magnitudo. Vsque adeò est salutaris afflictio, vt caro quæ suapte natura repugnat spiritui, & homines à virtute deterret, afflictione debilitata cum spiritu se coniungat, simúlque cum eo Deum exquirat. Id expertus regius vates dicebat in Psalmo: *Deus Deus meus ad te de luce vigilo: Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Agebat enim tunc temporis Dauid vitam in vasta ac deserta solitudine, pulsus patria, & à rege Saule vehementer afflictus.

Psal. 62.

C x *Sicut quæ concepit.*) Vt mulier partui proxima dolore concussa exclamat: sic nos in calamitatibus & ærũnis versati, ad te vocem tollimus, teque ipsum requirimus. Probat à simili commodum afflictionis.

y *A facie tua.*) Id est, Coram te: Vel à facie indignationis tuæ, cùm nobis irasceris.

z *Concepimus, & quasi parturimus, & peperimus spiritum salutis.*) Concipimus quando teipsum timemus: parturimus cùm afflicti dolore ad te ipsum clamamus: & tandem parimus, cùm fructum afflictionis & patientiæ nostræ percipimus. Hunc fructum vocat Propheta spiritum salutis fructum salutarem, quo spirituales efficimur, & animæ salutem consequimur. Vel spiritum salutis, hoc est, Christi, qui est salus nostra. Sic dicitur in Psalmo: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* & in alio: *Dic animæ meæ: Salus tua ego sum.* Id apud Lucam ait Zacharias: *Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.* Cornu salutis est spirituale regnũ Iesu Christi, qui est salus nostra, ortus ex semine Dauid. Et rursus in eodem cãtico. *Et tu puer propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciẽ Domini parare vias eius, ad dãdã scientiam salutis plebi eius.* Id est, ad dandã Christi sciẽtiã, qui est plebis suæ diuina salus. Cæterùm in textu diui Hieronymi non est hæc vox, *salutis*, nec in codicibus Hebraicis. Fortasse fuit sũpta ex versione Septuaginta. Diuus Hieronymus legit in hunc modũ. *Et peperimus spiritum: salutes non fecimus in terra.* Sed idẽ est sensus, per spiritum enim fructum patientiæ intelligimus, quem Christus suis largitur.

Psal. 26. Psal. 34. Luc. 1.

D

aa *Iustitiam non fecimus in terra, ideò non ceciderunt habitatores terræ.*) Verba sunt fidelium. Ideò tyranni, terræ habitatores qui nos afflictionibus premunt, non decedunt è vita, quia non tanta iustitia, quanta æquum est, prædíti sumus, & oportet vt veluti lapides tunsionibus aquarum poliamur, & dolemur, & à flagitiosis hominibus exerceamur. Hæc videtur esse causa cur Deus nõ omnino substulerit Iebusæos barbaros & immanes à terra promissionis, vt haberent Iudæi cum quibus se exercerent, & pugnarẽt. Et hãc ob causam diuo Paulo stimulum carnis suæ non auferebat, vt ipse in epistola secunda ad Corinthios asserit: cùm tamen Apostolus ille esset sanctissimus, sed sufficiebat illi gratia. *Nam virtus in infirmitate perficitur.* Vult itaque Deus, vt sui dilecti affligantur, & in calamitantibus versentur. Quemadmodum enim, vt verbis vtar diui Bernardi, asperior carduus pannum efficit leniorem, sic durior conuersatio conscientiam molliorem & tranquilliorem. Id sentiebat, licet alia ratione, Scipio Nasica, vt viri docti memoriæ prodiderunt, cùm diceret, nolle fuisse Carthaginem penitus euersam, quòd non haberent Romani quos metuerent, & à quibus exercerentur. Nos verò, nos ipsi possumus hoc dicere. Quia iustitiam non fecimus in terra, ideò scelerati & flagitiosi infideles viuunt, ideo tam multi hæretici nos turbant. Ideò detestabilis ille Lutherus, procella patriæ, turbo ac tempestas pacis, tot errores seminauit. Ideò Turcarum gentes feræ & immanes totã Græciã expugnarunt, & ea bella Christianis inferunt, quæ deflagrationem totius Europæ minantur. Magis enim nostris scelcribus, quàm suis armis pugnant & vincunt.

E

F

bb *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent.*) Alloquitur Ecclesia Deum, asserens mortuorum resurrectionem, de qua Christus disseruit apud Ioannem c. 5. & aliis in locis. Septuaginta habent: *Resurgent mortui, & resurgent de sepulchris.*

cc *Expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere.*) Apostrophe est ad defunctos.

dd *Quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.*) Sensus est: Tu Domine mortuos suscitabis. Et quemadmodum herbæ languescentes rore matutino pullulant, & excitantur, sic virtute tua mortui redibunt ad vitam in mundi consummatione, quando tu Domine gigantes, hoc est fortes & potentes, ac superbos homines perdes, & eorum corpora simul cum anima in ęterna supplicia relegabis. Vides hîc apertum locum de resurrectione corporum. Per terram gigantum corpora sceleratorum præsertim potentium intelliguntur.

ee *Vade populus meus, intra in cubicula tua.*) Loquitur Dens martyribus, & omnibus iis qui pro Christi nomine in afflictionibus & calamitatibus versabantur, quasi dicens: Toleranter & æquo animo sustinete mundi afflictiones, fideles mei. Video equidem Imperatores Gentiles aliósque tyrannos vobis quiescentibus bellum nefarium inferre, in vobis sæuitiam & immanitatem exercere. Sed

simile.

non

A non durabit hæc crudelitas. Ideo populo mi claude ostia tua super te, abscondere paruo hoc tempore, donec pertranseat tyrannorum indignatio. Alludit Deus ad eos, qui vigente procella domi se continent, donec adueniat tranquillitas. Vult Deus hac translatione suos consolari, & exhortari ad patientiam, ne cadant animo, sed afflictiones toleranter ferant, séque muniant tolerantia rerum humanarum. Illud est aduertendum, tempus illud afflictionis & martyrij Christianorum vocari hoc in loco modicum ad momentum. Nam comparatione æternitatis totum hoc quod viuimus, modicum est & momentum. Sic Ioan. 16. Christus Deus noster apud Ioannem discipulis suis ait: *Venit hora vt omnis qui interficiat vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.* Totam Apostolorum vitã horam vocat. Parum durat bonorum afflictio, & succedit æterna voluptas. Id quod apostolus Paulus in e- 2. Cor. 4. pistola ad Corinthios iis verbis affirmat: *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ,* Infrà 54. *supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et apud Esaiam ait Deus: *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Volens Dauid vitæ breuitatem significare, *Substantia,* inquit, D *mea tanquã nihilum ante te.* quasi dicat: Vita qua sub- Psal 38. sisto, est ante te, & comparatione tui momentũ quoddam, & tanquam nihil. Vnde Seneca in epistola quadragesimanona ad Lucillum, Punctum, inquit, est quod viuimus. Si Mathematici aiunt vniuersam terram punctum esse respectu cœli, cùm vtrunque sit finitum, quantò magis vita hæc, quæ finita est, respectu æternitatis, quæ est infinita? Potest hæc consolatio referri non solùm ad martyres, qui sæuiente tyrannorum rabie pro Christo vitam fuderunt, sed etiam ad omnes fideles pro Christo quocunque modo afflictos & vexatos.

ff *Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem, &c.)* Sensus est: Munimini tolerantia, vos qui pro Christo tormenta patimini: nam Dominus puniet habitatores terræ, hoc est, improbos & potentes, qui vos affligunt & premunt. Iniquos appellari terræ habitatores diximus aliis in locis. Potest E hoc referri ad vniuersale iudicium. Tunc enim veniet Christus iudicatum viuos & mortuos, & terra sanguinem martyrum ostendet, omnésque mortui resurgent.

B

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT XXVI.

1 Vetus error abiit, seruabis pacem, pacem, quia in te sperauimus.] *In Hebraico est:* שלום בי בר בטרח יצר טמור תצר שלום *Ietser samuc titsor xalo xalõ ci vecha batuach. Quæ verba, si ea in Latinum sermonem conuertas, ita reddes:* Desiderium coniunctum custodies in pace, in pace, quia tibi fidit, vel in te sperauit. *Dictio* יצר *deriuatur à verbo* יצר, *quòd significat formare, creare, fingere, Geneseos secundo:* In quod posuit hominem, quem formauerat, *& capitur pro cogitare & desiderare, quòd humana cogitatio multa formet & fingat, quæ animus concupiscit. Vnde dictio* יצר *significat* C *cogitationem & desiderium, vt Geneseos sexto:* Et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum. *Et id Psalmi 103. vbi versio nostra habet: Ipse cognouit figmentum nostrum, poteris vertere: Ipse cognouit cogitationem nostram, vel desiderium nostrum. Verbum* סמך *significat coniungere, inniti, imponere. Ideò hæc duo vocabula significant cogitationem coniunctam, vel desiderium cõiunctum. Talem enim cogitationem, & tale desiderium Deus custodit in pace. Nam si cogitatio diuidatur, & distrahatur, facilè euertitur & amittitur: coniuncta verò & vnita, in pace conseruatur, coniungitur autem & vnitur, cùm tota in* 1. Cor. 6. *Deo collocatur, & tunc fit id, quod ait Apostolus:* Qui adhæret Deo, vnus spiritus est. *Quemadmodum enim homo per carnis opera fit caro, sic per opera spiritus spiritus efficitur. Est autem opus Dei vnire & congregare. Fit igitur homo vnus spiritus cum Deo. Nam vt inquit beatus Ambrosius hunc Pauli locum enarrans: In bene agentibus spiritus Dei est communis cum Deo & hominibus. Et Diuus Bernardus interpretans in Canticis locum hunc, hæc verba scribit: Homo & Deus quia vnius non sunt substantiæ vel naturæ, vnum quidem dici non possunt, vnus tamen spiritus certa & absoluta veritate dicuntur, si sibi glutino amoris inhæreant. Hæc Diuus Bernardus. Hanc vnitatem appetebat vehementer Dauid, quãdo dicebat in Psalmo:* Vni, *vel* vnitum fac cor meum Domine, vt timeat nomen tuum, *vel vt habet versio Diui Hieronymi ex Hebræo* vnicum fac cor meum. *Sic enim potest cõuerti ex Hebræo, id quod nostra versio habet:* Lætetur cor meum. *Nam hæc vnitas est vera cordis lætitia. De hac vnitate dicebat Dauid:* Mihi adhærere Deo bonũ est. Psal. 72. *Hoc est vnum illud, quod Christus dicebat Marthæ esse necessarium, quod Maria elegerat. Cui vnioni repugnat turbatio erga plurima, quæ Martham sollicitabat. Est enim* Eccl. 30. *cor vniendum, iuxta id quod dicit Ecclesiasticus:* Contine & congrega cor tuum in sanctitate eius. *Hæc vnio animũ ligat cũ Deo. Ideo Paulus dicebat:* Ego vinctus in Ephe. 4. Domino. *Erat enim amoris vinculo alligatus. Hoc vinculo est vnita pij ac iusti viri cogitatio, de qua hoc loco dicit Esaias.* Cogitationem coniunctam custodies in pace. *Sed quia, vt dixi, verbum* סמך *significat niti, poterit hæc oratio ita verti:* Cogitationem in te nixam seruabis, pax pax, quia in te sperauit. *Illam enim cogitationem, illudque desiderium Deus conseruat, quod in ipso Deo nititur & firmatur. Et quoniam verbum* סמך *significat etiam stabilire & firmare, potest sic verti:* Co- F gitatio nostra stabilita & firmata est. *Et quoniam stabili, fixa, & firmata cogitatione, in Deóque posita, eluxcescit veritas, & vetus error discedit: ideò Latinus interpres vertit,* Vetus error abiit. *Nam quo tempore cogitatio fluctuabat, nec mens in Deum firmiter credebat, in errore versabatur. Pulso autem vetere errore, iam ad te Domine conuertimur; ideo seruabis nobis pacem, quia spem nostram in teipso collocauimus. Symmachus ita vertit,* τὸ πλάσμα ἡμῶν ἐπηρεσμένον. *Hoc est Error noster ablatus est. plasma enim significat errorem, figmentum, & mẽdacium. Quod coincidit cum vulgata versione. Pagninus autem vertit:* Eum, cuius desiderium est coniunctum tibi, custodies in pace.

2 Semita iusti recta est, rectus callis iusti ambulandum.] *Potest etiam verti ex Hebræo:* Semita est iusto recta, *ô tu recte Deus callem iusti ponderabis. Et ita trãstulit Pagninus. Deus enim iustus viam iusto parat, & ad libellam æquat, ne corruat aut pedes lædat. Est autem libella id, quod Lusitani appellant oliuel.*

3 In tribulatione murmuris doctrina tua eis.] *Potest verti ex Hebræo:* Effuderunt secretam orationem, *cùm correctio tua fuit eis. Aspicis igitur homines afflictionibus oppressos conuerti ad orationem. Ex quo ipsius afflictionis vtilitatem colliges.*

Argu-

Argumentum capitis XXVII.

Consolatur Deus fideles suos, promittens euertendos esse impios homines, qui in hac vita diuitiis circunfluentes, inflati imperio & principatu in magnis erroribus versabantur, & omnia iura diuina ac humana peruertebant. Nam cùm se deberent virtutum præsidio munire, vt alios in gyrum rationis docerent, rectéque gubernarent, ipsi tamen elati sibique præfidentes, scelere & maleficio pascebantur, non verum gloriam, sed inanem ac falsam nominis amplitudinem & celebritatem quærentes, & Dei hominúmque leges violantes. Prædicitur Christi aduentus, eiúsque Sanctí Euangelij per totum orbem prædicatio, Gentiúmque fides & conuersio.

CAPVT XXVII.

IN[a] die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti [2] super Leuiathan serpẽtem vectem, & super leuiatham serpentẽ tortuosum, & occidet cetum qui in mari est.[b] In die illa vinea meri cantabit ei: Ego Dominus qui seruo eam,[c] repentè [3] propinabo ei:[d] ne fortè visitetur contra eam, nocte & die seruo eam. Indignatio non est mihi.[e] Quis dabit me spinam & veprẽ in prælio: gradiar super eam, succendã eam pariter.[f] An potius tenebo fortitudinẽ meam, faciet pacẽ mihi, pacẽ faciet mihi?[g] Qui ingrediuntur impetu ad Iacob, florebit & germinabit Israel, & implebunt faciẽ orbis semine.[h] Nunquid iuxta plagam percutiẽtis se percussit eum:[i] aut sicut occidit interfectos eius, sic occisus est? In mensura contra mensuram, cùm abiecta fuerit, iudicabis eam: meditatus est in Spiritu suo duro per diem æstus.

EXPLANATIO.

a *In die illa visitabit Dominus.*) In extremo iudicio puniet Deus sua potẽtia, quæ summa est, & cum gladio duro magno & forti cõparatur, leuiathan serpentem vectẽ, hoc est, tyrannos impios & potentes. Leuiathan significat draconem cetum maris, vt colligitur ex libro Iob c. 40. vbi hæc sunt verba: *An extrahere poteris leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius?* Per leuiathan igitur cetũ & draconem maris intelliguntur hoc in loco reges ac potentes homines tyrannidem exercentes. Appellantur serpentes ob venenũ & calliditatem, & vectes ob regnorum ac terrarum possessiones, quoniã instar vectis in terrarũ dominio extendũtur & propagantur. Vel appellantur vectes siue claudentes, quia multos claudant, suæq; potestati subiiciant. Vel appellantur vectes ob duritiem & inflexibilem tyrannidem. Appellantur etiã serpentes tortuosi, quia non rectè incedunt, sed omnia iura torquent & corrumpunt: modò se extendunt, modò se contrahunt, non æquale iudicium exercentes. Sed delinquentibus multis & in eodem crimine pariter deprehensis, his fauent & condonant, à quibus aliquid accipiunt, aut sperant, aut quorum fortasse industria & suffragio dignitates & magistratus obtinuerunt: illos autem, à quibus nihil tale receperunt, nec recepturos se esse existimant, damnãt, & cruciant: & quod peius est, viros pios & innocentes, atque nobilitate præstantes maledictis vulnerant, cruciatibus torquent, & ad excidium & vastitatem vocant. Id quod iis verbis iam suo tempore Salomon deplorabat: *Vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem.* Contrà verò nefarios ac flagitiosos homines ex omnium scelerum colluuione natos laudant, ad dignitates extollunt, amoréque incredibili prosequũtur. Hi sunt principes illi, in quos Deus in die iudicij grauiter animaduertet. Non enim debet esse princeps piscatoris arundo, quæ magnis piscibus torquetur, paruis autẽ recta consistit, de vero autem principe & iudice dicitur in Psalmo: *Virga directionis virga regni tui*: vel, vt vertit diuus Hieronymus, *Virga æquitatis.* Talis debet esse principum virga. Hæc nanque est, quę floret & germinat vberésque virtutum fructus producit: quod de Aaronis virga scriptura commemorat. Et ille cuius talis virga fuerit, erit dignus sacerdotio & magistratu. Olim qui inter Gentiles sapientes habebantur, pingebunt iustitiam iuxta Iouẽ, significantes necessariam esse omnino principibus, sine qua nec ipse Iupiter imperare rectè posset. Nõ est tamen misericordia à iustitia separãda. Id voluerunt diuinæ literæ in Exodo explicare. Aiunt enim præcepisse Deũ, vt sacerdos oleo vngeretur: & paulò post sanguine vngendum esse significarunt. Quid per sanguinẽ nisi iustitia, quid per oleum nisi misericordia intelligitur? Oportet enim principes & præsules sanguinis rigorem cum olei lenitate temperare. Sed nec tanta debet esse misericordia, vt iustitia relinquatur. Cùm quondam Israelitę in terra promissionis essent Dei sui obliti, & in magnis erroribus versati, in manus iniquorum principum Dei iudicio tradebantur. At misertus eorum Deus suscitauit illis saluatorem vocabulo Aioth, qui, vt verbis vtar scripturæ, vtraque manu pro dextra vtebatur. Ex quibus colliges principem illum siue præsulem rectè munere suo fungi, iefféque à Deo suscitatũ & constitutum, qui vtraque manu vtitur pro dextra, qui vtrãque partem rectè iudicat. Nam qui sola vna manu dexter est, qui in quibusdã iustitiã excercet, in quibusdam verò minimè, qui nullam æqualitatem seruat, ille potestate intemperanter abutitur. De huiusmodi principibus ait Deus per Oseam Prophetam: *Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.* Eos dicitur Deus non cognoscere, quorum actiones non approbat, qui iura pro libito violant & corrumpunt. Hos appellat hoc in loco Esaias serpentes tortuosos, hoc est nefarios & iniustos: qui etsi habeant prudentiam serpentis, carent tamen columbæ simplicitate: etsi prędi ti sint iudicio ad intelligendũ, carent tamen virtute ad iustitiã seruandam. Princeps verò nõ solùm iudicio indiget, sed iustitia. Ideò dicitur in Psalmo: *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiã tuam filio regis:* rex & filius regis pro eodem accipiuntur. In qua petitione est aduertendum, iudicium & iustitiã esse à Deo petendam: non enim petitur iudiciũ mundi, sed Dei, non iustitia vltionis & immanitatis Deo inimica, sed cum misericordia & lenitate coniuncta, quæ sit Deo grata & accepta. Iudicium, quod non

A est à Deo, vertitur in malitiam, & iustitia in tyrannidem. Ex quo efficitur, vt iniqui reges peruertant fundamenta naturæ, qui nec iudiciũ neque iustitiam volunt à Domino postulare, qui cùm seipsos non gubernent, quî fieri potest, vt alios valeant gubernare? Laertius tradit dixisse Solonem Salaminium: Tunc rege, cùm primùm didiceris regi. Et Socrates, Stultum est, inquit, vt imperare quis velit, cùm sibi ipsi imperare non possit. Ille autem sibi non imperat, qui appetitum non coercet, qui indomitis cupiditatibus habenas laxat, qui iniustus est, quem Propheta serpentem vectem & tortuosim vocat. Perpende diuini vatis elegãtem similitudinem. Hominẽ cum serpente comparat, cui est maxima astutia, & dolus nocendi. Serpit, & pedes non habet, ne audiatur in eius itinere: lenis est tractus, sed non rectus, repit ad nocendum: habet occultum venenum sub leni cõtactu. Sed mirãdum videtur cur iniquum principem & iudicem appellet serpentem lenem, tortuosim & flexibilem, cum eum anteà serpentem vectem durum & inexorabilẽ appellauerit. Sed voluit iis verbis Esaias ostendere iniqui regis inæqualitatẽ, qui aduersus nonnullos impiam & inflexibilem tyrannidem exercet, erga verò alios mitis est, in quos deberet durius animaduertere. Illud est præterea aduertendum, deprauatum & iniustum principem & præsulem vocari leuiathã, hoc est cetum & piscem magnũ. Vt enim in mari magni pisces paruos interficiunt & deuorant, sic tyranni & potẽtes homines in humiles atque quiescentes viros irruunt, eósque spoliant, & ad interitum ducunt, vt eorũ diuitias in profundissimũ
Similo.
B lacum libidinum suarum profundãt. Tales ergo principes hîc à Propheta in extremo iudicio grauiter puniendi prædicuntur. Sunt tamen qui per leuiathan serpentem vectem & tortuosum intelligant diabolum, qui à diuo Ioanne in Apocalypsi draco magnus
Apoc.12. appellatur: draco ob impetum & ferociam, magnus ob superbiam & potestatem. Ipse quidẽ est rex omnium superborum, &, vt ait Iob, *Non est super terram*
Iob.41. *potestas, quæ comparetur ei.* Huius potestatem euertet Deus omnino in fine mundi. Ait enim Apostolus ad Corinthios: *Deinde finis: cùm tradiderit regnum Deo & patri, cum euacuauerit omnem principatũ & potestatem & virtutem: oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Nouissimè autem inimica destruetur mors.* Hæc diuus Paulus. Quę verba indicant Christum traditurum esse Deo patri Ecclesiam suo sanguine redemptam, & ab insultibus ac insidiis dæmonum liberã & tutam. Nam in fine mundi cùm fuerit vniuersalis resurrectio, rapietur Ecclesia in Deum, & nullos insultus dæmonum sentiet. Sic tamen eam tradet, vt non sibi adimat, sed ipse vnus Deus cum patre & spiritu sancto regnabit. Tunc autem euacuabit Christus & penitus enertuabit omnem dę
C monis potestatem & tyrannidem, & sic nouissime de
Apoc.6. struetur mors, hoc est, diabolus, qui à diuo Ioanne in Apocalypsi mors appellatur, quòd mortis sit author. Et hoc est quod hìc dicit Propheta. *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super leuiathan serpentem vectem & super leuiathan serpentem tortuosum.* Potest etiam hoc de primo Christi aduẽtu intelligi, quando multi fuerunt à dæmone liberati. Est enim nobis satis perspectum & cognitũ, fuisse varias errorũ sectas Euãgelij prędicatione dissipatas, diabolum fugatum & victum, eiúsque potentiam labefactatã. Appellari diabolũ draconem non est infrequens in literis diuinis. Appellatur hoc in loco ab Esaia vectis, quòd sit oblongus, magnámq; mundi partem occupet. Vel ideo appellatur vectis, quia ponit se pessulum inter Deũ & homines volẽs eos claudere, & à cœlo secludere. Sunt qui per hunc leuiathan serpentem vectem & tortuosum intelligãt D
Nabuchodonosorem regem Babylonis, & per eum omnes alios tyrannos, quos Propheta serpentes appellat, quemadmodum si quis appellet Lutherũ, cæterósque hęreticos nostri temporis pestem ac perniciem Germanię. Fortasse appellatur vectis ob fortitudinem, ac si diceret Vates: Fortissimus quisque tyrannus euertetur. Nam ca. quintodecimo vectem posuit pro fortitudine, vt ibi explananimus. Hac ratione adductus Theodotion pro serpente vecte posuit *serpentem robustum.* *Sup. 15.*

b *In die illa vinea meri cantabit ei.*) Vinea hæc Eccle *Sup. 5.*
sia est, quæ appellatur meri, quòd vinum bonũ proferat: nam synagoga, vt cap. quinto dixit Propheta, *fecit labruscas*, & pro dulcibus vuis protulit insuaues racemos. At vinea hęc rigata Christi sanguine cantabit in primo Christi aduentu, ait Propheta, videns se esse propagatam, & in secundo, cùm infideles & impij plorauerint. Pro *vinea meri* vertit Pagninus: *Vinea vinum faciens rubeum*, pro quo in Hebræo est: *vinea ruboris*, quòd vinum rubeum sit laudabile & optimum.

c *Repentè propinabo ei.*) Verba sunt Christi quasi dicentis: Ego vineam meã, hoc est Ecclesiam, sanguine meo repentè rigabo. Nam vno die mortis meæ pro ea sanguinem meum fundam.

d *Ne fortè visitetur contra eam.*) Subaudi ab hostibus. Ideò eam seruo die ac nocte, hoc est, omni tempore, vel tam in prosperitate, quàm in aduersitate.

e *Quis dabit mi spinam & veprem in prælio?*) Quasi dicat, nemo. Sensus est: Ego nullam aduersus Ecclesiam meam habeo indignationem. Non est aliquis qui me possit contra electos meos exasperare, vt eos perdam. Nemo poterit efficere, vt similis spinis & vepribus aculeos habentibus, Ecclesiam euertam, & gradiar super eam, illámque igni succendam. E

f *An potius tenebo fortitudinem meã.*) Nónne ero adeò fortis, vt nemo me compellat ad vineam meam comburendam? Quasi dicat: Ero quidem fortis in custodienda Ecclesia, & nemo efficiet, vt eam non custodiam, & ipsa faciet mihi pacem, Euangelium meum seruabit, mihi parebit, erítque subiecta & pacifica. Poteris etiam hęc verba, *faciet pacem mihi*, ita intelligere, vt sint Dei patris dicentis: Christus mihi homines reconciliabit. Et ita diuus Hieronymus ea interpretatur.

g *Qui ingrediuntur impetu ad Iacob.*) Qui euãgelium recepturi sunt, & ingressuri vehementi desiderio in Ecclesiam, implebunt totum orbem fructu fidei & charitatis. Tempore gratiæ sparsi fideles per vniuer
F sas mundi regiones fructus mirificos ferent. Nã Israel, hoc est, vnusquisque fidelis & iustus florebit, & germinabit. Nonnulli codices habent ad marginem: *Qui egrediuntur impetu à Iacob*: Hi sunt Apostoli, qui à patriarcha Iacob originem ducunt. Et ita habet versio diui Hieronymi.

h *Nunquid iuxta plagam percutientis se percussit eũ?* Verba sunt Prophetę dicentis, Deum non percussurum esse Ecclesiam suam, quemadmodum percutiet eos, qui eam percutient: nam eos delebit, eam autem seruabit. Vel sic: non ita, inquit Propheta, Deus percutiet populum Iudaicum, quemadmodum ab ipso percussus est.

i *Aut sicut occidit interfectos eius, sic occisus est?*) Hoc est, Non ita occidetur populus iniquus quẽadmodum ipse populus occidit fideles Christi. Nam sancti mortui sunt solùm in corpore, impij verò corpore & anima.

k *In mẽsura contra mensuram cùm abiecta fuerit iudi-*
cabis

A *cabis eam.*)Hoc est,punies quidem vineã tuam,& electos tuos in quadam mensura. Sed non iuxta eam mensuram,qua punies eos,qui ipsos electos tuos afflixerunt,sed multò molliori brachio.

l Meditatuseſt in Spiritu ſuo duro per diem æſtus.) Sensus est:Deus in die æstus,in tempore afflictionis, meditabiturquomodo puniat electos suos:mittet Spiritũ suũ durum,hoc est,ventũ vehemẽtem,qui fructibus noceat. puniet eos in fructibus terræ, non in anima,auferet ab eis opes, non autem fidem & gratiam.Est enim aliquando vtile opes amittere, ne homines nimia vbertate reddantur insolentes & elati. *Sup.13.* *Sup.5.*

Vt enim auibus pennas alarum resecamus,ne lõgius D
auolẽt,quàm par est,sic Deus quibusdam diuitias a- *simile.*
liquando excidit,ne superbia extollantur.Hoc intel
ligens Salomon dicebat in Prouerbiis:*Mendicitatem* *Prou. 30.*
& diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo
necessaria,ne fortè satiatus illiciar ad negandũ te. Vnde
diuus Paulus dicebat:*Habentes autem alimenta,& qui* *1.Tim. 6.*
*bus tegamur:his contenti simus.*Ceterùm pro *meditatuseſt*,potest verti ex Hebræo,*Abstulit*, nempe fructus vento aspero.Verbum enim תגה hagah auferre etiam signi ficat,vt Prouerb.25. *Aufer rubiginem de argento.*

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT XXVII.

1 In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro &c.]*Septuaginta habent:*In die illa inducet Deus gladium sanctum,&c.*In explanatione per gladium hũc durum diuinã potentiam & vltionem exposuimus.Sed quoniam hic gladius,sanctus à Septuaginta appellatur,existimo posse hoc de Euangelica prædicatione intelligi, qua Deus dæmonem antiquum serpentem oppressit,& Gentes ad fidem vocauit.Est enim verbum Dei gladius iuxta id quod ait diuus Paulus in epistola ad Ephesios:* Assumite gladiũ spiritus,quod est verbum Dei, *Et ad Hebræos:* Viuus est sermo Dei,& efficax,& penetrabilior omni gladio ancipiti.*Hic est gladius vtraq; parte, acutus,* B *quẽ ait Ioãnes in Apocalypsi de Christi ore exire. Hunc gladium appellant Septuaginta sanctũ,& comunis versio durum,magnum,& fortem,quoniã homines ad sanctitatem duxit, idolorum cultum occidit, diabolum fugauit & vicit,& mundum impleuit & ad veritatem vocauit eique viam ostendit ad gloriam immortalem consequendam.* *Ephe.6.* *Hcb. 4.*

2 Sùper leuiathan serpentem vectem.]*In Hebraico pro vecte est* בריח *Bariach,à verbo* ברה *quod significat claudere,contignare,instar vectis penetrare,& pertransire,& fugere.Hinc affluxit tãta interpretum varietas. Nã Symmachus vertit* serpentem claudentẽ *siue concludentem:quòd multos suo claudat imperio. Septuaginta* fugientem,*ostendentes Christi aduersus diabolum victoriã,ausugit enim diabolus,& iectus est foras, iuxta id quod ait Christus apud Ioannem,*Princeps huius mũdi eiicietur foras.*Pagninus vertit*: Serpentẽ transeuntem mare instar vectis ab extremo ad extremũ.*Quibus verbis ostendit dæmonis principatum ante aduentum Christi, qui totum mare, hoc est,totum mundum occupabat, qui in mari dicitur habitasse, quia in illis habet domicilium, qui animos habent inquietos,instabiles, & instar maris fluctuantes. Fortasse respexit Pagninus ad vectẽ,de quo ait scriptura Exodi cap. 36.* Fecit alũ vectem,qui per medias tabulas ab angulo vsque ad angulũ peruenirẽt.*Poteris vertere ex Hebræo:* serpentem penetratorem & transeuntem, & serpentem vectẽ,*vt transtulit hoc in loco noster interpres, quemadmodum apud Iobum triceſimooctauo*: Et posui vectem.

3 Repentè propinabo ei.)*In Hebraico est* אשקוט לרגעים *lirgaim axkennah. Quæ verba possunt ita Latinè verti:* Per momenta irrigabo eã.*Verbum* שקה *xakan,quod hic ponitur,irrigare significat,vt Ioelis cap.3.* Et irrigabit torrentem spinarum. *Loquitur Deus de Ecclesia,quam vineam appellat,quam promittit se quoti die singulisque momentis rigaturum, ne vnquam arescat,& sterilis fiat.Solet enim Ecclesia in diuinis literis appellari vinea Domini,sponsa,amica, columba,Sion, Ierusalem,mons,templum,domus Iacob,regnum Dei, ciuitas Dei,firmamentum & columna veritatis.Vtitur scriptura synonymis,quemadmodum in hoc capite vides appellari diabolum leuiathan serpentem,vectem, tortuosum,cetum maris,qui aliàs appellatur dæmon, leo, draco, & tentator, homicida, & aliis huiusmodi nominibus.* E

Idcirco[a] super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob:& iste omnis fructus,vt auferatur peccatum eius,[b]cùm posuerit omnes lapides altaris,sicut lapides cineris allisos,non stabunt luci & delubra.[c] Ciuitas enim munita desolata[i]erit,speciosa relinquetur,& dimittetur quasi desertũ: ibi pascetur vitulus,& ibi accubabit,& cõsumet summitates eius.In siccitate messis illius conteretur,[e]mulieres venientes & docentes eam:[f] non est enim populus sapiens,propterea non miserebitur eius, qui fecit eum:& qui formauit eum,non parcet ei.Et erit,[g] in die illa percutiet Dominus ab alueo fluminis vsque ad torremtem Ægypti,[h] & vos congregabimini vnus & vnus filij Israel.[i] Et erit, in F die illa, clangetur in tuba magna & venient qui perditi fuerant de terra Assyriorum,& qui eiecti erant de terra Ægypti,& adorabunt Dominum in monte sancto in Ierusalem.

C

a *Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob.*) Quia Deus puniet electos suos in fructibus terræ, eos affligens,ideò eis peccata dimittet.Fructus calamitatis erit peccati ablatio.Conuersi ad Dominum diuinum sentient auxilium.

b *Cum posuerit omnes lapides altaris.*) Tunc dimittet Deus peccata hominibus, cùm fregerint altaria idolorum, & eorum lapides contriuerint,& instar cineris comminuerint. Et tunc non erit lucus, in quo sacrificetur diis,& euertentur templa illis dedicata, & eorum loco templa vero Deo ædificabuntur. Prædicit gentium conuersionem ad fidem,idolorúmque repudiationem.

c *Ciuitas enim munita desolata erit.*) Cùm se gen-

A tes ad Ecclesiam conuerterint, tunc Hierosolyma mœnibus munita desolabitur,& à Romano exercitu ob Iudæorum perfidiam & impietatem euertetur Et ea,quæ modò pulchra est & ampla, ita relinquetur,vt videatur esse desertum quoddam. Ibi pascentur pecora,quæ summitates eius consument ad loca altiora ascendentia Pro summitatibus vertunt nonnuli ex Hebræo *palmites*. Describit Propheta futuram Hierosolymæ solitudinem.

d *In siccitate messis illius conterentur.)* Describit agrorum sterilitatem,ob pluuiæ defectum.

e *Mulieres venientes & docentes eam.)* Tanta erit. Iudæorum ignorantia & cæcitas, vt mulieres eos doceant. Pro ignominia ponit homines à mulieribus doceri & gubernari. Velim tamen existimes hoc nõ esse de omnibus mulieribus intelligendũ. Sunt enim multæ nõ solũ domi claræ,sed foris etiã admirandę.

f *Non est enim populus sapiens,propterea non miserebitur eius qui fecit eum.)* Aduerte Deum non misertum fuisse Iudæoram,quia fuerunt insipientes. De ea loquitur insipientia,quę oritur ex malitia,qua Iudęi corrupti & deprauati Christum verum Deum occiderunt. Talis ignorantia non excusat. *Imò ignorans,* 1.Cor.14. vt ait Apostolus,*ignorabitur*. Et in Prouerbiis ait Sa- Prou. 5. lomon: *Impius morietur,quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.*

g *In die illa percutiet Dominus.)* Tẽpore gratiæ,quã do Hierosolyma fuerit à Romanis euersa, & populus Iudæorum non habuerit intellectum, percutiet Dominus terram ab alueo Euphratis vsque ad torrẽ B tem Ægypti,hoc est,vsque ad Nilum. Sunt qui per torrentem Ægypti intelligant Rinocorulam fluuiũ paruum diuidentem terram Ægypti à terra promissionis. Ac si diceret Euertet Deus totam regionem Iudææ ab vno termino vsq; ad alterũ. Terminatur enim Iudęa ab Aquilone ad Eupratẽ,&à parte austri ad Rinocorulam. Aspicis hoc in loco fuisse totam Iudæam desolatam,quia non habuit scientiam. Apud Iudæos enim non est vera doctrina, nec solida scripturarum interpretatio. Et eam ob causam ait Apostolus in epistola prima scripta ad Timotheum, eos conuersos esse in vaniloquium, volentes esse legis doctores,non intelligentes neque quæ loquun- 1.Tim.1. tur,nec de quibus affirmant. Et ad Titum,*Sunt*, inquit,*multi inobedientes,vaniloqui,& seductores, maximè qui de circunsione sunt*.

h *Et vos congregabini vnus & vnus filij Israel.* Manentibus infidelibus Iudæis in sua pertinacia dispersis & segregatis vos ô filij Israelis secundum Spiritum, qui ex Iudęis Christi fidem receperitis,in vnam Ecclesiam congregabimini. Dicens, vnus & vnus ostendit paucos ex circuncisione esse ad Christum con- C uertendos. Hoc appellauit Propheta cap.1.*semen.*& D cap.10.*reliquias*.

i *Et erit in die illa,clangetur in tuba magna.)* Prędicit Euangelij prædicationem, & Gentium conuersionem ad fidem. Est igitur sensus: In tempore gratiæ sonabit tuba magna,hoc est,Euangelica, prædicabitur Euãgelium per totum orbem terrarum, & Christi fides annuntiabitur. Hæc est tuba illa, de qua ait Infrà 42. Esaias: *Super montem excelsum ascende qui Euãgelizas Sion. Exalta in fortitudine vocem tuam, tu qui Euangelizas Ierusalẽ*. Et alibi: *Quasi tuba exalta vocem tuam.* Infrà 51. Et hic est sonus de quo dicitur in Psal.18 *In omnẽ terrã exiuit sonus eorum*. Hac tuba excitati homines qui perditi fuerant de terra Assyriorum, & qui eiecti erant de terra Aegypti,venient, & Christum in Ecclesia adorabunt. Per Assyriam & per Ægyptum intellige per synecdochen totum orbem terrarum. Dicit igitur de omnibus nationibus conuertendas esse Gentes ad Christum, quas Diuus Ioannes vocat filios Dei, qui erant dispersi:nam etsi dispersi erant infideles & idolorum cultores, propter prædestinationem tamen filij Dei appellantur. Quoniam Christus pro eis moriendo, eisque gratiam largiendo,ex filiis iræ fecit eos filios Dei, & ex lupis agnos. Erant quidem dispersi non solùm per diuersas regiones, sed per diuersas sectas & voluntates, & varios cultus & errores. Hos congregauit Christus, non in vnum locum corporeum,sed in vnam Ecclesiam, de qua ait Apostolus: *Vnum corpus,vnus spiritus,vna fides.* Ephe.4. De hac congregatione dicitur in Psalmo: *Congrega* Psal.105 *nos de nationibus, vt confiteamur nomini tuo*. Et in alio Psal.146 *Dispersiones Israel congregabit*. Et Esaias: *Profugos Is-* Sap.c.1. *rael congregabit*. Et per Ieremiam Dominus, *Ego*, in- Ierem.23 quit, *congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris* E De hac congregatione lege totum caput trigesimum septimum Ezechielis, vbi infideles vocat ossa arida in campo, hoc est in mundo iacentia. Quid enim aliud sunt peccatores, quàm ossa mortuorum in terra prostrata? Hæc ossa Deus congregauit, reuocauit ad vitam, & Hierosolymam adduxit, eisq; vnum regem & pastorem constituit. Hæc Hierosolyma est sancta mater Ecclesia, hic pastor & rex Christus est, qui nos gubernat & pascit,qui eos, qui dispersi erant congregauit,de quibus ipse apud Ioannẽ dicit: *Alias oues habeo, illas oportet me adducere*. Possunt etiã hæc intelligi de vltima tuba,cuius sono omnes mortui ad vniuersale iudicium vocabuntur, de qua ait Apostolus in epistola prima ad Corinthios, *In momento, in ictu oculi,in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui* 1.Cor.15 *resurgent incorrupti*. Et in prima ad Thessalonicenses 1.Thes.4. etiam huius tubæ meminit cap. 4. Et diuus Mat- Matt.24. thæus cap. 24.

ANNOTATIO.

1 Et qui eiecti erant de terra Aegypti.] Pro de terra *est in Hebræo* בארץ *be æræts.quod potest verti in terram, vt sit sensus: Tempore Messiæ veniẽt ad Ecclesiam, qui in terram Aegypti, hoc est, in mundi tenebras erant eiecti. Huic interpretationi fauet Pagninus ita vertens:* Qui expulsi erant in terram Ægypti. *Verùm Septuaginta verterunt: Et qui perierant in Aegypto. Hi quidẽ significantur per ouem illam errantem,quæ perierat,quam Christus quæsiuit,& suis humeris reportauit, vt est apud Lucã capite quintodecimo. Hi perierant in Aegypto, hoc est in errorum ac vitiorum tenebris. Aegyptus enim caliginem significat,qua peccatores circunfunduntur. Nam vt corpus occidẽte sole tenebricosum manet,sic animus gratię splendore destitutus in medio cæcarum tenebrarum versatur.* Simile.

Argumentum capitis XXVIII.

Minatur diuinus vates decem tribubus Iudæorum vltionem debitam suis sceleribus, quòd essent superbi,dediti deliciis & voluptatibus,& sanctorũ vatum contemptores. Prædicit Euangelij prædicationem, forẽque Christum credentibus salutem.

CAP.

A

CAPVT XXVIII. D

VÆ a coronæ ſuperbiæ, ebriis Ephraim, b& flori decidenti gloriæ exultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguiſsimæ: errantes à vino. c Ecce validus & fortis Dominus ſicut impetus grandinis turbo conſurgens, ſicut impetus aquarum multarum inundantium, & emiſſarium ſuper terram ſpatioſam. d Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum Ephraim. Et erit flos decidens gloriæ exultationis eius, qui eſt ſuper verticem vallis pinguium, quaſi temporaneum ante maturitatem autumni. Quod cùm aſpexerit videns, ſtatim vt manu tenuerit, deuorabit illud. e In die illa erit Dominus exercituũ corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui: & ſpiritus iudicij ſedenti ſuper iudicium & fortitudo reuertentibus de bello ad portam. f Verùm hi quoque præ vino neſcierunt, & præ ebrietate errauerunt: abſorpti ſunt à vino, errauerunt in ebrietate, g neſcierunt videntem, ignorauerunt iudicium. h Omnes enim mẽſæ repletæ ſunt vomitu ſordiúmque, ita vt non eſſet locus vltrà. i Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? k Ablactos à lacte, auulſos ab vberibus, l quia manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi modicum ibi. In loquela enim labij & lingua altera loquebatur ad populum iſtum, cui dixit: Hæc eſt requies mea, reficite laſſum: & hoc eſt refrigerium meum: & noluerunt audire. Et erit eis verbum Domini, manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicũ ibi, vt vadant & cadant retrorſum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur.

B

EXPLANATIO. E

a *Væ coronæ ſuperbiæ, ebriis Ephraim.*) Decem tribus regnabant in Samaria, quæ propter Hieroboam, qui fuit de tribu Ephraim, Ephraim appellabãtur. Hæ in tantã amentiam inciderunt, vt Dei vates contemnerent, & verum Deũ derelinquerent, ac pro eo vitulos aureos, quos fecerat Hieroboam in Dan & Bethel, adorarẽt. Quapropter captæ fuerunt, patriam ſuam penitus euerterunt, fuerúntque in æternas tenebras relegatæ. Harũ decẽ tribuũ amentiã & ſcelera deplorat hoc loco Eſaias, minitans illis perniciem & interitum. Erant hi homines ſuperbi & elati, & ob eam cauſam eos vocat Propheta coronam ſuperbiæ, hoc eſt, regnũ ſuperbũ, quoniã ſe à Iuda ſeparárũt, & iniquè per ſe regnũ conſtituerũt, ad quod ſcelus fuerũt ſuperbia incitati. Et poſteà cũ ſe ſublimiores duabus tribubus, quæ Iuda appellabãtur, & numero & robore C cõſpicerẽt, ſe magis extulerũt, & ad id amẽtiæ & ſceleris adducti ſunt, vt nullũ eſſet facinus immane quod non admitterent: nullum ſanctum ius, quod non violarent. Nec ſolùm eos vocat Propheta ſuperbos, ſed etiam ebrios, hoc eſt, alienos à iudicio. Ex ſuperbia enim naſcitur amentia, quæ animum inebriat, & perturbat, & à ſua ſede ac ſtatu deiicit. Vel certè eos ebrios vocat, quòd eſſent vino ac crapulæ dediti, & deliciis affluerent. Quaſi dicat: Væ regno Iſraelitico inflato ſuperbia & tradito voluptatibus.

b *Et flori decidenti gloriæ exultationi eius.*) Senſus eſt: Væ flori, qui decidit à gloria exultationis Iſraelitarum habitantium Samariæ, quæ ciuitas eſt in vertice vallis fertiliſſimæ. Eſt enim Samaria quædam ciuitas, à qua tota illa regio Samaria appellatur, & erat in monte ſita, ad cuius pedem erat vallis quædam feraciſſima. Vel per verticem vallis pinguiſſimæ intelligit Propheta locum, vbi Iſraelitæ idola colebãt. Appellat Iſraelem florem, ſed decidentem, quoniam gloriam ſuam Iſraelitæ obſcurauerant, & à dignitate in qua tempore Dauidis & Salomonis, quando in templo Deum colebant, erant conſtituti, deciderant. Pro eo quod nos habemus, qui erant in vertice vallis pinguiſſimæ, interpretari poſſis: *In quorum vertice erat vallis pinguiſſima*, ſignificans eorum capita eſſe vnguentorum copia madida, intelligens per verticem caput, per vallem verò pinguiſſimam vnguentorum abundantiam. Ita quidam Iudæorum Rabbinus hunc locum exponit.

c *Ecce validus & fortis Dominus, ſicut impetus grandinis, &c.*) Quoniam decem tribus Deum dereliquerunt, ſéq; ventri & vino dediderunt, pœnas ſuorum ſcelerum dabunt. Nam Deus validus & fortis eos euertet, vt turbo grandinis omnia ſolet confringere, & impetus aquarum inundantium omnia quæ inuenit, ſecum rapere. Textus diui Hieronymi habet: *Ecce validus & fortis Domini.* Per quem intelligitur rex Aſſyriorum, quo Deus tanquam miniſtro vtebatur ad Iſraelem euertendum. Pro quo Septuaginta dixerunt: *Ecce fortis & durus furor Domini.*

d *Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum Ephraim.*) Hoc eſt, decem tribus erunt ab Aſſyriis captæ, euerſæ, & conculcatæ. Vide Dei iudicium. Qui ſe ſuperbia efferunt in ſublime, pedibus inimicorum conculcantur. Corona ſolet ferri ſuper caput: at hic pedibus hoſtium conculcanda prædicitur. Non poterat diuinus vates apertius & elegantius perniciem ſuperborum explicare. Tu qui regnas, caue ne ſuperbia inſleris, ſolet enim Deus deponere potentes de ſede, & humiles efferre, ad verámque amplitudinẽ perducere.

Quaſi temporaneum ante maturitatem.) Comparat F gloriam decem tribuum fructui præcoci, qui parum durat, & colligitur antequam matureſcat. Acſi diceret: Vt illi qui auidi ſunt fructuum præcocium, eos colligunt, & ſub ipſa arbore ſtatim comedunt, ſic Aſſyrij cum magno deſiderio decẽ tribus deglutient & deuorabunt. Id quod hoc in loco interpres vertit temporaneum, vertit apud Ieremiam cap. 24. *ficus primi temporis*, & Michææ capit. 7. *præcoquas ficus*, & Oſeæ 9. *prima poma*. Septuaginta habent hic *præmatura ficus*.

e *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, &c.*) Euerſa Samaria, conculcata Aſſyriorum pedibus corona ſuperbiæ decẽ tribuum, erit Deus gloria decoris reliquiis populi ſui, hoc eſt, tribum Iuda & Beniamin proteget, & gloria decorabit, tribuens eis admirabilem de Sennacheribo victoriam.

f *Sedenti ſuper iudicium.* Periphraſis eſt regis, qui ſuper iudicium dicitur ſedere, quia eius eſt omnia regere & iudicare. Eſt igitur ſenſus: Dabit Deus regi Ezechiæ gratiam, vt æquiſſimè iudicet, & fortitudinem iis, qui hoſtes ſuos ad fugam, compulerint, eóſq; vſque ad portas vrbium ſuarum fuerint perſecuti.

A Aſpicis hîc ęquum iuſtum iudicem ſpiritu Dei ad iudicandum dici & gubernari. Ex quo poteris aduertere quanta cęcitate laborẽt, in quibus erroribus verſentur, quot ſcelera admitant illi, non ſpiritu Dei, ſed ſpiritu vindictæ furoris, odij, inuidiæ, iudicauerint. Aſpicis præterea Deum eſſe illum, qui fidelibus ſuis aduerſus hoſtes robur ac fortitudinem præſtat: ex quo colligitur neceſſarium eſſe iudici, vt petat à Deo ſpiritum iudicij: & militi, vt ab ipſo Deo fortitudinem poſtulet. Id quod hîc dicitur: *Et fortitudo reuertentibus de bello ad portam*, poteſtita explanari: Dabit Deus fortitudinem iis, qui aduertere faciẽt inimicos de bello ad portas vrbium ipſorum hoſti um. Vel qui vaſtatis hoſtibus de prælio reuerſi fuerint ad ciuitatem, vbi ſe clauſerint. Vel ſic, Erit Deus fortitudo iis, qui auerterint bellum à porta ſuæ ciuitatis, eã ab hoſtibus defendendo. Tres partes habet ciuitas, regem, milites, & plebem, quas omnes Propheta cõplectitur: regi prædicit dandum à Deo ſpiritum iudicij, militibus dandam fortitudinem & victoriam, plebi pacem & ſecuritatem.

g *Verum hi quoque præ vino neſcierunt.*) Duæ etiam tribus Iuda & Beniamin fuerunt deditæ vino, & iu-
B dicium amiſerunt, quemadmodum aliæ decem.

h *Neſcierunt videntem.*) Hoc eſt, Deum, qui omnia videt, non intellexerunt, quia habebant iudicium corruptum ob impia ſcelera. Poteris per videntem Prophetam intelligere, cui dicit Iudæos non credidiſſe. Appellari autem Prophetam videntem diximus capite primo. Erant in Iudæa diuini vates viri ſancti, omnibus virtutum ornamentis exculti, qui à Iudæorum ſceleribus abhorrebant, & veluti Sol & Luna
ſimile contrarium mundo iter intendebant, nefariósque homines ad virtutem cohortabantur. Sed vt gemma, quam appellant chalaziam, quamuis iniiciatur in ignem, natiuum tamen frigus retinet, ſic Iudæi nullis Prophetarum monitis & exemplis accendebantur, ſed frigidi ad virtutem, in ſuis flagitiis perſeuerabãt, non credentes prophetis, nec eos intelligentes, nec eorum doctrinam approbantes.

i *Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu.*) Notat Iudæorum nimiam ebrietatem. Vel ſignificat eorum idololatriam, qui in locis nemoroſis, & in montium verticibus idolis ſacrificabant, ibíque ſplendidè comedebant.

k *Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum?*) Cùm Iudæi in erroribus verſentur, & ve-
C rum Deum dereliquerint, quis erit, quem prophera doceat ſcientiam Dei & prophetiam? Appellat prophetiam auditum, quia eam prophetæ ſuggerente ſpiritu à Deo audiunt, quam alio in loco viſionem appellat, quoniam diuini vates ventura ſpiritu intuentur. Vult hoc in loco propheta ſignificare paucos eſſe qui legem Dei vellent audire & intelligere, id quod
Infrà.55. alibi iis verbis ſignificauit: *Quis credidit auditui noſtro? &c.*

l *Ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.*) Eos propheta & verus doctor inſtruet in lege Dei & prophetia, qui ſunt ablactati à lacte, & auulſi ab vberibus, hoc eſt, qui ſunt pueri, adhuc non aſſueti vitiis, quos oportebit paulatim rudi modo docere. Poteris per ablactatos à lacte, & auulſos ab vberibus eos intelligere, qui iam non indigent lacte ſed ſolido cibo. Ait enim Diuus Paulus in epiſtola prima ad Corinthios: *Lac vobis potum dedi non eſcam. Nondum enim poteratis, ſed nec quidem poteſtis, adhuc enim carnales eſtis.* Hoc eſt, ſimplicem doctrinam vobis tribui, non altam & arcanam. Et in epiſtola ad Hebræos ita ait: *Facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo.* Et D
paulò poſt: *Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, eorum qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali.* Ex quibus locis apertè colligitur, non eſſe quoslibet paſſim ad arcana myſteria ſacrarum literarum admittendos. Vnde facilè conuincuntur ij, qui temerè aſſerunt omnes diuinæ ſcripturæ libros debere in vulgarem linguam transferri, vt ab omnibus legantur. Meritò igitur decreuit ampliſſimus ſenatus theologiæ Pariſienſis ne ſacra ſcriptura in vernaculam linguam verteretur. Quod etiam in noſtra Luſitania ſeruatur.

m *Quia manda remanda.*) Dixit Iudæos in erroribus verſari, & diuinos vates dereliquiſſe: modò deſcribit, quemadmodum Iudæi prophetas ſanctos irridebant. Cùm Propheta aliquis eos ad virtutem hortabatur, illíſque diuinam vltionem annunciabat, reſpondebant ipſi: *Manda remanda, expecta reexpecta.* Hæc verba dicebant Iudæi imitantes verba Prophetarum, ſed cum ſubſannatione & contemptu. Solebant enim Prophetæ dicere: Deus præcepit hoc: & quamuis hoc quod dico, non ſtatim veniat, expecta tamen, quia veniet, & non tardabit. Et ſtatim infert E
Eſaias: *In loquela enim labij, & lingua altera loquetur ad populum iſtum, &c.* acſi diceret: Hactenus locutus eſt Deus per Prophetas ſuos ad populum Iudæorum verba dulcia, quemadmodum illa quæ dixit per quẽdam vatem: *Hæc eſt requies mea, reficite laſſum, & hoc eſt refrigerium meum.* Quibus verbis Deus non increpabat Iudæos, ſed dicebat illis, vt opera miſericordię exercerent, quoniam in hoc illi placerent. At modò quoniam Iudæi hæc verba noluerunt audire, loquetur Deus illis in lingua altera, hoc eſt, verba dura & comminatoria. Et hæc verba, quæ Iudæi irridentes Prophetas proferebant, nempe *manda remanda, expexa reexpecta, &c.* ducent ipſos Iudæos in perniciem. Erit eis hæc ſubſannatio occaſio cadendi retroſum. Conterẽtur enim & capientur ab exercitu Babylonio, poſteà à Romano, & ſemper à diabolo. Eſt hoc loco aduertendum, infideles Iudæos cecidiſſe retrorſum. Non enim dicit: vt vadant, & cadant in faciem: ſed dicit, *Vt vadant, & cadant retrorſum.* Qui cadit in faciem, videt locum, in quem cadit, & poteſt ſe facile erigere & manibus adiuuare, ſed qui cadit retrorſum, *Act. 9.*
nec videt locum ruinæ, nec poteſt ſe ita facilè ſubleuare. In Actis Apoſtolorum ſcribit diuus Lucas Saulum cecidiſſe, ſed non dicit retrorſum. Et Ezechiel *Ezec. 1.*
inquit: *Vidi, & cecidi in faciem meam.* At de Chriſti perſecutoribus inquit diuus Ioannes: *Abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* *Ioan. 18.*
Vides igitur electos in faciem cadere, reprobos autem retrorſum. Cæterùm hæc verba quæ hic habentur, nempe, *In loquela enim labij, & in lingua altera loquetur ad populum iſtum*, citat Paulus apoſtolus in epiſtola prima ad Corinthios, ſic dicens: *In lege enim ſcriptum eſt: Quoniam in aliis linguis, & in labiis aliis loquar populo, huic, & nec ſic exaudiet me, dicit Dominus.* Et ſtatim infert: *Itaque linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus, Prophetia autem non infidelibus, ſed fidelibus.* Hæc diuus Paulus. Lege totum illud caput, & videbis hunc locum Eſaiæ explanari ab Apoſtolo de diuerſis linguis, quibus Apoſtoli loquebantur. Vult enim oſtendere prophetiam eſſe præſtantiorem dono linguarum. Et ideò hunc locum citat, oſtendens linguas eſſe ſignũ datũ infidelibus, prophetiã verò fidelibus, & infideles noluiſſe credere Apoſtolis, qui variis linguis loquebãtur: Et ſi attẽtius aſpexeris, videbis Septuaginta interpretes hũc Eſaiæ locũ de Apoſtolis interpretari. Illud eſt etiã aduertendũ dixiſſe di-

uum

A uum Paulum: *Et nec sic exaudient me*, pro eo quod Esaias ait, *& noluerunt audire*. Vbi aspicis id quod in Prophetis dicitur de præterito, esse aliquando de futuro explanandum: quod aliis in locis annotauimus. Est igitur huius loci sensus, acsi dicat Deus: Hactenus ô Iudæi dedi vobis doctores, prophetas & sapientes, qui vestra lingua vos erudirent, & ad veritatem D reuocarent, quos vos audire noluistis. Veniet tempus quando vobis dabo magistros, nimirum Apostolos meos qui variis linguis loquãtur, sed nec eos exaudietis. Locutos fuisse Apostolos variis linguis asserit diuus Lucas Actorum secundo.

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT XXVIII.

1 Vę coronæ superbiæ.] *Septuaginta habẽt*: Væ coronæ iniuriæ. *Sunt enim superbi propensi ad iniuriam faciendã. Quos litera Hebraica superbos vocat, Septuaginta in alios iniurioſos appellant.*

2 Errantes à vino.] *Septuaginta veterunt*: Qui ebrij
B estis absque vino. *Vbi vides omnes qui Deum derelinquunt, amentes esse. Vt enim vinum iudicium corrumpit, sic malitia intellectum deprauat, & animi præstantiam turpi dedecore maculat & deformat.*

3 Quia manda remanda, manda remanda, expecta rexpecta, expecta reexpecta.] *In Hebraico est in hunc modum:* כִּי צַו לָצָו צַו לָצָו קַו לָקַו קַו לָקַו *Primum verbum est* קַוה, *quod significat præcipere mandare. imperare, vt Deuteronomij capite* 33. Legem præcepit nobis Moyses. *& aliis in locis. Alterum verbum est* קַוה, *quod*
Psal. 30. *significat expectare, vt in Psalmo:* Expectaui Dominũ. *Et Esaiæ capite quinto:* Expectauit vt faceret vuas. *Vnde constat nostrum interpretem rectè hæc verba interpretatum fuisse, cuius interpretationem in explanatione explicuimus. Pagninus verò ita hunc locum transtulit ex Hebræo:* Nam vt mos est pueris, datur eis præceptum post præceptum, præceptum post præceptum, linea post lineam, linea post lineam. *Huius interpretationis hic est sensus: Iudæi sunt instruendi more puerorum, quibus non statim omnia dicuntur, sed datur illis vnum præceptum, & posteà alterum: nunc vna regula, deinde altera, & ita paulatim instruũtur, quoniã sũt iudicio imbecillo & imperfecto. Hunc sensum secutus quidam ita transtulit:* Quia præceptum post præceptum, mandatum post mandatum, regula post regulam, instructio post instructionem. *Dictio* קַו, *pro qua Pagninus interpretatus est lineam, & alius regulam, & instructionem, significat etiam directorium, amussim, & perpendiculum, & ædificium, & id quod Lusitani appellant* oliuel. *Vnde quando Hebræi volunt significare aliquid paulatim fieri, vtuntur hoc vocabulo. Vt enim cæmentarius qui perietem construit, extensa linea vna facit vnum ordinem, & super illum eam extendit, & facit ordinem alterum, donec paulatim perficiat parietem, sic qui sensim rem aliquam efficit, illam dicitur linea & linea efficere, sumpta metaphora ab ædificantibus. Hæc dictio* קַו *est in Psalmo decimooctauo, pro qua nos habemus sonum.* In omnem terram exiuit sonus eorum. *Quod Diuus Paulus de Apostolorum prædicatione interpretatur. Pro quo potest ex Hebræo verti:* In omnem terram exiuit norma eorum, *vel amussis, vel perpendicum, vel directorium vel linea, vel ædificium eorum. Omnia enim hæc veræ concioni conueniunt. Ea enim debet esse norma & regula vitæ nostræ & secundum eam debemus actiones nostras dirigere. Debet ædificare, & ædificium animæ nostræ ad rectam amussim rationis construere. Fuit etiam Apostolorum prædicatio linea illa æquinoctialis cingens totum vniuersum.*

simile. E

Rom. 10.

C

Propter [a] hoc audite verbum Domini viri illusores, qui dominamini super pópulum meum, qui est in Hierusalem. Dixistis enim: [b] Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: Flagellum inundans cùm transierit, non veniet super. nos, quia [c] posuimus mendacium
Ps. 117. *d* spem nostram, & mendacio protecti sumus. [d] Id circo hoc dicit Dominus Deus: [e] Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, precioſum in fundamento fundatum. [e] Qui [f] crediderit non festinet. [f] Et ponam in pondere iudicium, & iustitiam in F
mensura. [g] Et subuertet grando spem mendacij, & protectionem aquæ inundabunt, & delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit. Flagellum inundans cùm transierit, eritis ei in conculcationem. Quandocunque pertransierit, tollet vos, quoniam manè diluculo pertransibit in die & in nocte, & tantummodo [h] sola vexatio intellectum dabit auditui. [i] Coangustatum est enim stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrunque operire non potest. [k] Sicut enim in monte diuisionum stabit Dominus, sic in valle, quæ est in Gabaon, irascetur. Vt faciat opus suum alienum opus eius, [l] vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo. [m] Et nunc nolite illudere, ne fortè constringantur vincula vestra. [n] Consummationem enim & abbreuiationem audiui à Domino Deo exercituum super vniuersam terram. Auribus percipite, & audite vocem meam, attendite, & audite eloquium meum. [o] Nunquid tota die arabit arans vt serat, proscindet, & sarriet humum suam? Nónne cùm adæquauerit faciem eius, seret gith, & cyminum sparget, & ponet triticum per ordinem, & hordeum, & milium, & viciam in finibus suis? Et erudiet illum in iudicio, Deus suus docebit illum. [p] Non enim in serris triturabitur gith, neque rota plaustri super cyminũ circumibit, sed in virga excutietur gith, & cyminum in baculo, panis autem comminue-

Act. 9.

F

Ezec. 2.

Ioan. 18.

A tur. Verùm non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plaustri, neque D vngulis suis comminuet eum. Et hoc à Domino Deo exercituum exiuit, vt mirabile faceret consilium, & magnificaret iustitiam.

a *Propter hoc audite verbum Domini viri illusores.*) Ostendit hic locus Iudæos irrisoriè proferre verba prophetarum, quod paulò ante dicebamus.

b *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.*) Hæc dicebant Iudæi Prophetis: Non timemus mortem nec infernum, quoniá fecimus cum illis pactum, ne nos vnquam absorberent. Victuri sumus acsi non esset mors nec infernus, ideò minis vestris nõ terremur. Vide sceleratorum hominum stultitiam, rerúmque nouissimarum incredibilem oblivionem.

c *Posuimus mendacium spem nostram.*) Vide qua in re iniqui homines spem suam collocent, in mendacio, quod quidam vir doctus araneæ telam vocauit. Fortasse per mendacium intelligitur idolum. Vt sit sensus: Non timemus mortem, nec infernum, quoniam idolum nostrum, quod vos Prophetæ mendacium vocatis, nos liberabit.

B d *Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, &c.*) O admirabilem Dei nostri misericordiam, & immensam pietatem! Ostendebat modò Iudæorum tetra scelera, & incredibilem amentiam & obliuionem, & concludit dicens: Idcirco ego mittam filium meum, qui hominibus viam veritatis ostendat, & ad veram dignitatis amplitudinem adducat, & sic Ecclesiæ probatum, & precioſum fundamentum. Videbatur debere ita concludere: Quoniam ô Iudæi vos scelerum ministros præbuistis & Dei hominúmque iura violastis, quoniam ita viuitis, acsi nec esset mors nec locus æternorum cruciatuum, ego vos funditus euertam, & mittam lupos, qui vos dilanient & absumant Et vide quid dicat: Quoniam mei estis immemores, & scelere ac flagitio pascimini, ego mittam mundi saluatorem, vestrum Messiam, vnicum filium meum, non quid peccata vestra mereantur considerans, sed quid mea exigat misericordia. Vide conclusionem pietatis plenissimam. Habes multa loca in diuinis literis huic similia, vt Oseæ se-
C cundo: *Ibat post amatores suos, & mei obliuiscebatur, dicit Dominus. Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Animaduerte quemadmodum Deus Hierosolymæ sceleribus iratus, non iuxta scelerum mensuram, sed secundũ multitudinem suæ misericordiæ loquatur. Sic hoc in loco. Vocatur hic Christus fundamentum Sionis, hoc
1. Cor. 3. est, Ecclesiæ, de quo ait Diuus Paulus: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Si lapis hic esset terrenus, & mons hic Sionis etiam terrenus, quî fieri poterat, vt in eius fundamento lapis poneretur? & quorsum hoc tam sine vlla vtilitate? Significat igitur Sion Ecclesiam Catholicam, cuius caput & fundamentum Christus
Psal 117. est, & lapis angularis, probatus & precioſus, de quo dixerat alius Propheta: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Et volens ostendere esse hanc vaticinationem de Christo intelligendam, subdit: *O Domine saluum me fac: O Domine bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini.*
Matt. 21. Et Christus de seipso eam apud Matthæum interpretatur. Sed aduerte: Esaias dicit hunc lapidem esse Deo probatum. Dauid autem ait esse reprobatum ab ædificantibus. Ad id amentiæ, & prauitatis venerunt homines, vt reprobent id, quod Deus approbat. Esse
simile autem Iesum Christum lapidem ostendimus fusè capite octauo. Solent qui magnificum aliquod ædificiũ construunt, in lapide quodam angulari arma sua & stemmata pingere, aut quocunque alio modo collocare. Fecit Deus tẽplum quoddam vsque adeò magnificum & excellens, vt ne noster quidem intellectus possit ejus dignitatem & amplitudinem cõplecti. Est autem hoc templum Ecclesia Catholica, edificium nobilissimum, ad quod cœlestis pater misit lapidem admirabilem, hoc est, filium suum, qui non solùm esset huius ædificij fundamentum, sed etiam lapis angularis, in pulcherrimo loco constitutus, & est hic lapis scutum quoddam, de quo dicitur in libro secundo Regum: *Deus Dominus fortis meus, sperabo in eum, scutum meum, & cornu salutis meæ.* Arma & stemmata huius lapidis, huius cœlestis scuti, sunt quinque stellæ aureæ in campo sanguineo, hoc est, quinque illa sacratissima Christi vulnera, arma glorioſa & diuina, trophæa & insignia nostrarum victoriarum. Tu verò considera verborum Prophetæ amplitudinem. E
Poterat dicere: Mittam vobis Messiam, sed voluit tã insigne beneficium verbis insignibus & metaphoricis explicare. Est autem translatio sumpta ab ædificantibus, quę verborum amplitudine innuit rei magnificentiam & maiestatem. Appellatur Christus lapis angularis, quia vtrunque populum & Iudeorum & Gentium in vna Ecclesia copulauit, & in fundamento fundatus: hoc est solidissimum fundamentum.

e *Qui crediderit non festinet.*) Hoc est, qui crediderit, inquit Esaias, non existimet Christum non esse venturum, si statim non venerit. Non festinet. Chri-
Habac. 2. stus enim veniet. Nam, iuxta Habacuc, nemo desperet, quia veniens veniet, & promissa sua complebit. Nondum enim venit temporis plenitudo, quod Pater cœlestis filij suiincarnationi præfiniuit. Hoc ideo dicit Esaias, quia videbat difficile esse fragiles homines de promissionibus Dei aliquãdo nõ dubitare. Cũ sæpenumerò videamus eum permittere, priusquam promissa persoluat, res multò aliter euenire, quàm existimabamus. Id quod ex locis è media scriptura
1. Reg. 16 depromptis perspicuum faciam. Dauidem in adolescentia regem designauit Deus, eúmque à Samuele voluit vngi. Sed posteà tot tantísque calamitatibus
F eum opprimi permisit, tam variis casibus & acerbis ærumnis eum exercuit, priusquam ad altum dignitatis gradum adduceret, eíque regni possessionem traderet, vt vix credibilia viderentur ea, quæ Dauidi facturum se esse prædixerat. Ioseph dixit Hebræis in
Gen. vlt. Aegypto: *Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista, ad terram, quam iurauit Abraham, Isaac, & Iacob.* At postquam ille è vita migrauit, vexati sunt Hebræi multis annis, donec Deus eos liberaret, & in promissam terram perduceret. Ex quo fit, vt imbecilli homines cadant animo, & Dei promissionibus interdum diffidant. Quare debet hoc salutare præceptum in animo inhærere. Qui enim nequit tolerare moram, is nec fortitudinem habet, neque constantiam. Quocirca non solùm id quod vult non consequitur, sed etiam grauissimas diffidentiæ pœnas luit. At qui toleranter ac patienter fert moram, & ab incœpta spe non desistit, is obtinet promissa, & adipiscitur æternam beatitudinem, quòd Deo adhęserit, & animo fidente, firmo, & erecto perseuerarit. Hanc sententiam inuenies apud diuum
Hebr. 10. Paulum in epistola, quam ad Hebręos scripsit, vbi ita ait: *Nolite* itaque amittere confidentiam vestram, quę magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reporeetis

A tetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulúmque qui venturus est, veniet, & non tardabit, iustus autem meus ex fide viuit. Quòd si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.

f *Et ponam in pondere iudicium & iustitiam in mensura.*) Verba sunt Patris cœlestis hunc sensum habentia: Tempore gratiæ quando Christus venerit in mundum, ego docebo rectissimam iustitiã, & æquissimum iudicium. Aduerte iudicium debere esse æquo pondere, & iustitiam æqua in mensura. Debet enim iudex æquo pondere, & mẽsura omnes iudicare, magnos & paruos, diuites & pauperes, amicos & inimicos. Non dicit: Ponam iudicium in ponderibus, sed *in pondere*, nempe vno, & in mensura vna. Nam, vt ait Salomon in Prouerbiis: *Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrunque abominabile est apud Deum.* Hoc est diuersis ponderibus & mensuris ponderare & metiri, quod est iniquè, & inæquabiliter iustitiam exercere aliis vno pondere, aliis verò altero. Vt enim mercator, qui duas habet mensuras ambas falsas, alteram excedentem debitam quantitatem, alteram verò ad eam non attingentem: alteram, qua vendit, alteram autem, qua emit, nunquam rectè metitur: sic iniquus & corruptus iudex duas virgas habet, alteram qua amicos & potentes iudicat, alteram qua inimicos & pauperes. Quo fit, vt rempublicam euertat.

Prou. 20.

simile.

g *Et subuertet grando spem mendacij, & protectionem aquæ inundabũt.*) Hoc est, Impetus exercitus Romani repentè venientis vt grando spem fallacem Iudæorum infringet, & veluti aqua inundans omnem protectionem rapiet. Per mendacium potest intelligi idolum. Vel appellat spem mendacij, hoc est, spem mendacem. Talis est enim mundi spes, mendax & fallax. Promittit sed decipit. Vt enim vrtica viridis colore delectat, sed tactu vlcerat, sic mundus mulcet spe, sed vulnerat operibus.

Habac. 2.

B

simile.

h *Sola vexatio intellectum dabit auditui.*) Id est, cùm fueritis afflicti, intelligetis Prophetas meos vera prædixisse. Vel sic: Afflictio vestra dabit intellectum eis, qui eam audierint. Quasi dicat: fama vestrarum calamitatum aliis metum incutiet. Aspicis afflictionis vtilitatem. Non enim solùm prodest afflictis, sed etiã aliis, qui aliorum afflictione perterriti, se à vitiis abstrahunt. Vt enim ignis radius confectus ex terrę exhalationibus in aere inter vapores eleuatis in vnam partem cadit, & ibi solùm ferit & vrit, sed omnes illius regionis incolas perterret, sic vnius hominis calamitas eum solum affligit, sed multis aliis terrorem incutit, eósque exuscitat, vt à vitiis auocentur.

1. Reg. 16

i *Coangustatum est enim stratum.*) Ad tantam inopiam & afflictionem venietis, vt nullus sit, qui in suo lecto alterum possit recipere. Tam breuis erit locus, vt duo se in eo voluere non valeant: támque angustum erit pallium, vt non possit duos cooperire. Fortasse vtitur Propheta metaphora viri pudici, qui vxori adulteræ ait: Vnus lectus me & adulterum tecum capere non potest, & breue pallium virum & adulterum tegere non valet. Vir est Deus, adulter diabolus, vxor impudica Hierosolyma, quæ apud Ezechielem fornicans & meretrix appellatur, & apud alios etiam Prophetas. Quasi Dicat Deus: Tu ô Hierosolyma si vis mihi adhærere, contemne diabolum. Si idola colueris, me habere non poteris. Id quidem est quod dicebat Christus apud Matthæum: *Nemo potest duobus dominis seruire.* Et paulò post: *Non potestis seruire Deo & mammonæ.* Arca fœderis in templo Dagonis esse non potuit, quin idolum caderet & confringeretur. Aut colenda erat arca, aut idoli imago. Aut colendus est Deus in anima nostra, aut diabolus. Cùm Moyses peteret à Pharaone, vt Hebræorum populum dimitteret, vt Deo in deserto sacrificaret, respondit Pharao, vt Deo in Aegypto immolarent: cui respondit Moyses, Non posse ita fieri: non enim Deus erat simul cum diabolo colendus. Id est quod diuus Paulus ad Corinthios scribit: *Non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini esse participes & mensæ dæmoniorum.* Et alibi: *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Quæ societas luci ad tenebras? Quæ conuentio Christi ad Belial? Quæ pars fideli cum infideli? Qui consensus templo Dei cum idolis?*

Kec. 16

Hebr. 10.

Matth. 6.

C

Gen. vlt.

D

3. Reg. 5.

Exod. 8.

1. Cor. 10

k *Sicut enim in monte diuisionum.*) Sensus est: stabit Dominus contra Iudæos, quemadmodum stetit in monte diuisionum aduersus Allophylos regnante Dauide. Et quemadmodũ in valle Gabaon sub principe Iosue multi ex hostibus perierunt, sic aduersus Iudæos infideles Christum lapidem probatum reprobantes irascetur Deus. Habes historiam hanc de monte diuisionum libri secũdi Regum capite quinto, & de monte Gabaon Iosue decimo.

l *Vt faciat opus suum, alienum opus eius, &c.*) Puniet Deus homines sceleratos, non vt eos ex animo velit perdere, sed vt conuertantur, aut alij Deum timeant. Punit igitur vt saluos faciat. Punire non est proprium Dei opus, sed misereri & parcere, quemadmodum canit Ecclesia: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere.* Ideò Deus non punit ex animo, sed quia ita exigunt scelera nostra. Ait enim Ieremias in lamentis loquens de Deo: *Quia si abiecit, & miserabitur secundum multitudinem misericordiarum suarum.* Non enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominum. Appellat hoc in loco Esaias opus Dei misereri, opus autem alienum ab eo irasci & punire. Ex quo colliges eos Deũ imitari, qui sunt ad misericordiam propensi. Ideò dicebat Christus Deus noster: *Estote misericordes sicut & pater vester misericors est.* Venit Filius Dei ad restituendum in nobis imaginem & similitudinẽ Dei, quam ob nostra impia facinora habebamus deformatam, ideò ad eius misericordiam imitandum nos excitat. Acsi diceret, eum respicite, eius misericordiam imitamini, qui vester pater est, ad cuius imaginem creati estis. De misericordia Dei poteris ea videre, quæ fusè suprà annotauimus capite primo illa verba explanantes: *Heu consolabor, &c.*

Thren. 3.

Luc. 6.

E

m *Et nunc nolite illudere.*) Ne vates meos irrideatis, si vultis, ne vos seuerius puniã. Quantò vincula magis constringuntur, tantò arctius premunt. Potest hoc intelligi de vinculis peccati, de quibus differuimus cap. quinto.

n *Consummationem enim & abbreuiationem.*) Ego Propheta prædico vobis ea, quæ à Deo audiui, vt imminentem iram pœnitentia præueniatis. Hucusque distulit Deus supplicia, sed ille consummabit & explebit ea, quæ vobis per Prophetas suos minitatur, & abbreuiabit tempus vltionis suæ. Per vniuersam terram intellige Iudæam de qua loquebatur.

F

o *Nunquid tota die arabit arans.*) Hoc simili ostẽditur admirabilis Dei operatio, qui excoluit populum Hebrçorũ tanquam agrum, ad suscipiendũ diuinum semen. Aspice Dei pietatem, nunc aratoris vice fungitur, nunc frangẽtis glebas, & faciẽ terræ adęquãtis, modò verò triturãtis. Atq; hæc oĩa vt fideles fructum ferãt. Arauit Israelitas miraculis per Moysem, seminauit præceptis, triturauit afflictionibus. Sed non semper

A semper arandum est. Est enim tempus fructus colligendi.

p *Non enim in serris triturabitur gith.*) Sensus est: Non omnes æqualiter affliguntur, sed alij durius, alij mitius. Non eodem modo trituratur triticum & gith. Nam gith trituratur virga & pertica, hoc est, lenius: triticum verò rotis, & sic durius. Hoc dicit, quia solebant Iudæi triticum in area triturare bobus rotisque plaustrorum. Igitur semen fortius & excellentius durius trituratur. Sic Deus agricola ille cœlestis nõnullos affligit durius, quos fortiores & firmiores videt: nonnullos verò leuius, quos fragiliores esse cõspicit. Sed quemadmodũ nõ semper triticũ trituratur, sic nec semper iustus affligitur. Gith est seminis genus, appellatúrque nigella Romana. Pagninus vertit nigellam. Plinius appellat mẹlanthium, quod plagis serpentium mederi ait. At largius epotum enecare aiunt, vt Dioscorides inquit. Vicia genus est leguminis àvinciendo dictum, vt Varroni placet quòd habeat capreolos instar vitis quibus ea, quibus adhęret, vincit. D

ANNOTATIO.

1 Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, &c.] *Pro probato est in Hebraico* בחן *bochan. Hebraismus propriè habet*, lapidem probationis. *Esse hunc lapidem Messiam indicat paraphrastes Chaldaicus ita hunc locum vertens*: Ego pono pro fundamento in Sion regem regem, Messiam, regem potentem & angularem.

2 Qui crediderit non festinet.] *Pro non festinet est in Hebrao*, לא יחיש *lo-iachix, pro quo Septuaginta interpretes verterunt*, Non confundetur. *Hunc locum citat Apostolus in epistola ad Romanos iuxta Septuaginta trãslationem, volens ostendere veros Christianos non esse confundendos.* Rom. 10

Argumentum capitis XXIX. E

B *Deplorat Propheta Iudæorum euersionem per Babylonios, & postea per Romanos, eorúmque animorum cæcitatem & perfidiam. Ait de eorum gentium que conuersione vaticinatur.*

CAPUT XXIX.

VÆ[a] Ariel, Ariel ciuitas quam expugnauit Dauid.[b] Additus est annus ad annũ, solennitates euolutę sunt: [c] Et circũuallabo Ariel, & erit tristis & mœrẽs, & [d] erit mihi quasi Ariel. Et[e] circundabo quasi sphæram in circuitu tuo, & iaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obsidionẽ tuam. Humiliaberis:[f] de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quasi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquiũ tuum musitabit. [g] Et erit sicut puluis tenuis multitudo ventilantiũ te, & sicut fauilla pertransiens multitudo eorum, qui contra te prævalueruut. [h] Etítque repentè confestim à Domino exercituum, visitabitur in tonitruo & commotione terræ & voce magna turbinis & tempestatis, & flãma ignis deuorãtis. Et[i] erit sicut sõniũ visionis nocturnæ multitũdo omniũ gentiũ, quæ dimicauerunt contra Ariel, & omnes qui militauerunt, & obsederunt, & prævaluerunt aduersus eam. Et sicut somniat esuriens & comedit: cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius. Et sicut somniat sitiens & bibit: & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: sic erit multitudo omnium gentiũ, quæ dimicauerunt contra montem Sion. [k] Obstupescite & admiramini, fluctuate & [l] vacillate, inebriamini & non à vino, mouemini & non ab ebrietate [m] quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis. Claudet oculos vestros, prophetas & principes vestros, qui vident visiones operiet. [n] Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cùm dederit scienti literas, dicet: lege istũ, & respondebit: Non possum, signatus est enim. [o] Et dabitur liber nescienti literas, dicetúrque ei, lege, & respondebit: Nescio literas. Et dixit Dominus:[p] Eò quòd appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autẽ eius lõgè est à me: Mat. 15. i Mar. 7. b.
C Et timuerunt me mandato hominũ & doctrinis. Ideò ecce ego addam, admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo. [q] Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur. [r] Væ qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos? & quis nouit nos? Peruersa est hæc vestra cogitatio. [s] Quasi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, nõ fecisti me. Et figmentum dicat fictori suo: Non intelligis? [t] Nónne adhuc in modico & in breui conuertetur Libanus in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur? [u] Et audiẽt in die illa surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt. Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt, [x] quoniam deficit qui prævalebat, consummatus est illusor, [y] & succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem, qui peccare faciebant homines in verbo, [z] & arguentem in porta supplantabant, & declinauerunt frustra à iusto. Propter hoc hæc dicit Dominus ad domum Iacob, [aa] qui redemit Abraham: [bb] Non modò confundetur Iacob, nec modò vultus eius erubescet, sed cùm viderit filios suos opera manuum mearum in medio sui sanctificantes nomem meum, [cc] & sanctificabunt sanctum Iacob, & Deum Israel prædicabũt, & scient errantes spiritu intellectum, & murmuratores discent Legem. F Abd. 1. d. Ecc. 23. c

EXPLA-

EXPLANATIO.

a *Væ Ariel.*) Ariel idem est quod leo Dei, per quem intelligitur Hierosolyma, ciuitas quondam florentissima & fortissima, quæ ob fortitudinem & veri Dei religionem leo Dei appellabatur. Expugnauit eã Dauid quando cepit arcem Sionis, quæ postea fuit vocata ciuitas Dauidis, vt diuinæ literæ docent lib. 1. Paralipomenon capite vndecimo. Hęc ciuitas tempore Dauidis neminem timebat, ideò appellabatur
Prou. 30. leo de quo dicitur in Prouerbiis: *Leo fortißimus bestiarum ad nullius pauebit occursum.* Vel appellabatur ita, quia inter omnes ciuitates principatum obtinebat, & regia fulgebat dignitate, quemadmodum
Thr. 1. leo inter animalia: & de ea dicitur in Lamentis Ieremiæ: *Facta est quasi vidua domina gentium, princeps prouinciarum facta est sub tributo.* Vel appellabatur leo, quia manè & vespere in templo animalia occidebãtur: solent enim leones & manè & serò animalia trucidare & glutire. Et ita melius capitur pro templo quàm pro ciuitate. Sũt qui per Ariel intelligãt altare templi, quibus fauet versio Chaldaica, ita enim habet Thargum: *Væ altari altari, quod ædificatum est in ciuitate, in qua habitauit Dauid.* Et apud Ezechielem capite 43. apertè Ariel capitur pro altari. Fit autem hîc mẽtio Dauidis, quia illi fuerat ostensus locus, in quo templum erat ædificandum. Fortasse dicitur leo Dei
Gen. 1. ob magnitudinem, ea enim quæ magna sunt, Dei appellãtur, vt est illud Geneseos, *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, hoc est ventus magnus. Sic dicimus, Montes Dei, cedros Dei: ea enim quæ Dei sunt, magna sunt. Et quãuis Ariel capiatur pro altari, hîc verò capitur pro ciuitate, quemadmodum in diuinis literis
B pars pro toto passim reperitur. Dicit enim litera, *Væ, Ariel, Ariel ciuitas quam expugnauit Dauid.*

b *Additus est annus ad annum, solennitates euolutæ sunt.*) Hoc est, post aliquos annos euoluentur & peribunt solennitates. Nam euerso templo & capta ciuitate omnis Iudæorum festiuitas periit, & sacrificia cessarunt. Vbi nos habemus: *Solẽnitates euolutæ sunt*, vertunt quidam ex Hebraico: *Dies festi euertuntur*, quod nostræ fauet expositioni.

c *Circumuallabo Ariel.*) Verba sunt Dei dicentis se per Babylonios & postea per Romanos esse Hierosolymam oppugnaturum.

d *Et erit mihi quasi Ariel.*) Hoc est: Vt cùm victimę offeruntur, plurima animalium corpora iacent circum altare, sic in obsidione & expugnatione Hierosolymæ prostrata erunt innumerabilia Iudæorum cadauera. Quasi dicat: Erit vrbs veluti altare victimarum, plenum sanguine & animalibus interfectis.

e *Et circundabo quasi sphæram in circuitu tuo.*) Hoc est, figam contra te castra vndequaque. Hoc impletum est tempore Titi & Vespasiani. Quemadmodum
Luc. 19. Christus Iesus apud Lucam alloquens Hierosolymam iis verbis prædixit: *Venient dies super te, & circundabunt te inimici tui vallo, &c.*
C

f *De terra loqueris.*) Iacẽs in terra demissa & abiecta emittes vocem tuam submissam instar Pythonis. Quasi dicat: Eris grauiter afflicta & abiecta.

g *Et erit sicut puluis tenuis multitudo ventilantiũ te.*) Id est: Erunt hostes tui ô Hierosolyma, innumerabiles. Sed non multùm durabunt: ipsi enim quoque peribunt: erúntque similes fauillis pertranseuntibus, paleis & quisquiliis. Vide quàm fragilibus rebus cõparet diuinus vates tyrannos & potentes mundi, pulueri & fauillæ.

h *Eritque repentè confestim.*) Significat fore hoc celeriter: Nã verborũ geminatio velocitatẽ significat.

i *Et erit sicut somnium.*) Potentia mundi cum somnio comparatur, quod fallit, & statim transit. Innuit iis verbis Romanorum potentiam parùm duraturam. Aspice aptas & elegãtes similitudines. Et statim comparat victorum gloriam voluptati esurientium, & sitientium, quando somniant se comedere & bibere. Quæ voluptas fallax est & inanis: excitantur enim & inueniunt se fame ac siti laborare. Huiusmodi sunt
Eccle. 34. mundi deliciæ, opes, voluptates, & honores, quæ omnia hîc somnia appellantur. De his ait Ecclesiaticus in hunc modũ: *Somnia extollũt imprudentes. Quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum, sic qui attendit ad visa mendacia.* Hoc secũdum hoc visio somniorum. Aduerte obsecro & alta mente considera: res mundi appellat vmbram, ventum, mendacia visa ac manifesta, & somnia. Id autem quod ait: *Hoc secundum hoc visio somniorum*, hunc habet sensum: Mundi potentia & gloria, quæ est visio somniorum, non est res solida & vera, sed est hoc secundum hoc. Id est, spectrum ad maginem alterius rei non est substantia, sed imago & figura. Id voluit scriptura significare in
Dan. 2. visione Nabuchodosoris, qui mundi gloriam vidit,
Psal. 72. sed in somniis. Quapropter dicitur in Psalmo: *Velut somnium surgentium Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Acsi diceret Psalmista: Tu Domine in gloria tua euertes imaginem rerum, quas mortales opinione decepti res solidas esse existimãt. Ostendes mundipotentiam & opes nihil esse, præter sumnium surgentium, & imaginem inanem. Et Esaias capite quinquagesimo sexto mundi amatores appellat dormientes, somnia amantes. Nos igitur re-
E linquamus somnia, & veritatem diligamus.

k *Obstupescite & admiramini.*) Alloquitur propheta Iudæos, vt secum cum magna admiratione cogitent quæ sit causa acerbæ afflictionis, quam illis comminatur, & intelligant esse suam ignorantiam & prauitatem. Prædicit Iudæorum obcæcationem. Possunt omnia hæc verba per futurum verti, vt sit sensus: Obtupescetis & admirabimini præ magnitudine & acerbitate vestrarum calamitatum: fluctuabitis & vacillabitis, & eritis veluti ebrij & amentes.

l *Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis.*) Hoc est, intellectus alienationem. Non quòd Deus auferat intellectum, sed propter hominũ impia scelera non dat illis gratiam, nec spirituale lumen, vt videant veritatem. Ex quo fit vt incidant in grauiora peccata, & abyssus abyssum inuocet. Et ita nullo virtutum splẽdore mouentur. Vt enim qui visu omnino *simile.* carent, nec auri colore, nec vllius fulgentissimi lapidis splẽdore, nec ipsa solis splendidissima luce mouentur, sic illi, qui animi cæcitate laborant, nec virtutis ornamentum excellentémque pulchritudinem intuentur, nec ipsius solis iustitiæ, & diuinæ lucis pulcherrimos & micantissimos radios contemplantur. F
Imò obcæcati, fiunt in dies deteriores. Dicitur igitur Deus mittere in aliquem spiritum soporis, eiúsque oculos claudere, quia ei gratiam non tribuit, cuius luce priuatus peccator tetriora scelera concipit & admittit. Non intelligas Deum esse causam peccati. Sed dimittit peccatores, iuxta id quod ipse Deus
Psal 80. ait in Psalmo: *Dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Vbi vides peccata esse hominum inuentiones. Ita intelligitur id quod
Exod. 10. dicit scriptura: *Indurauit Deus cor Pharaonis*, & quod
Rom. 1. ait Apostolus in epistola ad Romanos, qui postquam

A numerauit peccatorum flagitia, intulit: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, &c.* Et paulò post: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt.* Vbi aspicis vnum peccatum esse pœnam alterius, & peccatorem ex vno scelere in alia tetriora incidere. Vt e-
simile. nim fluuius licet ex paruo fonte nascatur, recipit tamen crementa aliorum fluuiorum, & quò longius procedit, eò plures fluuios in se recipit, & maior fit, donec magno impetu & violenta inundatione quicquid obiicitur, secum rapiat & trahat, sic vni iniquitati additur altera, & postea alia, & quò lõgius dilatatur, maiora recipit scelerum incrementa, donec pector ad immanissima flagitia & teterrima facinora progrediatur. Id euenit nostris temporibus Luthero, qui ex quibusdam vitiis deuenit ad alia, donec in tantam incidit impietatem & cęcitatem, tam tetras fraudes concepit, tam nefariis sceleribus se contaminauit, vt fidem relinqueret, Ecclesiam catholicam & Apostolicam contemneret, & secum infinitam hominum multitudinem suis dolis deceptam ad æterna supplicia asportaret. Illud etiam est aduertendum, Deum ideò non dare gratiam aliquibus, quia
B ipsi nec eam volunt, nec se ad eam disponere studeant.

m *Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati.)* Hoc est, non intelligetis prophetias: erit vobis sacra scriptura clausa & signata. Aduerte: Nõ dixit visionem omnium prophetarum signatam & occultam fore omnibus legentibus & audientibus. sed quid ait? *Erit vobis, &c.* vt Iudæorum infidelium cæcitatem significaret, qui quotidie sacram scripturam legunt, eam nunquam intelligẽtes, de quibus ita ait Apostolus ad Corinthios scribens: *Vsque in hodiernum diem*
1. Cor. 3. *idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non reuelatum, quod in Christo euacuatur. Sed vsque in hodiernum diem cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cùm autem conuersus fuerit ad Deum, auferetur velamen.* Hæc diuus Paulus. De hoc libro, per quem sacra intelligitur scriptura, sic ait Diuus
Apoc. 5. Ioannes in Apocalypsi: *Quis est dignus aperire librũ, & soluere signacula eius? Et nemo poterat nec in cælo, nec in terra, nec subtus terram aperire librum, neque videre eum. Et vnus de senioribus dixit mihi: Ne fleueris, Ecce vicit leo de tribu Iuda radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius.* Et paulò pòst inquit, leo
C nem illum librum aperuisse. Leo de tribu Iuda est
Luc. 24. Iesus Christus Deus noster, qui, vt ait Diuus Lucas, aperuit discipulis suis sensum, vt intelligerent scripturas, & ipse eas aperuit, earúmque sensum doctoribus catholicis & sãctis reserauit. Hic est liber de quo
Psal. 39. filius Dei dicit in Psalmo: *In capite libri scriptum est de me, hoc est, in summa totius sacræ scripturæ.* Hunc li-
Ezec. 2. brum dicit Ezechieli scriptum esse intus & foris, propter duos sensus literalem & spiritualem, quod etiam, inquit Nazianzenus, fuit significatum in tabulis legis ex vtraque parte conscriptis.

n *Et dabitur liber nescienti literas.)* Quasi dicat, si Iudæi, qui literas didicerunt, non intelligent scripturas, quid facient rudes & indocti?

o *Eò quòd appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me.)* Hoc testimonium obiicit Domi-
Matt. 15 nus Iesus Scribis & Pharisæis apud Matthæum, ita dicens: *Hypocritæ bene prophetauit de vobis Esaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Sine causa autem colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.* Vnde colliges hoc caput contra Iudæos esse, & euersionem, quæ hic prædicitur, intelligi de ea, quæ facta fuit à Romano exercitu, & Testamentum vetus esse imaginem noui, nouum autem interpretationem veteris. Eos autem, qui Deum labiis tantùm honorant, ab eo animum separantes, D
comparat Christus apud Matthæum sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia. Sunt qui non habeant virtutem nisi in labiis, benedicentes, sed ita animum à virtute seuocantes, vt cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. Tribuunt Deo linguam, quæ parum valet, cor autem, quo nihil habent præstantius, tribuunt mundo. Vide ineptam partitionem. Sed quid faciet appetitus, si ille partitur, si illi tribuunt ædilitatem? Præbeamus Deo cor nostrum, qui ait in Prouerbiis capite vigesimotertio: *Præbe fili micor tuùm mihi.* Dedit Deus vnicuique nostrum clauem viuam, qua cor nostrum possemus claudere & aperire, & alteram sibi reseruauit: præcepit nobis, vt cor nostrum illi præberemus, & illi soli illud aperiremus, dicens in Prouerbiis: *Omni custodia serua* *Pron. 4.* *cor tuum.* At nos cor nostrum à Deo ipso abstrahimus, & mundo præbemus. Tradimus eius clauem mundo, dæmoni, & carni, illud turpibus cogitationibus implentes, nullaque custodia obseruantes. Imò cùm illud deberet esse mundissimum domicilium, in quo
Deus habitaret, facimus illud diuersorium rerum peE regrinarum, & stabulum iumentorum. Honoramus Deum solùm lingua, corde autem fugimus ab eo. Accedamus ad Deum cum corde vero in plenitudine fidei, vt ait diuus Paulus. Nam si fuerimus à Deo auer-
Heb. 10. si, peribimus. Quemadmodum ait Salomon in Pro-
Prou. 1. uerbiis: *Auersio paruulorum interficiet eos.* Et pater e-
Psal. 72. ius Dauid: *Qui elongant se Domine à te, peribunt.* Quid nobis proderit Deum labiis honorare, si eum fugimus, similes existentes Hebræis, qui pedibus ibant in terram promissionis, animo autem in Aegyptum reuertebantur? Potius Deus vult animum quàm os, & magis interiora quàm exteriora requirit. Gloria enim filiæ regis, hoc est animæ, debet esse ab intus, vt
Psal. 44 dicitur in Psalmo, *& foris etiam in fimbriis aureis.* Sed qui solùm foris virtute fulget, intus verò est vitiis maculatus, similis est falsæ & adulterinæ monetæ, quę
simile. præ se fert veri nummi insignia, & auri colorẽ, cùm eius materia sit vile orichalcum. Libri tertij Regum capite sexto, vbi nostra versio habet, *Fecitque in templo fenestras obliquas*, interpretantur nonnulli fenestras illas templi fuisse foris latas, intus angustas, vt ostenderetur templum illud magis diuino & interiori splendore illustratum esse, quàm corporeo lumine,
figura. extrinsecus veniente. Nam nos, qui sumus templum Dei, magis fulgere debemus interiore virtute, quàm exteriore apparentia, magis corde quàm labiis, ne similes simus Pharisæis, de quibus hoc capite Esaias vaticinatur. F

p *Peribit enim sapientia à sapientibus eius.)* Hoc est, Iudæi nullam habebunt veram scientiam, nec verum scripturarum intellectum. Hunc locum citat Apostolus in epistol. 1. ad Corinthios dicens: *Scriptum est: Perdam sapientiam sapientiũ, & prudẽtiã prudentiũ reprobabo.* Nõ dicit: *Peribit sapientia à sapientibus*, sed à sapientibus eius, vt significet populi Iudaici scientiam perdendam esse. Id nostris oculis expletũ videmus: omnes enim Iudæi infideles in erroribus apertissimis versantur, & mala pro bonis amplectuntur.
1. Cor. 1.

q *Væ qui profundi estis corde.)* Eos plangit, qui se sapientes esse existimant, qui putant latere Deum suas cogitationes. Non solùm fideles, sed etiam infideles crediderunt Deum omnia videre. Vnde Aegyptij quando volebant Deum significare, pingebant oculum super sceptrum, significantes Deum esse rectum regem omnia intuentem.

r *Quasi si lutum contra figulum cogitet.)* Comparat hominem cum luto. Ac si dicat: Vt figulus habens lutum

A tum in manu fingit vt vult, & potest fictile vas perdere, & ex eodem luto alterum conficere, sic Deus, in cuius manu estis, vos poterit facilè perdere & mutare.

s *Nónne adhuc in modico & in breui.*) Prædicit cognitionem Dei verámque religionem conuertendam esse à Iudæis ad Gentes. Libanus sonat dealbationẽ per quam populus Gentium intelligitur, qui fuit aquis baptismi ablutus. Hic conuersus est in Charmel, hoc est, in populum Dei sonat enim Charmel cognitionem circuncisionis, per quam populus, qui antea Deum colebat, significatur, hoc est, Iudaicus, qui conuersus est non in pomarium, sed in saltum, in arbores steriles, quę non laudant cum lignis fructiferis Deum nostrum.

t *Et audient in die illa.*) Hoc est, tempore gratiæ surdi, id est Gentes, quæ anteà verbum Dei non audiebant, illud audient. Et qui anteà animi cæcitate laborabant, oculos aperient, & veritatẽ aspicient.

Matt. 5. Tunc lætabũtur mites audientes: *Beati mites, quoniã ipsi possidebunt terram:* & exultabunt pauperes audiẽtes illud: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est* B *regnum cælorum.*

v *Quoniam defecit qui prænalebat.*) Hoc est, diabolus, de quo Christus, qui eũ vicit, sic ait apud Lucam

Luc. 11. *Cùm fortis armatus custodit atriũ suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eũ, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Christus est qui arma diaboli abstulit, eiúsque spolia distribuit. Hunc diabolum appellat hoc in loco Esaias illusorem, quoniam dolis homines illudit & fallit.

x *Et succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem.*) Hoc est dæmones. Potest intelligi de hominibus nefariis, qui moribus pestilentibus alios incitant ad vitia sectanda. D

y *Et arguentem in porta supplantabant.*) Hoc est, Iudicem decipiebant. Solebant enim quondam iudices in portis ciuitatis deliquentes arguere, & iudicia exercere. Et declinauerũt frustra à iusto. hoc est, & iudicem fecerũt sine causa à iustitia declinare. Vel sic, & melius meo quidem iudicio: Peribunt & in æternas tenebras relegabuntur, qui moliuntur perniciẽ eis, qui scelera publicè reprehendunt. Supplantare arguentem in porta est concionatores verbi Dei affligere, ne veritatem dicant. Sunt enim multi homines vitiis dediti, qui veros Dei concionatores lacerant & vexant, eósque volunt à iustitia & veritate separare. De iis ait ita Amos, cap. 5. *Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt.* Corripere autem in porta est publicè reprehendere.

z *Qui redemit Abraham.*) Qui nempe Dominus Abrahamum eripuit à Chaldæis, & cęteris hominibus flagitiosis.

aa *Non modò confundetur Iacob.* Tempore, ait Deus, quo Esaias hanc Prophetiam scribet, non confundetur Iudęorum populus, sed confundetur posteà, cùm filium meũ mundi seruatorem non receperit, cùm E sanctos Apostolos, qui erũt opera manuum mearum viderit oculis suis nomen meum sanctificantes, & euidentia miracula facientes. Tunc enim Gentes, quę anteà errabant spiritu, intelligent veritatem, & mussitatores & susurrones discent Euangelium, & vitia ac falsos deos repudiabunt.

bb *Sanctificabunt sanctum Iacob.*) Iacob est genitiui casus. Hoc est, eum qui dedit sanctitatem domui Iacob, qui populum Hebræorum docuit religionem, verúmque Dei cultum, sanctum esse ostendent & laudibus efferent.

ANNOTATIONES ex Hebræo in CAPVT XXIX.

1 Fluctuate & vacillate.] *In Hebræo est in hunc modũ* חשתעשעו רשעו *bixtaaxu vaxoau, à verbo* שוע *Vnde potest verti:* Excęcabuntur, & alios excęcabunt. *Verbum enim hoc præter alias significationes, obcæcare significat. Quod Iudæorum infidelibus magistris dicitur, quos in præsenti Esaias alloquitur. Non enim solum ipsi in erroribus versantur, sed alios etiam decipiunt, & ad eosdem errores adducunt.*

2 Lassus adhuc sitit & anima eius vacua est.) *Pro* vacua est, *est in Hebraico* שוקקה *xokękah, à verbo* שוק *quod præter alia significat concupiscere, & feruere. Vnde Pagninus vertit:* Et anima eius appetit. *Pro quo poteris transferre.* Et desiderium eius adhuc feruet. *Ex quibus colliges animam res mundi concupiscentem, earúmque desiderio æstuantem vacuam esse, & inanem. Et sic quantò anima est concupiscentijs plenior, tantò est inanior. Solus Deus animam nostram implet, qui eam satiare potest.*

Argumentum capitis XXX. F

C *Minatur diuinus vates, interitum æternum Iudæis, qui euersa Hierosolyma ad Aegyptum confugerunt, cæterisque hominibus, qui contempto Deo, & diuinis montis pro nihilo habitis, humana solùm quærunt præsidia, qui fallacis spei specie decepti in perpetua ignominia & scelere volutantur. Hortatur mortales ad illas opes comparandas, quæ animum amplificant, & diuitem faciunt, ex quibus intellexerunt posse veram dignitatem efflorescere & redundare. Prædicit vltimum iudicium, & describit infernum.*

CAPVT XXX.

VAe[a] filij desertores, dicit Dominus, vt faceretis consilium, et non ex me: [b] ordiremini telam & nõ per spiritum meum, vt adderetis peccatum super peccatum, [c] qui ambulatis vt descendatis in Aegyptum, [d] & os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Ægypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia vmbræ Ægypti in ignominiã. Ierãt enim [e] in Taphnis principes tui, & nuncij tui vsque ad Hanes peruenerunt. Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non potuit. Non fuerunt in auxilium, & in aliquam vtilitatem, sed in confusionem & in opprobrium. [g] Onus iumentorum austri. [h] In terra tribulationis & angustiæ leæna & leo, ex eis vipera & regulus volans, portantes super humeros iumentorum diuitias suas, & super

m gibbum

A gibbũ camelorũ theſauros ſuos,ad populũ qui eis prodeſſe nõ poterit. Aegyptus enim fruſtra & va D
nè auxiliabitur. Ideò clamaui ſuper hoc: ſuperbia tantum eſt, quieſce. [k] Nunc ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum,& in libro diligenter exara illud,& erit in die nouiſsimo in teſtimonium vſque in æternum. Populus enim ad iracundiam prouocans eſt,& filij mendaces, filij nolentes audire legẽ Dei.
[l] Qui dicunt vidẽtibus, nolite videri,& aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt. [m] Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael. Propterea hæc dicit ſanctus Iſrael: Pro eo quòd reprobaſtis verbum hoc & ſperaſtis in calumnia & in tumultu,& innixi eſtis ſuper eo, [o] propterea erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens & requiſita in muro excelſo.

EXPLANATIO.

a *Væ filij deſertores.*) Filios deſertores appellat Deus eos, qui eo contempto ad humana remedia confugiũt. Aſpicis hîc quàm grauiter delinquant ij, qui in periculis, in ærumnis, & neceſſitatibus Deum non conſulunt, nec ad ipſum confugiunt. ſed in hominibus totam ſpem ſuam ac fiduciam reponunt. Vult Deus vt in ipſo ſpei noſtræ ancoram conſtanter figamus.

b *Ordiremini telam & non per ſpiritum meum.*) Humanum conſilium Dei voluntati repugnans appellat Deus telam, quam homines ordiuntur, quæ quoniam ſolùm humano ingenio nititur, quamuis multo tempore conficiatur, vna tamen hora facilè rumpitur & ſcinditur. Ordiris quandam telam, vnum filium figis
B in India, alterum in Luſitania, aliud in Italia, alia aliis in locis. Cùm autem exiſtimas rem magnam confeciſſe, venit mors,& ſcindit omnia tuę ſpei fila,& totam telam breui temporis ſpatio rumpit & perdit. Et priuſquam mors veniat, mundus ipſe omnia euertit & labefactat. Vt qui falſorum honorum humanarúmque diuitiarum tela orſus fueras, in perpetua ignominia verſaris, nec deſinas miſeram illam cõmutationem tam çelerem & tam variã deplorare. Eam ob cauſam ſapientiſſimus ille Propheta & illuſtriſſimus rex hominum vitam cum araneæ tela cõparabat, quæ in aere pendet,& facilè ſcinditur, & in terram proiicitur, & pedibus conculcatur. Ita enim ait: *Anni noſtri ſicut aranea meditabũtur.* Ac ſi diceret:
Pſal.89. Nos in annis noſtris meditamur & exercemur veluti aranea telam ſuam conficiens. Quibus verbis ſignificat, pleroſque mortales incredibili labore & ſolicitudine vitam tranſigere, qui vt opus ſuum perficiãt, ſe euiſcerant & cruciant, cùm opus ſit fragiliſſimum. Comparat itaque hoc in loco Eſaias ſpem & conſilium iniqui hominis cum tela, quemadmodum ait c. quinquageſimonono: *Telas aranea texuerunt.* Et Iob
Iob 8. de iniquo homine ait: t *Aranearum tela fiducia eius.*

C c *Qui ambulatis vt deſcendatis in Aegyptum,*) Piſces & aues produxit Deus ex aquis, vt literæ diuinæ teſtantur. At in hoſtibus ſuis fugiendis piſces deſcendunt
Gen. 1. ad imas profunditates, aues verò aſcendunt ad aeris altitudinem. Vide diuerſitatem rerum ab
ſimile. vno ac eodem elemento productarum. Quædam deſcendunt, quædam verò in altum feruntur, ſic homines ex eadem terra formati alij ad afflictiones declinandas cõfugiunt ad mundi præſidium, humana conquirentes, alij alta petunt, mundíque auxilium non curantes, in Deo vero ſpem omnem ſuã conſtituũt.
Pſal. 90. Quorum quidam dicebat: *Quoniam tu es Domine ſpes mea, mea, altiſsimum poſuiſti refugium tuum.* Itaque quidam deſcendunt vt piſces piſcatorem fugientes, qui dam verò altiori animo prædíti aſcendunt vt aues, aucupis inſidias declinantes. Mundi cultores quærũt mundi præſidium,& in amaris ac turbulentis aquis tanquam piſces vitiorum voragines appetunt, vnde ad imas & profundiſſimas inferorum tenebras deſcẽdunt, pij autem viri auibus comparati ſe à terra eleuant, ne capiantur viſco,& aliorum animalium fiant præda,& in ſublime volant, vnde ad ſuperas ac ſempiternas oras feruntur. Hos, qui in afflictionibus & calamitatibus terram ſolùm intuentur, & in hominum adiumentis ſolùm ſpem omnem ponunt rerum ſuarum, alloquitur in præſenti noſter vates dicens: *Qui ambulatis vt deſcendatis in Aegytum.* Cæterùm hoc in loco prædicit Eſaias hiſtoriam, quam poſteà Ieremias literis mandauit, inter quem & Eſaiam multi anni interfluxerunt. Eſt igitur hiſtoria hęc: Euerſa Hieroſolyma à Babyloniis præpoſitus eſt iis, qui in Iudæa remanſerant, Godolias. Quo doloſè interfecto timuerunt Iudæi regem Babylonis,& interrogauerunt Ieremiam quid facerent: Quibus Ieremias E
reſpondit, vt quieſcerent, & in terra manerent. Nam ſi in Aegyptum deſcenderent, ſcirent ſe eſſe interficiendos. At Iudæi timentes ne Chaldęi venirent, eóſque occiderent, aut in Chaldæã transferrent, nolue runt credere vaticinio Ieremiæ, imò verbis Dei, qui per Ieremiam loquebatur,& ingreſſi ſunt Ægyptũ, vbi perierunt. Habes hanc hiſtoriam capite quadrageſimoprimo Ieremiæ,& quadrageſimoſecundo, & quadrageſimotertio. Eam ob cauſam hîc ab Eſaia appellantur filij deſertores,& præuaricatores, qui derelicto diuino conſilio, quod acceperant à Ieremia, ſuum appetitum ſecuti ſunt,& orſi ſunt telam non per Spiritum Dei, qui eis in ore diuini vatis ſonabat, ſed ſuis antiquis ſceleribus hanc inobedientiam & contemptionem addiderunt, vt in Aegyptum deſcẽderent. Sunt qui hanc vaticinationem contra decem tribus in Samaria ſcriptam eſſe exiſtiment, quæ ab Ægyptiis auxilia poſtulantes captę ſunt ab Aſſyriis. Cæterùm illud eſt hoc in loco aduertendum, non dixiſſe Eſaiam. Vt eatis in Ægyptum, ſed *vt deſcendatis.* Ægyptus enim mundus eſt, ad quem ire eſt deſcẽ F
dere,& à quo fugere eſt in ſublime efferri. Ideò commemorant diuinæ literæ prohibuiſſe Deum Iſaac ne *Gen.26.* deſcenderet in Ægyptum.

d *Et os meum non interrogaſtis.*) Hoc eſt, me non conſuluiſtis. Septuaginta habent: *Et me non interrogaſtis.* Eam ob cauſam Iudæi grauiter errauerunt, quia nõ poſtularunt à Domino, vt eos doceret quid facere deberent, ſed proprio iudicio innixi in Ægyptum deſcenderent. In libro Ioſue capite nono refert ſcriptura Hębreos fuiſſe deceptos à Gabaonitis, & os Domini non interrogaſſe. Ideò in errorem inciderunt, quia à Domino Deo conſilium non poſtularũt. Qui præſulem electuri ſunt, interrogent os Domini, eúm

que

A que constituant, quem Deus eos docuerit, iuxta id quod dicitur in Deuteronomio: *eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit.* Vnde Sancti Apostoli volentes eligere vnum loco Iudæ, Deum orauerunt, & orantes dixerunt: Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, vt narrat in Actis diuus Lucas. Vel sic: *Os meum*, hoc est Prophetam, *non interrogastis.* Propheta enim os Domini appellatur, iuxta id quod Propheta dicit in Psalmo: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribẽtis*, hoc est, Dei qui loquitur per os meum. Et noster Esaias capite trigesimoquarto. *Quod ex ore meo procedit*, inquit, *ille mandauit*, nimirum Deus. Si hoc quod in præsenti Propheta ait de decem tribubus in Samaria habitantibus intelligitur, facilis est interpretatio. Sed si de duabus tribubus Hierosolymæ commorantibus intelligi dicamus, tunc occurrit quæstio non facilis. Quomodo enim cohærebunt vaticinia Esaiæ & Ieremię, cùm Esaias dicat Hebræos non quęsiuisse à Deo consilium, nec os eius interrogasse: Ieremias autem asserat, eos ab ipso Ieremia consilium postulasse, Deúmque, qui in Ieremia loquebatur, consuluisse? Huic dubitationi possumus respõdere, idem esse non petere consilium ac datum contemnere. Nolebant Iudæi instrui Ieremiæ consilio, nec illud ab eo ex animo petierunt: decreuerant enim se in Ægyptũ conferre, sed eum interrogarũt, vt possent, quid ipse sentiret, explorare.

Deut. 7.

Act. 1.

Psal. 44.

B e *Sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Aegypti.*) Aspicis quantum noceat cõfidere in fortitudine & auxilio principum terræ, & in fauore humano contempto diuino. Aduerte, hominum fauores, opes, & potentiam vmbram Ægypti appellari. Vt enim nihil est fugacius vmbra, nihil incõstantius: sic res humanę nihil habent solidi-

Simile. tis, nihil perpetuitatis, nihil firmitudinis. Cur igitur quæris, & ardenter concupiscis res mobilissimas, meras vmbras, quæ tibi pariant confusionem & ignominiam? Si quidam homo ardenti siti ęstuaret, & relicto pulchro fontę emittenti fistulis aureis abundantiam

simile. gelidarum & excellentium aquarum, ad fontis & aquarum vmbram se conuerteret, eamque amplecteretur, vt ex ea biberet, & sitim sedaret, nónne amens & stolidus cẽseretur? Quis dubitat? Quemadmodum si fame laborãs, pulchra poma in arbore pendentia cõtemneret, ad eorúmque fallacem vmbrã confugeret. Quantò igitur amentior & insanior iudicandus est ille, qui relicto vero Deo, qui est summa illa ac sempiterna substantia, quæ sola satiare potest, inquirit mũdi potentiam, fauorem, & diuitias, fugaces vmbras nullam animi famem nec sitim extinguentes, in

C illíque totam mentem, curam & cogitationem figit & collocat? Quæramus igitur Deum toto animo, humanóque auxilio nequaquam fidamus. *Maledictus enim vir*, vt ait Ieremias, *qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Id intelligens Dauid dicebat in Psalmo: *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* Id experti sunt Iudæi, qui Deo contempto Pharaonis auxilio nitebantur. Venit enim Nabuchodonosor in Iudæam, cùm audiuit mortuum esse Godoliam, descẽditque in Ægyptum, quam expugnauit, & Iudæos, qui ibi erant, interfecit, & ita eos fefellit spes sua. Nam vbi vitam & securitatem inuenire putabant, ibi acerbissimam mortem, & turbulentissimam tempestatem inuenerunt. Tales sunt omnes, qui relicta tetra promissionis, relicta religione, ad Ægyptum & Pharaonem, hoc est ad mundũ, & diabolum confugiunt, & neglecto spiritu carni obtemperant.

Ierem. 17
Psal. 145

Gen. 26.

f *In Taphnis.*) Taphnis & Hanis sunt duæ ciuitates celebres in Aegypto. Sunt tamen qui dicant. Hanem esse vltra Aegyptum. D

g *Onus iumentorum austri.*) Id est, dura Prophetia aduersus Iudæos, qui in australi parte siti erant eremo confines, qui Ieremiæ non credentes in Ægyptũ descenderunt. Hos vocat iumenta, iuxta id quod dicitur in Psalmo: *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, Potest hoc sic explanari: Sequitur Prophetia, quæ loquitur de bestiis, quæ vagantur in australi parte, hoc est, in eremo, & itinere, quo ex Iudęa itur ad Ægyptum, in quas incident Iudæi ad Aegyptum descendentes.

Psal. 48.

h *In terra tribulationis & angustiæ leæna & leo, ex eis vipera & regulus volans.*) In vasta illa solitudine, qua Iudæi ibant ad Aegyptum, erant immanes beluę, leones & leænæ, & ex illis locis egrediebatur vipera, & regulus volans, hoc est, serpens ignitus, qui saltu & volatu irruebat in Iudæos ferentes diuitias suas super humeros iumentorum, quando se in Ægyptum conferebant. Hæ sunt bestiæ de quibus dixerat: *Onus iumentorum austri.* Sunt qui per leonem & leænam intelligant ipsos Iudęos, quos appellauerat Propheta paulò antè *iumenta austri.* Est igitur sensus: In eremo illius regionis australis erũt Iudæi euntes in Aegyptum, ex quibus Iudæis generati sunt illi, quibus posteà Ioannes Baptista dicebat: *Progenies viperarum quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Nec est nouum populum Iudęorum leonem & leænam appellari, cùm in libro Numerorum ita dicat Balaam: *Ecce populus vt leæna consurget, & quasi leo erigetur.* Qua de re poteris videre Ezechielem cap. 19. & Sophoniam tertio.

Matt. 3. b

E

Num. 23.

i *Ideò clamaui super hoc, superbia tantum est, quiesce.*) Cùm ego mente aspiciam Ægyptum non posse populo Iudaico opem ferre, clamo illi, vt quiescat, ne ad Ægyptum descẽdat. Nam Ægyptus superbia mera est, inflatur enim non habens vires.

k *Nunc ingressus scribe eis super buxum.*) Verba sunt Dei. Tu ô Esaia ingredere ad Iudęos, & scribe illis in tabulis buxi ligni solidi & durabilis sui excidij vaticinationem, vt sit in perpetuum testimonium. Est autẽ buxus arbor perpetua coma virens, habens folia instar myrti, & lignum firmum, longóque tempore permanens.

l *Qui dicunt videntibus, nolite videre.*) Per videntes intelliguntur Prophetę, vt poteris videre primo Regum cap. 9. & 2. Paralipomenon 16. Qua de re alibi disseruimus. Dicebant Iudęi Prophetis, ne illis recta sed iocunda vaticinarentur: ideò subdit ea, quę sequuntur.

n *Loquimini nobis placentia.*) Loquimini ea, quę nobis placere senseritis, & vaticinamini nobis falsa. Aspice perditissimorũ hominum corruptelã & cęcitatem. Talis erat Achab, qui interroganti Iosaphat vtrum esset aliquis propheta Domini, qui veritatem prędiceret, hęc verba respõdit: *Remansit vir vnus, per quem possumus interrogare Dominum, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonũ, sed malum.* Et paulò pòst refert scriptura eundem regẽ iratũ vaticinio Prophetę eũ in carcerẽ coniecisse, vbi pane afflictionis, & aqua angustię sustẽtaretur. Et Asa alium Prophetã illi veritatẽ dicentem in carcerem relegauit. Vtinã hodie nemo esset qui veritatem audire refugeret. At videtur hoc esse tẽpus illud, de quo dicebat diuus Pau-

3. Reg. 22.

2. Par. 16.

A lus in epistola ad Timotheum: *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur,* Hi concionatores sunt similes vexillo in summitate mali nauis constituto, quod cum vento mouetur & mutatur. Sic illi auditorum voluntatem sequuntur, præsertim principum, & eò tendunt, quò principes propensi sunt. Vt enim heliotropium herba circumagitur cum sole, sic illi cum principum voluntate.

simile.

simile.

D

n *Auferte à me viam.)* Relinquite hanc viam vaticinandi, declinate, à semita, qua ambulatis. Ne nominetis nobis sanctum Israelis.

o *Propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio cadens:)* Id est, Vt pars muri minans ruinam repente cadit, & secum magnam muri partem trahit, sic iniquitas vestra & fiducia, quam in hominibus ponitis, erit in causa, vt vos breui ruatis.

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT XXX.

B 1 Et ordiremini telam.) *In Hebræo est,* ולוסכ מסכה *ve-linsoc massecach. Prima dictio est verbum* נסכ *nasac, quod prater alia significat abscondere, ideo potest hic locus ita verti:* Et absconderent secretum, *vel* vt se absconderent: sub alio præsidio, *vt sit sensus: Væ illis qui volunt sub Ægypti tutela abscondi potius quàm ad meipsum confugere, Sed quoniam verbum hoc* נסך *nasac, significat constituere, potest hîc ad principis electionem referri, vt in secundo Psalmo,* Ego autem constitutus sum rex. *Hinc quidam Hebræus sic hunc locum interpretatur,* Væ filij desertores, dicit Dominus, vt ponerẽt super se principes non secũdum voluntatem meam. *Vbi vides regem & præsulem eligere iniustum & ineptum, esse ordiri telam aduersus Deum. Huiusmodi præsulis principatum appellat posteà Esaias frenum erroris.*

E

Quoniam [a] subitò dum non speratur veniet contritio eius, & comminuetur, sicut cõteritur lagena figuli contritione perualida, & non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea, quia hæc dicit Dominus Deus Israel. [b] Si reuertamini & quiescatis, salui eritis. [c] In silentio & spe erit fortitudo vestra. Et noluistis, & dixistis: Nequaquam, sed ad equos fugiemus. Ideò fugietis. [d] Et super veloces ascendemus. Ideò velociores erunt, qui persequentur vos. Mille homines à facie terroris vnius, & à facie terroris quinque, fugietis, [e] donec relinquamini quasi malus nauis in vertice montis, & quasi signum super collem. [f] Propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideò exaltabitur parcẽs vobis, quia Deus iudicij Dominus. Beati omnes qui expectant eum. [g] Populus enim Sion habitabit in Hierusalẽ. Plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui. Ad vocem clamoris tui statim vt audierit, respondebit tibi. [h] Et dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam breuẽ, & non faciet auolare à te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorẽ tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis. Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis nec ad dexteram neque ad sinistram. [i] Et contaminabis lamines sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis auri tui, & disperges ea, sicut immunditiam mestruatæ. Egredere dices ei. Et dabitur pluuia semini tuo, vbi cũque seminaueris in terra, & panis frugum terræ erit vberrimus & pinguis. Pascetur in possessione tua in die illo agnus spatiosè, & tauri tui, & pulli asinorũ, qui operãtur terram [k] cõmistũ migma comedẽt, sicut in area ventilatũ est. Et erunt [l] super omnem montem excelsum, & super omnem collem eleuatum riui currentium aquarum in die interfectionis multorum, cùm ceciderint turres. [m] Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, [n] in

C die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit. [o] Ecce [r] nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum. Labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans. [p] Spiritus eius velut torrens inundans vsque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum, & [q] frenum erroris, quod erat in maxillis populorum. [r] Canticum erit vobis, [s] sicut vox sanctificatæ solennitatis, & lætitia cordis sicut qui pergit cum tibia, [t] vt intret in montem Domini ad fortem Israel. [v] Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, & terrorem brachij sui ostendet in comminatione furoris, & flamma ignis deuorantis. Allidet in turbine & in lapide grandinis. A voce enim Domini pauebit Assur virga percussus, & [x] erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum, & tympanis & citharis [y] in bellis præcipuis expugnabit eos. [z] Præparata est enim ab heri Tophet à rege præparata, profunda & dilatata. Nutrimenta eius ignis, & lignamulta, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.

F

EXPLANATIO.

a Quoniam

A a *Quoniam subitò dum non speratur.*) Describit pœnam contemnentium verbum Dei, & sperantium in humano auxilio. Sensus est: Ita conteremini, sicut hydria figuli, quando in minuta frusta comminuitur.

b *Si reuertamini.*) Nempe à voluntate vestra, & quiescatis in terra promissionis, non peribitis.

c *In silentio & spe erit fortitudo vestra.*) Vide in quo sit iustorum fortitudo, in tranquillitate & fiducia in Deo ex animi puritate & charitate perfecta. In Psalmo 36. vbi communis versio habet: *Subditus esto Domino, & ora eum*, habent alij: *Sile Domino, & expecta eum.* Ita enim potest verti ex Hebraico. Acsi diceret: Esto animo tranquillo, Deóque obedienti, & pone totam tuam spem in Domino, & saluus eris.

d *Et super veloces ascendemus.*) Nos dicebant Iudæi, ascendemus super equos celeres, vt possimus in Aegyptum fugere. Quibus Deus ait hoc illis non esse profuturum: imò eam ob causam fore Babylonios velociores.

e *Donec relinquamini quasi malus nauis in vertice montis.*) Quando nauis aliqua frangitur in mari, & ad rupem in alto abscoditam alliditur, tunc eleuatur malus nauis ab illis nautis, qui euaserunt, ibi in terra in
B aliquo monte, vt eum videntes ij, qui posteà ea parte nauigauerint, intelligant esse illic rupem in mari absconditam, aut periculum aliud, & caueant. Sic vos ô Iudæi peribitis in Aegypto, & à Babyloniis interficiemini. Seruabuntur tamen nonnulli pauci, qui erunt velut signum nauis fractæ, hoc est, populi euersi, vt deinceps cæteri homines tale signum aspicientes, declinent vestram superbiam & inobedientiam, in Deóque fidant, nec velint in solo humano præsidio spem suam collocare.

f *Propterea expectat Dominus vt misereatur vestri.*) Fuerunt Iudæi captiui: sed non statim perdidit eos Deus, sed expectauit, vt eorum misereretur. Nam posteà tempore Cyri reuersi sunt à Babylone in terram suam.

g *Populus enim Sion habitabit in Hierusalem.*) Iudæi post Babylonis captiuitatem reuetetur Hierosolymam, vbi habitabunt. Et tu populе Iudaice qui in captiuitate lachrymas fundes, recipe animum, quia veniet tempus, quando non plorabis.

h *Et dabit tibi panem arctum & aquam breuem.*) Dabit tibi Deus id, quod tu petieris. Non petes autem
C rerum superabundantiam & vanitates, sed necessarium & honestum alimentum.

i Et *contaminabis laminas sculptilium, &c.*) Comminues idola tua argentea & aurea, & vsque adeò ea immunda iudicabis, vt cum menstruo mulieris immundæ ea compares. Et dices idolo tuo. *Egredere de templo.* Et tunc dabit tibi Deus magnam bonorum copiam & abundantiam.

k *Et commistum migma comedent, sicut in area ventilatum est.*) Tanta erit frugum copia, vt iumenta comedant migma sine paleis, repurgatum & purum, sicut in area mundatum est, quod migma anteà solebant mistum cum palea comedere. Migma est pabulum iumentorum, quod nonnulli auenam vocant, alij farraginem. Cæterùm totum hoc ab illo loco: *Populus Sion habitabit in Hierusalem*, vsque ad finem capitis, potest referri ad Christi aduentum. Tunc enim liberatus est populus, qui per peccatum fuerat captiuus, & habitauit Hierosolymæ, Hoc est, in ecclesia, quæ est visio pacis, quam Christus suis reliquit. Et id quod dicitur, *plorans nequa quam plorabis*, hunc habet sensum: Quamuis affligaris ô Christiane, & pro Chri- D
sto crucieris, piásque lachrymas fundas, intus tamen in Spiritu senties diuinam quandam consolationem, & pro lachrymis vitam æternam consequeris, iuxta illam Christi sententiam: *Beati qui lugent, quoniam ipsi* Matt. 5.
consolabuntur. Et ita plorans foris, intus non plorabis. Et plorans in hac vita, in altera gaudebis. Vbi vides non promittere Deum daturum suis dilectis mundi voluptates: sed lachrymas & afflictiones. Ideò sequitur: *Et dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam breuem*, quia suis dilectis tribuit Deus paupertatem: qua cœlestes diuitias consequantur. *Beati* enim sunt *pau-* Matt. 5.
peres Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et id quod Christus promittit daturum se in aduentu suo frugum abundantiam, intelligitur de spirituali alimento quod Christus suis tribuit abundanter. Cætera, quæ in hoc capite continentur, spiritualem habent intellectum.

l *Et erunt super omnem montem excelsum.*) Hoc referunt nonnulli ad tempus post captiuitatem Babylonicam, quando Iudæi fuerunt in Iudæam reuersi. Et per diem interfectionis cum ceciderint turres, intelligũt euersionem Babylonis per Cyrum. Alij existimant hoc referendum esse ad victoriam, quam Iudæi de Sennacheribo reportarunt, & ad cladem illam admirabilem, quæ fuit in exercitu Assyriorum. Per E
turres fortes intelligunt Sennacheribum, cæteróque principes & magnates. Et tunc erit sensus: Cùm tibi Deus victoriam tribuerit, dabit tibi omnium frugum tam vberem copiam, vt montium vertices, qui solent esse aridi & infrugiferi, sint præ copia pluuiæ feraces. Potest totum hoc, vt dixi, ad Christi aduentum referri: & tunc per aquas intelligitur gratia, & dona Spiritus sancti, quorum vt abundantiam significaret dixit non solùm aquam esse in vallibus, sed etiam in montibus & collibus. Per diem interfectionis multorũ, cùm ceciderint turres, intelligitur euersio Hierosolymæ per Titum, quo tempore feruor charitatis Christianorum vigebat.

m *Et erit lux lunæ sicut lux solis.*) Hoc est, magna erit illo tempote lætitia. Tunc enim Israelitis lux splendidissima fulgebit. Vsque adeò erit admirabile gaudium, vt cœlestia corpora gaudere & gratulari videantur.

n *In die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui.*) Cùm Christus hominum vulnera curauit. Ille enim est Samaritanus ille, qui hominem saucium, qui à Luc. 10.
Hierusalem descenderat in Iericho, & in manus lu- F
tronum inciderat, curauit. Sunt qui hoc referunt ad cœlestem Hierosolymam, vbi nullus erit dolor, & illud de claritate solis & lunæ, dicunt futurum esse post finem mundi. Iudæi hoc referunt ad corpoream liberationem à Chaldæis, aut à Sennacheribo,

o *Ecce nomen Domini venit de longinquo.*) Hoc est, de Persia & Media. Inde enim venerunt Darius & Cyrus, qui Babylonem euerterunt, & Iudæos in libertatem pristinam reuocarunt. Vel sic: Ecce Dominus veniet de cœlo, vt occidat exercitum Sennacheribi. Id est, mittet angelum suum, qui exercitum euertat. Potest hoc ita explanari: Ecce Dominus Deus veniet post multum temporis: Assumet humanam carnem, & euertet sceleratos: Eius aduentu peribunt peccatores, hoc est, desinent esse peccatores, & iustificabuntur. Peribunt nõ quatenus homines, sed quatenus peccatores. Ita intelligitur id quod dicitur in Psal. 9.
Psalmo: *Increpasti Gentes, & periit impius.* Acsi dicat: Tu Domine per te, & per Apostolos tuos increpasti peccatores idola colentes, & perierunt eorum peccata, ita vt iam non appellentur idololatræ, sed Christiani. Quod volens Propheta explicare subiungit: *Et nomen eorum delesti in æternum, & in seculum seculi.*

A Potest hic Esaiæ locus exponi de aduentu Christi ad iudicium.

p *Et spiritus eius velut torrens inundans vsque ad medium colli.*) Comparat iram Dei torrenti inundanti magno impetu, & iam ad guttur accedenti. Poteris per spiritum Dei intelligere angelum, quem Deus misit, vt Assyrios perderet.

q *Et frenum erroris quod erat in maxillis populorum.*) Perdet Deus dominium & principatum tyrannorum, non quo ipsi regunt, sed quo subiectos attrahunt ad perniciē. Huiusmodi sunt principes & præsules, qui blanditiis aut minis contendunt, vt sibi in rebus iniustis diuinæque legi repugnantibus obediant subditi. Talis prncipatus appellatur hìc frenum erroris. Non enim debet subditus in iis rebus obedire, quæ diuinæ voluntati contradicunt. Oportet enim obedire Deo magis quàm hominibus, vt dicebant Apostoli Actorum quinto. Vel sic: Princeps frenum habet, quo subditos regere & moderari debet, & habenas in manu, quas aliquando laxare conuenit, aliquādo restringere & contrahere. Eos qui sese vitiis dedunt, cohibere debet, & in gyrum rationis ducere, ne appetitum sequentes, viam excidij & vastitatis percurrant: illis verò qui recta faciunt, & rationem du-
B cem sequuntur, habenas laxare debet, illis fauere, ne à virtutum cursu desistant. At quando princeps siue præsul improbis fauet, eisque laxat habenas, iustos verò opprimit & affligit, eisque virturis actiones prohibet, grauiter errat, & tale regimen frenum erroris nuncupatur. Comparatur præsul equiti, qui habenis equum moderatur & domat, equus est populus, siue ipsa dignitas. Et ita interpretatur Diuus Gregorius psalmum illum: *Dormitauerunt qui ascenderunt equos.* Et id quod ait Salomon in Ecclesiaste: *Vidit seruos in equis, & principes ambulantes quasi seruos super terram:* deplorat iis verbis Salomon mundi iniustitiā & cæcitatem, qui sceleratos homines ad dignitates euehit, iustos verò deprimit & affligit. Vbi per equos populum, aut dignitatem & principatum intelligit, per principes, iustos, qui seipsos regunt, & super appetitum suum principatum tenent, per seruos verò, peccatores, iuxta illud: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.*

Psal. 75. Eccle. 10.

Ioan. 8.

r *Canticum erit vobis.*) Efferemini gaudio, canetis præ lætitia, quemadmodum in festis & solennitatibus.

C

s *Sicut vox sanctificate solennitatis.*) Fortasse scribēdum est, *sicut nox*, & ita habent nonnulli codices. Ex Hebræo sic possunt hæc verba trans ferri: *Canticum erit vobis noctis præparandi festā.* Quę verba hunc habēt sensum: Cantabitis tunc, quemadmodum solent cantare ea nocte, qua præparatur hostia, quæ est orta luce immolanda: solebant enim Hebræi immolare hostias manè, & eam noctem præcedentem cautionibus transigere. Hebræi dicunt exercitum Sennacheribi fuisse nocte Paschæ occisum. Id quod fauet eorum interpretationi, qui hoc de Sennacheribo exponunt. Pagninus vertit: *Sicut in nocte, &c.*

t *Vt intret in montem Domini*) Id est, in templum quod situm est in monte Sione. D

v *Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ.*) Per hanc vocem intelligunt nonnulli tonitruum, quod præcessit cladem exercitus Sennacheribi: & per flammā ignis deuorantis ignem. quo combustus est exercitus. Et dicunt fuisse nocte illa nimbum & grandinem, quibus rebus voluit Deus iram suam ostendere, & Sennacheribum terrere. Ideò sequitur: *A voce enim Domini pauebit Assur percussus virga*, hoc est, diuina iustitia punitus.

x *Et erit transitus virgæ fundatus.*) Percutietur Sennacheribus grauiter, non leui ictu & flagello, sed duro, & fundato vapulabit. Et hanc virgam requiescere faciet Dominus super Sennacheribum, hoc est, non statim eum desinet, sed in percussione permanebit. Et erit hæc clades Assyriorum in tympanis & citharis, hoc est, in die Paschæ, quando iis instrumentis vti solent. Vel per hæc musica instrumenta intelligitur lætitia, qua omnes afficiebantur interitu Assyriorū, ob eorum superbiam & immanitatem.

y *In bellis præcipuis expugnauit eos.* Quamuis Assyrij in bellis paruis vicerunt, tamen in bellis magnis expugnati sunt. Vel præcipua bella ea appellat, quæ Dei virtute geruntur. E

z *Præparata est enim ab heri Tophet à rege præparata.*) Describit Propheta infernum damnatorum, & dicit illuc deiiciendos esse Assyrios. Vbi aspicis impios esse æternis cruciatibus puniendos. Tophet erat locus propè Hierosolymam in valle filiorum Ennon, quò cadauera & alia immunda proiiciebantur. Sed hìc non de eo loco agit Esaias, quoniam non in eo sepultus est Sennacheribus, vt literæ apertè indicant, & nos alibi ostendimus. Præterea hæc quæ hìc de Tophet dicuntur, loco illi, qui est prope Hierosolymā, conuenire non possunt, sed inferno pro quo hìc accipitur, & de quo Esaias in præsenti loquitur. Ait igitur Propheta hunc locum esse præparatum à rege, hoc est, à Deo, *ab heri*, hoc est, ab initio mundi, & esse profundum, & capacissimum, iuxta id quod suprà dixerat. *Dilatauit infernus animam suam.* Præterea dicit esse igneum, significans damnatorum cruciatus, & æternum, quia Deus accendit flatu suo pyram, quemadmodum ignis sulphure iniecto ardet & alitur. Cæterùm toeum hoc potest referri ad diem vltimi iudicij, quando Christus venturus est iudicatum viuos, & mortuos. Et finito iudicio pij ac iusti cantabunt, & æterna voluptate perfundentur, improbi verò in cæ- F
cas & æternas tenebras, & in ignem inextinguibilem relegabunturi. Expende literam huius capitis, & fortasse approbabis maximè hanc sententiam. Id quod hìc dicitur: *Ardens furor eius, &c.* fuerat iam à Dauide prædictum in Psalmo: *Deus manifestè veniet, Deus noster & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida.* Quæ quidem de secundo Christi aduentu dicuntur, quanquam possint ad primū etiam referri. Per Assur intelligitur diabolus, & cæteri impij, qui sunt in æternum cruciandi.

Suprà 5

Psal. 49.

ANNOTATIO.

1 Ecce nomen Domini venit de longinquo.] *Septuaginta habent:* Ecce nomē Domini venit post tempus multum. *Quod de Christo intelligitur. Thargū habet ita:* Ecce nomē Domini reuelatū, quemadmodū vaticinati sunt Prophetæ, qui fuerūt ab initio. *Acsi Esaias ostenderet Christū, & diceret: Ecce Christū: Hic est ille, quē diuini vates multò antè venturū esse prædixerāt.* Pro de longinquo in *Hebraico est* מרחק *mimmerchak, quod ad verbum potest verti de longinquitate.*

2 Tophet à rege præparata.] *Pagninus habet,* Tophet etiā ipsi regi prępparata est. *Quidā per hūc regē, cui Deus infernū parauit, intelligūt Sēnacheribū. Ego existimo esse diabolū, de quo ait Christus apud Matt. 25.* Discedite à me maledicti in ignē æternū, qui paratus est diabolo, & angelis eius. *Per regem igitur mundi intelligitur diabolus, quem Christus apud Ioann. 12. principem huius mundi vocat, cui Deus infernum parauit.*

ARGV

Argumentum capitis XXXI.

Deplorat Esaias eorum Iudæorum calamitatem, qui relicto vero Deo ad Aegypti præsidium confugiebant. Describit Sennacheribi interitum, & ad fiduciam in Deo collocandam exhortatur. Est idem ferè argumentum cum superiore.

CAPVT XXXI.

Væ qui descendunt in Aegyptum ad auxiliũ, in equis sperantes, [b] & habentes fiduciã super quadrigis, quia multæ sunt: & super equitibus, quia prævalidi nimis, & non sunt confisi super sanctum Israel, [c] & Dominum non requisierunt. Ipse autem sapiens adduxit malum, [d] & verba sua non abstulit. Et consurget contra domum pessimorum, & contra auxilium operantium iniquitatem. Aegyptus homo & non Deus, & equi eorum caro & non spiritus. Et Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator & cadet, cui præstatur auxilium, simúlque omnes consumentur, quia hæc dicit Dominus ad me: [e] Quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prædam suam, cùm corruerit ei multitudo pastorum, à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorũ non pauebit, sic descendet Dominus exercituum, vt prælietur super montem Sion, & super collem eius. Sicut aues volantes, sic proteget Dominus exercituum Israel, protegens & liberans, transiens & saluans. [f] Conuertimini sicut in profundum recesseratis filij Israel. [g] In die enim illa abiiciet vir idola argenti sui, & idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum. Et cadet Assur in gladio non viri, & gladius nõ hominis vorabit eum, & [h] fugiet non à facie gladij, [i] & iuuenes [i] eius vectigales erunt, [k] & fortitudo eius à terrore transibit, & pauebunt fugientes principes eius. Dixit Dominus, [l] cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Hierusalem.

EXPLANATIO.

a *Væ qui descendunt in Aegyptum.*) Capite præcedenti hortatus fuit Propheta Iudæos, ne descenderent in Aegyptum. Et quoniam præuiderat, eos descensuros esse, plangit eorum excidium & vastitatem.

b *Habentes fiduciam super quadrigis.*) Deberent Iudæi ad memoriam reuocare, quàm parum hæc omnia
Exod.14 Aegyptijs profuissent, quando ipsos Iudæos persequentes, fuerunt in mari Rubro mirabiliter submer-
Psal.19. si. Deberéntque dicere cum Dauide: *Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini sperabimus.*

c *Et Dominum non requisierunt.*) Animo, nam verbis ostendebant se velle diuinum consilium sectari.

d *Et verba sua non abstulit.*) Id est, Deus, qui omnia scit, Iudæos afflixit, & id quod dixerat esse illis facturum, non reuocauit, sed compleuit ea, quæ per Prophetas fuerat comminatus.

e *Quomodo si rugiat leo.*) Sensus est: Vt leo esuriens & prædam lacerãs non terretur à pastoribus, sic Deus interpidè præliabitur super montem Sion pro popu-
simile. lo suo. Et vt aues, vt pullos suos protegant, volitant super nidos suos, & rostro ac vnguibus contra alias aues fortiter pugnant, sic Deus defendet Hierosolymam aduersus inimicos suos. Alludit ad cladem Assyriorum prope Hierosolymam, quando Deus Iudæos eripuit, & Sennacheribi exercitum vna nocte per angelum suum interfecit. Comparat Propheta Deum leoni propter fortitudinem, & regium principatum super alia animalia. Ita eum Diuus Ioannes
Apoc.5 appellat in Apocalypsi, dicens: *Vicit leo de tribu Iuda.* Comparat eum quoque aui propter velocitatem. Et
Matt.23. ipse Christus apud Matthæum ait: *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub*
Deut.32. *alas, & noluisti?* in Deuteronomio dicitur de Deo: *Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Apud hunc eundem Prophetam capi-
Supra.10 te decimo minatus fuerat rex Assyriorum perditurum se esse nidum cũ pullis. At Dominus modò promittit defensurum se esse eundem nidum, ipsum autem regem perditurum.

f *Conuertimini filij Israel.*) Hortatur Iudæos, vt ab infidelitate, & profunda voragine vitiorum exeant, & ad Deum conuertantur.

g *In die enim illa abiiciet vir idola argenti sui.*) Euerso Sennacheribo post admirabilem illam victoriam, quam de eo Iudæi non humano sed diuino præsidio adepti sunt, repudiarunt idola, séq; ad veram Dei religionem reuocarunt. Nonnulli referunt hoc ad tempus post reditum à Babylonica captiuitate.

h *Et fugiet non à facie gladij.*) Nimirum humani, sed à facie angeli exercitum suum occidentis. Aufugit Sennacheribus cum paucis, séque contulit in terram suam, vbi fuit à filiis suis interfectus.

i *Et iuuenes eius victigales erunt.*) Famuli Sennacheribi erunt subditi Persis & Medis, illísque vectigal & tributum soluent.

k *Et fortitudo eius à terrore transibit.*) Sennacheribi fortitudo deficiet ob terrorem angeli stragem inferentis. Et magnates cum eo fugientes etiam terrebuntur. Tradunt Hebræi decem solùm cum rege se in fugam coniecisse omnibus aliis interfectis.

l *Cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem.*) Per ignẽ hunc intellige eum qui erat Hierosolymę in altari, in quo victimæ cremabãtur, quẽ Dñs in Leui- *Leuit.6.*
tico præcipiebat, vt semper in altari suo arderet. Poterit hoc sic explanari: Hęc dicit Deus, qui habet ignẽ ad inimicos suos consumendos. Vel per ignẽ Sionis Hierosolymę intellige amorẽ & charitatẽ in Ecclesia quę, vt alibi ostẽdimus, & Siõ & Hierosolyma nũcupatur. Hic est ignis ille, de quo Deus dicebat in Leui- *Leuit.2.*
tico: *Si obtuleris munus primitiarũ frugum tuarũ Domino de spicis adhuc virẽtibus, torrebis igne.* Spicæ sunt actiones, paleę autẽ solũ verba. Nõ loquitur hic Deus de oblatione palearũ, sed spicarũ: nõ enim solũ verba quærit à nobis Deus, sed opera: ea autem debent esse igne charitis incẽsa. Nõ vult hic spicas virentes, sed torridas, absque mũdi quisquiliis. Actiones enim absque amore & charitate ad vitam æternam non pro

1. Cor 13 A sunt, iuxta id quod ait diuus Paulus: *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Et statim subiungit multa, ostendens nulla opera ab eo, qui est sine charitate, confecta, ad cœlestem beatitu- *similitudo* dinem prodesse. Vt enim cymbalum tinniens omnes ad templum & Ecclesiam vocat, ipsum autem illuc non egreditur, sic ille, qui de virtute disserit, ea autem caret, qui præclarè loquitur, sed malè agit, alios ad excellentes virtutis actiones hortatur, vbi est veræ laudis domicilium, illuc autẽ ipse non vult introire, sed omnibus veræ dignitatis ornamentis nudatus in summa ignominia versatur: vt igitur actiones sint meritoriæ, oportet eas esse cum amore coniunctas, & igne charitatis inflammatas. Hic est ignis ille, quem Dominus in altari suo, hoc est, in anima nostra semper ardere præcipiebat: de quo ipse ait apud Lu- *Luc. 12.* cam: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?* Si Deum interroges quid attulit in mundum, respondebit tibi, amorem. Hoc enim est quod ait: *Ignem veni mittere in terram.* Si ab eo quæras quæ res eum attulit in mundum, respondebit fuisse amo- *Ioan. 3.* rem. Ait enim diuus Ioannes: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Si ab eo petas quid prædicauit, respondebit amorem. Ait enim, *Di-* *Luc. 13* *liges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, &c. & proximum tuum sicut te ipsum.* Si ab eo scire velis quid in suo Testamento commendauit, respondebit, amorem, ita enim dicit: *Hæc mando vobis vt diligatis inuicem.* Quid multa? si eum interroges. qui est, respondebit esse amorem: Ita enim ait eius *Ioan. 15.* Apostolus: *Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* sine igne charitatis, ei qui *8. Ioan. 4.* est ipsa charitas, nemo gratus est. Cur Lutherani cæteríque hæretici sacram scripturam tam falsò, tam impiè & deprauatè interpretantur, nisi quia carent hoc igne, in quo deberent purissimum aurum diuinarum literarum fundere & conflare? Ingredere aurificum officinas, videbis eos ex eodem auro pulchra ac diuersa monilia efficere, quoniam ita vult dominus auri. Sancti ac catholici doctores sunt aurifices, diui- D *simile.* na scriptura est aurum, imò ipso auro multò precio- *Psa 118.* sior. *Lex oris tui,* inquit Dauid loquens cum Deo, *su-* *Prou. 16.* *per millia auri & argenti.* Et filius eius Salomon in Prouerbiis: *Poßide sapientiam, qui auro melior est.* Ingredere doctorum officinas, inuenies eos admirabilia & elegantia monilia ex eodem auro sanctæ scripturæ miro artificio polire. Hieronymus efficit diuina sacraria & reliquiaria. Augustinus connectit catenam auream subtilissimam. Chrysostomus conflat aureos illos & preciosos canales, quibus eius incredibilis verborum elegantia, & sententiarum copia & amplitudo copiosissimè fluunt. Et eodem modo de cæteris doctoribus. Hinc fluit catholicarũ interpretationum varietas. Quanquàm enim vna atque eadẽ est sacra scriptura, quanquam locus vnus à multis expositus sit idem, vult tamen Deus, vult Dominus scripturæ, vt varij doctores diuersi aurifices ex eodem auro diuersa aliquando, sed pia, & vera & catholica monilia conflent & perpoliant. Sed vt in nullam aurificis officinam introibis, in qua non inuenias ignis fornacẽ, vbi aurum fundatur & confletur: nam aliter erit frigidum ferrum contundere, vt dicitur in Prouerbio, sic in animis sanctorum doctorũ est quædam ignis fornax, quoddam amoris incendium, vbi conflant & seipsos, & suam doctrinam, sententias, & interpretationes. Vtinam diuinus spiritus animum meum afflet, in eóque hanc charitatis flammam incendat, in qua meas cogitationes, verba, & opera, & denique totum me ipsum conflet & fundat. Hic est ignis ille admirabilis rubi, ad quem Deus accedere *Exod. 3.* iussit Moysem, qui erat sacram ac diuinam legem scripturus, & quem modò Deus per Esaiam ait esse Hierosolymæ & in Sione, hoc est in sancta sua catholica & Apostolica Ecclesia, cuius vniuersalis pastor est summus pontifex Romanus episcopus Christi vicarius, & successor diui Petri Apostolorum principis, super quem Christus Ecclesiam suam ædificauit.

B E

ANNOTATIONES EX Hebræo in CAPVT XXXI.

1 Væ qui descendunt in Ægyptum.] *Pro væ, est in Hebraico* הוי: *quæ dictio potest verti,* Væ, *vt sit interiectio comminantis, quam rationem secutus est noster interpres: vel* heu, *vt sit interiectio dolentis, & plorantis. Id quod à nobis fuit alio in loco explanatum.*

2 Et iuuenes eius vectigales erunt.] *In Hebraico est:* Et iuuenes eius לְמַס lamas, erunt. *Pagninus vertit:* Tributarij erunt. *Quod cum versione nostra in idem* C *coincidit. Potest verti.* In liquefactionem erunt. *Acsi diceret: Cadent animis & terrore deficient. Huic interpretationi fauet Thargum ita habens:* Fortes eius in confractione erunt. *Septuaginta transtulerunt:* Superabuntur. *Illi enim qui in bello animo destituuntur & euanescunt, facilè superantur. Verbum est* מסס *quod significat euanescere, dissolutum esse, fugere, & interire: quàm significationem sequuntur Septuaginta, & qui eos imitantur. Iosue 7. vbi nostra versio habet:* Pertimuítque cor populi, *poterat verti:* dissolutum est cor populi, *aut* liquefactum est, *idem enim verbum est in hoc & in illo loco. Potest etiam esse à dictione* מס, *quæ significat tributum, angariam, & censum, vt Threnorum primo:* Princeps prouinciarum facta est subtributo. *Ad hanc significationem attendit noster interpres, quem secutus est Pagninus cum aliis. Ab hac dictione, venit per adiectionem aspirationis Hebraicæ in fine* מִסְחָ *missah, quæ dictio significat sacrificium, & oblationem factam domino superiori propter debitum munus personale, vt in Deuteronomio capite decimosexto:* Oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Dei tui. *Hoc nomen nostro sacrificio impositũ retinemus nos Christiani, & ita appellatur à nobis missa, quod nomen nec Latinum est, neq; Græcum, sed Hebraicum. Vnde colliges Lutheranorum errorem asserentium missam non esse sacrificium nec ita debere appellari, cùm etiam hoc nomen missa* F *ab ecclesia receptum & retentum, & ita à principio semper vsque adhuc appellatum, sacrificium & oblationem significet. Sed post Lutherum alij multò eo tetriores existunt, qui non solùm aiunt missam non esse sacrificium, sed, quod detestabilius est, ipsam missam, quæ est in Ecclesia ab Apostolorum tempore, quam sancti & antiqui patres celebrarunt, quæ semper fuit apud Christianos in summa veneratione, penitus negant, & irrident, idololatriámque vocant. O impietatem nefariam! O cæcitatem intolerabilem! ô obstinationem dignam gemitu, omníque lachrymarum abundantiã.*

ARGV

Argumentum capitis XXXII.

Describit Esaias regnum Ezechiæ iusti accipij regis, & ex consequenti qualitates regni bene instituti. Sed cùm hæc literis mandaret, intuebatur mente Christi regnum, de quo præcipuè loquebatur. Prædicit infidelium Iudæorum excidium & calamitatem ob eorum in Christum nefariam impietatem, & incredibilem ingratitudinem, ipsiúsque Christi regni Euangelicam pacem & quietem.

CAPVT XXXII.

ECce[d] in iustitia regnabit rex,[b] & principes in iudicio præerunt.[c] Et erit[a] vir sicut qui abscondit̃ à vento, & celat se à tempestate, sicut riui aquarum in siti, & vmbra petræ prominentis in terra deserta.[d] Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auscultabunt, & cor stultorum intelliget scientiam, & lingua balborum velociter loquetur & planè.[e] Non vocabitur vltrà is qui insipiens est princeps, neq; fraudulentus appellabitur maior.[f] Stultus enim fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat simulationem,[g] & loquatur ad Dominum fraudulenter, & vacuam faciat animam esurientis, & potum sitienti auferat,[h] fraudulenti vasa pessima sunt. Ipse enim cogitationes concinnabit ad perdendos mites in sermone mendacij,[i] cùm loqueretur pauper iudicium. Princeps verò ea quæ digna sunt principe cogitabit, & ipse super duces stabit.[k] Mulieres opulentæ surgite, & audite vocem meam, filiæ confidentes percipite auribus eloquium meum.[k] Post dies & annos vos cõturbamini confidentes. Consummata est enim vindemia, collectio vltrà non veniet.[l] Obstupescite opulentæ, conturbamini confidentes, exuite vos & confundimini, accingite lumbos vestros. Super vbera plangite, super regione desiderabili, super vinea fertili.[m] Super humum populi mei spinę & vepres ascendent, quantò magis super omnes domos gaudij ciuitatis exultantis?[n] Domus enim dimissa est, multitudo vrbis relicta est,[o] tenebræ & palpatio factæ sunt super speluncas vsque in æternũ. Gaudium onagrorum pascua gregum,[p] donec effundatur super nos spiritus de excelso.[q] Et erit desertum in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur,[r] & habitabit in solitudine iudicium, & iustitia in Charmel sedebit.[s] Et erit opus iustitiæ pax,[t] & cultus iustitiæ silentium, securitas vsq; in sempiternum. Et sedebit populus meus[u] in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.[x] Grando autem in descensione saltus, & humilitate humiliabitur ciuitas.[y] Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bouis & asini.

Sup. 28. f.

EXPLANATIO.

a *Ecce in iustitia regnabit rex.*) Consolatur Prophe-ta Iudæos, qui existimabãt Ezechiam amissurum esse regnum, essẽque à Sennacheribo superandum. Nõ ita erit, inquit, sed regnabit exercens iustitiam, eiúsq; regnum erit præclarè gubernatum. Sed hic rex, quem diuinus vates animo contemplabatur, Christus est, eiúsque regno, potius quàm Ezechiæ ea conueniunt, quæ hîc dicit Esaias. Est igitur Christus rex ille, qui in summa ac diuina iustitia regnat. Non enim est acceptor personarum, vt dicitur in libro secundo Paralipomenõ, & diuus Paulus in Epistola ad Romanos 2. scripta testatur. Hic est rex ille, quem diuini vates prædixerunt Hierosolymæ & in Sione, hoc est, in Ecclesia Catholica esse regnaturum. Hunc diuino Spiritu afflatus Dauid inducit hoc pacto loquentem: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Quę verba Dauidi congruere nequaquam possunt: sequitur enim statim: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã, & possessionem tuam terminos terræ.* Quæ verba fieri nõ potest vt cõueniant Dauidi, sed Christo, de quo Paulus in actis Apostorum, & in epistola ad Hebræos ea interpretatur. Hic est rex ille, de quo dicitur in Psalmo: *Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ.* Et Esaias: *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster: ipse saluabit nos.* Et Sophonias *Lætare & exulta in omni corde filia Ierusalẽ, abstulit Dominus iudicium tuum, auertit inimicos tuos, rex Israel in medio tui.* Hunc regem quærebant Magi dicentes: *Vbi est: qui natus est rex Iudæorum?* Hic est ille, qui super crucem hunc titulum scriptum literis Latinis, Græcis & Hebraicis habuit: *Iesus Nazarenus rex Iudæorũ.* Hãc inscriptionem Pilatus non sine mysterio iussit cruci affigere, & in ea reclamantibus Iudæis manere. Disposuit enim Deus, vt Pilatus, qui Iudæis in morte Christi assensus est, eisdem in delendo titulo nequaquam assentiretur, vt esset vniuerso orbi cognitum & perspectum, esse Iesum Christum Iudæorum regẽ, illis per sanctos vates sæpenumerò promissum. Ideò tribus linguis fuit titulus inscriptus, vt posset ab omnibus legi & intelligi. Hæ enim linguæ erant cæteris aliis cõmuniores in mũdo. Et quoniam Christus rex est, non Iudæorum secundum carnem tantùm, sed verè Iudæorum, hoc est confitentium & credentium, qui secundum spiritum Iudæi sunt, siue sint Iudæi secundum carnem, siue Græci, siue Latini: Ideò non vna tãtùm lingua, sed tribus fuit titulus inscriptus. De regno verò Christi ea poteris videre, quæ suprà annotauimus capite nono.

Psal. 2

Act. 13. Hebr. 1. Psal. 73. Infrà 33. Soph. 3. Matth. 2.

Ioan. 19.

b *Et principes præerunt in iudicio.*) In regno bene constituto principes præsunt ad iudicium faciendum. Non enim decet, vt causas quibusuis committant, ipsi autem solùm deliciis atque voluptatibus se dedant. Debent enim non solùm residere, sed præsidere. Docet locus hic, & apertè ostendit, in quo errore versentur ij, qui reges & præsules

A les posse à suis ouibus perpetuò abesse temerè affirmant: cùm hìc dicat Propheta, in regno fœlici & recto principes non solùm populo adesse, sed præesse. Luna etsi sit minor stellis, plus tamen mouet hæc inferiora, quàm quæuis illarum, non quòd ex se efficaciorem habeat virtutem & influentiam, sed quia ad nos propius accedit: est enim in infimo orbe, vbi citima terris radiis solis accensa conuertitur. Vbi vides quantum habeat momenti ad mouendum propinquitas. Eodem modo pręsul debet pręsentia sua oues suas regere, & rex à suo regno non discedere, vt possint subditos suos ad virtutem mouere, & rectè gubernare.

Simile.

c *Et erit vir sicut qui absconditur à vento.*) Sensus est: Quicunque sub vmbraculo huius iusti regis fuerit, sic erit tutus in afflictionibus huiúsque mundi procellis, quemadmodum qui ventum & tempestatem fugiens, se in loco tutissimo absconderit. Et erit veluti ille qui laborans siti, purissimos fontes viuarum aquarum inuenerit in deserto, & qui in vehementi æstu, ardore cuncta torrente, in placidissima vmbra ingentis rupis requieuerit. Aspicis hìc multò
B potiùs & melius hæc de Christo intelligi, quàm de Ezechia. Docet igitur hic locus Dei erga pios viros clementiam & benignitatem, qui eos ad se ipsum confugientes protegit, & reficit, & in suis periculis & calamitatibus tuetur & consolatur. At qui in ærumnis suis ad mundum confugiunt, decipiuntur. Nam vbi præsidium & remedium inuenire existimant, ibi reperiunt maiora pericula, & subeunt vehementiores tempestates. Potest hic locus ita verti: *Et erit vir ille vice latibuli à vento, & absconsio à nimbo.* Vt sit sensus: Rex hic iustus erit omnium afflictorum refugium. Quod eandem habet sententiam cum priori expositione. Sed nunc vir accipitur pro rege, & in priori explanatione pro eo, qui confugit ad regem.

d *Non caligabunt oculi videntium.*) Regnante Christo oculi eorum, qui anteà cæci fuerant, iam videbũt: & qui surdi fuerant, diligenter audient. Hæc omnia fuerunt in aduentu Christi & corporaliter impleta, &
C spiritualiter.

e *Non vocabitur vltrà is qui insipiens est princeps, neque fraudulentus appellabitur magnus.*) Nullus insipiens constituetur princeps, & nullus homo fallax & dolosus efferetur ad dignitatem. Aspicis hìc in regno bene constituto nec ignorantem nec fallacem ad
Leuit. 21. honorem & principatum promoueri. In libro Leuitici præcepit Deus ne animal sibi oblatum esset cæcum. Qua in re significauit debere præsulem esse sa-
3. Reg. 7. 1. Par. 22. pientem. Animal sine oculis est pręsul sine scientia. In tẽplo Salomonis erant bases, in quibus erant sculpti leones & boues & cherubim. Dauid sanguinarius templum illud, quòd Ecclesiæ Catholicæ gerebat imaginem, ædificare non potuit, sed Salomon rex pacificus. Quoniam venturus erat rex pacis Christus Deus noster, qui non alieno sanguine fuso, sed suo proprio ædificaret Ecclesiam, *omnia* vt ait Apostolus
Coloss. 1. Sup. 9. ad Colossenses, *suo sanguine pacificans siue quę in terris, siue quæ in cœlis sunt.* Quam ob causam eum Esaias principem pacis appellauit. Quid igitur sunt bases in illo templo, nisi præsules in Ecclesia? Quid per leones in basibus sculptos, nisi præsulum fortitudo significatur? Quid per boues nisi labores? Quid per cherubim nisi scientiæ plenitudo? Significat enim cherubim scientiam multiplicatam, vel scientiæ plenitudinem. Quemadmodum ergo bases illę non erant sine cherubim, sic non debent esse præsules sine scientia. Hoc intelligens diuus Paulus ita ait in epistola
Ephe. 4. ad Ephesios: *Ipse dedit quosdam quidẽ Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autẽ pastores & doctores.* Vbi vides eũ, qui pastor est, doctorẽ esse debere. Non enim dicit: Alios pastores, alios verò magistros, sed. *Alios autem pastores & magistros.* Et in epistola ad Timotheum ita ait: *Oportet* *1. Tim. 1.* *Episcopum esse sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, & doctorem.* Inter qualitates pastoris numerat scientiam & doctrinam. Cæterùm hæc verba Esaiæ poterunt habere hunc sensum: Tunc non erit locus adulationi & mendacio, sed veritati: non enim laudabitur insipiens nec fraudulentus.

D

f *Stultus enim fatua loquetur.*) Explicat quis sit stultus. Lege qualitates stulti quas hìc numerat Esaias, & videbis sceleratum omnem stultum esse.

g *Et loquatur ad Dominum fraudulenter.*) Particula, ad, ponitur pro contra. Vel loqui ad Dominum fraudulenter est, Deo vota facere animo fallaci & iniquo, quæ non proponat implere.

h *Fraudulenti vasa pessima sunt.*) Appellat Prophetа cogitationes hominis fallacis & flagitiosi vasa, siue arma, quibus simplices decipit & occidit. Vel per vasa intelligit mẽsuras falsas. Vel vult homines separare à familiaritate & consuetudine hominum fallacium. Quasi dicat: Ne velis vti familiariter homine
E iniquo & fraudulento, ne comedas cum eo, nam etiã vasa eius pessima sunt.

i *Mulieres opulentæ surgite.*) Hactenus locutus est de regni Christi fœlicitate, nunc prædicit calamitatem eorum, qui non erant Christum recepturi. Eos vocat mulieres, & filias, ob eorum fragilitatem: excitátque vt surgant, & audiant suarum calamitatum vaticinium. Possunt per mulieres intelligi ciuitates, per filias oppidula, villæ, & castella.

k *Post dies & annos.*) Sensus est, Post Christi aduentum vos qui Christum contempseritis, post multum ab hinc tempus cõturbabimini, & euertemini. Consummabitur vindemia, & relinquemini, vt vmbraculum in vinea, & nullum posteà fructum feretis. Prædicit euersionem Hierosolymæ per Titum, aliarúmq; ciuitatum, quæ Christum recipere noluerunt.

l *Obstupescite opulentæ.*) O ciuitates Iudææ nobiles diuitiísque affluentes admiratione terremini: nã post vindemiam, post vestram euersionem & captiuitatem per Titum non remanebunt botri, qui deinceps colligantur. Conturbamini, quæ in humano præsidio fiduciam collocatis. Plorate & exuite vos, vestras
F preciosas vestes deponentes. Induite vos saccis super renes. Plangite super vbera: hoc est, pectora vestra lachrymis implete. Deplorate regionem desiderabilem, & vineam feracem & amœnam, quæ propter infidelitatem conuertetur in amaritudinem, & à Romanis euertetur. Sunt qui dicant intelligi hoc de captiuitate Babylonica. Sed verba hæc: *Consummata est enim vindemia, collectio vltrà non erit:* ostendũt hoc non de Babylonica, sed de Romana captiuitate intelligi. Est enim perspicuum post Babylonicam captiuitatem fuisse Iudæos in Iudæa collectos, & fructum religionis & pietatis attulisse.

m *Super humum populi mei.*) Si spinæ & vepres repleturæ sunt Hierosolymam, quantò magis alia oppida Iudææ dedita mundi voluptatibus, vbi non est templum nec tanta erga Deum religio? Vel sic: Si templum Hierosolymæ est comburendum, quantò magis domus ciuitatis? Si domus orationis est euertenda, quantò magis domus voluptatum?

n *Domus enim dimissa est.*) Id etiam Iudæis prædixit Christus: *Ecce*, inquiens, *relinquetur vobis domus ve-* *Luc. 13.*
stra deserta.

o *Teme-*

A o *Tenebræ & palpatio factæ sunt super speluncas.*) In ruinis & speluncis vbi fuerunt domus, erunt obscuritates, & tam densæ tenebræ, vt possint palpari, & vsq; adeò erunt loca illa deserta, vt habitent ibi onagri & greges. Vbi modò sunt ciuitates, erunt posteà cauernæ, & latibula ferarum.

p *Donec effundatur super nos spiritus de excelso.*) Vertabuntur Iudæi in iis ærumnis & miseriis, donec in Christum credant. Multi enim ex Iudæis receperunt Euangelium, super quos effusus est spiritus ex alto, & veram fœlicitatem consecuti sunt.

q *Et erit desertum in Charmel.*) Id est, Solitudo Gētium vertetur in diuitias Israelis, & Israel reputabitur inter Gentes. Prædicit conuersionem Gentium, & cæcitatem Iudæorum.

r *Et habitabit in solitudine iudicium.*) In Ecclesia ex Gentibus cōgregata, quæ anteà erat sterile desertum sine virtutum fructibus, erit iudicium, & iustitia erit recta, & præclara gubernandi ratio.

s *Et erit opus iustitiæ pax.*) Ex iustitiam sequetur
Psal. 71. pax. Sic dicitur in Psalmo: *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis.* Vbi vides iustitiam esse radicem, & velut fundamentum pacis, nec posse esse pa-
Psal. 48. cem absque iustitia. Ideò dicitur in Psalmo: *Iustitia & Pax osculatæ sunt.* Quibus verbis voluit diuinus vates iustitiæ & pacis cōiunctionem explicare. Princeps aut præsul, qui voluerit subditos in pace guber-
B nare, sit iustus, & æqualis, & in medio constitutus. Nā Christus Deus noster dicens discipulis suis: *Pax vo-*
Ioann. 10. *bis:* stetit in medio, vt diuus Ioannes testatur. Si præsul steterit in medio, si seruauerit æqualitatem, in qua iustitia consistit, si non odium, aut amorem, cæteróſquæ affectus iudicium corrumpentes, sed rectam rationem fuerit secutus, præclarè administrabit, & florebit in diebus eius abundantia pacis. Ex quo colliges ridiculum esse præsulem, qui cùm ipse non sit in medio, cùm affectus sequatur, cùm denique sit iniustus, ad pacē subditos hortatur. Est enim hoc id, quod
Ierem. 6. ait Ieremias, Dicens: *pax pax, & non erat pax.* Sit præsul in medio, tribuat vnicuique quod suum est, &
simile. tunc dicat: *pax vobis.* Si enim in medio fuerit, nec erit motus, nec à constantia deiectus. Cur terra sola immobilis est ex omnibus elementis, nisi quia est in medio mundi veluti centrū constituta? Ima sede semper hæret, complexa medium mundi locum, & in eam feruntur omnia suo motu pondera. Ideò quieta manet, cùm omnia alia elementa moueantur. Si præsul quietem voluerit obtinere, sit veluti terra producens fructus, humilis, non superbus, omnes recipiat, sítque in medio collocatus, & tunc dicat: *Pax vobis*, & imi
Suprà 9. tetur Christum, quem Esaias alio loco principem pa-
C cis appellat. Sunt multi præsules, qui in fine suæ gubernationis gloriantur se suis relinquere pecunias & possessiones, cùm potius deberent gloriari se pacem reliquisse. Non enim Christus súmus ille & excellētissimus pastor inquit, Diuitias & possessiones relinquo vobis. Sed quid ait? *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Vide quid relinquat suis subditis, pacem non mundi copias, non aurum, non argentū, non dissensiones, non discordias, sed pacem, quæ sine iustitia esse non potest. Aspicis hîc effectum ac fructum iustitiæ esse pacem. Vnde argumento à contrario sēsu effectus ac fructus iniustiæ est bellum & discordia. Iustitia parit pacem, iniustitia dissensionem. Potest enim hic locus Esaiæ intelligi de iustitia, qua homines iustificantur: quasi dicat: Iustitia, quæ est per fidē formatam, parit animi pacē & tranquillitatem. Etsi enim vir iustus in bellis & periculis versetur, etsi tormētis opprimatur, animi tamē pacē non amittit. Imò appetit pro Christo vitam cum morte commutare, vt tali morte immortalitatem cōsequatur. Et de hac iustitia potest intelligi id, quod dicitur in Psalmo: *Orietur in diebus eius iustitia & abūdātia pacis.* Quia vbi est gratia, ibi est pax. Et ob eam causam diuus Paulus in exordio suarum epistolarum imprecatur gratiā & pacem. Sine gratia enim vera pax esse non potest. Ex quo colliges impio non esse pacem, quemadmodum ait Esaias cap. quadragesimooctauo & quinquagesimoseptimo.

t *Et cultus iustitiæ silentium.*) Exercebitur iustitia in silentio sine iudicum tumultu & clamore. Non insultabunt iudices eis, quos damnauerint, sed compatientur, & eorum miserebuntur. Vel sic: Nullus erit clamor oppressorum, quia nemo opprimetur.

v *In pulchritudine pacis.*) Pacem appellat pulchrā. Si bellicosi homines faciem pacis oculis suis aspicerent, non possent eam non ardenter diligere. Quid enim pulchrius pace? Si eius pulchritudo humanis oculis cerneretur, mirabiles sui ipsius amores excitaret. Contrà verò quid fœdius & turpius bello? quid E
truculentius? quid immanius? Et tamen cæci homines bello, potius quàm pace delectantur. Non sunt hi hæredes Christi, quoniam pacem, quam ipse in testamento suo reliquit, noluntaccipere.

x *Grando autem in descensione saltus.*) Sensus est: In syluam infrugiferam irruet grando, quæ eam vastet & perdat: hoc est, in homines infideles veniet afflictio, nec tamen propter hoc Ecclesia fidelium efferetur superbia & elatione.

y *Beati qui seminatis super omnes aquas immittentes pedem bouis & asini.*) Fœlices vos qui seminatis in locis feracibus, & aquis affluentibus, vbi tanta erit segetum abundantia, vt necessarium sit mittere iumenta, vt illis pascantur, ne syluescant, & pereant ob nimiam vbertatem. Promittuntur viris iustis bona, per quæ spiritualium donorum copia significatur. Ager fertilis est in Ecclesia aquarum fontibus abundans: fontes autem sunt salutaria præcepta, & diuina consilia, & canales illi pulcherrimi Christi doctrinarum, quæ quidem aquæ hodie permanent, & semper in Ecclesia inexhaustæ permanebunt. Sed in hoc est magna differentia. Nam etsi aqua sit eadem, etsi doctrina sit vna: tamē in Ecclesiæ principio fluebat per canales illos aureos & excellentissimos Christi, eiúsq; F
discipulorum: nunc verò plerunque manat per canales terreos & luteos: sunt enim multi concionatores peccatorum spurcitia contaminati. Quanquam me non fugiat esse in Ecclesia multos concionatores doctos, omnibúsque virtutum ornamentis excultos, quorum multos ego cognosco, quos idcircò non nomino hoc loco, ne mea oratio, si aliquem omisero, ingrata: si de omnibus verba fecero, infinita esse videatur. Sed ego de his non conqueror, quorum sapientiā & charitatem veneror & suspicio, sed de me meíque similibus solùm tracto.

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT XXXII.

1 Ecce ſin iuſtitia regnabit rex.] *In Hebraico eſt* הן לצדק ימלך מלך *hen ietſedhæo iimloc melæc. Quæ verba poſſent ita verti, ſi verbum verbo reddere volueris:* Ecce ad iuſtificandum regnabit rex: *verbum enim hoc* צדק *ſignificat iuſtificare, vt Prouerb.* 17. Et qui iuſtificat impiū. *Et in Pſalmo* 50. Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis. *Eſt igitur horū verborum Eſaiæ ſēſus: Ecce attende & conſidera admirabilem vaticinationem*

Luc. 13.

A tionem. *In temporis plenitudine veniet in mundum Messias, qui regnabit ad iustificandum peccatores. Aduerte. Non dicit: Veniet rex ad iudicandum mundum in primo aduẽtu, sed* ad iustificandum. *Id ipsum ait Christus apud*
Ioan. 3. *Ioannem:* Non misit Deus filium suum in muudum. vt iudicet mundũ, sed vt saluetur mundus per ipsum.
Luc. 9. *Et apud Lucam.* Filius, *inquit,* hominis non venit animas perdere, sed saluare. *Venit Christus iustificatum: quoniam, vt ait diuus Paulus,* Non iustificabitur homo ex operibus legis, *nisi per fidem Iesu Christi. Sed fides nostra debet esse charitate formata, quæ, vt ait Diuus*
Gal. 5. *Paulus,* per charitatem operetur. *Nam quemadmodum gladius debet esse in manu, & non in arca, vt valeas de inimicis consequi victoriam, sic fides non sat est, vt sit in*
simile *anima, sed debet esse in manu vt eius operibus in charitate fundatis vincas inimicos animæ, & de illis mirabiliter*
Iaco. 2. *triũphes.* Fides enim sine operibus, *vt ait diuus Iacobus Apostolus,* mortua est. *Possunt etiam hæc verba Esaiæ sic transferri:* Ecce ad iustitiam faciendam regnabit rex. *Et ita eam in Latinum reddidit Pagninus. Et tunc possunt de quolibet iusto rege explanari, vt sit Esaiæ sensus: Rex iustus non regnabit ad superbiam & fastum: non vt se voluptatibus dedat, & ventri atque somno obtemperet, non ad exercendam tyrannidem, sed ad faciendam iustitiam. Est autem iustitia habitus animi cõstans & perpetuus tribuendi vnicuique quod suum est. Vnde debet rex, & quicunque*
simile. *præsul flagitiosos punire, bonis autem fauere. Si vides præclaram citharam in manu rudis & inepti pulsatoris malè sonantem, non citharæ sonoræ, sed inerti citharœdo culpam tribuis. Christiana religio est quædam excel-*
B *lentissima cithara suauissimè & præclarissimè sonans.*
1. Reg. 17 *Hæc est cithara illa, quæ manu Dauidis pulsata spiritum malum fugabat à Saul: citharœdus est præsul, qui eã manibus tenens temperat, & suauem concentum efficit. Sed vt malus sonus non bonæ citharæ, sed malo citharœdo tribuitur, sic vocum discordia, morumque corruptio & dissona vitæ depranatio, non religioni, quæ sancta est, sed religionis gubernatori non immeritò aliquando tribuitur. Py-* simile. *thagoras harmoniam quandam vocat virtutem. & rectè quidem. Vt enim suauis lyræ sonus interuallis coniũctus imparibus, sed secundum rectam portionem distinctis ex impulsu & motu ipsarum chordarũ producitur, qui acuta cum grauibus moderans, admirabilem æquabiliter harmoniam efficit, sic ex multis ac variis virtutibus inæqualiter coniunctis, sed pro rata parte diuisis, efficitur quidam concentus, qui temperans in se virtutes, efficit quandam dulcissimam harmoniam, quæ absoluta virtus appellatur. Sunt enim omnes virtutes vna virtus absoluta iuxta Platonem. Et quemadmodum ille, qui temperare lyrã nescit, non debet eam pulsare: sic qui rempublicam gubernare nescit, non debet eius administrationem suscipere. Et vt bonus citharœdus fides nimis acutas laxat, nimis autem laxas & graues eleuat, vt omnia temperet: sic sapiens princeps & præsul elatos, qui se vltra modum eleuant, debet comprimere, humiles verò eleuare, vt omnia moderetur sapienter, non tantum laxans hunc, vt sonum non edat, nec tantum eleuans illum, vt eum frangat, sed vt omnia temperata admirabilem quandam harmoniam efficiant. Et hæc est iustitia, tribuere vnicuique quod suum est, ad quam exercendam, vt hic ait Esaias, debet regnare Christianus princeps & præsul.* D E

2 Et erit vir sicut qui abscõditur à vẽto.] *In Hebraico est: Et erit vir* כמחה בא רוח *ce machaue ruach. Id est, sicut absconsio venti. Acsi dicat: Erit rex locus tutus, vbi se quis abscondit à vento. Vbi vides officium regis esse afflictos ac pios homines tueri, & custodire. Non solum enim dominus est, sed etiam pater.*

3 Cùm loqueretur pauper iudicium.] *Potest verti.* Cùm loqueretur contra pauperem in iudicio.

Argumentum capitis XXXIII.

Prædicit diuinus vates Sennacheribi Iudæorum hostis perniciem, qui cùm nullis lacessitus iniuriis Hierosolymam euertere conaretur, fuit victus, & eius exercitus ab angelo Dei mirabiliter interfectus. Prædicat Dei potentiam. Vaticinatur de Christi regno, quem Iudæi non cognouerunt. Quam ob causam suam pristinam dignitatem & præstantiam turpi dedecore macularunt. Non cognouerunt autem Christum, quia malitia obcæcati eum cognoscere noluerunt.

CAPVT XXXIII.

C VÆ[a] qui prædaris, nõnne & ipse prædaberis? Et qui spernis, nónne & ipse sperneris? Cùm consummaueris deprædationem deprædaberis, cùm fatigatus desieris contemnere, contemneris.[b] Domine miserere nostri, te enim expectauimus,[c] esto brachiũ nostrum F in manè, & salus nostra in tempore tribulationis.[d] A voce angeli fugerunt populi, & ab exaltatione tua dispersæ sunt gentes.[e] Et congregabuntur spolia vestra, sicut colligitur brucus, velut cùm fossæ plenæ fuerint de eo.[f] Magnificus est Dominus, quoniam habitauit in excelso, impleuit Sion iudicio & iustitia, & erit fides in temporibus suis. Diuitiæ salutis sapientia & scientia, timor Domini, ipse est thesaurus eius.[g] Ecce videntes clamabunt foris,[z] angeli pacis amarè flebunt: Dissipatæ sunt viæ, cessauit transiens per semitam, irritum factum est pactũ, proiecit ciuitates, non reputauit homines. Luxit & elanguit terra,[h] confusus est Libanus, & obsurduit. Et factus est Saron sicut desertum, & concussa est Besan & Charmelus.[i] Nunc consurgam, dicit Dominus, nunc exaltabor: & nunc sublimabor.[k] Concipietis ardorem, & parietis stipulam, spiritus vester vt ignis vorabit vos, & [l] erunt populi, quasi de incendio ignis, spinæ congregatæ igne comburentur.

EXPLANATIO.

a *Væ qui prædaris.)* Sennacheribum intelligit, cui interitum minatur.

b *Domine miserere nostri, te enim expectauimus.)* Verba sunt Iudæorum Hierosolymæ habitantium, qui obsessi à Sennacheribo petebant à Deo auxilium, ad portum eius misericrodiæ confugientes, eiúsque præsidium expactantes.

c *Esto brachium nostrum in manè.)* Id est, Esto fortitudo

A tudo noſtra manè. Quaſi dicat: ſtatim cùm te inuocauerimus, nos adiuua. Vel per manè intellige tempus proſperitatis, nam ſequitur ſtatim: Et ſalus noſtra in tempore tribulationis. Quaſi dicat: Protege nos & in tempore proſperitatis, & in tempore afflictionis.

d *A voce angeli fugerunt populi.*) Deſcribit cladem exercitus Aſſyriorum, qui perterriti tumultu, quem Dei angelus excitabat eos interficiens, volebant ſe in fugam conuertere, & diſpergebantur. Sed nihil illis profuit: fuerunt enim omnes interfecti, præter paucos, qui cum rege fugerunt.

e *Et congregabũtur ſpolia veſtra ſicut colligitur brucus.*) Cùm vos ô Aſſyrij fueritis exciſi, & in fugam coniecti, tunc congregabunt Iudæi ſpolia veſtra, quẽ admodum ſolent congregari locuſtæ in foſſis. Brucus eſt ſpecies quædam volucris, à locuſta non diſſimilis.

f *Magnificus eſt Dominus.*) Tunc laudabitur Deus, & prædicabitur eius potentia & amplitudo. Et Hieroſolyma erit plena iudicio & iuſtitia. Erit florens & exculta, & vigebit in ea rectè gubernãdi ratio. Et nõ recedet ab ea fides in diebus illis. Et abundabit diuitiis ſalutis, & bonorum ſucceſſuum, cum ſapientia & ſcientia & timore Domini, qui eſt eius theſaurus. Vocat ſapientiam & ſcientiam diuitias ſalutares, timorem autem Domini caſtum & filialem appellat theſaurum, quia in eo tamquam in arcula diuitiæ virtutum ſeruantur. Quãquam omnia à principio capitis
B vſque ad hunc locum intelliguntur de vaſtatione Aſſyriorum, & de victoria & proſperitate Hieroſolymæ, tamen in ea ratione interpretandi, quam myſticam appellant, intelliguntur de ea victoria, quã Eccleſia de dæmonibus per Chriſtũ reportauit. Hęc eſt enim Hieroſolyma illa, vbi eſt vera fides, iuſtitia, & iudicium, & timor Domini.

g *Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amarè flebunt.*) Senſus eſt: Iudæi cùm fuerint obſeſſi à Sennacheribo, mittent ad eum legatos cauſa pacis componendæ. At videntes hi legati ſe nihil profeciſſe, re infecta ad ciuitatem redeuntes clamabunt, & lugebunt in ipſo itinere, priuſquam ciuitatem ingrediantur. Hos Iudęorum legatos appellat propheta angelos pacis, hoc eſt, nuntios miſſos ad fœdus faciẽdum
Angelus. cum Aſſyriis. Angelus enim nuntiũ ſignificat. Et ſtatim ſubiungit propheta verba, quæ legati plorantes dicebant venientes ab exercitu Aſſyriorum deſperatione debilitati. Diſſipatæ ſunt viæ, neque eſt aliquis ex noſtris qui audeat tranſire ſemitã ob hoſtium timorem: irritum factum eſt pactum, quod Deus nobiſcum inierat de protectione noſtra, iam nos deſerit,
C contemnit noſtras ciuitates, non nos reputat homi- D
nes, & tota Iudæa luget ob noſtram calamitatem & imminentem euerſionem.

h *Confuſus eſt Libanus.*) Proſequitur Propheta verba legatorum. Erubeſcit Libanus, quoniam ſcinditur ab hoſtibus noſtris, ſuiſque cedris ſpoliatur. Saro ferax agri planities eſt veluti deſertum, concutitur, ac fructibus nudatur Baſan & Charmelus. Libanus eſt ad Septentrionem Iudææ. Charmelus ad Meridiem. Baſan ad Orientem. Saron ad Occidẽtem. Voluit propheta oſtendere totius Iudææ vaſtitatẽ, quæ ob eius infidelitatem & teterrima ſcelera erat tempore Titi & Veſpaſiani futura.

i *Nunc conſurgam dicit Dominus.*) Scripſit Propheta obſidionem Hieroſolymæ, fletum ac calamitatem Iudæorum, & ſuperbiam ac potentiam Sennacheribi. Nunc prædicit victoriam, quam Iudæi de hoſtibus ſuis obtinuerunt. Ait ergo Deus: Ego exurgam contra vos ô Aſſyrij, & gloriam ac potentiam meam, eruens à manu veſtra Iudæos afflictos, declarabo. Ita dicitur in Pſalmo: *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, ego exurgam, dicit Dominus.* *Pſal. 11.*

k *Concipietis ardorem, & parietis ſtipulam.*) Conſilium & deliberationem Aſſyriorum de capienda & comburenda Hieroſolyma appellat Deus conceptũ ardoris. Cogitabant enim de eius vaſtitate & flagratione. Tunc quis concipere dicitur, cùm deliberat quid facturus eſt: tunc verò parit, cùm opus exequitur. Ideò dicit: Vos exiſtimabitis euerſuros vos eſſe Hieroſolymam, at cogitationes veſtræ vertentur in ſtipulam & quiſquilias, quoniam nihil efficietis. *Erit ſpes veſtra vana, & conatus veſtri fruſtra ſuſcepti. Et ſpiritus veſter vt ignis deuorabit vos.* hoc eſt: Eadem veE ſtra cogitatio vos interficiet, veſtrum conſilium erit cauſa veſtrę calamitatis & excidij. Nam interitus, quem Iudæis moliebamini, in veſtrũ caput redundabit. Et ita fuit. Euenit Aſſyriorum exercitui id, quod dicitur in Pſalmo: *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit.* Ita apud Matthęum dicebat Chriſtus Deus noſter: *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* *Pſal. 7.* *Matt. 7.*

l *Et erunt populi quaſi de incendio cinis.*) Hoc eſt, Vertentur Aſſyrij in cinerem alicuius magni incendij: & ſic flagrabunt veluti ſpinę in igne coniectæ. Verti poteſt: *Et erunt populi quaſi de incendio calcis.* Hoc eſt, ſimiles lapidibus, qui excoquuntur, vt fiat calx. Vel ſic: *Erunt Iudæi erepti quaſi de incendio cineris.* Quaſi dicat Deus: Ego eripiam populum meum de manu hoſtium ſuorum, ipſos autem hoſtes interficiam.

F

ANNOTATIONES ex Hebræo in

CAPVT XXXIII.

1 Væ qui prædaris, nónne & ipſe prędaberis?] *In Hebraico eſt in hunc modum.* שהרר ואתה לא שרור ורי *Hoi xodhedh ve-ath lo xadhudh. Verbum* שרר *ſignificat vaſtare, Ezechiæ trigeſimoſecundo:* Et vaſtabunt ſuperbiam Ægyptiorum. *Pro quo noſter interpres in præſenti vertit* prædari, *& rectè quidẽ. Intelligi autem hæc de Aſſyrijs diximus in explanatione. Verùm ſi volueris hæc verba reddere Latinè, & verbum è verbo vertere, ita dices:* Væ deuaſtanti, & tu non deuaſtatus, & contemnenti, & tu non contemptus. *Acſi diceret, Væ tibi qui alium lædis, nam ille à te non lædituꝛ: & qui aliũ contemnis, nam ille non eſt contemptus. Vult Propheta oſtendere neminẽ lædi niſi à ſeipſo. Vis lædere aliquem? lædis teipſum: illũ autẽ lædere nõ poteris, quem lædere cõtẽdis. Hoc intelligẽtes Septuaginta interpretes hunc verſum in hũc modũ tranſtulerunt:* Vę qui vos miſeros faciũt. *Vos enim nemo facit miſeros, & qui reprobãt vos, vos non reprobant. Eſt hæc interpretatio Septuaginta mirabilis quidem: Qui te in corpore immeritò affligit, non tibi, ſed ſibi ipſi nocet: floret enim animus calamitate, & illuſtratur viri iuſti dignitas & amplitudo iniuria & iniquitate*

A homines ſcelerati, ipſe verò ſceleratus in animo vulnera
tur, & grauiter offenditur. Et quãuis te occidat, teipſum
non ladit, imò ſeipſum occidit, quia animam ſuam occidit,
tuam autem occidere non poteſt. Ideò dicebat Chriſtus
apud Matthæum: Nolite timere eos, qui occidunt cor
Matt. 10. pus, animam autem non poſſunt occidere. Diogenes
Laertius refert dixiſſe Anaxarchum, cùm occideretur à
quodam tyranno: Tunde Anaxarchi vaſculum, nam Ana-
xarchum nihil teris. Et Socrates dicebat, vt refert Pla-
to, Anitus & Melitus occidere me poſſunt, lædere autem
non poſſunt. Epictetus Socraticus, Nemo, inquit, lædit ni-
ſi volentem: tunc læſus eris, cum te ladi opinaberis. Hæc
ille. At vir virtute ac ſapientia excultus nõ exiſtimat ſe
calamitate & iniuria lad i, ſed eius calamitatem deplo-
rat, qui exiſtimabat eum ladere, cum ipſe à ſe ipſo lada-
Simile. tur. Vt qui manu accipit prunas, vt alium cõburat, prius
ipſe crematur: ſic non poteris alium igne afflictionis incẽ
dere, quin prius tuipſe incendio ſtagres. Accenditur can- D
dela, vt rem aliquam concremet, prius ipſa candela exu-
ritur & conſumitur, quàm res alia incendatur, imò flam-
ma candelæ alios illuminat, & ſeipſam conſumit: ſic iniu-
ria prius eum, à quo eſt iacta & immiſſa lacerat & occi-
dit, & poſteà ad innocentem non peruenit, imò eum red
dit illuſtriorem. Ex quo colliges veram eſſe illam præcla-
ram ſententiam, quam Chryſoſtomus in homilia quadam
multis comprobat rationibus: Nemo laditur niſi à ſeipſo,
quam hoc in loco Septuaginta complectuntur.

2 Angeli pacis amarè flebunt.) In Hebraico eſt
מלאכי malachei, pro quo noſter interpres dixit: Ange
li. Poteſt verti: Nuntij pacis amarè flebunt, & ita ver
tit Pagninus. Vel legati pacis, &c. Quod in idem reci-
dit. Non igitur intelligas Angelos Dei fleuiſſe, ſed Iudæo
rum legatos, qui ad fœdus faciendum cum Aſſyrijs miſſi
fuerant.

Audite [a] qui longè eſtis, quæ fecerim, & cognoſcite vicini fortitudinem meam. [b] Conterriti
ſunt in Sion peccatores, poſſedit timor hypocritas. [d] Quis poterit habitare de vobis cum igne
deuorante? Quis habitauit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? Qui ambulat in iuſtitiis, & loqui
Pſal. 14. tur veritatem, [e] qui proiicit auaritiam ex calumnia, & [f] excutit manus ſuas ab omni munere. g.
Qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem: & claudit oculos ſuos, ne videat malum. [h] Iſte in
excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius: Panis eius datus eſt, [i] aquæ eius fide- E
les ſunt. [k] Regem in decore videbunt, oculi eius cernent terram de longè, [l] cor tuum meditabi
B tur timorem: [m] Vbi eſt literatus? vbi legis verba ponderans? vbi eſt doctor paruulorum? [n] Popu-
1. Cor. 16 lum imprudentem non videbis, populum alti ſermonis, ita vt non poſsis intelligere diſertitudi
nem linguæ eius, in quo nulla eſt ſapientia. [o] Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis noſtræ. Ocu-
li tui videbunt Ieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam tranſ-
ferri poterit, nec auferentur claui eius in ſempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur,
quia ſolummodò ibi magnificus eſt Dominus noſter. Locus fluuiorum riui altiſsimi & patentes,
non tranſibit ſuper eum nauis remigum, neque trieris magna tranſgredietur eum. Dominus enim
iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter, ipſe ſaluabit nos. [p] Laxati ſunt funicu-
li tui, ſed non præualebunt: Sic erit malus tuus, vt dilatare ſignum non queas. [q] Tunc diuiden-
tur ſpolia prædarum multarum. Claudi diripient rapinam, nec dicet vicinus, Elangui. [r] Populus
qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.

a *Audite qui longè eſtis quæ fecerim.*) Verba ſunt Dei,
quibus oſtendit ſe velle, vt omnes ſuam omnipoten
tiam perſpiciant & cognoſcant. Vos, inquit, ô Aſſy-
rij qui longè eſtis à me, qui nec fidem habetis, nec
meipſum cognoſcitis: & vos vicini, vos Iſrae-
litæ qui ad me acceditis per fidem formatam, audi-
C te & agnoſcite, quid hac in re facturus ſum intelligãt
omnes, quomodo potentes & ſuperbos Aſſyrios ſum
euerſurus, & afflictos Iudæos de eorum manu ereptu
rus. Inuitat Deus omnes ad tanti facti conſiderationem. Nos igitur conſideremus opera Dei, eaq; me-
moria ſæpenumò repetamus. Aſpicis hîc homines in
iuſtos & impios longè eſſe à Deo, pios autem & iu-
ſtos propè. Nam quemadmodum ſcelera alienant à
Deo, ſic charitas coniũgit. Vnde ait diuus Paulus ad
Ephe. 2 Epheſios ſcribens: *Vos qui aliquando eratis longè, facti
eſtis propè in ſanguine Chriſti.*

b *Conterriti ſunt in Sion peccatores.*) Narrat Prophe-
ta Iudæorum in obſidione pauorem & calamitatem.

c *Poſſedit timor hypocritas.*) Nam qui erant verè fi
deles, in Domino Deo ſpem ſuam collocauerant,
Rom. 8. ideò non timebant. *Si Deus enim pro nobis*, vt ait Apo
ſtolus, *quis contra nos?* Id intelligens Dauid dicebat
Pſal. 26. in Pſalmo: *Dominus protector vitæ meæ, à quo tre-
pidabo?*

d *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante?*)
Verba ſunt quibus ſuperbi ac potentes Aſſyrij ſuis
viribus fidentes Iudæos obſeſſos alloquebantur. Ac-
ſi dicerent: Quis ex vobis euadet impetum Aſſyrio-
rum? Nemo eſt qui poſſit à manu noſtra liberari. Ig-
nem deuorantem, & ardores ſempiternos vocabant
Aſſyrij exercitum ſuum, qui Hieroſolymæ deflagra- F
tionem minabatur: quoniam multa oppida combuſ
ſerant, & in fauillas redegerant. Cæterùm hæc verba
poſſunt eſſe ipſius Prophetæ Aſſyrios alloquentis, eiſ
que Dei iram & vltionem minantis. Eſt enim Deus
ignis comburens impios, iuxta id quod in Deutero-
nomio ſcriptum legimus: *Dominus Deus tuus ignis* Deut. 4.
conſumens eſt. Et in epiſtola ad Hebræos: *Etenim Deus* Heb. 12.
noſter ignis conſumens eſt. Deus eſt ignis, vt hîc aſpi-
picis: homo autem fœnum, iuxta id quod ait alio loco
Eſaias: *Omnis caro fœnum.* Si igitur peccator es fœnũ, Infrà 40.
Deus autem ignis deuorans & conſumens, cur cum
Deo contendis? Nónne fœnum comburetur igne?
Nónne incendio flagraberis? Quomodo audes aridũ
fœnum cum igne deuorante pugnare? O audaciam
incredibilem, & inſipientiam intolerabilẽ! Vis more
gigantum, quorum impium facinus antiquis fictis
fabulis memoriæ prodiderunt, Deo ipſi bellum in-
ferre, dæmoni autem te coniungere & ſociare? Re-
uertere ad teipſum, & conſidera tuam miſeriam & fra
gilita-

A gilitatem, Dei autem omnipotentiam, & immensam magnitudinem.

e *Qui proiicit auaritiam ex calumnia.*) Hoc est, Qui non vult opes calumnia exquisitas.

f *Qui excutit manus suas ab omni munere.*) Id est, qui à nemine vult munus accipere, vt veritatẽ abs- *simile.* condat. Sunt enim nonnulli, qui veritatem loquuntur, sed accepto munere statim silent. Hi sunt similes cani Cerbero, quem finxerunt poetę, qui accepta offa tacebat. Nihil magis iudicium corrumpit quàm *Exod.23.* munus. Ideò dicebat Deus, vt in Exodo scriptura commemorat: *Nec etiam accipies munera, quæ etiam excæcant prudẽtes, & subuertunt verba iustorum.* Potest hoc referri ad iudices, qui ob munus acceptum fauent nocentibus, & amittunt libertatem rectè iudicandi, & sententiam ferendi. Hos redarguit etiam Esaias capite primo, & capite quinto: vt ibi annotauimus.

g *Qui obturat aures suas ne audiat sanguinẽ.*) Id est, B ne audiat peccatum. Sanguis enim pro peccato accipitur, vt in Psalmo: *Libera me de sanguinibus Deus* *Psal. 50.* *Deus salutis meæ.* Et in alio, *Ne perdas cũ impijs Deus* *Psal. 25* *animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam.* Et explicans Esaias quid sit hoc in loco sanguis, ait: *Et claudit oculos suos, ne videat malum.* Id quod sanguinem appellauerat, modò malum appellat. Fœlix cõscientia, quę malum nec audire, nec videre vult. *Auer* *Psa. 118.* *Thre. 3.* *te*, ait Propheta, *oculos meos, ne videant vanitatem.* Nam Ieremias ait: *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Potest hoc in loco sanguis accipi pro consilio eorum, qui innocentibus interitum ac perniciem moliuntur.

h *Iste in excelsis habitat, munimenta saxorum sublimitas eius.*) Habitat in locis altis & munitis, & in asylo & petrarum propugnaculis. Sẽsus est: Qui iustus est, sic erit tutus, acsi esset in arce fortissima, in sublimi rupe sita penitus inexpugnabili. Descripsit diuinus vates virũ sapientem & virtutibus septum, nunc ostendit quomodo eum Deus custodiat & seruet.

i *Aquæ eius fideles sunt.*) Id est, perennes, nũquam illi deficientes. Acsi dicat: semper Deus virum iustum nutriet & sustentabit. Poteris per has aquas virtutes intelligere, quę sunt animi pabulum & nutrimẽtum, quæ viris iustis nunquã desunt, ideò aquæ fideles & perennes appellãtur. At sunt nonnulli, qui vt se iustos ostendant, virtutis actiones exercent, quæ cùm sint fictę, parum durant: nihil enim fictum potest esse *simile.* diuturnum. Vt torrentes ex pluuia, & aliqua parua terræ humiditate producti solùm hyemali temp e fluunt, veniente autem feruore solis siccãtur: sic C hypocritarum & fragilium hominum virtutes tempore molli, & ad voluntatem fluenti, apparent, veniente autem afflictionis æstu penitus arescunt.

Deut.4. *Heb. 12.*

k *Regem in decore videbunt.*) Esaias in hoc capite describit obsidionem Iudæorum, & victoriam, quam per Dei angelum de Assyriis mirabiliter reportarũt. Et occasione sumpta describit viros iustos & pios, ad eos alludens, qui tempore obsidionis spem suam in Deo collocauerant, & ab vrbe sancta non recesserãt. Hos dicit modò euasuros esse ab obsidione, & regem Ezechiã quẽ anteà sacco indutũ viderant, in decore suo & maiestate visuros esse. Et qui in obsidione positi terram extra muros non videbãt, eam delongè esse adspecturos, & longinquas regiones intrepidè peragraturos. Potest per hũc regem intelligi Christus, quem, qui in hac vita iustitiam coluerint & pietatẽ, D in æterna beatitudine pulcherrimum videbunt. Qui modò à longè terram nostram, veram illam promissionis patriam, cœlestémque beatitudinem aspiciunt Id quod teste Apostolo faciebant illustres illi *Hebr.11.* ac sancti patriarchæ, de quibus dicitur in epistola ad Habræos: *Iusta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini sunt & hospites super terram.* Vbi vides viros illos fideles, omni sapientia & charitate pręstantes, terram hanc illis promissam tãquã alienam coluisse: veram autẽ terrã promissionis delongè intuitos esse, ad eamque incredibili desiderio aspirasse. Illi quibus Deus terram promisserat, cœlum aspiciebant, nos verò, quibus cœlum promittit, terram solùm intuemur. O amentiam nostrã!

l *Cor tuum meditabitur timorem.*) Postquam ereptus fueris ab obsidione, cogitabis & memoria repetes timorem, quo terrebatur ciuitas, quãdo erat ab hostibus oppugnata, vt contemplans à quo periculo te Deus eripuerit, illi gratias agas. Vt enim qui ex alto *simile.* in portum adducti vim tempestatis, ac magnam iactationem euaserunt, ex terra mare intuentes gratias Deo agunt, pictísque tabulis in templis ad honorem E diuorum suspensis, sese tanti beneficij memores, in Deúmque gratos ostendunt, sic facere debent ij, qui fuerint ab hostibus & animi & corporis erepti, & è fluctibus atque procellis tentationum liberati, vt aliquo pio monimento se diuino numini gratiam habere testificentur.

m *Vbi est literatus? vbi legis verba ponderans?*) Dixerat suprà, nuntios pacis componendæ fleuisse, quoniam in Deo spem suam non habebãt collocatã: postea descripsit iustos Deóque fidentes. Et quoniã qui missi fuerant ad fœdus faciendum cum Assyriis, erãt legis doctores, qui Hierosolymæ euersionem plorabant, ait Propheta: Vbi sunt doctores illi, qui Deo non fidentes, sed de eius potentia & misericordia desperati, asserebant delendam esse à Sennacheribo ci- *1. Cor. 1.* uitatem sanctam? Diuus Paulus in epistola prima ad Corinthios ita ait: *Vbi sapiẽs? vbi scriba? vbi inquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Quæ verba hũc habent sensum: Non literati homines, non mundi sapientes mundo Euangelium annuntiarũt, sed simplices, & humiles, & rudes piscatores. Fortasse ad hunc Esaiæ locum alludit, vbi non literati & docti, sed iusti & pij Deo fidebãt, eiúsque misericordiam & potentiam prædicabant. Quidam sic hũc locum interpretatur: Cùm fueris in obsidione, cor tuum semper meditabitur timorem: existimabis semper adesse publicanũ, & exactorem, qui à te tributa exigat. Semper habebis in ore: *Vbi est scriba,* F &c. At Deus te eripiet, & hostes tuos mirabiliter occidet. Hoc dicit Propheta, quia Iudæi tyrãnidem Sennacheribi magnopere timebant. Literatum vocat eũ, qui scribebat nomina eorum, qui tributa soluebant, similiter & scribam. Per legis verbi ponderatorem, eum intelligit, qui ponderabat pecuniã, eamque ad pondus numerare solebat. Per doctorem parulorum eum existimat intelligendum, qui numerabat ciuitatis domos ad exigenda tributa. Ego tamen priorem expositionem amplector, quia est planior, & literæ conuenientior, & non recedit à versione communi, & est ea, ad quam Apostolus alludere videtur.

n *Populum imprudentem non videbis, populum alti sermonis.*) Non videbis regnare in ciuitate sancta Assyrios, populam barbarum, & sermonis obscuri & abstrusi,

A struſi, quem tu intelligis. Conſolatur viros iuſtos & pios.

o *Reſpice Sion ciuitatem ſolennitatis noſtræ.*) Poſtquã fueris è periculo ereptus viriuſte & pie, contemplare ciuitatem ſanctam, quam Aſſyrius non potuit expugnare. Hęc enim non mutabitur, non enim eſt velut tabernaculum Moyſi, quod poterat aliò tranſferri. Sed eſt permanens & firmum tabernaculum, cuius paxilli, claui, & funes non rumpentur neque laxabuntur. Nam Deus eſt circa hanc ciuitatem loco fluuij altiſſimi, quem ipſo protegẽte nulla nauis neque parua neque magna poteſt traiicere, quæ poſſit ciuitatem expugnare. Quis non videt Eſaiam diuino ſpiritu afflatum hęc non de Hieroſolyma illa terrena dixiſſe, ſed de Eccleſia, cuius illa imaginem gerebat: quæ ab hoſtibus oppugnata vinci nequaquã poteſt, quia Deus eam protegit & ſeruat?

p *Laxati ſunt funiculi tui.*) Locutus fuerat cum Iudęis, modò dirigit ſermonẽ ad Aſſyriorum populum quem cõparat naui deſtitutæ malo, rudentibus & velis, quę arbitrio ventorũ in mari iactatur, & tandem procellis obruitur. Eſt igitur sẽſus: Funiculi tui, hoc eſt, rudentes nauis laxati ſunt, & à nautis relicti, quẽ admodum fit, quando iam nulla eſt ſpes vitæ. Sic erit malus tuus, vt ne velum quidem poſſit expandi, ita, vt naufragium vitare non valeas. Malus eſt lignũ in medio nauis eleuatum.

q *Tunc diuidentur ſpolia.*) Exciſis Aſſyriis & ab Angelo interfectis, diuidentur eorum ſpolia. Nullus erit in ciuitate non ſolùm agilis & velox, ſed etiam claudus & fragilis, qui non diripiat, & ad prædam celeriter currat.

r *Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas,*) Hoc eſt ad Eccleſiam referendum, vbi ſunt ſacramenta, quibus peccata remittuntur.

ANNOTATIO.

1 Vt dilatare ſignum non queas.] *Pro ſigno eſt in Hebræo* נס *nes, quæ dictio ſignificat ſignum & vexillum, & quicquid eleuatur, à verbo* נסס *naſas, quod ſignificat extollere, efferre, & eleuare. Ideò poteſt verti: Vt dilatare velum non poſsis: fracto enim malo nauis, velum erigi & extendi non poteſt.*

Argumentum capitis XXXIIII.

Superiore capite prædixit Propheta Aſſyriorum excidium, nunc omnium impiorum calamitatem in communi annuntiat, Idumæorum præſertim, qui ſcelere & maleficio paſcebantur. Vaticinatur de euerſione Hieroſolymæ per Titum, & de infidelium Iudæorum pernicie & vaſtitate.

B

CAPVT XXXIIII.

ACcedite a gentes & audite, & populi attendite, audiat terra & plenitudo eius, orbis & b E omne germen eius, c quia indignatio Domini ſuper omnes gentes, & furor d ſuper omnem militiam eorum. d Interficiet eos, & dedit eos in occiſionem. Interfecti eorum proiicientur, & de cadaueribus eorum aſcendet fœtor. Tabeſcent montes à ſanguine eorum, & e tabeſcet omnis militia cœlorum, & complicabũtur ſicut liber cœli, f & omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea, & de ficu, quoniam g inebriatus eſt in cœlo gladius meus. Ecce ſuper Idumæam deſcendet, & ſuper populum interfectionis meæ ad iudicium. Gladius Domini repletus eſt ſanguine, incraſſatus eſt adipe de ſanguine h agnorum & hircorum, et de ſanguine medullatorum arietum. i Victima enim Domini in Boſra, et interfectio magna in terra Edom. k Et deſcendent vnicornes cum eis, et tauri cum potentibus. Inebriabitur terra eorum ſanguine, et humus eorum adipe pinguium, quia dies vltionis Domini, l annus retributionis iudicij Sion. Et conuertentur torrentes eius in picem, et humus eius in ſulphur.

Inf. 62. a.

F

C

EXPLANATIO.

2 *Accedite Gentes & audite.*) Non vnam Gentem & vnum populum, ſed omnes Gentes, & populos, & vniuerſam denique terram vocat diuinus vates, imò per eum Deus ipſe, vt accedant, & audiant, & vltionem, quam peccatoribus minatur, diligenter attendant. Non enim vnum tantùm populum, ſed omnium gentium & nationum peccatores ait eſſe ſuorum ſcelerum pœnas daturos. Sed aduerte. Non dicit: Audite gentes, ſed, *Accedite gentes & audite.* Vocat nos Dominus Deus, vt ad eum accedamus, quo verba eius audire & perpendere poſſimus. Si propè eſſemus, non nos vocaret vt accederemus ad eum, vocat autem vt accedamus, quoniam procul ab eo ſumus. Peccata enim noſtra nos à Deo ſeparant, & vt alio in loco ait Eſaias, *diuiſerunt inter nos & Deum noſtrum.* Et cùm nos ſimus procul ab eo, ipſe etiam procul eſt à nobis. *Longè enim,* vt ait Dauid, *à peccatoribus ſalus,* hoc eſt, Chriſtus, quem etiam Eſaias ſub perſona cœleſtis patris ſalutem vocat, ita dicens: *Dedi te in lucem Gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.* Eſt igitur Chriſtus ea ſalus, quæ longè eſt à peccatori-

Inf. 59. Pſal. 118 Infr. 49.

A catoribus ad quam oportet nos accedere, quoniam ea ipsa nos vocat, & ad accedendum hortatur: ad quã nisi accesserimus peribimus. Ait enim diuinus vates: *Psal. 72.* *Qui elongant se Domine à te, peribunt.* Et in alio Psal- *Psal 33. Hebr. 10* mo scriptum legimus: *Accedamus*, inquit, *cum vero corde in plenitudine fidei: Accedamus igitur ad Deum, & audite, & populi attendite.* Audiat terra. Nos terra & puluis audiamus, quibus etiam per Ieremiam ait: *Ierem. 22* *Terra terra terra audi verbum Dei.* Sed audire non possumus, nisi prius accedamus. Sed dices: Quî fieri potest vt ego longè existens à Deo, sceleribus contaminatus, possim accedere ad sanctissimum numen, ad tam admirabilem maiestatem, & infinitam potentiam? Respondebo, Christus Deus noster, qui te vocat ipse te quærit, adiuuat, ac manum tribuit. Et si volueris ei adhærere, & vniri, te secum ad æternam *simile.* patriam, & glorioſum salutis portum perducet. Scapha remis & velo destituta vagans in medio mari, concutitur ventis & fluctibus, donec naufragium facit, & funditus obruitur, & ita ad portum peruenire non valet. Sed si ligatur ad nauem firmam, validam, & excellentem, tendit securè cum naue, & ad optatum portum tandem accedit. Sic peccator nudatus gratia & virtute, ductus appetitibus longius euagantibus, nec rationi parentibus, vi tempestatum ac tentationum concutitur, donec omnes nefariæ cogi- B tationes eum iam non resistentem impellunt, & obruunt, atque ad ima & cæca tartara præcipitant. At si peccator in mediis tentationum fluctibus Christum ardenter inuocauerit, ad eum accesserit, & cum ipsius fauore se ad eum alligauerit & vinxerit, sic vinctus, & cum Christo coniunctus transibit tutus omnia mundi pericula, donec ad splendidissimas illas oras, beatissimúmque cœlestis patriæ portum tandem perducatur.

b *Et omne germen eius.* Thargum Ionathæ habet, *Et omnes qui habitant in eo.*

simile c *Quia indignatio Domini super omnes Gentes.*) Quando iudex vult nocentem aliquem comprehendere, & in carcerem coniicere, non illum terret minis, sed occultè quærit. Quando autem illi publicè carcerem minatur, non vult eum punire, imò tacitè eum minis illis iustitiæ hortatur vt caueat, & à maleficio desistat. Sic Deus minatur impiis supplicium & interi- *Exec. 18.* tum, non vt eos perdat, sed vt ad pœnitentiam vocet. *Non enim vult mortem peccatoris*, vt est apud Ezechie- C lem, *sed vt viuat & conuertatur.* Considera Dei nostri pietatem. Minatus est hîc suam indignationem Gentibus, vt eas saluas faceret.

d *Interfecit eos.*) Præteritum pro futuro, vt mos est Prophetarum, vt alibi ostendimus.

e *Et tabescet omnis militia cœlorum.*) Tanta erit afflictio, tam intolerabilis dolorum angustia, in tantas ærumnas incident peccatores, vt etiam stellæ videantur illis præ mœrore deficere, & lumen suum abscondere. Per militiam cœlorum intelligit syderum multitudinem. Vult Propheta significare acerbissimas ac luctuosissimas sceleratorum hominum futuras calamitates. Homini enim afflicto & ærumnoso omnia tristia videntur, etiam ipsum splendidum cœlum obscurum apparet. Ideò subiungit: *Et complicabuntur sicut liber cœli.* Acsi diceret: Cœli, qui aperti & expansi sunt, & splendidi, videbuntur illis esse complicati veluti liber obsignatus, nullam claritatem ostendentes.

f *Et omnis militia cœlorum decidet.*) Id est, omnes stellæ cadent de cœlo. Dicuntur autem cadere, quando nullum habent splendorem. Nonnulli hoc intelligũt de cometis. Moraliter per stellas intelliguntur reli- D giosi, qui á terra separati cœlo adhærent, qui debent *Philip. 3.* dicere cum Paulo: *Nostra enim conuersatio in cœlis est.* Hi seuocantes animum ab omni turbulento negotio, à terra se lõgissimè efferunt & ad cœlestium contemplationem rapiuntur: ideò stellis in cœlo fulgentibus meritò comparantur. At tunc stellæ dicuntur cadere de cælo, quando nonnulli relinquunt religionem, & ad seculum reuertuntur. Et quando in ipsa religione manentes, orationem, contemplationem, & tranquillam animi ac solitariam quietem contemnunt, & se distrahunt, humanisque negotiis implicant, per ciuitates inquietè vagantes, suisque depraua- tis moribus sanctæ religioni tetram maculam inurentes. Hi dicuntur cadere in tetram, & hi sunt stellæ illæ, quas hîc Esaias ait, vt folia decidere, de quibus *Matt. 23.* Christus ait apud Matthæũ: *& stellæ cadent de cœlo.* Perpende obsecro, & alta mente considera, ex quàm alto loco cadit religiosus, qui se sceleribus contaminat, ex cœlo in terram. Magna ruina, & valde metuenda. Fœlices illi, qui permanent in religione & obseruantia, qui quieti, erecti, & eleuati in cœlo versantur, Deum laudantes, & negotia humana contemnentes, qui doctrina & vita alios erudiunt, & ad virtutem *Dan. 12.* cohortantur. De his ait Propheta Daniel: *Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Horum cognosco ego infinitam multitudinem, E qui veram pietatem colunt, animi candore conspicui, sapientia præcellentes, cœlestisque immortalitatis amore flagrantes.

g *Inebriatus est in cœlo gladius meus.*) Id est, constitui in cœlo me interfecturum esse impios, præsertim Idumæos. Hic gladius, quem hîc dicit esse sanguine inebriatum, apud Ezechielem contra impios acuitur. Hunc dicit Deus descensurum esse super Idumæam. Ait enim: *Ecce super Idumæam descendet, & super populum interfectionis meæ ad iudicium.* Id est, super populum, quem sum interfecturus ad iudicium faciẽdum, & iustitiam exercendam. Sed quoniam Idumæa sonat terrenam, existimo velle Prophetam significare venturam esse hanc perniciem hominibus solam terram colentibus, cœlum autem non contemplanti- *Apoc. 8* bus, de quibus ait Diuus Ioannes in Apocalypsi: *Va vavæ habitantibus in terra.*

h *Agnorum & hircorum & de sanguine medullatorum arietum.*) Per hæc animalia intelligit interpres Chaldaicus reges, potentes & dominos terræ.

i *Victima enim magna in Bosra.*) Id est, Magna erit F interfectio in ea ciuitate Idumææ, quæ dicitur Bosra. Victima & sacrificium pro cæde ponuntur.

k *Et descendent vnicornes cum eis, & tauri cum potentibus.*) Subaudi ad sepulchrum. Quasi dicat: Etiam vnicornes & tauri occidentur. Ionathas sic vertit: *Et interficientur fortissimi cum eis, & potentes cum satrapis.*

l *Annus retributionis Iudicij Sion.*) Non solùm euertet Deus Gentium ciuitates, sed etiam Hierosolymam per Titum funditus delebit. Veniet enim tempus, quando Deus Sioni, hoc est, Hierosolymæ retribuet id, quod ea iuxta rectum iudicium meretur. Et tunc conuertentur torrentes eius in picem. Hoc est: Tempore Romanæ obsidionis omnia erunt in ciuitate plena pice, sulphure, & flammis ardentibus. Succendetur Hierosolyma, & incendio flagrabit. Non extinguetur veluti si fluuij non essent aquæ, sed picis. Vbique erit dolor, & incredibilis afflictio & calamitas.

ANNOTATIONES EX Hebræo in CAPVT XXXI.

1 Super vniuersam malitiam eorum.] *Pro malitia eorum est in Hebráico* צבאם *tseuaam. Dictio est* צבא *tsaua, quæ non malitiam, sed militiam significat. Ideò existimo vitium esse librariorum, qui pro militia malitiam scripserunt. Et nonnulli codices habent militiam, & rectius quidem. Septuaginta pro militia verterunt numerum. Potest verti: Super vniuersum exercitum. Significat enim hoc nomen militiam, & exercitum, & pugnam, & tempus statutum, seu terminum destinatum. Vnde in Psalmo centesimosecundo: Benedicite Domino omnes virtutes eius: poterat verti: omnes exercitus eius, quemadmodum in Psalmo viicesimotertio: Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Virtutes autem in his duobus locis pro Angelorum exercitibus sumuntur.*

Et erit [a] terra eius in picem ardentem nocte & die, non extinguetur in sempiternum. Ascendet fumus eius à generatione in generationem, desolabitur in secula seculorum. Non erit transiens per eam, [b] & possidebunt eã onocrotalus & hericius, & ibis & coruus habitabunt in ea. [c] Et extendetur super eam mensura, vt redigatur ad nihilum, & perpendiculum in desolationẽ. [d] Nobiles eius non erunt ibi, regem potius inuocabunt, & omnes principes eius erunt in nihilum. Et orientur in domibus eius spinæ, & vrticæ, [e] paliurus in munitionibus eius, & erit cubile draconum, B & pascua struthionum, & occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum. E Ibi cubabit lamia, & inuenit sibi requiem. Ibi habuit foueam hericius, & enutriuit catulos, & circunfodit & fouit in vmbra eius. Illic congregati sunt milui, alter ad alterum. [f] Requirite diligenter in libro Domini, & legite, vnum ex eis non defuit, alter alterum non quæsiuit, quia [g] quod ex ore meo procedit, ille mandauit, & [h] spiritus eius ipse congregauit ea, & ipse misit eis sortem, & manus eius diuisit eam illis in mensuram. Vsque in æternum possidebunt eam, in generatione & generationem habitabunt in ea.

a *Et erit terra eius in picem ardentem nocte & die)* Describit euersionem & vastitatem Hierosolymæ. Et quoniam pix est magnum ignis nutrimentum, dixit terram vertendam esse in picem inextinguibilem, vt significaret Hierosolymam euertendam esse in æternum: vt nunquã ibi postea esset sacrificiorum templum, nec Iudæorum synagoga. Quod hodie impletum videmus. Post quam enim ciuitas illa fuit per Titum funditus euersa propter Iudæorum infidelitatem, & Christi cædem, nunquam postea fuit eodem loco & situ reædificata, neque ibi Iudæi templum habent nec sacrificia. Ex quo perspicuum est legem veterem cum suis cerimoniis & sacrificiis cessauisse, & antiquatam esse.

C b *Possidebunt eam onocrotalus & hericius, & ibis & coruus habitabunt in ea.)* Describit solitudinem Hierosolymæ post eius euersionem. Solent enim hæc animalia in locis desertis habitare. Onocrotalus auis est quæ cùm collum mergat in aquam ruditum asini edit: onos Græcè significat asinum, & crotalos eum, qui habet vocem tinnulam & sonoram. Hericius est animal setis horrens, de quo alibi disseruimus. Ibis est auis Aegypti, quæ duplex est, altera tota nigra, altera verò ciconiæ non dissimilis. Coruus auis est per se nota.

c *Et extendetur super eam mensura, vt redigatur ad nihilum, & perpendiculum in desolationem.)* Sensus est, frustra conabuntur Iudæi Hierosolymam & templũ instaurare. Architecti vtuntur funiculo siue linea & mensura, atque etiam perpendiculo & amussi in construendis ædificiis, vt omnia ad rectam normam dirigantur. At funiculus huius vrbis erit inanis, non enim solùm ciuitas non ædificabitur, sed etiam in nihilum redigetur, & perpendiculum vertetur in euersionem.

d *Nobiles eius non erunt ibi, regem potius inuocabunt, & omnes principes eius erunt in nihilum.)* Sensus est: Quãdo Hierosolyma fuerit per Romanos euersa, nõ erunt ibi nobiles illius ciuitatis, nẽpe Apostoli Christi, & viri Apostolici, ne simul cum impiis pereant, & eorum excidio coniungantur. Quin potius regem Christum inuocabunt. At principes illius vrbis Scribæ & Pharisæi delebuntur, suorúmque scelerum & aduersus Christũ impietatis pœnas acerbissimas luẽt.

e *Paliurus in munitionibus.)* Paliurus est herba aspera & spinosa, quæ à nostris appellatur cardo. Struthio est auis magna & vorax quæ ferrũ digerit, appellatur Lusitanè ema. Onocẽtaurum dicũt esse animal monstrosum repræsentans quandam hominis imaginem à parte superiori, asini verò ab inferiori. Pilosus est dæmon in figura hirci. Sũt qui dicant capi hîc pro simia. Lamiam dicunt esse animal prętendens faciem mulieris, pedes habens equinos. Feruntnonnulli esse auem inuisam & inauspicatam: Significat etiam mu- F lierem, quæ instar strigum, sanguinem infantiũ sugit. Per hæc omnia voluit Propheta vrbis vastitatem & solitudinem significare. Ego existimo per hęc animalia & portenta intelligi Agarenos, & cęteros infideles, vt sit sensus: Expulso Iudęorum populo, habitabunt in ea regione gentes immanes, barbarę, & superstitiosę, deditę pestilentibus sectis, & dęmonibus seruientes.

f *Requirite diligenter in libro Domini.)* Vos qui tunc temporis in obsidione Hierosolymę fueritis, & post vrbis euersionem euaseritis, legite hãc meam vaticinationẽ, videte hunc meũ librũ, quem iussu Domini scribo, & inuenietis omnia hęc vera & impleta esse.

g *Quod ex ore meo procedit, ille mãdauit.)* Nẽpe Deus.

h *Spiritus eius ipse congregauit ea.)* Nẽpe animalia & portẽta, quę habitent Hierosolymę. Et ipse Dominus misit eis sortẽ, hoc est, distribuet eis terrã veluti in sortẽ & hęreditatẽ. Et ipsa animalia vsq; in ęternũ possidebunt eam. Quasi dicat: Templum Iudæorum nunquam in æternum erit ciuitas Iudæorum

AN-

ANNOTATIO.

1 Onocrotalus.] *In Hebraico est Kaath, quæ dictio est in Leuitico capite 11. pro qua interpres noster onocrotalum vertit, quemadmodum hîc & Sophoniæ 2. quanquam in Psalmo 101. pro eo nos habeamus* pelicanum. *vbi versio Diui Hieronymi ex Hebraico habet:* Assimilatus sum pelicano deserti. *Hac ratione ductus transtulit hîc Pagninus* pelicanum. *Alij dicunt esse monedulam. Vtcunque sit, ea est auis immunda solita habitare in deserto.*

Argumentum capitis XXXV.

Describit diuinus vates gaudium gentium, quæ erant ad Christi fidem conuertenda. Prædicit Christi aduentum, eiúsque miracula & signa, essèque illum viam ad cælestem patrem, qua tendunt omnes, qui viam immortalem consequuntur.

CAPVT XXXV.

LÆtabitur[a] deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans.[b] Gloria Libani data est ei, decor Charmeli & Saron,[c] Ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri.[d] Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.[e] Dicite, pusillanimes confortamini, & nolite timere.[f] Ecce Deus noster vltionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, & saluabit nos.[g] Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum,[h] quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine, & quæ erat arida in stagnum, & sitiens in fontes aquarum.[i] In cubilibus in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & iunci,[k] & erit ibi semita, & via sancta vocabitur.[l] Non transibit per eam pollutus:[m] & hæc erit vobis directa via, ita vt stulti non errent per eam.[n] Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam, nec inuenietur ibi. Et ambulabunt qui liberati fuerint & redẽpti à Domino, conuertentur,[o] & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super caput eorum. Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.

EXPLANATIO.

a *Lætabitur deserta & inuia.)* Dixerat Propheta capite superiore euertendam esse Hierosolymam ob Iudæorum perfidiam & nefariam aduersus Christum impietatem & ingratitudinem. Nunc prædicit vocationem Gẽtium, promittítque credentibus in Christum lætitiam & consolationem. Est ergo sensus: Gẽtilitas, quæ est quoddam desertum absque solidarum virtutum fructu, sine via quæ ducat ad veram gloriam, lætabitur, & fructum proferet vberrimum. Veniet tempus illud, quando Deus mittet filium suum, vt errantibus viam veritatis ostendat, & tunc conuertentur Gentes ad fidem, & gaudio magno perfundentur. Et illi, qui anteà erant aridi nullis veræ doctrinæ aquis irrigati, sicut lilium mirabiliter florebũt. Hanc vaticinationem scimus esse impletam, & Gentes anteà charitate destitutas & desertas Apostolorum prædicatione esse conuersas ad Christum. Idem vaticinatur infrà noster Propheta capite quinquagesimo quarto, vbi has voces emittit: *Lauda sterilis quæ non paris, decanta laudem & hini, quæ non pariebas, quoniam multi filij deserta, magis quàm eius quæ habebat virum.* Quem locum Apostolus Paulus in epistola ad Galatas de Ecclesia interpretatur, quæ anteà erat quoddam desertum. De hoc deserto ait propheta in Psalmo: *Vox Domini concutientis desertum.* Vox hæc Domini est Apostolorũ prædicatio, quæ Gẽtium populum percussit, vt salubriter ad pœnitentiam conuerteretur. Est enim vox Domini quasi malleus conterens petram, vt asserit Ieremias. Hac vocc concussum desertum aridũ floruit quasi lilium. Veros Christianos comparat liliis, de quib. dicitur in Canticis: *Dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.* Vt enim nihil speciosius lilio, sic nihil pulchrius Christiana nobilitate. Titulus psalmi quadragesimiquarti, vbi cõmunis versio habet: *Pro his qui commutabuntur*, potest verti ex Hebraico: *Pro liliis.* Quod idẽ est: Gentes enim ad Christum conuersę lilia appellantur.

Gal. 4.
Psal. 28.
Ierem. 23
Cant. 6.

b *Gloria Libani data est ei.)* Nihil erit pulchrius, feracius, & gloriosius Ecclesia Christi, quę anteà erat inuium & sterile desertum. Habebit enim gloriã Libani, & pulchritudinẽ Charmeli & Saron. Per Libanum intelligitur tẽplum Salomonis, quemadmodum apud Zachariã capite vndecimo, & apud Ezechielem capite 17. vt ibi statim Propheta exprimit. Per Charmelũ & Saron intelligitur Iudęorũ populus, vt cap. 33. explanauimus. Voluit ergo Esaias significare omnem candorem, & Dei cultum, & scripturarum scientiam & cognitionem, & fructuum spiritualium fertilitatem & abundantiam, & omnem gloriã & pulchritudinem, & omnes denique virtutes, auferendas esse à synagoga, & dandas Ecclesię. Id significauit Christus Iudęis dicens: *Auferetur à vobis regnum, & dabitur Genti facienti fructus eius.* Matt. 21

c *Ipsi videbunt gloriam Domini.)* Hoc est, Christiani videbunt filium Dei inter eos habitantem, & gloriã eius. Videbunt eum facientẽ miracula, suúmque diuinum numen significantem. Hoc ita impletum esse ostendit iis verbis Diuus Ioannes: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriã eius, &c.* Ioan. 1. Veri fideles charitate illuminati Christum videbant non solùm oculis corporis, sed oculis fidei charitate formatæ. Infideles verò, quãuis oculis corporis Christũ aspicerẽt, eũ tamẽ animo nõ intuebãtur: ideò eũ non vidisse dicũtur. Eã ob causã dicebat Christus discipulis suis: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis.* Infideles omnes cęci sũt, & nõ solũ infideles, sed etiã multi ex

A ti ex fidelibus laborant animi cæcitate, qui sceleri-
Matt.13. bus contaminati, tenebris in versantur: qui quamuis habeant lumen fidei, tamen quoniam hæc fides est mortua, nec habent ignem charitatis, inter cæcos numeranrur. Anima nostra est lampas, oleum est amor Dei, aqua est fides. Et vt lampas sine oleo extinguitur, quamuis aquam contineat, & extincta lampade
simile. tota domus obscura manet, tenebrisque circunfusa, sic anima charitate destituta, quamuis habeat fidem, amittit ignem & claritatem, atque ita manens homo cæcus iacet in obscuritate & caligine.

d *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.)* Sensus est: Qui anteà opera Dei non faciebatis, quòd manus haberetis languidas & remissas, erigite eas, & roborate, atque ad virtutis actiones extendite. Et qui erroribus & superstitionibus claudicabatis. estote fortes, via recta incedite, & ad veram Dei gloriam tendite. Qui in via veritatis errant, claudi dicuntur: de quibus dicitur in Psalmo: *Claudicauerunt*
Psal.17. *à semitis suis.* Videtur Propheta alludere ad certandi rationem, fit enim nonnunquam vt pugnare volentibus brachia ac manus ob nimium timorem langueſcant & genua ipsa debilitentur. Hortatur igitur eos ad recipiendum animum, vt intrepidi imitentur strenuos milites, vt brauium consequantur. Ita Apo-
Heb.12. stolus Hebræis, *Remissas manus*, inquit, *& soluta genua*
B *erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris.*

e *Dicite pusillanimes confortamini.)* Postquam confortaueritis manus vestras dissolutas, & genua debilia roboraueritis, alios ad eandem fortitudinem hortamini, & dicite pusillanimis, vt confortentur, & ad virtutem accingantur. Perpende. Non dicit: Vos iacentes in vitiis alios ad virtutem excitate: sed *surgite à vitiis, & incũbite fortiter in virtutes*, & sic concionamini, & alios ad easdem virtutes sectandas admonete. Nam quamuis oratores omnes dicendi artificio facilè superes, quid tibi prodest ad beatitudinem consequendam, si nolueris à sceleribus seiungi, & à vitiis separari? Hæc est causa cur multi concionatores non persuadeant, cùm dicant aptè ad persuadendum, quia sunt ab omni charitate virtutisque actionibus destituti. Vt enim nihil prodest militibus oppugnare vrbem multo puluere sulphureo, si machinæ, quas nostri archabuzes & bombardas vocant, non habeant pilas, quas proiiciant, quibus muros contundant & euertant, & hostes interficiant, quia tunc nihil aliud efficiunt, quàm cõsumere puluerem frustra, & aërem sonitu implere. Sic concionatores nec muros superbiæ auditorum, nec prunas vanitatis eorum euertũt, nec animi hostes vulnerãt, nec diniq;
C aliquid persuadent, quia sunt à virtute nudati. Concionari sine bonis operibus, est vrbem oppugnare sine pilis, est consumere verba, replere aërem tonitruis, & clamoribus: & tandem nihil efficere. Menander dicebat, vt refert Plutarchus in Politica ad Traianum, mores dicentis esse qui persuadeant, non verba. Quanquam Plutarchus dicat rhetoricam, etiam si non suadendi sit opifex, esse tamen adiutricem, quod nos etiam fatemur: dicit enim hic Esaias, vt virtutem amplectamur, & sic alios ad eandem cohortemur.

f *Ecce Deus noster vltionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, & saluabit nos.)* Veniet Christus verus Deus, & adducet vltionem & salutem: iis, qui eum receperint, salutem: illis autem, qui in sua infidelitate manere voluerint, vltionem. Huc pertinent verba eiusdem Prophetæ, quæ supra explanauimus capite D octauo: Erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis, & petram scandali duabus domibus Israel.

g *Tunc aperientur oculi cæcorum.)* Cùm Christus, inquit, in mundum venerit, aperiet oculos cæcorum, & lucem non videntibus reddet. Hoc & omnia alia miracula, quæ sequuntur, fecit Christus Deus noster. Et subindicauit hoc caput de seipso intelligi, cum interrogatus à discipulis Ioannis Baptistæ vtrum esset Messias in lege promissus, respondit, vt est apud Matthæum: *Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis & vi-* Matt.11
distis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, &c. Acsi diceret: Ego sum ille, quem dixit Esaias Propheta hæc signa facturum esse. Voluit Christus non verbis, sed operibus probare se esse Messiam. In dialectica Aristotelis sunt multa loca à definitione, à diuisis, à coniunctis, à repugnantibus, & multa alia. In dialectica Christi vnicus est locus, nimirum ab operibus. Hæc miracula impleta sunt tunc corporaliter, sed quotidie spiritualiter adimplentur, cùm qui prius cæcum habebant intellectum, splendore veritatis illuminentur, & ipsam veritatem aspiciant, de quibus ait Diuus Paulus: *Eratis aliquando* Ephe.5.
tenebræ, nunc autem lux in Domino. Et qui ad verbum Dei surdas aures habebant, libenter audiant. Et qui in peccatis iacebant, iam currant, vt brauium com- E
prehendant. Et qui muti erant, nunc de peccatis suis confiteantur. Et cùm Christus hæc miracula corporaliter fecit, voluit etiam significare hæc spiritualia, quæ per illa innuebantur. Aperuit cæcorum oculos, vt ostenderet hoc facto fore, vt insipientium cæcarúmque Gentium, quæ Deum nesciebant, animos illuminaret luce sapientiæ, & ad cœlestia contemplanda interiores oculos aperiret. Verè enim cæci erant omnes idolorum cultores, qui cœlestem splendorem non considerantes, tenebris ignorantiæ circunfusi, deos falsos & commentitios colebant, & vero Deo contempto ad res creatas conuertebantur.

h *Quia sciſſæ sunt in deserto aquæ.)* Hoc est, quia in Exod.17.
Ecclesia, quæ quondam desertum fuerat, erumpent Num.10.
aquæ salutaris baptismi, & torrentes ac fluuij gratiæ, Psal.77.
& Euangelicæ doctrinæ. Alludit Propheta ad aquas illas, quæ in deserto de petra virga Moysi percussa fluxerunt. Quæ omnia gerebant figuram eorum, quæ posteà futura erant, & quæ completa esse nos asseueranter affirmamus, & firmissimè credimus. Diuus 1.Cor.10
enim Paulus inquit omnia illa in figura contigisse, & petram illam esse Christum, ex cuius latere lancea percusso fluxerunt aquæ quibus abluerẽmur. Ait igi- F
tur Esaias fore, vt Ecclesia, quæ olim fuerat aridum desertum, abundaret aquis, de quibus supra dixerat capite duodecimo: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris.* Vbi poteris videre ea, quæ ibi hac de re fusè annotauimus.

i *In cubilibus in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & iunci.)* Hoc est, in animis hominum, vbi anteà habitabant scelera, errores, superstitiones, cæteræque pestes, quæ veluti feræ immanes, homines inuaserant, habitabunt fides, spes, charitas, prudentia, temperantia, cæteræque virtutes. Anima, quæ prius fuerat indomitorum appetituum & scelerum diuersorium, erit sanctarum cogitationum & virtutum domicilium atque recepta culum. Per dracones autem vitia, per virorem iunci & calami-

vir-

A virtutes intellige. Diuus Gregorius in Ezechielem homilia 13. per calamum pulchrum & sonorum intelligit Euangelicos concionatores, per iuncum verò auditotes Euangelij: Vt sit sensus: Gentilitas, quæ ante Iesu Christi aduentum erat veluti quædam superstitionum mercatura, recepta fide erit scho la quædam admirabilis & pulchra Euangelicæ veritatis.

k *Et erit ibi semita, & via sancta vocabitur.)* In Ecclesia erit Christus, qui dicit de se ipso: *Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Acsi diceret: Si volueritis ad patrem cœlestem ire, ego vos ducam. Christus non solùm est via, per quam ambulare debemus, vt ad patriam ascendamus, sed etiam ipse iuit ad Patrem, & secum omnes eum sequentes ad illum perducit. Ait enim: *Vado ad eum, qui misit me.* Cùm Christus sit caput nostrum, vt Apostolus asserit, quæ proportio est Christum ascendere ad cœlum, nos verò ad infernum descendere? quò tendit caput, eò tendere debent omnia membra. Eamus cum capite nostro, ascẽdamus cũ Christo, qui ait: *Vado ad Patrẽ.* Et eamus per eũ, qui est via, quę est in Ecclesia, & sancta vocatur. Vnus ex erroribus in quibus homines versantur, est existimare esse in mundo res firmas & stabiles. Si nihil in mundo stat, si nihil consistit, si omnia continuò currunt, quî fieri potest, vt sit status, id quod nunquam stat? *Homo*, inquit, Iob capite quartodecimo, *fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Perpende obsecro. Non dicit: Homo mouetur, sed *fugit*, vt eius motus velocitatem significet. Neque dicit: fugit vt corpus alitatem significet. Neque dicit: fugit vt corpus ali-

B quod solidum, sed *vt vmbra*, qua nihil est inconstantius, nihil leuius, nihil fugacius. Et Dauid, *In imagine*, inquit, *pertransit homo.* Non dicit transit, sed *pertransit*, nec dicit in substantia, sed *in imagine.* Et Apostolus, *Præterit*, inquit, *figura huius mundi.* Non ait subſtantiam, sed mundi figuram, vmbram & imagi-

nẽ præterire. Et Dauid: *Dies mei sicut vmbra declinauerũt.* Neminẽ vnquã interroges quot annos habeat, sed quot annos desinat habere. D. Augustꝰ hæc verba scripta reliquit: Res cũ crescunt, & tẽdunt esse, quò magis celeriter crescunt vt sint, eò magis festinant vt non sint. Et diuus Gregorius, Viuere, inquit, est à vita transire. Vnde dicebat Seneca: Quicquid vides, corruit cum tempore, nihil firmum & stabile. Cùm igitur vita nostra sit quidam transitus & cursus, nónne melius ibimus per viam, quæ ducit ad æternam beatitudinem, quàm per desertum & solitudinem, & per lucos ad infernum tendentes? Christus est via ducens ad gloriam immortalem. Hoc non possumus negare. Ipse, qui est veritas, hanc veritatem affirmat. *Ego*, inquit ille, *sum via.* Cur hanc viam relinquimus, & in desertis, hoc est, in peccatis & flagitiis ab errantes versamur? *Errauerunt in solitudine & inaquoso*, ait diuinus vates, *& viam ciuitatis non inuenerunt.* Non eam inuenerunt, quia eam quærere non curarunt.

C *Quærite*, ait Christus, *& inuenietis.* Quæramus igitur hanc viam, & ambulemus per eam, quoniam hæc est, via, quæ ducit ad Bethsames, de qua loquuntur literæ diuinæ in primo libro Regum. Remittentes Philistini arcam Domini in locum suum, quam ob Iudæorum peccata ceperant, posuerunt eam in plaustro, cui iunxerunt duas vaccas, quæ lactabant victulos, eos autem domi concluserunt: & ait ita scriptura: *Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames: & itinere vno gradiebantur pergentes & mugientes*, & non declinabant nec *ad dexteram nec ad sinistram.* Bethsames significat domum solis. Hæc est cœlestis illa gloria, domus illius solis sempiterni, qui homines illuminat, qui luce sua sanctorum animas in oris illis beatissimis & immortalibus diuinitus illustrat, & inflammat. Quæ sunt hæ vaccæ, quæ non recedunt à via ad gloriam ducente, quæ arcam, vbi erat diuina lex, secum portant, nisi illi qui sanctum Euangelium secum portantes, & secundum illud viuentes, nullis esurientium filiorum mugitibus à Dei obsequio reuocantur, nullis humanis negotiis impediuntur, sed per Christum veram viam ad cœlestem Patrem festinantes currunt? Fœlices animæ quæ nec ad dexteram declinant, neque ad sinistram, sed ad cœlestem domum rectè & celeriter tendunt ad comprehendendum præmium illud: ad quod Diuus Paulus festinabat ita inquiens: *Quæ quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Vide ardens desiderium, quo Apostolus currebat ad gloriam consequendam, qui adhuc non accedens, iam seipsum extendebat eorum more qui ad rem ipsam dilectam nondum pedibus accedentes, tanto eius amore flagrant, vt ad eam præ feruenti desiderio brachia ac manus extendant. Via hæc, qua Apostolus currebat, & qua nos currere debemus, Christus est Deus noster. Et hæc est via sancta, quam hoc in loco Esaias in Ecclesia esse asseueranter affirmat.

D

l *Non pertrãsibit per eam pollutus.)* Sic in Apocalypsi diui Ioannis: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Quanquam illa particula, eam, potest ibi referri ad Ecclesiam triumphantem.

E

m *Et hac erit directa via vobis.)* Nempe Christianis veram pietatem colentibus. Nam infideles hac via non ambulant, neque illi qui sunt sceleribus astricti, quorum multi in inferno cruciati dicebant: *Errauimus à via veritatis*, vt literæ diuinæ in libro Sapientiæ memoriæ prodiderunt.

n *Non erit ibi leo.)* Hac via, quæ est Christus, non ambulauit diabolus, nec eius ministri: sed ambulabunt per eam qui liberati fuerint, nimirum à peccatis, & per Christum redempti. Per leonem intellige diabolum, de quo ait diuus Petrus, *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Per malas bestias infideles, cęteróque homines impios & flagitiosos diaboli satellites & ministros.

o *Et venient in Sion cum laude.)* Id est, ad Ecclesiam, de qua ait diuus Paulus in epistola ad Hebræos: *Accessistis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cœlestem.* Hæc omnes recipit, qui ad fidem conuertuntur, qui mentis oculis veritatem aspicientes, & errores ac scelera à quibus liberati sint contemplantes, gaudio perfunduntur. Appellatur hoc gaudium sempiternum, quia incipiens hîc per gratiam, in cœlesti patria perficitur per gloriam, vbi sine fine manet. Vel per Sion intellige Ecclesiam triumphantem, vbi beati Deo fruuntur, & æterno gaudio replentur. De iis locutus est suprà Esaias capite vigesimoquinto, & diuus Ioannes in Apocalypsi capite vigesimo. Iudæi nostri temporis totum hoc caput, ad liberationem à captiuitate, in qua modò detinentur, referendum existimant, & hîc sexcentas nugas & nænias, vt solent cæci homines, in medium proferunt.

F

ANNO-

A D

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT XXXV.

1 Et erit tibi semita, & via sancta vocabitur.] *Pro tibi, scribendum est, ibi. Et ita habent nonnulli codices. Nã in Hebraico est* שם *xam, quæ dictio aduerbium est, & nõ pronomen. Pro semita in Hebraico est* מסלול *maslul, quod vocabulum significat viam arctam. Hæc est illa, de qua ait Christus*: Matt. 7. Arcta via est quæ ducit ad vitam. *Eam prædicit Esaias vocandam esse sanctam. Fortasse per viam intelligit præceptorum custodiam, de qua ait Dauid:* Ps. 118. Viam mandatorum tuorum cucurri. *Per semitam verò consiliorum obseruationem, de qua ait idem Propheta:* Psal. 26. Dirige me in semita recta propter inimicos meos. *Et paulò post in hoc eodem nostro capite, vbi nostra versio, quam vulgatam appellamus, habet:* Et hæc erit vobis directa via: *potest verti ex Hebræo*: Et ipse cum eis ambulabit in via. *Verbum enim* הלך *halac, quod hîc ponitur, significat ambulare, vt Psalmo* 118. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. *Est igitur sensus: Christus non solùm est via, sed ductor ad viam. Ille est columna illa, quæ Hebræos ad promissionis terram* Exod. 13. *ducebat. Sed necessarium est vt abnegemus nosmetipsos, & cruces nostras tollentes sequamur nostrum ducem, vt* Matt. 16. *eo in æterna patria fruamur. Ipse enim ait*: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Argumentum capitis XXXVI.

Obsessa ab Assyriis Hierosolyma misit Sennacheribus ad regem Ezechiam Rapsacem hominem superbum & impium, qui & Ezechiæ & cæteris Iudæis triste excidium minaretur, nisi se & ciuitatem traderent, & ad Sennacheribum suppliees accederent. Narrat Esaias hanc historiam, quoniam huius obsidionis, & Iudæorum liberationis sæpe meminerat, vt omnes intelligerent vera fuisse ea, quæ literis mandauerat, & hac de re vaticinatus fuerat.

CAPVT XXXVI.

B

ET factum est in quartodecimo anno regis Ezechiæ, ascendit Sennacheribi rex Assyriorum super omnes ciuitates Iuda munitas, & cepit eas. Et misit rex Assyriorum E
4. Re. 18. c 2 Pa. 32. a Rapsacem de Lachis in Ierusalem regem Ezechiam [b] in manu graui, & stetit [c] in aquæ ductu piscinæ superioris in via agri fullonis. [d] Et egressus est ad eum Eliachim filius Helchiæ, qui erat super domum, & Sobna scriba & [1] Ioahe filius Asaph [e] à commentariis. Et dixit ad eos Rapsaces, [f] Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: [2] Quæ est ista fiducia qua confidis, aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis? Super quem habes fiduciam, quia recessisti à me? [g] Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Aegyptum, cui si innisus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam. Sic Pharao rex Ægypti omnibus qui confidunt in eo. Quod si responderis mihi, in Domino Deo nostro confidimus. [h] Nónne ipse est cuius abstulit Ezechias excelsa & altaria, & dicit Iudæ & Ierusalem, Coram altari isto adorabitis? Et nunc trade te Domino meo regi Assyriorum, & dabo tibi duo millia equorum, [k] nec poteris ex te præbere ascensores eorum. [3] Et quomodo sustinebis faciem iudicis vnius loci ex seruis Domini mei minoribus? Quòd si confidis in Ægypto, in quadriga & in equitibus, & nunc nunquid sine Domino ascendi ad terram istam, vt disperderem eam? [l] Dominus dixit ad me: Ascende super terram istam, & disperde eam. Et dixit Eliachim, & Sobna, & Ioahe ad Rapsacem: [m] Loquere ad seruos tuos Syra lingua: intelligimus enim. Ne loquaris ad nos Iudaicè in auribus populi, qui est super murum. Et dixit ad eos Rapsaces: Nunquid ad Dominum tuum, & ad te misit me Dominus meus, vt loquerer C omnia verba ista, & non potius ad viros qui sedent in muro, [n] vt comedant stercora sua, & bibant vrinam pedum suorum vobiscum? Et stetit Rapsaces, & clamauit voce magna Iudaicè, F & dixit: Audite verba regis magni, regis Assyriorum. Hæc dicit rex: [o] Non vos seducat Ezechias, quia non poterit eruere vos, & non vobis tribuat fiduciam Ezechias super Domino dicens: Eruens liberabit nos Dominus: Non dabitur ciuitas ista in manu regis Assyriorum. [p] Facite mecum benedictionem, & egredimini ad me, & comedite vnusquisque vineam suam, & vnusquisque ficum suam, & bibite vnusquisque aquam cisternæ suæ, donec veniam, & tollam vos ad terram, quæ est vt terra vestra, terram frumenti & vini, [q] terram panum & vinearum. Nec conturbet vos Ezechias, dicens: Dominus liberabit nos. Nunquid liberauerunt dij gentium vnusquique terram suam de manu regis Assyriorum? Vbi est Deus Emath & Arphat? Vbi est Deus Sapharuaim? Nunquid liberauerunt Samariam de manu mea? Quis est ex omnibus diis terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea, vt eruat Dominus Ierusalem de manu mea? Et siluerunt, & non responderunt ei verbum. [r] Mandauerat enim rex dicens: Ne respondeatis ei. Et ingressus est Eliachim filius Helchiæ, qui erat super domum, & Sobna scriba, & Ioahe filius Asaph à commentariis, ad Ezechiam scissis vestibus, & nunciauerunt ei verba Rapsacis.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Hæc hiſtoria narratur libro quarto Regum, & ſecundo Paralipomenon, vbi eam poteris pleniſſimè videre. Hic rex Ezechias fuit filius Achaz regis Iudæ hominis impij, qui regia dignitate ad ſuum exitium & deformitatem abuſus à vera religione & virtute penitus aberrauit, & deprauatiſſimis moribus & opinionibus omnem vitæ rationem peruertit. Et quamquam talis eſſet pater, fuit tamen filius pius & rectus, non ſolùm domi præclarus, ſed etiam foris admirandus, virtutúmque maximarum gloria præſtantiſſimus. Cùm autem Sennacheribus Aſſyriorum Rex eædem immaniſſimam Iudæis, eorúmque nomini obſcuritatem moliretur, cepit omnes ciuitates Iudæ, excepta Hieroſolyma, quæ vnica ſtabilis & inuicta permanſit. Et ex quadam ciuitate, quam expugnauerat, quæ appellabatur Lachis, miſit ducem Rapſacem cũ magno exercitu ad regem Ezechiam, qui Hieroſolymæ principatum gerebat, vbi ea facta fuerunt, quæ hoc in loco narrantur. Per Sennacheribum regem impium & elatum intelligitur diabolus, qui expugnatis vrbibus Iudæ, ſolam Hieroſolymam, quæ eſt vera Chriſti Eccleſia, vincere non potuit. Quamuis enim Eccleſia ſit oppugnata, oppugnari tamen nullatenus poteſt, quoniam regnat in ea ſanctiſſimus rex ille verus Ezechias Chriſtus Deus noſter, qui eam ab hoſtibus defendit, qui eam non deſerit, qui ait: *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Matt. 28. Hæc autem oppugnatio fuit typus tentationum, quibus exercentur Chriſtiani. Hoſtes, qui nos conturbant, ſunt diabolus, mundus, & caro. Qui verò Eccleſiam magnopere euertere conantur ſunt hæretici, qui eam fruſtra ad vaſtitatem vocant. 1. Tim. 3. Stat enim Eccleſia firma & conſtans, quam Paulus Apoſtolus domum Dei appellat, columnam & firmamentum veritatis. Hæc eſt inexpugnabilis ob inuiolabilem dogmatum certitudinem, & præſidem eius Spiritum ſanctum, cuius numine gubernatur. Hæc eſt nauicula illa, de qua loquitur Euangelium, quæ licet oppugnaretur fluctibus, non fuit tamen vnquã ſubmerſa, quoniam erat in ea Chriſtus, qui eam gubernabat. Matth. 8. Hæc eſt arca illa Noë, quæ aquis diluuij obrui non poteſt, imò quantò aquæ magis creſcebant, tantò ipſa magis eleuabatur, & cœlo appropinquabat. Et quemadmodum ſoli illi, qui erant in arca, ſalui fuerunt, ſic vi- Gen. 7. ctis omnibus ſoli illi qui erant Hieroſolymę cum Ezechia, fuerunt erepti, & victoriam conſecuti. Hæc Matt. 16. eſt deniq; illa ciuitas, aduerſus quã ait Chriſtus fore, vt inferorum portæ, hoc eſt, hęreticorum impia dogmata & errores nunquam præualeant.

a *Rapſacem de Lachis.*) Hunc Rapſacem dicunt nõnulli fuiſſe filium Eſaiæ prophetæ, aut ſaltem Iudæum, ſed qui à Iudæis defecerat, quoniam linguam Hebraicam callebat. Alij dicunt eum fuiſſe Samaritanum. Diuus Cyrillus in dialogo de adoratione & cultu in ſpiritu eum Babylonium vocat. Lachis ciuitas erat in tribu Beniamin, non longè à Hieroſolyma. Cauſa autem cur Sennacheribus miſit Rapſacem Hieroſolymam, ipſe autem non venit, fuit quia capta ciuitate illa profectus eſt in Aegyptum oppugnatum Peluſium, vt Ioſephus ſcriptum reliquit.

b *In manu graui.*) Id eſt, cum magnis copiis, vt Iudæos terreret.

c *In aqueductu piſcinæ ſuperioris.*) De hac piſcina locuti ſumus cap. 7.

d *Et egreſſus eſt ad eum Eliachim.*) Hic eſt ille Eliachim, cuius in viſione vallis Sion ſuprà Eſaias meminit. Hic verò Sobna non videtur eſſe ille, de quo in eodem capite loquitur Prophetà. Nam ille erat præpoſitus templi, hic verò ſcriba, hoc eſt legis peritus, aut quiſquis operã dabat ſacris ſcribendis, & interpretãdis. e *A commentariis.*) Id eſt, qui iuſſu regis commentaria rerum geſtarum ſcribebat.

f *Dicite Ezechiæ.*) Non dicit: Dicite regi, ſed *Ezechiæ.* Vide ſuperbi hominis inſolentiam. Etiam modo loquendi regem contemnebat, & indignum regia dignitate iudicabat.

g *Ecce confidis ſuper baculum arundineum.*) Falſum & commentitium eſt. Nam Ezechias rex fuit vir omni virtute & pietate præſtanti, & nunquam in Aegypto ſpem ac fiduciam ſuam collocauit. Sed ex hoc mẽdacio Rapſacis nonnullam depromimus vtilitatem. Comparauit enim hominum auxilium baculo arundineo confracto, cui ſi innixus fueris vulneraberis. Talis eſt Aegyptus, talis eſt mundus, talis Pharao, hoc eſt diabolus: qui enim mundo fidit, diabolo ſeruit. *Maledictus homo*, ait Ieremias c. vigeſimo ſeptimo, *qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.* Omnis noſtra ſpes & fiducia eſt in Deo figenda & collocanda. Ait enim eodem loco idem Propheta: *Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.* Aſpicis hîc quẽ admodum ex malis quæ ſacra ſcriptura commemorat, poſſimus bonum percipere. Vt enim in aurificis officina etiã ſordes & ſcobes proſũt, ſic in ſacra ſcriptura etiam ex peccatorum erratis poſſumus vtilitatem aliquam colligere. Tota hæc Rapſacis oratio eò tendit vt Iſraelitico populo perſuadeat fore illi vtile, ſi ſe Sennacheribo tradiderit. Obiicit vanam regis in Aegypto fiduciam, perfidiam, à Deóq; defectionẽ, obſeſſorum famem, ſui regis victoriam & potentiam. Itaque excellẽtem eloquentię ſpeciem adumbrauit, ſed mendaciis & impietatibus innixus. *ſimile.*

h *Nónne ipſe eſt cuius abſtulit Ezechias excelſa & altaria.*) Conſidera impudẽtis & ſcelerati hominis calumniam, vertit vitio regi ſancto id, propter quod ipſe veram laudem fuerat conſecutus. Sanctè quidem & iuxta Dei legem abſtulerat Ezechias altaria idolorum, vt errore ſublato, deleta ſuperſtitione & idololatria coleretur verus Deus in tẽplo ſancto ſuo. Hinc colliges quanta cæcitate laborẽt impij, quantiſq; tenebris obſcuratum habeant intellectum, ij præſertim qui te odio proſequuntur, qui non ſolùm falſis criminibus te ad inuidiam vocant, ſed etiam virtutis actiones, quibus das operam, damnant, & falſis vitiorũ nominibus appellant: & quantò maior eſt tuæ integritatis opinio, tantò acrius eam extinguere conantur. Sed quemadmodum ignis in aquam cõiectus ſtatim reſtinguitur & refrigeratur, ſic falſum vitium in vitam integram & laudabilem proiectum illico euaneſcit & extinguitur. *ſimile.*

i *Coram altari iſto adorabitis.*) Id eſt, in templo Salomonis.

k *Non poteris ex te præbere.*) Vult Hebræos terrere, oſtẽdens eorum paucitatem, quaſi dicat: Cùm tã paruo muniaris exercitu ô Ezechia, vt ne duo quidẽ milia equitũ habeas, quo pacto exiſtimas poſſe regi potẽtiſſimo reſiſtere? Non intelligebat impius plus valere piorum preces, quàm impiorum vires & copias.

l *Dominus dixit ad me.*) O impudentiam inauditam! Non veretur impius aſſerere eſſe ſe miſſum à Deo ad ciuitatem ſanctam delendam. Hoc ideò dixit, vt Iudæorum animos confringeret, vt omnem fiduciam, quam in Deo ponebant, amitterent.

m *Loquere ad ſeruos tuos Syra lingua.*) Timebant ne fortè populus, qui erat in muris, intelligẽs verba Rapſacis caderet animo, & falſis terroribus commotus ſe illi traderet. Ideò volebant vt ipſe loqueretur lingua Syriaca, quam populus non intelligebat.

n *Vt*

A n *Vt comedant ſtercora ſua.*) Vrgente fame in obſidione.

o *Non ſeducat vos Ezechias.*) Ezechias ſuos hortabatur vt Deo fiderent: impius autem Rapſaces illis perſuadere conabatur, ne in Deo fiduciam collocarent, qui eos liberare non poſſet. Vide blaſphemiam hominis ſcelerati. Ezechiæ virtutem dolũ appellat, cùm id quod ipſe Rapſaces diceret, merus dolus eſſet. Eodem modo Pharao cùm Moyſes iuſſu Domini vellet liberare Hebræos à ſeruitute Aegyptiaca, in hæc verba prorupit: *Opprimãtur operibus Hebræi, & impleant ea, vt non acquieſcant verbis mendacibus.* Verba ſancti Moyſi vocabat mendacia. *Exod. 5.*

p *Facite mecum benedictionem.*) Pro quo legitur in quarto libro Regum: *Facite mecum quod vobis eſt vtile*, hoc eſt, quod vobis profit, & ſit in benedictionẽ veſtram, & egrediemini ad me. Diuus Cyrillus citans hunc locum in libro de adoratione & cultu in ſpiritu legit in hunc modum, *Si vultis benedici, egredimini ad me.* Ergo facite mecum benedictionem, & egredimini ad me, idem eſt acſi diceret: Si vultis eſſe fœlices, egredimini ex ciuitate, & venite ad me. Vide impuri hominis dolos. Promittebat Hebræis benedictionem & fœlicitatem, ſi ſe illi traderent, & ſanctum regem Ezechiam relinquerent. Per Iſraelitas ſanctã ciuitatem colentes ſub præſidio Ezechiæ intellige
B pios Chriſtianos in Eccleſia Chriſti commorantes, veróque regi Chriſto Ieſu adhærentes. Per Rapſacẽ intellige diabolum, qui nobis voluptates, delicias, opes, aliáque mundi bona aut potius ludibria promittit, dummodò illi inſignem ciuitatem, hoc eſt, animã noſtram tradamus, ad eum accedamus, & ſummum regem Chriſtum ſaluatorem noſtrum aſpernemus. At nos ipſos cùm in poteſtate habet ſeducit & fallit. Eodem modo Pharao rex Aegypti promiſit multa bona Hebræis, ſi ad Aegyptũ deſcenderent, ſed poſtquã illuc deſcenderunt, detinebantur captiui ab Aegyptiis, & acerbiſſimè opprimebantur. *Surrexit enim*, vt ait ſcriptura, *rex nouus ſuper Aegyptum, qui ignorabat Ioſephum.* Vbi aſpicis quàm mobiles & inconſtãtes ſint mundi fauores & proſperitates. Diuitiæ, quas Aegyptij promiſerant Hebræis, eos excitauerunt, vt ad Aegyptum deſcenderent, vbi poſteà fuerunt grauiter afflicti, & in acerbis ærumnis verſati. Allicit nos diabolus illecebris, quæ nos vndique circũdant, vt tandem occidant. Vt enim hedera arbores complectitur, & poſteà eas ipſo complexu arctat & necat, ſic falſa mundi proſperitas blanditur, ſed ipſis
C blandimentis & illecebris ſtangulat, & perdit. Ea mundi bona quæ Rapſaces promittebat Hebræis, ſunt hederæ, quibus diabolus nos vult in primis cõplecti, & blandè delinire, vt opprimat, & aridos reddat, vt ad ignem æternorum cruciatuum tandem perducat. Et attentè conſidera. Rapſaces obſedit Hieroſolymam, & circundedit eam ne per aliquam portam in vrbem victus intrarent. Portæ huius ciuitatis ſunt ſenſus noſtri, anima eſt ipſa ciuitas, quam ita obſidet & oppugnat diabolus, vt in eam per ſenſus nullus ſpiritualis victus introeat. Hoc moraliter voluit Euangelium ſignificare in eis, quos dæmon cæcos, ſurdos, & mutos faciebat, vt nec per oculos, neque per os, neque per aures aliquid ad obſeſſam animam ſpiritualis alimenti ingrederetur.

Exod. 1.

ſimilitudo

Luc. 11. Matt. 12.

q *Terram panum & vinearum.*) In quarto lib. Regũ præter ea bona quæ hîc narrantur, ait ſcriptura dixiſ- D
ſe Rapſacem: *Et viuctis, & non moriemini.* Promittit nobis diabolus vitam, ſi Chriſtum relinquamus, cùm Chriſtus ſit vita, diabolus autem mors & homicida. De ſe ipſo ait Chriſtus: *Ego ſum vita*, de diabolo autem: *Ille homicida erat ab initio.* Et diuus Ioannes ait in Apocalypſi: *Ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum.* Mortem appellat ipſum diabolum. Quî igitur fieri poteſt vt ſeparatus à Chriſto inuenias vitam? Si Chriſtus vita eſt, quomodo reperies vitam ſeparatus à vita? Quomodo viues, ſi vitam relinquas, & mortem ſequaris? Diabolus eſt mors & homicida, & tu fugiens vitam, vis in domo mortis vitam inuenire, & in domo homicidæ tutus requieſcere. Si hominem interroges cur aliena rapiat, cur non obſeruet diuinam legem, reſpondet ideò hoc facere, quia quærit vitam. O hominem inſipientem! O reſponſionem intolerãbilem! Quæro vitam. Imò relinquis eam, & mortem amplexaris. Vt enim ille, qui rem in aquilonari parte exiſtentem it quæſitum ad meridiem, quantò velocius currit, vt eam inueniat, tantò longius fugit ab ea: ſic quantò ardentius vitam quæris, tantò longius ab ea ſepararis. Quære quod quæris, ſed non ibi, vbi quæris. Quære vitam, ſed in eo qui eſt vita. Quomodo erit vita in regione mortis? quantò plus ad eam regionem cucurreris ad vitam conſequendam, tantò diſtantius te à vita ſeiunges. Quære Chriſtum, & inuenies vitam. Sic dicitur in Pſalmo 68. *Quærite Dominum, & viuet anima veſtra.* Si vita eſt eum quærere, quid erit illum inuenire, eo frui, eúmque in æ- E
terna gloria ſemper aſpicere & contemplari?

Ioan. 14. Ioan. 8. Apoc. 6.

ſimile.

r *Mandauerat enim eis dicens: Ne reſpondeatis ei.*) Eam ob cauſam præcipiebat Ezechias, ne Iudæi reſponderent blaſphemanti, vt eum ad maiores blaſphemias non prouocarent. Conſidera iuſti regis pietatem & ſanctum propoſitum. Nam vt aqua frigida in feruentem ollam iniecta eam deprimit, feruorémque refrigerat, ſic ſilentium aduerſarij iram mitigat & placat. Vnde ſcriptum eſt in Eccleſiaſtico 8. *Non incendas carbones peccatorum.* Et in Pſalmo 38. dicitur: *Cùm conſiſteret aduerſum me peccator, obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis.* Et in alio Pſalmo 140. *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labiis meis.* Et in Prouerbiis vigeſimoſexto: *Ne reſpondeas ſtulto, ne efficiaris ei ſimilis.* Et Paulus in epiſtola ad Romanos duodecimo: *Non vos metipſos*, inquit, *defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.* Epictetus in hunc modum ait: Si quis ad te deferat: Ille de te maledicit, ne excuſes quæ dicantur, ſed reſponde: Ignorat ille & alia quæ mihi adſunt mala, alioquin non ſola hæc diceret. Hæc ille. At multi ſunt F
qui vno verbo læſi ſexcenta conuicia ingerunt. Vt enim porticus Olympiæ artificio quodam vocem emiſſam ſepties reddebat, quam ob cauſam heptaphonon appellabatur, quòd non ſemel vt echo, ſed ſepties acceptam vocem referret, ſic multi vno verbo lacerati maledictis aërem implent, nec faciunt finem contumelias iaciendi. Non ſic Ezechias rex illuſtriſſimus, ſed iniuriis & blaſphemiis Raſpſacis laceſſitus, toleranter eas & patienter tulit, & non ſolùm non reſpondit, ſed etiam ne alij reſponderent præcepit.

ſimile.

ſimile.

ANNO-

ANNOTATIONES
ex Hebræo in
CAPVT XXXVI.

1 Ioahæ filius Asaph à commentariis.) *Pro* à commentariis *in Hebræo est* המזכיר *hacmazchir in genitiuo, hoc est, commentariensis. Quidam existimant à commentariis & commentariensem idem esse. Est autem commentariensis præfectus carceris, ideò dictus commentariensis, quia vinctos in commentarium refert. Et titulus Codice de iis, quos tenet carcer inclusos, vbi hæc verba habentur: Ante trigesimum diem semper commentariensis ingerat numerum personarum, varietatem delictorum, clausorum ordinem, etatem que vinctorum. Meminit Vlpianus Digestis de pœnis. Quidam commentariensem siue à commentariis eum esse putant, qui delinquentium commentarios scribit, vt in iudicio criminum subseruiat. Ego existimo hoc in loco à commentariis eum esse, qui commentaria & annales scribit, ne memorabilium rerum scitúque dignissimarum memoria sensim obscuretur & consumatur. Verbum enim* זבר *zachar, à quo hæc dictio deriuatur, significat in memoriam redigere, & recordari, vt Ionæ secundo:* Domini recordatus sum. *Vnde zecharon significat historiam & memoriam. Nam historia, vt ait Cicero, est vita memoriæ: si significat etiam annales & commentaria, quæ sunt historiæ succinctæ & breues, vt commentaria Cæsaris. Hinc per adiectionem* מ *in principio fit hoc nomen* מזכיר *quod significat eum, qui scribit annales & commentaria rerum gestarum & factorum insignium, eáque mandat literis, vt vigeant memoria omnium seculorum.*

2 Quæ est ista fiducia qua confidis? aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis?] *Potest etiam ita verti ex Hebræo:* Quæ est fiducia hæc cui fidisti? Dixi, certe in verbo labiorum: sed consilio & fortitudine opus est ad prælium. *Vt sit sensus: Tu, inquit Rapsaces, tu Ezechia cui rei fidis? sine dubio precationibus tuis: sed falleris, nam ad bellum gerendum consilio & fortitudine opus est, non autem precibus. Vide quemadmodum impij irrideant precationes, quas viri iusti ad Deũ fundunt, quæ multò plus valent quàm omne iniquorum consilium & robur.*

3 Et quomodo sustinere poteris faciem iudicis vnius loci,] *Pro iudice poteris vertere ex Hebræo* duce. *Et ita vertit Pagninus. Nã in Hebraico est* פחת *pachah, quod nomen principem & ducem significat. Aggæi primo:* Filium Salathiel ducem Iuda, &c.

Ioan. 14. Ioan. 8. Apoc. 6.

simile.

simile.

F *simile.*

Argumentum capitis XXXVII.

Mittit rex Ezechias nuntios ad Esaiam Prophetam, ab eo petitum vt ad Deum pro ciuitatis ab Assyriis obsessæ liberatione precationes fundat. Promittit Deus victoriam Ezechiæ, eúmque per Esaiam consolatur. Interficit Dei Angelus Assyriorum exercitum, ipse autem Sennacheribus à propriis suis filiis morte multatur. Quæ in hoc capite continentur, perspicua sunt: ideo non egent magna explanatione.

CAPVT XXXVII.

4Reg.19.a TEt factum est, cùm audisset rex Ezechias, scidit vestimenta sua, & [b] obuolutus est sacco, & intrauit in domum Domini. Et misit Eliachim, qui erat super domum & Sobnã scribam & seniores de sacerdotibus opertos saccis, [c] ad Esaiam [d] filium Amos Prophetæ, & dixerunt ad eum: Hæc dicit Ezechias: [d] Dies tribulationis & correptionis, & blasphemiæ dies [e] hęc: quia venerũt filij vsque ad partum, & virtus non est pariendi. Si quo modo audiat dominus Deus tuus verba Rapsacis, quem misit rex Assyriorum Dominus suus ad blaspemandum Dñm Deũ viuentẽ, & exprobrandũ sermonibus quos audiuit Dominus Deus tuus. [f] Leua ergo orationẽ pro reliquiis, quæ repertæ sunt. Et venerunt serui regis Ezechiæ ad Esaiã, & dixit ad eos Esaias, Hæc dicetis domino vestro: Hæc dicit Dominus, Ne timeas à facie verborũ, C quæ audisti, quibus blasphemauerunt pueri regis Assyriorũ me. [g] Ecce ego dabo ei spiritũ, & audiet nuntium, & reuertetur ad terram suã, & corruere eum faciã gladio in terra sua. [h] Reuersus est autem Rapsaces, & inuenit regẽ Assyriorum præliantẽ aduersus Lobna. Audierat enim quia profectus esset de Lachis, & audiuit de Taracha rege Æthiopiæ dicentes: Egressus est vt pugnet contra te. Quod cùm audisset misit nuntios ad Ezechiam dicẽs: Hæc dicetis Ezechiæ regi Iudæ loquẽtes: Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis dicẽs, Non dabitur Ierusalem in manu regis Assyriorũ. Ecce tu audisti omnia, quæ fecerunt reges Assyriorum omnibus terris, quas subuerterunt, & tu poteris liberari? Nunquid eruerunt eos dij gẽtium, quos subuerterunt patres mei, [i] Gozam & Aran, & Reseph & filios Eden, qui erãt in Thalassar? Vbi est rex Emath, & rex Arphad, & rex vrbis Sepharuaim, Ana, & Aua? [k] Et tulit Ezechias [k] libros de manu nuntiorũ, & legit eos, & [l] ascẽdit in domum Domini, [m] & expandit eos corã Domino. Et orauit ad Dominum dicẽs: Domine exercituũ Deus Israel qui sedes super cherubim, tu es Deus solus omniũ regnorum terræ, tu fecisti cœlũ & terram. Inclina Domine aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & audi omnia verba Sennacherib, quæ misit ad blasphemandum Deum viuentẽ. Verè enim Domine desertas fecerunt reges Assyriorum terras & regiones earum, & dederunt deos earũ igni: non enim erant dij, sed opera manuum hominum, lignum & lapis: & comminuerunt eos. Et nunc Domine Deus noster salua nos de manu eius, [n] & cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus.

A D

EXPLANATIO.

a *Et factum est cùm audisset rex Ezechias, scidit vestimenta sua.*) Solebant Iudæi audita blasphemia vestes scindere. Apud Matthæum inuenies principem sacerdotum vestes scidisse asserentem Christum blasphemasse, cùm Christus veritatem diceret: ipse autem Iudęus in blasphemiam prorumperet. Habes historiam hanc, quæ in hoc cap. narratur, 4. libro Reg. cap. 19. *Matt. 26.*

b *Obuolutus est sacco.*) Considera pij regis religionem & humilitatẽ: auditis blasphemiis quas impius Rapsaces in Deum iacerat, operuit se veste vilissima, qua animi dolorem indicaret, & Deum ad misericordiam moueret. Et statim in iis mœroribus versatus ad templũ Dei cucurrit, vt ibi pias lachrymas, & ardentes precationes funderet. His enim armis impios hostes vincere putabat. Oratio enim in terra habita in cœlum ascendit, & constituta in imis alta pulsat. *Oratio humiliantis se nubes penetrat*, vt dicitur in Ecclesiastico. Magna est vis orationis, cui nulla locorũ interualla sunt impedimento, quæ etiam ore tacente coram Deo clamat. Sic enim dicebat Dominus Moysi: *Quid clamas ad me?* cùm ipse tacitus solo animo oraret. Hoc intelligens Ezechias ad precationes confugit, tanquam ad excellentissimũ remedium. Et seipsum indignum existimans qui à Deo audiretur, nũtiis ad diuinum vatem missis ei suum periculum significauit, ab eo petens vt pro afflicto populo oppugnatíque Israelis reliquiis Deum vehementer oraret, quòd apud eum magni sint momenti iustorum precationes, non quæsiuit humanum auxilium negleto diuino, sed in primis à Deo opem petiit. Intelligebat enim rex sanctus omne mundi præsidium absque Deo inutile esse & inane. Eodem modo Iosaphat in ærumnis versatus has voces emisit: *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Nos igitur cùm in pericula & calamitates inciderimus, induamur sacco, quod non solùm Ezechiam, sed etiam regem Niniue fecisse diuinæ literæ contestantur. Cùm enim ad illũ peruenisset verbum de euersione ciuitatis, surrexit de solio suo, abiecit vestimentum suum à se, indutus est sacco, & sedit in cinere. Ergo & nos deponamus preciosas vestes, abiiciamus saltum, confugiamus ad Christum, ab eo lachrymis & precationibus opem petentes, virísque iustis nosipsos commendantes. Ipse nanque ait in Psalmo: *Inuoca me in die tribulationis, & eruam te.* *2. Par. 20* *Iona 3.* *Psal. 49*

c *Ad Esaiam filium Amos prophetã.*) Libro quarto Regum vbi hæc narratur historia, scriptũ est: *Ad Esaiam prophetã filium Amos.* Hic verò quoniam ipse prophe ta de seipso loquitur, non se vocat prophetam, sed filiũ prophetę. Ibi autem propheta vocatur, quoniam alter fuit scriptor illorum librorum: quanquam non desit, qui eos velit Esaiæ tribuere. *4. Reg. 19.*

d *Dies tribulationis, & correptionis, & blasphemiæ.*) Id est, hoc est tempus calamitatis, quia nobis Assyrij vastitatem minantur, & tempus correptionis, quoniam nos corripiunt & increpant: & tempus blasphemiæ, quoniam in Deum opprobria & conuicia iactant.

e *Quoniam venerunt filij vsque ad partum.*) Sensus est: Quemadmodum mulieres cùm fœtus peruenit ad locum partus, & ob earum imbecillitatem nasci non potest, maximè torquentur, & summis doloribus premuntur, sic nos maximis angoribus afficimur. Vult propheta significare hac trãslatione, summũ periculum, & lethalem calamitatem Hierosolymæ imminere.

f *Leua ergo orationem pro reliquiis.*) Ora pro iis paucis, qui relicti sunt. Nam magna populi pars excessit è vita. Hoc dixit vt Esaiam ad pietatis lachrymas excitaret, quò vehementiores precationes funderet. E

g *Ego dabo ei spiritum.*) Id est, dabo ei voluntatem relinquendi Hierosolymam audito rumore aduentus regis Æthiopię contra Assyriam, & redeundi in regionem suam. Quod ita effectum est. Posteà tamen rediit Sennacheribus obsessum Hierosolymam, sed potuerunt Iudæi interea sibi necessaria prouidere.

h *Reuersus igitur Rapsaces.*) Soluta obsidione verttit Sennacheribus exercitum contra regem Aethiopiæ, quo victo rursus Hierosolymam obsedit & oppugnauit. Cùm igitur profectus esset in Syriam, misit nuntios cum literis ad Ezechiam, vt eum saltem verbis terreret.

i *Gozan.*) Goza est in Medorum regione, vt habes lib. 4. Regum c. 17. Aran & Reseph sunt quædam ciuitates. Filij Edem sunt homines regionem Orientalem colentes.

k *Libros de manu nuntiorum.*) Id est, epistolas de manu tabellariorum.

l *Ascendit in domum Domini.*) Ad assueta arma confugit rex bonus.

m *Expandit eos coram Domino.*) Id est, ante arcam testamenti. Ideò ait: *Domine exercituum Deus Israel qui sedes super cherubim.* Nam propitiatorium, quod erat veluti sedes Dei, ex quo Deus dabat responsa, erat super alas cherubim. Ostendit igitur epistolam coram Deo, quasi ostendens illi Sennacheribi blasphemias. *Exod. 25.*

n *Et cognoscant omnia regna terræ.*) Considera regis religionem. Ideò à Deo victoriam aduersus infideles petebat, vt omnes diuinam potentiam intelligerent. Omnia ad Dei gloriam referebat. Sic dicitur in Psalmo: *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Quam etiam petitionem videre poteris in libro Iudith capite nono. F *Psal. 113*

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT XXXVII.

1 Ad Esaiam filium Amos prophetę.] *In nonnullis codicibus est:* Ad Esaiam filiũ Amos prophetã. *Sed articulus Hebraicus ostendit esse in genitiuo. Est enim in Hebræo* נביא ישעיה בן אמוץ *ha naui à verbo* נבא, *quod significat vaticinari, Ioelis 2.* Et prophetabunt filij vestri. *Correctiores igitur sunt hoc in loco codices, qui habent*, filios Amos prophetę. *Patrẽ suum vocauit prophetã, se autem ipsum noluit tã honorifico nomine appellare. Poterat certe hoc nomẽ assumere, & suo iure vendicare, sed voluit diuinus vates illud ob humilitatem suam relinquere, quẽadmodum rex Ezechias statim in sequẽti versu non se regem,*

A gem, sed Ezechiam solùm nominauit. Ait enim textus: Hæc dicit Ezechias. Sunt tamen nonnulli codices sic habentes: Hęc dicit rex Ezechias, sed verbum hoc, rex, nō est in Hebraico, nec in versione diui Hieronymi, nec in correctioribus codicibus. Non ait: Hæc dicit magnus rex Ezechias. Sed, Hęc dicit Ezechias. Vide boni regis humilitatem. Sciebat enim non in titulis & inscriptionibus, sed in virtute & vita honestè acta esse verā mundi gloriam constituendā. Miseram illā nobilitatem quæ se solum titulis, & maiorū opinione defendit. Christus saluator noster cum sit, vt ait Apostolus, splendor gloriæ, & figura substantiæ, eius, cum sit verus Deus, mundi conditor & restaurator, cuius numini, cœlestium corporum incitata conuersio, & immutabiles syderum cursus obediunt, cuius imperio omnia supera, media & infera continentur, sapiissimè his titulis suppressi, se filium hominis vocabat, vt Euangelia sacra testantur. Filius hominis significat verum hominem, subiectum fami, siti, afflictionibus, aliisque laboribus, quibus est hominum genus subiectum. Vide Christi Dei nostri summā humilitatē. Vide quem titulum sibi assumat. Considera quemadmodū falsam gloriā contempserit, quemadmodū in humana forma delitescens non vanos titulos & inscriptiones in hominū aspectum lucémque protulerit, sed ea ornamenta, è quibus verū decus & immortalis honor efflorescit voluit nos cœlestis magister docere contemnendam esse superbiam & arroganti ā, nec esse gloriam in titulis collocandam, sed in virtute, quam ita amare debemus, vt ipsa nos trahat ad veram dignitatem & amplitudinem. D

Heb. 1.

2 Et tulit Ezechias libros de manu nuntiorum.] Pro libris est in Hebraico חספרים ha sepharim, à verbo ספר saphar, quod significat numerare, & narrare. Inde id, quod narratur & scribitur, dicitur ספר Ex quo efficitur vt hoc nomen significet librū, vt Ieremiæ 32. Et scripsi in libro, & paulò post, Et dedi librum possessionis &c. Eam ob causam Latinus interpres vertit hoc in loco Esaiæ: Et tulit Ezechias libros. Sed quoniā hoc nomen significat etiam epistolam, poterat etiam verti: Et tulit Ezechias literas. Ita enim hoc idē nomen redditum est Latinè Esther capite tertio, vbi cōmunis editio habet: Et literæ signatę ipsius annulo missæ sunt per cursores. Existima enim libros in hoc Esaiæ capite significare literas, quas Sennacheribus misit ad Ezechiam. Et id quod scriptum legimus Geneseos quinto capite: Hic est liber generationis Adā, existimo posse rectissimè verti: Hæc est enumeratio generationis Adā, vel descriptio, vel enarratio. Verbū enim ספר significat enumerare, narrare, & describere.

---

a Et misit Esaias filius Amos ad Ezechiam dicens: Hęc dicit Dominus Deus Israel: Pro quibus rogasti me de Sēnacherib rege Assyriorū, hoc est verbum, quod locutus est Dominus super eum: b Despexit te & subsannauit te virgo filia Sion. Post te caput mouet filia Hierusalem. Cui exprobrasti, & quem blasphemasti, & super quem exaltasti vocem tuam, & c leuasti altitudinē oculorum
B tuorum ad sanctū Israel. In manu seruorū tuorum exprobrasti Domino, & dixisti: In multitudine quadrigarū mearum d ego ascēdi altitudinē montium, iuga Libani, & succindam excelsa cedrorum eius, & electas abietes illius, & e introibo altitudinē summitatis eius, saltum Charmeli eius ego fodi, & f bibi aquā, & siccaui vestigio pedis mei, omnes riuos aggerum. g Nunquid non audisti E
quæ olim fecerim ei? Ex diebus antiquis ego plasmaui illud, & nunc adduxi, & factū est in eradicationem colliū compugnantium, ciuitatū munitarū. Habitatores earū breuiata manu cōtremuerunt, & confusi sunt, facti sunt sicut fœnū agri, & gramen pascuæ, & herba tectorū, quæ exaruit antequā matureseceret. Habitationem tuā, & gressum tuum, & introitū tuū ego cognoui, & insaniā tuam contra me. Cùm fureres aduersum me, h superbia tua ascendit in aures meas. i Ponā ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labiis tuis, & reducā te in via, per quā venisti. k Tibi autem hoc erit signū: Comede hoc anno quæ sponte nascentur, & in anno secundo pomis vescere. In anno autem tertio seminate & metite, & plātate vineas, & comedite fructū earum. l Et mittet id, quod saluatū fuerit de domo Iuda, & quod reliquum est, radicē deorsum, & faciet fructum sursum, quia de Hierusalem exibunt reliquiæ, & saluatio de monte Sion. Zelus Domini exercituum faciet istud. Propterea hæc dicit Dominus de rege Assyriorum: Non intrabit ciuitatem hāc, & non iaciet ibi sagittā, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerē. In viā qua venit, per eā reuertetur, & ciuitatē hanc non ingredietur, dicit Dominus. Et protegam ciuitatē istam, vt saluem eā, propter me m & propter Dauid seruum meū. n Egressus est autem angelus Domini, & percussit in F
C castris Assyriorum cētum octogintaquinque millia. o Et surrexerunt manè, & ecce omnes cadauera mortuorū. Et egressus est, & abiit. Et reuersus est Sennacherib rex Assyriorum, & habitauit in Niniue. Et factum est, cùm adoraret in templo Nesroch Deum suum, Adramelech & Sarasar, filij eius percusserunt eum gladio, fugerúntque in terram Ararath, & regnauit Asarhadon filius eius pro eo.

4 Re. 19. g
Tob. 1. d
Eccl. 41. d
1 Mac. 7. f
2 Mach. 8

a *Et misit Esaias.*) Consolatur Propheta bonum regem nuntians ei victoriam.

b *Despexit te.*) Verba sunt Dei alloquentis Sennacheribū. Quasi dicat. De te ô Sennacheribe reportabit victoriam ciuitas sancta, & te contemnet & irridebit. Filia Sion idem est atq; Sion, & filia Hierosolymę atque Hierosolyma: qua de re alio in loco disseruimus. Appellatur autē virgo, quia colentibus cæteris ciuitatibus falsos deos, sola ea castitatē, hoc est, veram religionem & cultum seruauerat. Vel quia à nemine tunc fuerat expugnata. Mouere cap. est subsannare & irridere.

c *Et leuasti altitudinē oculorum tuorum ad sanctū Israel.*) Hoc est, extulisti fastum & superbiam oculorū tuorum aduersus Deum, qui est sanctus Israelis, quē sanctè colit Israel, & cuius nomen in Israele sanctificatur.

d *Ego ascendi altitudinē montium, iuga Libani.*) Ver-

A ba ſunt ſuperbi Sẽnacheribi dicẽtis: Ego expugnabo arces & loca munita arte vel natura, quæ ſunt ſita in montibus. Aſcendi pro Aſcendã. Significat ſe capturum eſſe totã terram Iſraelis, præſertim eam, quæ erat circa Hieroſolymam, quæ eſt montoſa & difficilis expugnatu, propter montium altitudinem. Per cedros & electas abietes intelligit nobiles & optimates Hieroſolymæ.

e *Introibo altitudinẽ ſummitatis eius.*) Hoc eſt, Hieroſolymam in Sione monte alto & feraci ſitam, quã Sennacheribus captis aliis Iudææ vrbibus exiſtimabat eſſe vltimo loco expugnandam.

f *Et bibi aquam, & exciccaui, &c.*) Tanta eſt militum meorum copia, vt foderint puteos, & eos ſtatim epotauerint & ſiccauerint, vt neceſſe eſſet alios puteos effodere. Per veſtigium pedis ſui milites intelligit.

g *Nunquid non audiſti quæ olim fecerim ei?*) Verba ſunt Dei Sennacheribum alloquentis, quorum hic eſt ſenſus: Nónne audiſti ô Sennacheribe ea, quę ego feci hac in re ex antiquis temporibus? Iam hoc conſtitueram, quod modò efficitur. Et nunc adduco illud, nempe vt eradicentur colles, hoc eſt, principes & magnates, & euertantur vrbes munitæ, & in aceruos redigãtur. Hoc ego prædixi per prophetas meos, & nunc illud impleo. Noli igitur gloriã tuarum victoriarum tibi ipſũ vẽdicare, ſiquidem hęc omnia me permittente facta ſunt. Nam habitatores, vrbiũ quas
B cepiſti, trepidauerunt, abbreuiata manu, hoc eſt, quia ego manum contraxi, nec illis opem tuli. Vel, abbreuiata manu, hoc eſt, facti ſunt animo remiſſo & eneruato, & languerunt acſi manus non haberent, quoniã ego illis non dedi fortitudinem. Et inſtar herbæ fragilis facti ſunt inualidi & imbecilli. Comparat eos herbę tectorum, quæ ſtatim aret, priuſquam ad ma-
Pſa.128. turitatem perueniat. Ita dicitur in Pſalmo: *Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit,*

h *Superbia aſcendit in aures meas.*) Hoc eſt creuit & adaucta eſt. Simili modo loquendi vtitur ſcriptura Ionæ primo capite: *Surge & vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in ea, quia aſcendit malitia eius coram me.* Et quarto capite Geneſis dixit Dominus Caino: *Quid feciſtiſ? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Et capite decimooctauo dicitur *clamor Sodomorum ad Dominum peruenisſe.* Debemus igitur omnes contremiſcere, cùm audiamus hominum ſcelera aſcendere ad Deum, clamare in cœlum, & creſcere quotidie.

i *Ponam ergo circulum in naribus tuis.*) Id eſt, ego
C te reducam veluti hamo, tẽque effrenatum, veluti freno domabo. Minitabatur Deus Sennacheribo ſuppliciũm & calamitatem, vt ſe à ſceleribus auerteret. Sed hæ minæ nihil eum penitus mouerunt, quemadmodum nec peccatores verbis concionatorum mouen-
ſimile. tur. Vt enim illi qui eum locum accolunt, vbi Nilus ad ea quę Catadupa appellantur, præcipitat ex altiſſimis montibus, ob ſonitus magnitudinem nihil audiunt, ſic homines vitiis imbuti, monitis ac minis cõcionatorum vſque adeò obſurduerunt, vt ſenſu audiendi omnino carere videantur. Et quemadmodum
ſimile. qui apud fabros ærarios habitant, malleorum ſonitũ propter eius frequentiam non ſentiunt, ſic multi cre-
ſimile. bris concionibus præſentes nihil penitus mouentur. Sunt ſimiles auibus, quæ primo intuitu timent homines fictos, & corpora illa commentitia plena palea, quæ in ſegetibus & arboribus poma ad maturitatem producentibus figuntur, veluti terricula ad edaces aues arcendas, ſed ſtatim ea corpora contemnunt. Sic multi, quamuis in principio metuãt, poſtea tamen timorem amittunt, & Euangelicas conciones, ſalutaria monita, minas pœnarum, D
& exhortationes ad virtutem perditi homines contemnunt, acſi eſſent res inanes, cùm ſint maximę & grauiſſimę, & quibus illi deberent moueri & terreri, atque ad virtutẽ excitari. Alij verò peccatis aſſueti flagitiiſque contaminati, neque primis minis, neque ſecundis, nec vllis denique monitis mouentur, quẽ-
admodum vulnera tabe confecta, & penitus corru- ſim. le.
pta, quæ ſenſus ſtupore iam ferrum chirurgi nequaquam ſentiunt. Talis fuit Sennacheribus, qui ſceleribus contaminatus & corruptus Dei minas non curauit. Et ita miſerè periit, pœnas ſuæ ſuperbiæ acerbas illas quidem, ſed iuſtas & debitas perſoluens.

k *Tibi autem hoc erit ſignum.*) Conuertit ſermonem ad regem Ezechiam. Et eſt ſenſus: His duobus annis nihil populus audebit ſeminare ob metum obſidionis. Sed non deerit alimentum. Nam primo hoc anno terra ob incredibilem feracitatem tribuet ex ſe frugum bundantiam, quanquam illi nulla ſemina mãdentur. Secundo verò anno tanta erit pomorum copia, vt omnes illis ſuſtentẽtur. Tertio autem anno mortuo iam Sennacheribo ſeminabitis, & metetis, & plantabitis, & fructus comedetis.

l *Et mittet id quod ſaluatum fuerit.*) Senſus eſt: Id quod in agris vel in ſeminibus relictum fuerit, copioſum fructum proferet, veluti plantæ quæ quantò profundiores radices mittunt, tantò vberiores fructus producunt. Vel ita: Iudęi qui euaſerint, tanta re E
rum abundantia fluent, vt comparentur arboribus in agro feraci plantatis, quæ altis defixæ ac fundatæ radicibus, poma innumerabilia ferunt. Hoc dicebat Eſaias de Iudæis illis, qui euaſerant, regẽmque Ezechiam ſecuti non ſolùm adepti ſunt vitam & victoriam, ſed etiam hoc aliis annuntiauerunt. At per eos quos hîc reliquias appellat, eos intelligit, qui regi Chriſto adhęrentes Iudęourm perfidiam declinarũt, & de Sennacheribo, hoc eſt, diabolo victoriam reportarunt, quam vniuerſo orbi prædicauerunt. Hi fuerunt Apoſtoli, & qui crediderunt ex Iudæis, quos etiam alibi ſemen & reliquias appellauit. Ideò hoc in loco ſtatim ſubdit: *Quia de Hieruſalẽ exibunt reliquiæ, & ſaluatio de monte Sion.* De illa nanque ciuitate exierunt Apoſtoli prędicatum Euãgelium cunctis Gẽtibus. Et de Sione exiuit ſalus. Ibi enim Deus Euãgeliũ docuit, quod Euangelium ſalutis à diuo Pau- *Ephe.1.*
lo in epiſtola ad Epheſios appellatur. Et idem Apo- *Hebr.2.*
ſtolus illud in epiſtola ad Hebrẽos ſalutẽ vocet. Et de Sione exit, & fuit per totum orbem terrarum nuntiatum. Id fuit ab Eſaia noſtro capite ſecundo prædictum, vbi ita inquit: De Sion *exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.*

F
m *Et propter Dauid ſeruũ meũ.*) Aſpicis hìc defũctorũ merita viuis prodeſſe. Cur igitur diuos non inuocabimus, Deo in æterna beatitudine fruẽtes, cũ Deus dicat ſe propter eos eſſe in viuos bona collaturũ? Sãctorũ inuocatio eſt ab antiquis patrib⁹ Hieronymo, Abroſio, Auguſtino, Gregorio, Chryſoſtomo aliiſque infinitis viris ſanctiſſimis & doctiſſimis aſſerta, atq; sẽper ab Eccleſia cõfirmata. Hãc ſanctã doctrinã & cõſuetudinẽ ab Eccleſiæ initio vſq; ad nos propagatã irridẽt heretici noſtri tẽporis, quoniam aiunt non eſſe literis diuinis cõſcriptam. Gloriantur enim ſe ſolos eſſe veros ſcripturæ interpretes & ſectatores, cùm nihil minus quàm ipſam ſcripturam intelligant & ſectentur. Apertè hìc ait Deus per Eſaiam propter ſeruum ſuum Dauidem ſe ab hoſtibus Hieroſolymam ſeruaturum. Et per Ieremiam, *Si ſteterint*, inquit, *Moyſes & Samuel coram me, non* *Ierem.15*
eſt anima mea ad populum iſtum. Et ſecundo Ma- *2.Machabæor.15*
chabæo

A chabæorum Iudas dux populi vidit Ieremiã, qui multis retro annis excesserat è vita pro populo sanctaque ciuitate Hierosolyma orãtem. Qui loci adeò sunt aperti, vt nullis possint argumentis labefactari. At hæretici cùm nihil ipsis sit magis in optatis quàm Ecclesiam euertere, & Satanicam synagogam constituere, non desinunt has aliásque perspicuas diuinarum literarum authoritates oppugnare, volentes potius negare veritatem sole clariorem, quàm à sua pertinacia desistere.

n *Egressus est autem angelus.*) Euasit Sennacheribus ex hac Assyriorum clade, vt Dei potentiam intelligeret, quam anteà contempserat. Sed quoniam noluit à suis flagitiis desistere, fuit in terra sua in templo falsi numinis à suis filiis ignominiosè interfectus. Consi- D
dera terribile spectaculum. Occiditur orbis monarcha non in regno alieno sed in suo, non ab extraneis sed à propriis filiis, non ab hostibus sed à suis visceribus, à sanguine suo. Horribile exemplum profectò, magnúmque Dei in blasphemos iudicium. Eodem *Exod. 14*
modo Pharao Aegypti rex fuit à decem plagis ereptus, vt posteà in mari Rubro miserè corrueret, vt ex aquis ad ignem descenderet, vbi æternis cruciatibus torqueretur.

o *Et surrexerunt manè.*) Nempe Iudæi, vt Assyriorum cadauera nocte interfectorum viderent. Vel surrexerunt nonnulli ex Assyriis, qui euaserunt, séque cum Sennacheribo fugæ mandarunt.

ANNOTATIO.

1 Omnes riuos aggerum.] *Potest transferri:* Omnes riuos munitionis, *vel:* Omnes riuos qui pro munitioone sunt: *Quæ omnia in idem recidunt. Dictio enim Hebraica* מצור *matsor significat aggerem, & arcem & locum munitum, & refugium, & munitionem. Igitur per riuos aggerum intelliguntur riui vrbium munitarum, qui etiam sunt bona munitionis pars. Magna enim munitio est* 4.Reg.19 *ciuitatibus fontibus abundare. In quarto libro Regum, vbi scripta est hæc historia, sunt hæc verba:* Et siccaui vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas, *vbi litera Hebraica habet,* fluuios oppugnationis, *hoc est, vrbium oppugnatarum & obsessarum. Solent enim vrbes obsessæ aquas claudere, & seruare, ne siti postea laborent. Et idem potest hoc in loco significare riuus aggerum, hoc est aquas aggeribus clausas, & in locis muro septis reseruatas.* E

Argumentum capitis XXXVIII.

Narrat diuinus vates, ægritudinem, in quam rex Ezechias inciderat, à qua fuit diuinitus liberatus accepto miraculo cæleſti in horologio Achaz, quam ob causam in gratiarum actiones prorumpit.

CAPVT XXXVIII.

4.Reg.20 2.Par.32 f IN[a] diebus illis ægrotauit Ezechias vsque ad mortem, & [c] introiuit ad eum Esaias filius Amos propheta, & dixit ei: Hæc dicit Dominus: Dispone domui tuæ, [b] quia morieris tu, & non viues. [c] Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine, [d] memento quæso quomodo ambulauerim coram tein veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. [e] Et fleuit Ezechias fletu magno. *f* Et factum est verbum Domini ad Esaiam dicens: Vade, & dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui. Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas. Ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos, & de manu regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam. Hoc autem tibi erit signum à Domino, quia faciet Dominus verbũ hoc, C
quod locutus est. *g* Ecce ego reuerti faciem vmbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz, in sole retrorsum, decem lineis. Et reuersus est sol decem lineis per gradus quos descẽderat. [h] Scriptura Ezechiæ regis Iuda cùm ægrotasset, & conualuisset de infirmitate sua: [i] Ego dixi in dimidio dierum meorum, Vadam ad portas inferi, [k] quæsiui reſiduum annorum meorum. [l] Dixi: non videbo Dominum Deum in terra viuentium. Non aspiciam hominem vltrà, & habitatorem quietis. [m] Generatio mea ablata est, & conuoluta est à me quasi tabernaculum pastorum. F

Ephe.1. Hebr.2.

Ierem.15 2.Machab.15

EXPLANATIO.

a *In diebus illis ægrotauit Ezechias vsque ad mortem, & intrauit ad eum Esaias.*) Ereptus Ezechias ab Assyriis incidit in lethalem ægritudinem. Nec mirum est regem sanctum ægrotasse, quoniam vt est in Prouer- Prouer.3.
biis scriptũ: *Quem diligit Dominus corripit.* Et Diuus Hebr.12.
Paulus in epistola ad Hebræos, *Quem*, inquit, *diligit Dominus castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Aegrotabat Lazarus, & miserunt sorores eius Ioan. 11.
ad Iesum dicẽtes: *Ecce quẽ amas, infirmatur.* Ille quẽ salus amabat, in infirmitatem inciderat: & quem vita diligebat, à morte rapiebatur. Est enim Christus salus & vita. At affligit suos, eósque variis & acerbis casibus sæpenumerò exercet, vt cùm doloribus premantur, summam, & immortalem beatitudinem ardenter desiderent, & ex periculis erepti in gratiarum actiones prorũpant. Ex quibus facilè colliges, quàm falsa sit eorum opinio, qui corporis ægritudinem tanquam summum malum execrantur, in viribus autem & corporis sanitate beatitudinem constituunt. Quid esse potest amentius, quàm hominem, quem Deus cæteris animantibus nobiliorem constituit, & vsque ad eò excelsum & excellentem procreauit, vt ad cœlites animi præstantia proximè accederet, in eo gloriam & beatitudinem ponere, in quo si voluerit perpendere, videbit se esse multis belluis inferiorem? Ne igitur Ezechias eleuaretur admirabili triumpho, ne in animi morbum incideret, corporis morbo à Domino vimi morbum incideret, corporis morbo à Domino vimi sitatur, vt ad Deũ pias lachrymas & precationes funderet, & ab ægritudine liberatus Deum laudaret, tantiq; beneficij authorẽ recognosceret. Sũt tamẽ qui dicãt Ezechiã nõ egisse Deo debitas gratias pro victoria de Assyriis reportata, imò fuisse elatum, & ideo in

A hanc lethalem ægritudinem incidisse.

b *Quia morieris tu, & non viues.*) Nuntiauit Esaias mortem Ezechiæ, & tamen liberatus est à morbo illo. Audiuit enim Deus eius preces & lachrymas. Eodem modo accidit Niniuitis, qui cùm eis Ionas Propheta excidium & vastitatẽ prædixisset, ad Dñm cõuersi fuerũt misericordiã cõsecuti. Neque ideò dicẽdũ est hos diuinos vates Ioannẽ & Esaiam falsum prædixisse, & ita Prophetiæ subesse falsum. Nã diuina præscientia respicit futura, & in suis causis inferioribus, videns ordinẽ causarũ ad effectus. Et quãuis hæc duplex cognitio semper sit diuino intellectu, nõ tamen semper est in reuelatione Prophetica. Et qñ reuelatio prophetica est quædã impressa similitudo diuinæ præscientiæ, prout respicit futura contingentia in seipsis, tunc ea quæ prædicuntur, semper eueniunt. Quando verò Prophetica reuelatio est quædam impressa similitudo diuinæ præscientiæ, prout cognoscit ordinem causarum ad effectus, tum aliquando non euenit id, quod prædicitur: vt in comminatoriis vaticiniis. Nec tamen Propheta falsum vaticinatus est. Nam sensus Prophetiæ est, talem esse dispositionem causarum, vt talis effectus eueniat. Et ita intelligitur id, quod dixit Esaias Ezechiæ: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* Acsi diceret: Tua ægritudo est lethalis & incurabilis, dispositio enim corporis tui ordinatur ad mortem. Et re vera morieris, nisi te Deus mirabiliter curauerit. Et moreretur sine dubio, nisi ad Dominum mentis oculos leuaret, ab eòque ardentissimè sanitatem peteret. Eodem modo est de vaticinatione Ionæ dicendum. erat enim ciuitas illa digna quæ euerteretur, & hoc scelera eius merebantur. Et euerteretur re vera, nisi Niniuitæ diuinam opem peterent, pœnitentiam agerent, & ad diuinam misericordiam cõfugerent. Et quamuis Deus videatur mutare sententiam, non tamen mutat consilium. Similis locus est apud Ieremiam, vbi ita dicit Dominus: *Repente loquar aduersum Gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei.* Hæc ibi. Dicitur Deus pœnitentiam agere trãslatitiè, quòd ad modum pœnitentis vult aliquando non euenire ea, quæ fuerat minatus. Quemadmodum in negotio Ezechiæ, cui addidit quindecim annos vitæ, cùm ei per Esaiam dixisset: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* Vtinam hodie tales monitores & consiliarios haberent principes Christiani, qui illis suaderent, vt se ad mortem præpararent, essẽque mortales in memoriam redigerent. Nos etiam omnes disponamus domui conscientiæ nostræ, quoniam nescimus quando ex hac vita migrabimus. Quis enim est tam insipiens, quamuis adolescentiæ viribus & pulchritudine floreat, cui sit perspectum & cognitum se ad vesperum esse victurum? Præparemus igitur nosmetipsos, & audiamus vocem Christi dicentis *Vigilate itaque, quia nescitis diem nec horam.*

c *Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem.*) Hoc ideò fecit vt seipsum colligeret ad obsecrandum Deum, vt oraret secretius, & posset plorare liberius & expeditius, ne si hoc faceret coram hominibus, lachrymas suas videretur astantibus ostentare. Vel fortasse ideò se ad parietem conuertit, quia erat ad eam partem templum situm, ad quod ille in periculis confugere solitus erat. Moraliter ita hoc possumus intelligere. Paries peccatum est, siue cogeries peccatorum. Hic est paries, qui nos separat à Deo, de quo ait Esaias: *Peccata vestra diuiserunt inter vos & Deum vestrum.* Hic est paries, quem Deus destruxit sanguine suo, & quem nos erigimus peccata peccatis accumulantes. Sed timendum est ne cadens nos opprimat, quemadmodum supet filios Iob parietem cecidisse legimus, & eos omnes interfeciſſe. Hunc parietem apud Ezechielem perfodere iubemur, vt videamus & cognoscamus scelera intra hunc parietem existentia, magnámque iram Dei prouocantia. Est igitur sensus: Conuertit Ezechias intellectum ad peccata, quæ admiserat, fixit in illis oculos mẽtis, & ideò præ dolore lachrymas continere non potuit. Nos ergo hunc parietem intueamur, & cor nostrum dolorem flagitiorum instillet, & in feruentes ac pias lachrymas conuertat. Exeat ex oculis nostris mare Rubrum lachymarum, in quo Pharao cæteríque Aegyptij, hoc est omnia nostra crimina obruantur. Verùm illud non est silentio prætereundum, ideò Ezechiam tam vehementer ad Deum confugisse, quia ei dixerat Esaias, vt se præpararet, quoniam erat ex vita discessurus: Ex quo colliges quàm vtile sit suadere ægrotis vt mortem impendentem considerent, & ad eam se præparent, vt mortem ipsam immortalitas consequatur. Nemo debet ægrotos fallere spe longioris vitæ, cuius ne beneualentes quidem certitudinem habent. Moriendum enim sine dubio est, & id incertum, an ea ipsa hora. Nihil enim certius morte, & nihil incertius ea ipsa.

d *Memẽto quæso quomodo ambulauerim corã te in veritate.*) Nõ in simulatione & hypocrisi. Vel capitur hîc veritas pro bonis operibus, quemadmodũ Exodi 28. *Pones in rationali iudicij doctrinam & veritatem.* Non enim satis est vt sacerdos sitsciẽtia excultus, nisi secũdũ scientiã operetur. Ambulare igitur corã Deo in veritate est Dei præcepta custodire. Et ita intelligitur id, quod promisit Deus regi Dauid: *Si custodierint filij tui vias meas, & ambulauerint coram me in veritate in omni corde suo, & in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel.* Quæ verba literæ diuinæ in tertio libro Regum memoriæ prodiderunt. Hoc quod hîc dicit Ezechias, non ideò dicit vt se arroganter laudet, sed vt spem suam confirmet. Pater eius Achaz Dei cultum abstulerat, & idola adorauerat, ipse autem Ezechias idola contriuit, templum Baal euertit, & diuinum cultum in statum pristinum reuocauit. 4. Reg. 16 4. Reg. 18

e *Et fleuit Ezechias fletu magno.*) Credibile est cogitasse Ezechiam fore, vt morte sua hostes sui lætarentur, & dicerent ob eam causam illum à vita decessisse, quia abstulisset de medio idolorum aras, & eius mortem pœnam sacrilegij falsò interpretarentur. Ex quo efficeretur, vt offenderentur multi ex fidelibus, & omnes infideles superbia elati in pestilentiores errores incidereni. Videbat præterea se migrare è vita sine filiis, & tenebat memoria promissionem Dei factam Dauidi, quam, si tunc moreretur, existimabat nõ esse fortasse implendam. Expectauerat hactenus rex Ezechias ex posteritate sua Christum dominum carnem sumpturum, quoniam esset ex semine Dauidis, cui dixerat Deus: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et tanto mœrore ob hæc omnia premebatur, vt vim lachymarum profunderet. Eo nanquetẽpore filium non habebat. Nam Manasses eius filius erat duodecim annorum cùm regnare cœpisset. Ex quo constat, postea esse natum eundum Manassem anno tertio ab hac ægritudine Ezechiæ. Psal. 131

f *Et factum est verbum Domini ad Esaiam dicens, Vade.*) In quarto libro Regum ita scriptum est: *Fleuit Ezechias fletu magno &: priusquam egrederetur Esaias mediam partem atrij, factus est sermo Do-*

A f *Dominì ad eum dicens: Reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus patris tui: Audiui orationem tuam, vidi lachrymam tuam, & ecce ſanaui &c.* Hîc vides quantum valeat apud Deum oratio cum lachrymis coniuncta. Conceſſit illi Deus quindecim annos vitæ, quod ille non poſtulauerat: & promiſit liberaturum eum de manu Aſſyriorum. quod ille non petierat. Vbi aſpicis plus Deum nobis tribuere quàm petamus. Narrat diuus Matthæus oblatum fuiſſe Chriſto paralyticum iacentem in lecto, cui Chriſtus dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et paulò poſt: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Paralyticus ſolùm corporis ſanitatem petebat, at Deus & corporis & animi illi ſanitatem tribuit. Mũdus promittit multum, & dat parũ: contra verò Deus plura donat, quàm promittat. Promiſit Deus ſe daturum flores virgæ eius, qui dignus eſſet ſacerdotio, & dedit illi flores. & ſolia, & fructus, & non quoſcunque fructus viles & abiectos, ſed amygdala excellentia. Quid eſt hoc Domine, nónne promiſeras flores? Cur igitur præter flores mirifica poma tribuis, niſi vt ſummam bonitatem tuam, immenſámque magnificentiam & amplitudinem hominibus oſtendas? Deus promittit flores, & tribuit etiam vberrimos fructus, mundus verò promittit pulcherrimos fructus, & non tribuit niſi flores inſtar geniſtæ, quæ aureos flores & amœnos oſtendit, nullum autem vtilem fructum producit.

Matt. 9

Num. 17.

B

g *Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum.*) Reuerſus eſt ſol decem gradus in horologium ſolis in lapide quodam cum lineis ſignatis, quibus intelligebatur quota hora erat, quando ſol radiabat. Nonnulli per hos gradus ſiue lineas intelligunt horas, inter quos eſt Ionathas Chaldæus: & aiunt vno temporis puncto ſolem conuerſum eſſe retrorſum decem horas. In ortu ſuo attingebat ſol primam lineam, & paulatim deſcendebat vſque ad vltimam. Sed tunc à decima reuerſus eſt vſque ad primam. Nonnulli exiſtimant hunc diem creuiſſe decem horas, quoniam exiſtimant ſolem in curſu ſuo has decem horas in inſtanti retro rediiſſe, & poſteà â prima hora incœpiſſe, & paulatim fuiſſe progreſſum. Alij arbitrantur creuiſſe viginti horas, & ita duraſſe ſolem triginta & duas. Alij putant hunc diem non fuiſſe prolixiorem aliis, nec ſolẽ mutaſſe curſũ, ſed ſolùm hoc miraculũ apparuiſſe in horologio Achaz. Nõ enim credũt fuiſſe hoc miraculũ publicum, ſed priuatum, ideo dixiſſe ſcripturã fuiſſe factũ in horologio Achaz, vt inſinuaret in aliis factum non fuiſſe. Quæ ſententia eſt ſatis probabilis. Sed quoniam in ſecundo libro Paralipomenon ſcriptum legimus, miſſos tunc fuiſſe legatos Babylonis ad Ezechiam, interrogatum de portento, quod acciderat ſuper terram, & hoc portentum fuit hoc miraculum, de quo agimus, exiſtimo ſolem non ſolùm in horologio Achaz, ſed etiam in cœlo retroceſſiſſe, & fuiſſe viſum in Chaldęa, vnde legati Hieroſolymam venerunt. Per regem Ezechiam ægrotum intelligitur genus humanum, quod propter peccata morbo laborabat, & æternam mortem merebatur. At miſertus illius ſol ille ſummus & ſempiternus Chriſtus Deus noſter retrorſum reuerſus eſt. Cùm enim Filius Dei eſſet verus Deus, æqualis patri, factus eſt homo, & vt diui Pauli vtar verbis, *ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Hoc enim eſt ſolem reuerti retrorſum, nempe filium Dei humanam naturam ſumpſiſſe, quoniam quatenus homo, minor eſt patre, quemadmodum ipſe ait: *Pater maior me eſt.* Venit igitur Filius Dei, vt Ezechias, hoc eſt, hominum genus, à morte liberaretur. Ipſe enim de ſe ait: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Ideò Chriſtus dicitur ſalutare, iuxta illud: *Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* & id quod dicebat iuſtus Simeon: *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*, hoc eſt, eum qui ſalutem, & vitam hominibus ægritudine laborantibus attulit. Ideò ſeipſum abiecit hominis naturam aſſumens. Quod volens idem Apoſtolus amplificare ait: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortẽ, mortẽ autẽ crucis.* Et ſecundum hoc minuit eum pater æternus paulò minus ab Angelis, iuxta id quod dicitur in Pſalmo: *Minuiſti eum paulò minus ab angelis.* Quem locum Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos de Chriſto apertiſſimè interpretatur. Itaque per nouem lineas, per quas Sol reuerſus eſt retrorſum, nouẽ choros Angelorum intellige, à quibus Deus pater filium ſuum paulò minus minuit, & per decimam lineam, in qua Sol ipſe ſe poſuit, intellige glorioſam illam virginem Mariam, in cuius vtero ſacratiſſimo clauſus eſt Chriſtus Deus noſter, & ex qua carnem aſſumpſit. Nuſquam enim Angelos apprehendit, vt ait diuus Paulus, ſed ſemen Abrahæ, hoc eſt, non naturam angelicam ſumpſit, ſed humanam. Fuit ergo Sol in decima linea, vbi fuit vmbra, de qua hîc dicitur: *Reuerti faciam vmbram linearum.* Quoniam hanc lineam excellentiſſimam obumbrauit Spiritus Sanctus: iuxta id quod illi dixit Gabriel Angelus apud Lucam: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.*

D

Ioan. 14.

Ioan. 10.

Luc. 3.

Luc. 2.

Philip. 1.

Pſal. 8.

E

F

C

Philip. 3.

h *Scriptura Ezchiæ.*) Pro tam admirabili ſanitate à Deo accepta, & pro tã inſigni beneficio cecinit Ezechias canticum hoc, in quo commemorat afflictiones, quibus premebatur audiens eſſe ſe à vita diſceſſurum, cùm eſſet in ætate florenti, & veluti in dimidio dierum ſuorum, & ſine liberis à vita migraret. Poterit hoc canticum in myſtico ſenſu accõmodãri generi humano per Chriſtum ſanato, vel cuilibet homini, qui velit pro recuperata gratia Deo gratias agere, & triſtẽ ſtatum ægrotantis animi in memoriam reuocare. Ego tamen illud in ſenſu, quem literalem appellant, interpretabor.

i *Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.*) Cùm ægrotarem, & mortis meæ imminẽtis nuntium audirem, tunc dixi ea, quę ſequuntur: In ætate mea florenti, in meridie video occidiſſe ſolem ætatis meæ, in medio vitæ morior, & eo ad portas inferi, hoceſt, ad loca mortuorum: ſecundum corpus ad ſepulchrum, ſecundum verò animam ad limbum locum ſanctorum patrum. Poteſt hoc ita coniungi: *Ego dixi in dimidio dierum meorum:* & tunc fiat colon, & ſequatur, *Vadam ad portas inferi.* Quidam pro dimidio vertunt præciſionem. Et tunc eſt ſenſus, Ego audiens præciſos eſſe dies meos dixi: Vadam ad portas inferi. Lugebat Ezechias & angebatur, quòd adhuc iuuenis à vita migraret. Nam vt poma cruda & acerba vi ex arboribus euelluntur, matura verò & veluti ad ſenectutem prouecta, ſuapte ſponte cadunt, ſic iuuenes duriter, & veluti vi quadam ſeparantur à vita, ſenes autem leuius & placidius. Sed mirum videtur cur rex ſanctus tam grauiter angeretur morte, cùm viri ſancti eam libenter amplectantur, & Chriſti martyres ad locum ſuplicij alacri animo & erecto accedant vnde nũquam ſe redituros eſſe arbitrentur. Nã vt qui ex magna aliqua & moleſta nauigatione ad portũ proximè accedunt, gaudio perfunduntur: ſic qui morti appropinquant, quaſi ex magna iactatione erepti, terrã optatã & cœleſtem patriã aſpicere videntur. Sed pius rex nõ ideò flebat quia moriebatur, ſed quia ſine filio decedebat, ex quo credebat Meſſiam

A carnem ſumpturum,& ob alias rationes,quas in hoc eodem capite ſuprà reddidimus. Et præterea ſciebat ſe deſcenſurum ad locum aliorum Patrum. At Chriſti martyres finita vita ſtatim ad cœlum aſcendunt, & ipſa morte immortalitatem conſequuntur. Omnes in fide, ſpe, & charitate à vita migrantes, aut illico ad cœlum aduolant,aut purgatorium, vnde purgatione confecta ad æternam beatitudinem proficiſcuntur.

k *Quæſiui reſiduum annorum meorum.)* Hoc eſt, petij à Deo,vt adiiceret mihi reſiduum ætatis meæ. Obſecraui eum,vt mihi vitam concederet.

l *Dixi, non videbo Dominum Deum in terra viuentium.)* Tunc dixi: Si ex hac vita nunc migro,non videbo iam Dominum Deum in hoc templo Hieroſolymæ. Terram viuentium appellat Iudæam,in qua ſolùm erat verus Dei cultus. Hi ſolùm viuunt, qui verum Deum colunt,& ardenter amant. Vnde terra infidelium, terra mortuorum nuncupatur. Et ſtatim ſubdit:*non aſpiciam hominem vltrà,& habitatorẽ quietis.* Hoc eſt, Decedens modò è vita, nullum hominem vltra in hoc mundo videbo, nec aſpiciam populum meum habitatorem quietis, qui deuicto Sennacheribo in pace & ſecuritate quieſcit. Vel per terram viuentium intelligit patriam cœleſtem, de qua dicitur Pſalmo:*Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Pſal. 26. Et in alio:*Placebo Domino in regione viuorum.* De qua Pſal. 11. ait Chriſtus apud Matthæum, *Beati mites,quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Ideò dicebat, non ſtatim ſe viſurum Deum in gloria, quia deſcenſurus erat ad inferos, & non intraturus cœlum, donec illud Chriſtus ſuo ſanguine aperiret. Matt. 45

m *Generatio mea ablata eſt, & conuoluta eſt à me, quaſi tabernacula paſtorum.)* Senſus eſt: Ecce morior, & filium non relinquo, qui poſſit mihi in regno ſuccedere, de cuius ſemine Chriſtus oriatur. In me finitur generatio mea. Et quemadmodum tabernaculum tentorium paſtorum conuoluitur & cõplicatur, cùm paſtores migrant è loco in locum,ſic ego ex hac vita migro,& generatio mea conuoluetur,ne amplius extendatur & propagetur.

B

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT XXXVIII.

1 Et introiuit ad eum Eſaias filius Amos Prophe-ta.] *Poteſt verti ex Hebraico:* Filius Amos prophetę. *Et ita tranſtulit Pagninus. Eſt enim in Hebraico* חנביא *hannaui. Qua de re diſſeruimus in annotationibus ex Hebræo ad caput præcedens.*

2 Quæſiui reſiduum annorum meorum.] *In Hebraico eſt* פקדתי יתר שנותי *puccadhti iather xe nothai. Verbum eſt* פקד, *& eſt hîc pual paſsiuum in præterito, Significat hoc verbum prater alia viſitare, vt Geneſis vigeſimo primo:* Viſitauit autem Dominus Saram. *Ideò poteſt verti:* Viſitatus ſum in reſiduo annorum meorum. *Quaſi dicat: Puniuit me Deus auferens à me reſiduũ annorum meorum. Significat etiam deeſſe, vt primi Regum vigeſimoquinto,* Nec aliquando defuit quicquam C eis. *Vnde poteſt verti:* Defuit reſiduum annorum meorum. *Et quoniam verbum hoc requiro ſignificat. non inuenire,& deeſſe,vt cũ dicimus requiro hominũ noſtrorũ prudentiã. quo quidem pacto Cicero vtitur hoc verbo in primo Paradoxo ſignificans antiquos in illare eſſe prudentia deſtitutos,ideò fortaſſe poſuit noſter interpres,* Quæſiui reſiduum annorum meorum, *pro priuatus ſum reſiduo annorũ meorum. Poteris reddere Latinè:* Deſtitutus ſum reſiduo annorum meorum. *Pagninus vertit:* Carebo reſiduo annorum meorum. *Septuaginta:* Relinquam annos reſiduos. *Quæ omnia in idem ferè coincidunt.*

3 Dixi, non videbo Dominum Deum in terra viuentium.] *Septuaginta habent:* Dixi:nequaquam vltrà videbo ſalutare Dei in terra viuentium. *Satis eſt perſpectum & exploratum dantibus operam literis diuinis, Chriſtum ſeruatorem noſtrum eſſe ſalutare Dei, de quo vaticinatus eſt Eſaias dicens:* Et videbit omnis caro *Infrà 52. Gen. 49. Pſal. 39.* ſalutare Dei. *De hoc prædixerat Iacob:* Salutare tuum expectabo Domine. *Et illud Dauid ardenter deſiderabat dicens:* Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam,& ſalutare tuum da nobis. *Hoc diuinum ſalutare amplectens Simeon ille religione ac pietate præſtans, voce cygnea & charitate ardente cecinit:* Nunc dimittis Luc. 2. ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace,quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. *Cùm igitur rex Ezechias intelligeret filium Dei ex ſemine ſuo* E *eſſe carnem ſumpturum, & videret ſe abſque filiis è vita migrare, ait,ſi filium non relinqueret non viſurum Chriſtum in æterna beatitudine, quoniam illuc aſcendere non poterat, niſi Chriſtus eius ianuam ſanguine ſuo aperiret. Eſt enim Chriſti ſanguis,vt verbis Diui Hieronymi vtar, clauis paradiſi. Et volens Ezechias ſignificare ſe loqui de Chriſto,ſubiunxit:* Non aſpiciam hominem vltrà & habitatorem quietis. *Acſi diceret: Si ita deceſſero è vita, non videbo Deum factũ hominem,qui eſt habitator quietis, & æternæ beatitudinis. Eum quem Deum vocauerat, & iuxta Septuaginta ſalutare Dei, nunc hominem appellat,quoniam Chriſtus eſt verus Deus, & verus homo, & ipſe eſt gloriæ & quietis veræ habitator. Nã in hoc mundo nulla eſt vera gloria, nulla vera quies.*

4 Generatio mea ablata eſt,&c.] *Pro hoc in Hebraico eſt in hunc modũ.* דור ירוד באסיני, *dori niſſach. Verbũ* דור *Gen. 40.* *dur ſignificat habitare,peregrinari,durare. Vnde nomẽ* דור *Pſal. 38.* *ſignificat ætatem,durationẽ,generationẽ,habitationẽ,peregrinationem, & incolatum. Nam omnis noſtra ætas & duratio & vita eſt quędam peregrinatio. Quod intelligẽs patriarcha ille Iacob,quo nemo tunc ſapientior erat,nemo pietate præſtantior, interrogatus à Pharaone quot annos natus eſſet, reſpondit:* Dies peregrinationis vitæ meæ F centum triginta annorũ ſunt. *Vnde dicebat regius vates:* Aduena ſum ego apud te,& peregrinus ſicut omnes patres mei. *Ex quo efficitur, vt viri iuſti ex hac vita decedant tanquam ex hoſpitio,non tanquam ex domo, intelligentes peregrinandi diuerſorium nobis Deum dediſſe, non habitandi: eſſe autem veram patriam & habitationẽ noſtram in cœlo. Non enim præſtantes viri tot labores ſuſcepiſſent,niſi certiſſimè crederent,non iiſdem finibus eſſe gloriam terminandam,quibus & vitam. Poteſt igitur verti:* Peregrinatio mea ablata eſt, *pro quo Pagninus tranſtulit:* Habitatio mea receſſit. *Dolet igitur Ezechias, quia eius incolatus non amplius prolongabatur. contrà verò Dauid gemuit ob incolatus ſui dilatationem: dicens,* Pſal. 119. *ſimile.* Hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. *Idem diuerſo medio deſiderabant. Deſiderabat Ezechias Chriſtum videre,ideò morte angebatur, quia ſine filio decedebat,ex quo Chriſtus carnem ſumeret. Contrà verò Dauid*

mortem

A *mortem optabat, vt Christum citius videret. Vt enim duo volucres accipitres auem altius volantem, séque in sublime ferentem arripere cupientes, ad eam tendunt, sed vnusquisque diuersa via dirigit suum cursum & volatum, efficiens diuersos anfractus, sed ad idem tendentes,* D *sic hi duo illustrissimi reges idem, sed diuersa ratione quarebant.*

---

[a] Præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me, de manè vsque ad vesperã finies me. Sperabam vsque ad manè, quasi leo sic contriuit ossa mea. [b] De manè vsque ad vesperã finies me: sicut pullus hirundinis sic clamabo: meditabor vt columba. Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum. [c] Domine vim patior, responde pro me. [d] Quid dicam? aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerit? Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. [e] Domine si sic viuitur, & in talibus vita spiritus mei corripies me, & viuificabis me: ecce in pace amaritudo mea amarissima. [f] Tu autem eruisti animam meam, vt non periret: proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. [g] Quia non infernus confitebitur tibi, nec mors laudabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam. [g] Viuens viuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam. Domine saluum me fac, & Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini. [h] Et iussit Esaias vt tollerent massam de ficis & cataplasmarent super vulnus & sanaretur. Et dixit Ezechias: [i] quod erit signum, quia ascendam in domum Domini?

E a *Præcisa est velut à texente vita mea.*) Elegans & apta similitudo. Comparat vitam humanam cum tela, quæ etiam in exordio facile scinditur.

b *De manè vsque ad vesperam finies me.*) Sensus est: Tam intolerabilis erat dolor, tam graui ægritudine cruciabar, vt manè existimarem non esse me victurum vsque ad noctem. Et iterum vespere putabam non posse me ad diem sequentem vitam traducere. Nam tanto dolore affligebat me morbus, vt carnem cum ossibus mihi consumeret, instar leonis pecus aliquod discerpentis.

c *Domine vim patior.*) Hoc est acerbissimè crucior: responde pro me, hoc est, refrigera me. Ad te confugio, à te opem peto, præbe mihi quietem & sanitatem.

d *Quid dicam? aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerit?*) Sensus est: Non possum consequi verbis tã admirabile Dei beneficium. Si Deum interrogauero quis fuerit meæ sanitatis restaurator, quid respondebit mihi, nisi eum hoc fecisse? verti potest: *Quid loquar? vt promisit mihi, sic ipse fecit.* Quasi dicat, Quid faciam? quibus verbis agam gratias Deo pro tam insigni beneficio? Non aliud agere possum, quàm recogitare tibi ô Domine omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, hoc est, Perpetuò ero memor afflictionum, à quibus me mirabiliter eripuisti. Nunquã mihi excidet ex animo memoria tuorũ erga me beneficiorum. Et vt cognoscam magnitudinem beneficij, cogitabo magnitudinem calamitatis. Nonnulli codices habent: *Cùm ipse fecerim.* Et tunc potest esse sensus, Quid dicam? aut quid possum pro me aduersus Dominum proferre? Nam ipse mihi respondebit, me hoc fecisse, me ipsum fuisse causam meę ægritudinis, quòd illi debitas gratias non egerim pro victoria de hostibus meis mirabiliter reportata. Sed vt tu Domine miserearis mei, ponã ante oculos tuos omne tempus præteritum vitę meę in afflictionibus & doloribus transactum. Vide labores & ęrumnas, in quibus ab ineũte ætate versatus sum. Pauci reperiẽtur, qui hoc ipsum dicere nõ possint. Quis est qui nõ nascatur plorans, qui à pueritia non statim mœoribus & angoribus prematur? Vt enim fluuius ex alto cacumine fluens, per rupes & montem descendens semper sonitum efficit, & statim ab ortu veluti raucas voces emittit, & conteritur ac frangitur, donec ad pedem montis ingreditur mare, sic homo exit ab vtero matris cum dolore & fletu, vagit in cunis, premitur in pueritia, & sic ploratus & gemitus fundens, vitam sine quiete & securitate traducit, donec decurso spatio mare mortis ingreditur, quò tandem omnes fluuij tam magni quàm parui ingrediuntur. Quod sentiens Iob cap. 14. dicebat: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore repletur multis miseriis.* E

e *Domine si sic viuitur.*) Sensus huius versus est: Hæc ego in ægritudine dicebam: Hæccine Domine est vita hominis? Sic ne viuitur tam breuiter? In talibus est vita qua spiro? sícne in tam parua duratione consistit? Dilata mihi dies, siquidem illud poteris facilè efficere. Nam tu qui corripis & occidis, poteris vitam dare, & salutem restituere. Adeptus sum victoriam, triumphaui de Sẽnacheribo, incipiebã requiescere & gaudere adepta pace, & quando venit tempus illud, in quo existimabam quietem & tranquillitatẽ inuenisse, ecce nunc incidi in grauissimum morbum, & ita in hac pace premor amaritudine amarissima. Vel sic: *Cùm amaritudine summa cruciarer*, ecce amaritudo hæc versa est in pacem. Nam sequitur statim: Tu autem eruisti animam meam, vt nõ periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Id est, non amplius meorum peccatorum recordatus es.

F

f *Quia nõ infernus cõfitebitur tibi.*) Id est, illi qui in inferno cruciantur. Ita dicitur in Psalmo: *Quoniã nõ est in morte qui memor sit tui. In inferno autem quis cõfitebitur tibi?* Et in alio Psalmo: *Non mortui laudabunt te Domine, nec omnes qui descendunt in infernum.* Per mortem, & infernum idem intelligit. Est enim tartarus mors, & qui in illis æternis pœnis versantur, mortui dicuntur. Appellatur etiam infernus lacus, quò scelerati descendunt, vbi nullam à Deo expectant beatitudinem, quoniam in inferno nulla est redemptio. *Psal. 6.* *Psal. 113.*

g *Viuens viuens ipse confitebitur tibi.*) Mortuus te Domine in hac vita non laudat, sed ille qui viuit, te laudibus effert, & si illi filios dederis, ipse eos instruet, docens eos legem tuam, vt eam obseruent, & te singulari amore prosequantur.

h *Et iussit Esaias.*) Hoc prius fuit quàm canticum quod modò explanauimus. Nonnulli existimãt morbum regis fuisse apostema quoddam, quod ficis siccis, quos caricas appellamus, curatum est. Nam iuxta artem medicorum huiusmodi morbis sunt caricæ salutares. Ex quo colliges non esse medicinam con-

Gen. 40. *Psal. 38.* *Luc. 2.* *Psal. 119.* *simile.*

A contemnendam. Alij arbitrantur hos ficus non fuisse siccos, neque naturaliter prodesse vulneribus, imò nocere, sed voluisse Deum rebus noxiis & aduersis vlceri regis mederi, vt euidentius potentiam suam declararet. Solet enim Deus rebus hominum iudicio repugnatibns res magnas efficere, vt eius potentia emineat, & clarius illucescat. Sic per Elisæum aquas
4.Reg.2. amaras Iericho, sale dulces reddidit, & quæ noxiæ erant, salubres factæ sunt: cùm contra misso sale amaExod.15. riores fieri deberent. Aquæ Marach in deserto cùm essent amaræ, ligno in eas coniecto dulces redditæ
Num.21. fuerunt, cùm lignum illud esset amarum, vt nonnulli referunt. Eodem modo læsi Hebræi à serpentibus viso serpente æneo, quem Deus erectum esse iussit, sa- D nitatem recuperabant. Et aiunt nonnulli noxium esse videre æs iis quos serpentes momorderint. Sic Christus cæcum curauit luto, vt humana ratio confunderetur, & Christus suum numen ostenderet. Iuuen.5.

i *Quod erit signum.*) Hoc interrogauit Ezechias, priusquam Domino pro reddita sanitate gratias ageret. Quod autem signum datum sit, iam explicuimus. Vel est quædam admiratio visi miraculi. Quasi dicat: Quàm admirabile est Domine hoc signum tuum. Vt intelligas hanc historiam plenissimè, lege quartum librum Regum & secundum Paralipomenon.

ANNOTATIO.

a Tu autem eruisti animam meam, vt nõ periret.] *Pro eruere in Hebraico, est verbum* חשׁק *chaxac, quod significat præter alia amare, desiderare, coniungere, & cingere. Hinc fluxit interpretum varietas. Septuaginta trãstulerunt:* Liberasti animam meam, vt nõ periret. *Pagninus:* Desiderasti eruere animam meam à fouea cõsumptiua. *Potest verti:* Dilexisti animam meam. *Vel:* coniunxisti tibi animam meam, ne periret. *Qui in charitate est, coniunctus est Christo. Vnde dicebat Paulus:*
Rom.8. Quis nos separabit à charitate Christi? *Et alibi:* Qui
1.Cor.6. adhæret Deo, vnus Spiritus est. *Et alibi se vinctum võcat: quia Deo adhærens vinculis amoris alligatus erat.* Ephes.3. & 4. *Potest præterea verti:* Tu autem cinxisti, aut operuisti animam meam. *Hoc est, me veste charitatis induisti. Est enim charitas vestis, quæ operit multitudinem peccatorum, vt ait diuus Petrus Apostolorum princeps. Hac* 1.Petr.4. *veste nudati eiicimur à conuiuio cælestium nuptiarum. At ea induti possumus mentis epulis abundare, & eũ vitæ statum adipisci, qui in altissimarum rerum contemplatione consistit. Hæc enim est vestis illa, de qua ait Christus apud Matthæum c.22.* Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?

Argumentum capitis XXXIX.

B *Mittit Rex Babylonis legatos cum literis & muneribus ad regem Ezechiam quem Esaias reprehendit, quòd illis thesauros suos ostendisset prædicens esse illos thesauros à Babyloniis rapiendos, & in Chaldæam asportandos.*

CAPUT XXXIX. E

4.Rs.20.c

IN[a] tempore illo [1] misit Merodach Baladan filius Baladan rex Babylonis libros & munera ad Ezechiam. Audierat enim quòd ægrotasset & conualuisset. [b] Lætatus est autem super eis Ezechias, & ostendit eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi, & omnes apothecas supellectilis suæ, & vniuersa quæ inuenta sunt in thesauris suis. [c] Non fuit verbum, quod non ostenderet eis Ezechias in domo sua, & in omni potestate sua. Introiuit autem Esaias propheta ad Ezechiam regem, & dixit ei: Quid dixerunt viri isti, & vnde venerunt ad te? Et dixit Ezechias: [d] De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. Et dixit: Quid viderunt in domo tua? Et dixit Ezechias: Omnia quæ in domo mea sunt viderunt. Non fuit res quam non ostenderem eis in thesauris meis. Et dixit Esaias ad Ezechiam: Audi verbum Domini exercituum: Ecce dies venient, & C [e] auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizauerunt patres tui vsque ad diem hanc, in Babylonem. Non derelinquetur quicquam, dicit Dominus. [f] Et de filiis tuis qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. Et dixit Ezechias ad Esaiam: [g] Bonum verbum Domini quod locutus est. Et dixit: Fiat tantùm pax & veritas in diebus meis.

EXPLANATIO.

C a *In tempore illo misit Merodach Baladan, &c.*) Mortuo Sennacheribo obtinuit regnum Asarhadon filius eius, & eo tempore incidit Ezechias in morbum, de quo c. superiore disseruimus. Et quoniam Ezechias mirabiliter conualuit, & in eius sanitatis signum Sol reuersus est retrorsum, & vagata est statim fama fuisse eũ huius miraculi causam, misit rex Babylonis legatos ad illũ cum literis & muneribus, qui interrogarẽt de portẽto, quod acciderat, vt verba 2. Paralip. c. 32. testantur. Et quoniam hic rex Babylonis non erat filius Sennacheribi, sed Baladani, perspicuũ est, aliud fuisse tunc regnum Babyloniorũ, aliud Assyriorũ. Assyrij ceperũt Samariam, Babylonij verò Iudã & Hierosolymã. Existimo tamen regem Sennacheribũ, qui tunc monarchiã imperij tenebat, fuisse Dominũ Babylonis. Habebat Babylon regem, sed subditum atque Sennacheribo tributarium. Et ob eã causam re- F ges Assyriorum appellantur reges Babylonis. Nam Metasthenes chronographus Persa in libro de iudicio temporum, ait Phul Beloochum & Sennacheribum fuisse Babylonis reges, cùm eos sacra scriptura Assyriorũ reges appellet. Erat enim Babylon subiecta tunc Assyriis, donec Nabuchodonosor Babylonis principatũ obtinuit. Hic vicit Assyrios, & Babylonem amplis victoriarũ ornamẽtis decorauit, & fecit eam caput totius imperij. Ex quo effectum est, vt ipsi Assyrij Babyloniorum nomẽ assumpserint, vt ait Solinus. Durauit imperium apud Babylonicos septuaginta annos, donec Cyrus & Darius eos superarunt, & vrbem funditus euerterunt.

b *Lætatus est autem super eis Ezechias.*) In libro secundo Paralipomenon ita scriptum est: *In diebus illis*

A *illis ęgrotauit Ezechias vsque ad mortem, & orauit Dominum, & exaudiuit eum, & dedit ei signum. Sed non iuxta beneficia, quæ acceperat retribuit, quia elevatum est cor eius. Et facta est contra eum ira, & contra Iudam & Ierusalem. Humiliatúsque est posteà, eò quòd exaltatum fuisset cor eius, tam ipse quàm habitatores Ierusalē, & idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ.* Hæc ibi. Vnde colliges quàm vtilis sit afflictio, & quàm periculosa prosperitas. In afflictione confugiebat ad Deum, totúmque seipsum illi lachrymis & precibus tribuebat, in prosperitate verò elatus est, Deóque pro acceptis beneficiis debitas gratias non egit. Imò inani gloria captus ob honorem, quē illi rex Babylonis per legatos tribuebat, voluit eis diuitias suas ostentare. Quod non fuit sine culpa iactantiæ.

c *Non fuit verbum quod non ostēderet eis Ezechias.)* Paulò post ait Ezechias: *Non fuit res, quam non ostenderem eis in thesauris meis.* Quod anteà appellatum fuerat verbum, appellauit tunc rem. Ex quo constat, verbum, hoc in loco pro re accipi.

d *De terra longinqua venerunt ad me.)* Videtur esse iactantia. Quantò longius Babylon distabat à Iudæa, tantò maiorem honorem sibi delatum esse existimabat Ezechias ob legatos Babyloniorum. Præterea non deberet dicere, *venerunt ad me*, sed, venerūt
B propter Dei miraculum, vt omnia illa non ad se, sed ad Dei gloriam referret.

e *Auferentur omnia quæ in domo tua sunt.)* Ideò Babylonij rapuerunt diuitias Ezechiæ, quia ipse eas illis ostendit. In aperto orationis argumento hæc omnia sunt facilia, ideò ad eum sensum, quem moralem appellant, interpretationem conuertamus. Per diuitias & thesauros intelliguntur bona opera. Quę enim sunt veræ opes, nisi quæ animum ditant, & præcellentibus ac splendidissimis ornamentis decorant, & admiranda quadam insigníque gloria cumulant? Cùm autem hæ sint virtutes, & opera præclara, & ipsius virtutis actiones, apertè colligitur, eas esse illas excellentes diuitias, cum quibus nulli huius mundi thesauri comparantur. Vnde constat veram esse illam Socratis sententiam à Cicerone multis verbis amplificatam, eos solos diuites esse, qui sint virtute præditi & ornati. Has diuitias amittes, si eas Baby-
C loniis ostenderis, hoc est, si eas in lucem protuleris, & inani gloria ductus hominibus ostentaueris. Ait enim sanctissimus ille doctor Christus Deus noster apud Matthæum capite sexto: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Et paulò post: *Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Vult Deus vt opera bona nostra signemus sigillo intētionis in ipsum, ne ea amittamus. Vult nobis merces nostras securas reddere, ne post longam nauigationem in ipsa mercatura spolie mur: spoliabimur autem, si bona opera non propter Deum, sed ad humanam & inanem gloriam captandam faciamus. In moralibus finis, vt aiunt Philosophi, habet eandem vim mouendi, quam habet principium in naturalibus. Cùm autem charitas sit finis, vt ait Paulus primæ ad Timotheum, capite primo, ea nos debet mouere: cùm autem charitas nos mouerit, dirigentur opera nostra in Deum, & tunc poterunt perfecta appellari. Perfectio bonorum operum in duabus rebus præcipue consistit, in directione ad vnum finem, qui realiter sit bonus, & in electione mediorum illi accommodatorum & conuenientium. Et tunc ille finis est realiter bonus, quando est etiā principium. Vis cognoscere sitne bonum opus perfectum, considera eius finem, ad quem dirigitur: si ille fuerit etiam talis operis principium, & prima causa, poteris quiescere, & tale opus bonum existimare. Ob eam causam asserunt Mathematici circulum esse perfectam figuram, quia principium & finis idem est in illo. Cùm autem Deus sit principiū & prima causa, apertè concluditur, tunc opera nostra esse perfecta, si eorum finis sit Deus, & ad illum fuerint directa illíque dedicata, si Deum quęsierimus mediis opportunis & conuenientibus, si denique sit finis ille, qui est etiam principium. Esse autem Deum principium & rerum omnium primam causam asserit ipse, qui apud Ioannem capite octauo, de seipso loquens, *Ego*, inquit, *principium, qui loquor vobis.* Et idē Ioannes c. 1. de Deo loquens, ita ait: *Omnia per ipsum facta sunt.* Et diuus Paulus in epistola ad Romanos: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Nec solùm Theologi, sed etiam Philosophi Gentium radio naturali illuminati, Deum esse principium primámque causam apertissimè testantur. Ideò viri iusti opera sua in Deum dirigunt, eáque propter illum efficiunt. Pugnantes Hebræi cum Amalec, quandiu Moyses manus leuabat, victoriam consequebantur: cùm autem eas remisisset, victoriā amittebant. Ita literæ diuinæ in Exodo c. 17. asseueranter affirmāt. Quid per *figura.* manus nisi opera intelligimus? quæ cùm leuamus, &
D ad Deum dirigimus, vincimus, & de hostibus nostris, diabolo, mundo, & carne, victoriam reportamus. Si autem ea deprimimus in terram, laudem humanam
E captantes, & inanis gloriæ desiderio flagrantes, ipsam laudem & gloriam amittimus, & ab inimicis superamur. Nulla re clarius gloriā consequimur, quàm gloriæ cōtemptu. Nam qui appetitu inanis glorię ducūtur, & hominum rumusculos intuentur, clarissimis signis ostendunt, ad Deum opera sua non dirigere, nec veræ gloriæ amplitudinem contemplari. Quando Christus in suis actionibus oculos leuabat in cœlum, nos instruere volebat, vt in nostris actionibus intentionem leuaremus in Deum, ad illúmque mentis aciem intenderemus. Quid enim per oculum nisi intentio significatur? Ita intelligitur id, quod Christus dicebat apud Matthæum, capite sexto, *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Hinc effectum est, vt quando dicimus oculum dextrum, bonam intentionem significemus: quando verò sinistrum, malum. Et vt qui sagittam emittit, vt scopum *simile.* attingat, claudit oculum sinistrum, aperit dextrū, sic nos in actionibus nostris, si volumus verum scopum attingere, debemus intentionem sinistram claudere, dextram verò aperire, debemus inanem gloriā & falsam nominis claritatem paruipendere. Dei autē gloriam nostris actionibus quærere, eásque ipsi Deo dedicare. Et quoniam diabolus intelligit quantum no-
F bis prosit bona intentio, summa diligētia conatur eā à nobis auferre. Id significat scriptura lib. 1. Regū 21. dicēs conatum fuisse Naam, vt oculos dextros erue ret habitatoribus Iabes Ga laad. Naas serpentē sig- *figura.* nificat. Quid per Naā nisi diabolū serpentē antiquū, & quid per oculos dextros nisi intentionē ad Christū directam intelligimus? Est igitur summa opere nitendū vt in nostris actionibus inanem gloriam euitemus instar illius, de quo dicitur Neemiæ 4. *Vna manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium.* Nos itaque in virtutum actiones toto pectore incumbere curemus, gladiúmque ad populi rumusculos resecandos manu teneamus. Magnus Basilius ad hoc propositum hac eleganti similitudine vtebatur. Fa- *Apta similitudo.* ber ferrarius, quando opus aliquod conflat & cudit, debet memoria tenere eum, à quo instrumentum illud ex pacto accepit, præscriptámque sibi ab illo formam & magnitudinem in animo versare, vt re-

ctè

ctè opus efficiat & iuxta eius voluntatem, qui illud efficit iussit, manum dirigere, alioqui si eius memoriam ex animo patiatur excidere aut aliud quippiam omnino, aut longè dissimile efficiet ab eo, quod facere deberet. Eodem modo Christianus dum virtutem exercet, debet ita Deum ante oculos mentis habere, vt nulla eius memoriam deleat obliuio: debet omnes suas actiones ad Deum dirigere, & iuxta eius voluntatem, qui eum rectè operari iubet, manum mouere: debet ipsius in mente insidere Dei voluntas, vt illam intuens, in eáque defixus, omnem curam & cogitationem ad eam implendam conferat, vt concitatæ multitudinis gloriam contemnens, sit vera gloria cumulatus. Is egregiè opus perficit, assiduámque illius memoriam conseruat, à quo id iussus est facere, verèque illud Dauidicum dicere poterit: *Pronidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.* Hæc diuus ille Basilius, qui ab antiquis ob insignem sanctitatem, singularem eloquentiam, & admirabilem doctrinam, fuit meritò Magnus appellatus. Hanc doctrinam voluit nobis Deus in Exodo significare, quando Moysi præcepit vt duo cherubin essent in propiciatorio, vnde Deus ipse loquebatur, vtrunque latus propiciatorij alis expãnsis tegentes. Deus summè benefactor est, & nihilominus tectus, vt nos doceat benefacere, sed nolle ab hominibus videri & gloriam aucupari. Ita locum illum explanat Hieronymus ab Oleastro vir hac nostra tempestate doctissimus & optimus in eruditissimis suis commentariis in Exodum. Oportet igitur nos solam Dei gloriam in nostris actionibus quærere, & quemadmodum Abram volucres super carnes immolatas descendentes abigebat, sic nos inanẽ laudem fugere, eámque à nostris operibus abigẽtes penitus aspernari. Sectemur doctrinam diui Pauli dicentis in epistola prima ad Corinthios: *Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia in gloriã Dei facite.* Nam si opes & thesauros actionum nostrarum ostentauerimus, amittemus eos, spoliabimur à Babyloniis, & direptioni, animíque calamitati cõmittemur. Ex quo efficietur, vt gloriam quærentes simus omni gloria nudati & destituti, cum ob culpã nostram opes Hierosolymæ sint Babylonem translatæ. Opes Ægyptias ad terram promissionis asportari permissum erat, Hebræorúmque gloriæ tribuebatur, vt in Exodo literæ diuinæ testantur, & similiter Babylonias, vt ex primo capite Esdræ perspicuũ apparet. At non poterant absque eorum ignominia opes Hierosolymæ Babylonem transferri. Oratorum gentilium eloquentiam, & salutaria philosophorum præcepta, quæ sunt mundi diuitiæ & thesauri, possumus ad religionem pietatis plenissimam adducere, ad ipsius religionis excellẽtes diuitias amittere, eásque in confusionem cõuertere, non poterimus, quin simus magno dedecore & infamia notati.

Psal. 15.

Exod. 32.

B

Gen. 15.

f *Et de filiis tuis.*) Hoc est, de posteris tuis. Non enim proprios filios intelligit. Aiunt nonnulli fuisse Danielem, Ananiam, Misaelem, & Azariam.

g *Bonum verbum Domini.*) Sensus est: Deus est æquus & sermo eius bonus & rectus. Ego peccaui & pœna hac dignus sum. At Deum pium patrem precor vt in diebus meis in Iudæa sit trãquillitas, pax & veritas. Hoc dicebat Ezechias, quia sciebat eo tempore, quo thesauri Hierosolymæ diriperentur, & Iudæi ad Babylonem adducerẽtur, nullam fore pacem nec veritatem, nullam quietem nec in promissis cõstantiam, sed omnia futura esse plena contentionibus, & mendaciis. Vel fortasse hæc dicit Ezechias, cùm illi dixit Esaias hanc transmigrationẽ in Chaldæam non futuram esse in diebus suis. Quo audito fecit hæc verba Ezechias, acsi diceret: *Bonus est sermo Domini dicentis, in diebus meis fore pacem & veritatem.*

D

E

1 Cor. 2. Sap. 9. c.

ANNOTATIONES EX Hebræo in CAPVT XXXIX.

1 Misit Merodach Baladan filius Baladæa rex Babylonis libros & munera ad Ezechiam.] *Pro* libris *in Hebraico est* ספרים *sepharim, pro quo possis vertere literas, & rectè quidem. Significat enim hoc nomen præter alia epistolam siue literas. Quare poteris ea videre, quæ suprà annotauimus cap. 37.*

C

2 Non fuit verbum quod non ostenderet eis Ezechias.] *Pro* verbo *in Hebraico est* רבר *dauar, quod nomẽ significat verbum, vt Hester septimo:* Necdum verbum de ore regis exierat, *& multis aliis in locis. Significat etiam rem, vt quarto Regum capite quinto:* Et si rem grãdem dixisset tibi propheta. *Et quamuis noster interpres vertat,* verbum, *tamen sæpe capitur pro re, vt hoc in loco, & Deuteronomij octauo capite:* Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. *Quem locum citat Christus apud Matthæum capite quarto: Non solùm homo sustentatur pane, sed potest etiam sustentari quacunque alia re, quam Deus creauit. Et aliis in locis verbum pro re ponitur, quæ, breuitatis gratia, omitto.*

F

Argumentum capitis XL.

Consolatur Deus Iudæorum populum, promittens illis gaudium & peccatorum remissionem. Facit propheta loquentem diuinum illum Ioannem Baptistam Christi Dei nostri præcursorem & annuntiatorem, quo nemo inter natos mulierum non surrexit vnquam sublimior nemo vaticinatione præstantior. Ostendit propheta hominum, eorúmque gloriæ miseriam, fragilitatem, & inconstantiam, Deique nostri summam fortitudinem, infinitam potentiam, & immensam sapientiam, & bonitatem, vt nobis ipsis diffidentes, & opes, magistratus, inanem gloriam, cæteráque mundi ludibria, caduca & inconstantia contemnentes, ea sola ornamenta quæramus, ex quibus vera gloria redundat, & ad ipsum Deum ardenter aspiremus, à quo est verum decus, & omnis dignitatis præstantia.

CAPVT XL.

Mat. 1. a. Mat. 3. a. Luc. 3. a. Ioan. 1. c.

CONsolamini [a] consolamini populus meus, dicit Deus vester, [b] loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam, [c] quoniam [2] completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius. [d] Suscepit [3] de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. [e] Vox clamantis in deserto: [f] Parate viam Domini, [g] rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. [b] Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & [i] erunt praua in directa,

A directa,& aſpera in vias planas:& [k]reuelabitur gloria Domini,[l] & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum eſt.[m] Vox dicentis:Clama.Et dixi:Quid clamabo?Omnis caro fœnum,& omnis gloria eius quaſi flos agri.Excicatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia Spiritus Domini ſufflauit in eo.Verè fœnum eſt populus.Exiccatum eſt fœnum,& cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum.[n] Super montem excelſum aſcende tu,qui euãgelizas Sion,exalta in fortitudine vocem tuam,qui euãgelizas Ieruſalem.Exalta,noli timere. [o] Dic ciuitatibus Iudæ:[p] Ecce Deus veſter.Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet,& brachium eius dominabitur.[q] Ecce merces eius cum eo,& opus illius coram illo.[r] Sicut paſtor gregem ſuum paſcet,in brachio ſuo congregabit agnos,& in ſinu ſuo leuabit,fœtas ipſe portabit:[s] Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ,& librauit in pondere montes, & colles in ſtatera?[t] Quis[4] adiuuit Spiritum Domini , aut quis conſiliarius eius fuit , & oſtendit illi? Cum quo iniit conſilium,& inſtruxit eum,& docuit eum ſemitam iuſtitiæ, et erudiuit eum ſcientia,et viam prudentiæ oſtendit illi? Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ,et quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt. [v] Ecce inſulę quaſi puluis exiguus,et [x] Libanus non ſufficiet ad ſuccendẽdum: et animalia eius non ſufficient ad holocauſtum.Omnes gentes quaſi non ſint,ſic ſunt coram eo, et quaſi nihilum et inane reputatæ ſunt ei.[y] Cui ergo ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?Nunquid ſculptile cõflabit faber,aut aurifex auro figurabit illud, et laminis argenteis argentarius ? Forte lignum et imputribile elegit artifex ſapiens,quærit quomodo ſtatuat ſimulachrum,quod non moueatur.[z] Nunquid non ſcietis?Nunquid non audiſtis?Nunquid non annunciatum eſt vobis ab initio?[aa] Nunquid non intellexiſtis fundamenta terræ?[bb] Qui ſedet ſuper gyrũ terræ,& habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ.[cc] Qui extendit velut nihil cœlos,& expãdit eos ſicut tabernaculum ad inhabitandum.[dd] Qui dat ſecretorum ſcrutatores,quaſi non ſint , iudices terræ velut inanes fecit.[ee] Et quidem nec plantato,neque ſato,neque radicato in terra trũco eorum.Re-

B pente flauit in eos,& aruerunt,[ff] vt turbo quaſi ſtipulam auferet eos. Et cui aſſimilaſtis me & adęquaſtis dicit Dominus?[gg] Leuate in excelſum oculos veſtros,& videte quis creauit hæc.[hh] Qui educit in numero militiam eorum,& omnes ex nomine vocat. [ii] Præ multitudine fortitudinis & roboris virtutiſque eius:neque vnum reliquum fuit.[kk] Quare dicis Iacob,& loqueris Iſrael: Abſcondita eſt via à Domino,& à Deo meo iudicium meum tranſibit? Nunquid neſcis , aut non audiſti? Deus ſempiternus Dominus , qui creauit terminos terræ,[ll] & non deficiet,neque laborabit,[mm] neque eſt inueſtigatio ſapientiæ eius.Qui dat laſſo virtutẽ,& his qui non ſunt,fortitudinem & robur multiplicat.[nn] Deficient pueri,& laborabunt,et iuuenes in infirmitate cadent.Qui autem ſperant in Domino,mutabunt fortitudinem,[oo] aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.

D

E

EXPLANATIO.

a *Conſolamini conſolamini populę meus.*) Prædixerat Eſaias capite ſuperiore omnes diuitias regis Iuda auferendas eſſe,& à Babyloniis in Chaldęã aſportandas & Iudæos capiendos,& nihil denique Hieroſolymę

C relinquendum. Sed ne Hebræi videntes ſe inter gentes magnis ęrumnis,incredibili ignominia, & miſera captiuitate oppreſſos,peccatis ſuis deſperationem adhiberent,& à vera religione deficerent , conſolatur eos Deus,prędpitque diuinis vatibus, vt eorum mœrorem verbis conſolatoriis deliniant, promittentes illis venturum eſſe Meſſiam in temporis plenitudine,per quem erãt afficiendi lætitia,& remiſſionem peccatorum recepturi.

b *Loquimini ad cor Ieruſalem.*) Vos diuini vates conſolamini Hebræos:loquimini illis grata& dulcia.Hebraiſmus eſt.Qui mœſtũ conſolatur,eiąue blãditur, dicitur loqui ad cor eius. Id voluit Deus ſignificare per Oſeam dicens: *Ducam eam in ſolitudinem , & loquar ad cor eius.* Hoc eſt,alloquar eam verbis blandis,illiąue iucundis. Trigeſimoquarto capite Geneſis,vbi noſtra verſio habet:*Triſtémque deliniuit blãditiis,ait litera* Hebraica:*Locutus eſt ad cor puellæ.* Vbi Chaldęus paraphraſtes ait : *Locutus eſt conſolationes ad cor eius.* Acſi diceret:Sichem Dinã verbis demulcebat,vt eam ad ſe alliceret.

F

c *Quoniam completa eſt malitia eius.*) Scribendum eſt,militia eius,& ita habent nonnulli codices correctiores. Appellatur autẽ militia tempus vitę noſtrę. Nam quid aliud facimus toto vitę ſpatio quàm militare? Ita enim ait Iob,*Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Et alibi:*Cunctis diebus quibus nunc milito.* Vnde Apoſtolus ad Corinthios ſcribens,*Arma* , inquit, *militiæ noſtræ non carnalia ſunt.* Eſt igitur ſenſus: Vos ô prophetæ mei conſolamini populum meum, quoniam complebitur & finietur tempus ſuorum laborum.Et veniet tempus illud, quando perfundantur gaudio,& in Chriſtũ credentes remiſſionem peccatorum conſequantur.Capitur igitur militia pro tempore captiuitatis Babylonicæ,per quam animi captiuitas & peccatorum vincula ſignificantur.Vel ſumitur militia pro lucta,quæ erat ſub iugo veteris legis, quę tẽpore Chriſti finem accepit,de qua ait in Actis

Iob 7. Iob. 14. 2.Cor. 10

Act. 15.

A diuus Petrus: *Quid tentatis Deum imponere iugũ super ceruices discipulorũ, quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus?* Sed perpende causam cõsolationis diuinæ nec esse diuitias, nec voluptates, sed remissionem peccatorum. Non enim rebus caducis & fallacibus lætari debemus, sed bonis animi, quæ verè bona sunt. Non solùm verè Christiani, sed etiam gentium philosophi lumine & naturæ & scientiæ illuminati mundi pecunias, sumptuosa ædificia, & eas, quibus maximè improbi & molles homines vinciuntur, voluptates, contempserunt, tantùm abest, vt eas in bonis connumerandas ducerent. Quippe cùm apertè conspicerent homines harum rerum copia abundantes, ea tamen appetere maximè, quibus circunfluunt. *Psal. 76.* Quoniam nunquam cupiditas harum rerum extinguitur, imò in dies earum sitis augetur, & animũ torquet, non solùm appetitu eas amplificandi, sed etiam timore amittendi. Harum rerum contemplatione dulcis regius vates dicebat: *Psal. 50.* *Redde mihi lætitiam salutaris tui.* Et alibi: *Renuit consolari anima mea.* Vbi vides eum petere lætitiam, non mundi, sed Christi, quem Dei salutare appellat: mundi autem lætitiam & inanem consolationem contemnere, & pro nihilo putare.

d *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.)* Vtitur præteritis pro futuris more prophetico. Sensus est: Gaudeat populus Hebræorum, quoniam tempore Messiæ multa beneficia accipiet. Qui enim in Christum crediderint, magnam misericor-
B diam consequentur. Ponitur numerus finitus pro infinito. *Duplicia*, hoc est, multa beneficia accipiet pro omnibus peccatis suis, hoc est, non obstantibus omnibus peccatis suis, quoniam ab ipsis redimetur. Vel *duplicia*, id est, magnifica dona. Sed quoniam dixerat: *Completa est militia eius, dimissa est iniquitas illius*, existimo per duplicia hæc duo intelligi, nempe impletionem militiæ, & peccatorum remissionem. Et hæc interpretatio est clara, & satis literæ conueniens. Poteris per duplicia gratiam & gloriam intelligere. Origenes homilia quinta in Matthęũ per duplicia duas punitiones intelligit, non gratiam & gloriam, quam in præsenti secutus diuus Hieronymus hoc dicit esse intelligendum de duplici afflictione, quam populus Iudaicus accepit, semel à Babyloniis, & iterum à Romanis. Et hęc expositio est satis plana, & probabilis, & munita authoritate grauissimorum doctorũ. *Lutheri ignorantia* Martinus Lutherus citat hunc locum in articulo tri gesimosexto, ad probandum non dari gratiam nisi pro peccatis, quod Esaias non dicit. Nam ex sententia veterum interptetum loquitur ad literam de duplici punitione, non de duplici gratia. Et quãuis hîc duplicia possint accipi pro gratia & gloria, non sequitur: Datur hic duplex beneficium gratiæ & gloriæ pro peccatis, ergo gratia nunquam datur nisi pro
C peccatis. Quæ conclusio est hæc? O dialecticum ridiculum! Sed quid ais Luthere? Nónne legisti in Actis Apostolorum Cornelium hominem gentilem eleemosynis & precationibus se ad gratiam præparasse, eiúsque preces & eleemosynas ascendisse in memoriam in conspectu Dei? Si verum est quod dicis, non potuit Deus Cornelio gratiam tribuere, qui bona opera & Deo accepta faciebat. Sed dices illa opera esse peccata mortalia, quoniã in eodẽ articulo asseris, liberum arbitrium hominis existentis in peccato peccare mortaliter, quando facit quod in se est, vbi asseris hominem peccare mortaliter, etiam quando facit quod in se est, vt se præparet ad gratiam. O horribilem hæresim. Rogo te, Deus incitat & inuitat aliquem ad peccandum? Non quidẽ, aliàs non esset iustus, nec Deus. Cur igitur nos Deus incitat & inuitat D
ad præparationem ad gratiam, si talis præparatio est peccatum mortale? lege Prophetas, lege Apostolos, lege Euangelia, lege vetus & nouum Testamentum, & totum ipsum inuenies plenum diuinis monitis, quibus misericors ille Deus ac cœlestis pater inuitat peccatores ad pœnitentiam. Apud Esaiam capite primo postquã sceleratorum hominum flagitia arguit, *Sup. 1.* *Lauamini*, inquit, *mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè, discite bene agere. Quærite iudicium.* Et paulò post: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Alloquitur Deus peccatores, quorum impia facinora fuerat detestatus, eósque ad virtutem cohortatur. Et vt liberum arbitrium ostendat, ait: *Si volueritis, &c.* Vbi vides in manu peccatoris esse se ad gratiam præparare. Qui fieri posset, vt Deus hæc diceret, si conatus peccatoris ad bonum esset peccatum mortale? Et alibi apud eundem prophetam: *Conuertimini sicut in profundum recesseratis filij Israel.* Et alio in loco: *Redite prævaricatores ad cor.* Per Ieremiam cap. 3. *Reuertere auersatrix Israël, & non auertam faciem meam à vobis.* Per Ezechielem 18. *Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* Per Ioelem 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Hoc est, effice te toto conatu quantum in vobis fuerit, vt ad me conuertamini, & ad gratiam veniatis. Per Zachariã: *Conuertimini ad me dicit Dominus exercituum, & ego conuertar ad vos.* Quomodo fieri potest vt conatus ad gratiam sit peccatum, si cùm peccator conuertitur ad Deum, confestim Deus ad ipsum conuertatur? Quorsum Christus omnes peccatores vocaret dicẽs: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos?* Præterea si eleemosynæ & precationes *Matt. 11.* cornelij erant peccata mortalia, quomodo Deo placebant? Lege caput decimum Actorum, & videbis Angelum dicentem: *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Deus auertit oculos suos à sceleribus, nec illi vnquam placuerunt. Dies me deficeret, si vellem omnes rationes, & scripturarum loca afferre, quibus possem hoc pestilens Lutheri dogma refutare. Non enim ait hoc in E
loco Esaias ideò populum Iudaicum duplicia recipere, quia peccauit, sed tantam esse christi misericordiam, vt quamuis populus peccauerat, tamen ei & peccata dimitteret, & gloriam tribueret. Id quod christus fecit omnibus iis, qui ad eum se conuerterunt, & vsque ad finem perseuerarunt. Aspicis quàm perperam Lutherus hunc locum explanet & citet.

e *Vox clamantis in deserto.)* Hebraismus est. Idem est vox clamantis, ac vox clamans, quemadmodum terra promissionis & terra promissa, vas electionis & vas electũ, filius perditionis & filius perditus, & multa huiusmodi, quæ passim indiuinis literis reperiuntur. Est F
igitur sensus: Audietur vox, quę clamabit in deserto: Parate viã domini. Dixerat venturum esse christum, nũc dicit prius venturum esse eius præcursorẽ Ioannem Baptistam. Fuisse autem diuum Ioannem hanc vocem ipse de se asserit apud Ioannem euangelistam. Qui interrogatus à Sacerdotibus & Leuitis quisnam *Luc. 3.* esset, respondit, *Ego vox clamantis in deserto, parate* *Ioan. 1.* *viam Domini, sicut dixit Esaias propheta.* Et diuus e- *Mar. 1.* tiam Lucas & diuus Marcus hunc locum de diuo Ioanne Baptista interpretantur. Appellatur vox primo, quia ex se nihil dicebat, sed quæ audierat à Deo. Secundò, quia sicut vox præcedit verbum, sic Ioannes christum. *Præibis*, inquit Zacharias, *ante faciem Domini*,

A *Domini, parare vias eius.* Tertiò, quia vt vox verbum declarat, sic Ioannes, *Ecce*, inquit, *agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quartò, dicitur Ioannes vox ad significandum, officium suum esse non mandare literis suas conciones & vaticinia more aliorum prophetarum, sed voce, ad hoc enim missus erat, vt viua voce concionaretur, & christum ostenderet. Quintò, quia quicquid erat in Ioanne, vox erat, totus pœnitentiam & sanctitatem prædicabat. Oculi, manus, vestis, quicquid denique in eo erat, clamabat, & totus vox erat. O singularem concionatorẽ, ô admirabilem doctorem vitæ, & insignem vitam doctoris! Sunt multi concionatores qui quidem habent vocem, sed non sunt vox: quia etsi verbis prædicent, non tamen factis: similes aurificibus crucem efficientibus, sed eam non contemplantibus: & vasa ad continendum salem, cùm ipsi sint omni sale destituti. Sunt veluti puteus, cuius aqua abluuntur immunda vasa, cùm ipse sit luto & spurcitia repletus. Itaque habent vocem, vox autem nequaquam sunt. At magnus ille præcursor in ventre matris suæ sanctificatus totus erat vox, & non quæcunque, sed clamans: non solùm loquens, sed vociferans. Tanta enim Iudæorum surditas, tantus sensuum stupor, tam arctus eorum & profundus somnus, magno clamore indigebant. clamabat igitur diuus Ioannes, & publicè concionabatur. Hunc imitari debent hi, quibus est demandata cura docendi. Quid ad hoc respondebunt illi, qui conciones spernunt? qui cùm ad Ecclesiasticas dignitates ascenderint, nihil nisi otium, delicias, voluptates, & pecunias quærunt. Qui B claues thesauri ferunt in brachio, claues autem animarum tradunt quibusdam clericis improbis & indoctis. Qui non solùm populum non docent, sed etiam doctores contemnunt. Hos appellat Deus per Esaiam non pastores, sed canes, & non quoscunque sed canes mutos non valentes latrare, cùm eorum officium sit enuntiare Euangelium, populi scelera reprehendere, & denique subditos suos docere. Legant hi antistites diuũ Paulum ad Timotheum & ad Titum scribẽtem, & ibi inter qualitates antistitũ inuenient debere esse concionatores & doctores. Quid plura? Ipse cœlestis doctor diuinus ille concionator Christus Deus noster eis, quos prælules constituit, præcepit, vt euangelium prædicarẽt. Nec sat est summissa voce prædicare, sed oportet aliquando clamare instar diui Ioannis, quem hîc Esaias vocem esse clamantem affirmat. Clamabat igitur Ioannes, & clamore illo etiam significabat esse euangelij prædicationem longè audiendam, latéque dilatandam, iuxta id quod alius propheta prædixerat: C *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Illud est præterea aduertendum, hanc vocem in deserto clamasse, quia re vera erat Ioannes in deserto. Semper enim viri præcellentes & diuina contemplatione præstantes deserta loca dilexerunt. Est enim desertum veluti quædam schola paradisi. Ideò dicebat Deus per Oseam prophetam, cap. 2. *Ducam eam in solitudinẽ, & loquar ad cor eius.* Ex quo effectum est, vt Anthonius, Hilarion, Hieronymus, & innumerabiles alij, qui præstantibus ingeniis in vita humana diuina studia coluerunt, vrbibus relictis solitudinem colerent, vbi charitate ardentes, & desiderio æternitatis flagrantes, ad cœlum aspirabant: & ob eam causam à cœtu hominum atque familiaritate seiuncti tanquam in portum se in desertum recipiebant. Poteris hoc in loco per desertum intelligere mundum, in quo habitãt reptilia, & varia ferarum genera, pauci autem homines. Qui autem non paret D rationi, sed indomitis ducitur appetitibus, non homo vocandus est, sed fera. Hoc sentiebat Diogenes ille Cynicus, qui in media luce diei plateam perambulans cum lucerna quadam in manu interrogatus quid quæreret, respondit hominem quærere, quoniam eos quos videbat, non homines esse iudicabat.

f *Parate viam domini. &c.*) Hoc quidem est quod vox in deserto clamabat. Acsi diceret: Expiate animos vestros, vt veniat ad vos Christus. Expurgate illi viam, vt veniat. Auferte lapides, lutum, cæteraque impedimenta, hoc est, discedite à peccatis, & dirigite viam actionibus virtutum. Non dicit, parate vias vestras, sed *viam Domini.* Viæ nostræ sunt peccata, viæ Domini, virtutes. Ideò ait Deus per Esaiam: *Non sunt viæ vestræ viæ meæ.* Via Domini est quæ ducit ad Bethsames, hoc est ad domum solis, per quam eunt vaccæ legem Dei secum ferentes. De illa dicunt damnati, vt in libro sapientiæ scriptura commemorat: *Errauimus à via veritatis.* Hominum autem via est ea, quæ ducit à Hierosolyma ad Iericho, de qua dicunt qui in inferno cruciantur: Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, ambulauimus vias difficiles. Hęc est ea via, de qua ait Salomon in Prouerbiis. cap. 4. *Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant.* Et in Ecclesiastico cap. 21. ita sciptum legimus: *Via peccantium cõplantata est lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.* Relinquamus igitur vias nostras, E nos ad æternos cruciatus ducentes, & viam Domini paremus, eúmque ad nos venientem recipiamus. In libro Geneseos ca. 41. est memoriæ proditum clamauisse præconem, vt omnes coram Ioseph genu flecterẽt, eúmque terræ gubernatorem esse cognoscerent. Quis est hic Ioseph, qui quærens fratres suos, fuit venditus, & acerbis iniuriis affectus, nisi Christus Deus noster, mundi seruator & rector? Quis est hic præco, qui præibat, & clamabat vt eum agnoscerent, & reciperent, nisi Ioannes ille Baptista, ille glorio- *figura.* sus & admirandus præcursor & præco, illa magna vox, quę clamabat, vt viam Christo pararent, eúmq; verum Dei agnum mundi peccata tollentem intelligerent, essẽque mundi creatorem & restauratorem nequaquam dubitarent.

g *Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.*) Solitudinem existimo appellari animam sterilem, & incultam, nullòsque charitatis fructus producentem.

F

h *Omnis vallis exaltabitur.*) Per vallem intelligit humiles, qui à Domino eleuantur: per montem & collem potentes & elatos, qui à Domino deprimuntur iuxta illud, *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Vel per vallem intelligitur animi fragilitas, & nimius metus: per montem verò elatio & superbia. Quasi dicat: Tempore gratiæ auferetur pusillanimitas & superbia. Si superbus vult vt Deus ad ipsum veniat, auferat montem elationis, & imbecillus ac nimium timens impleat sancta securitate & fiducia in Christo vallem timoris & pusillanimitatis.

i *Erunt prauа in directa, & aspera in vias planas.*). Hoc est, qui anteà dabant operam iniustitiæ & prauita

A uitatibus,qui iura violabant,& fundamenta iuſtitiæ peruertebant,erunt iuſti,& actiones ſuas ad rectam rationis normam dirigentes. Iniuſtitiam appellat viam obliquam & tortuoſam, quemadmodum alio in
Sup. 27. loco principem iniuſtum ſerpentem tortuoſum appellauit. Sed ait tempore Chriſti iniuſtitiam vertendam eſſe in æquitatẽ,&aſpera in vias planas,hoc eſt, homines inſolentes,agreſtes,elatos, fore modeſtos, mites,& lenes. Sunt quidam homines qui in te conferunt beneficia,ſed tam elati,vt prius te aſperitate vulnerent,quàm beneficia concedant,ſimiles arbori
ſimile. bus ſpinoſis,quæ prius te pungunt,quàm ab illis fructum euellas. At diuina grattia intractibiles fiunt lenes & ſuaues,Omnis viarum difficultas & deformitas aut eſt propter altos montes,aut propropter profundas valles,aut propter obliquitatem& anfractus, aut propter aſperitatem. Omnia hæc impedimenta dicit auferenda eſſe, & omnes has difficultates& deformitates corrigendas. Voluit diuinus vates & eloquentiſſimus orator hac metaphora ſignificare fore, vt tempore Chriſti tolleretur ſuperbia & nimia trepidatio atque animi imbecillitas,& iniuſtitia, ac morum aſperitas & inſolentia,et omnia denique impedimenta tollerentur. Chryſoſtomus ait hac metphora declarari difficultatemveteris legis eſſe in fidei facilitatem conuertendam.

B k *Et reuelabitur gloria Domini.*) Hoc eſt, apparebit filius Dei aſſumpta humanitate, & ſe mundo viſibilem præbebit.

l *Et videbit omnis caro pariter,quòd os Domini locutum eſt.*) Hoc eſt, Et videbunt homines Chriſtum loquentem,& cum hominibus conuerſantem. Anteà loquebatur Deus per prophetas, ſed tunc loquetur ore ſuo. Os ipſius Chriſti Domini noſtri hominibus loquetur. Pro eo quod Eſaias ait:*Et videbit omnis caro pariter,quod os Domini locutum eſt,* vertit diuus Lu-
Luc.3. cas:*Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* Per Dominum ore ſuo loquentem intelligit Chriſtum,quem appellat ſalutare Dei,quòd diuinam attulerit ſalutem. Ægrotauerat homo propter peccatum, venit ſalutare Dei Chriſtus Ieſus,vt mundi morbis mederetur, & ægris ſalutem tribueret. Mundi ægritudines explicat Oſeas cap.4.dicens:*Non eſt veritas,non eſt miſericordia,non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum,mendacium, homicidium,furtum,& adulterium,inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea.* Vbi vides inter ægritudines ignorantiam connumerari,& Dei ſcientiæ defectum. Hęc eſt magna phreneſis,periculoſa pa
C ralypſis. Ideò venit diuinus medicus,ad dandã ſcien-
Luc.1. tiam ſalutis plebi eius,vt ait Zacharias. Venit ergo
Sup.1. curatum genus humanum,de quo ait Eſaias.*A planta pedis vſque ad caput non eſt in eo ſanitas.* hoc eſt,à plebeio vſque ad principem omnes in erroribus & prauitatibus verſantur. Hæc generis hominum ægritudo fuit in Ezechia ægroto ſignificata, quando vt ſanitatem recuperaret,Sol reuerſus eſt retrorſum, qui imaginem Chriſti gerebat,qui vt genus hominũ curaret,aſſumpſit humanitatem,& ſeipſum exinaniuit, vt aduentu ſuo nos à contractis ſceleribus expiaret, omniúmque virtutum ornamentis decoraret, & in dignitatem ac ſalutem amiſſam ſuo ſanguine reſtitueret. Qua de re poteris ea videre,quæ ſuprà explanaui muscapite trigeſimooctauo.

m *Vox dicentis:Clama.*) Nonnulli totum hoc refe-

D runt ad diuum Ioannẽ Baptiſtam,dicentes eum eſſe vocem clamantẽ,& dicentem:*Omnis caro fœnum,*&c. Prędicauit enim diuus Ioãnes mundi contemptũ,vt homines ad amorem cœleſtiũ excitaret. Poteſt ad Eſaiam referri,vt ſit ſenſus:Ego Eſaias audiui Dei vocem prędicipientẽ mihi vt clamarẽ. Cùm autem interrogarem quid eſſem clamaturus,reſpondit mihi diuina illa vox:Clamabis hoc,nẽpe:*Omnis caro fœnum,* & cætera,quæ ſequuntur. Dixerat propheta populũ Dei recepturum eſſe duplicia dona:ſed ne aliquis exiſtimaret ſe hanc præſtitam gratiam ſimpliciter mereri, dixit omnem hominem & omnem eius gloriam fœnum eſſe,vt omnes intelligerent ſeipſosparũ valere, eſſeque à Dei benignitate & miſericordia profectam gratiam,quam ipſi ſunt cõſecuti. Nam actiones noſtrę quatenus noſtrę ſunt,& à noſtra voluntate profectæ ſeparatę à gratia fœnum ſunt, paruíque valoris. Extenuat homines, vt Dei miſericordia eos curantis illuſtrius appareat. Vt enim peritus & ingenioſus pictor,quando vult, vt aliquis color emineat & *ſimile.*
E reſplẽdeat,atque inſignior appareat, opponit iuxta illum contrarium colorem, nam vt ait philoſophus: Poſita iuxta ſe oppoſita magis illuceſcũt, ſic diuinus vates vt Dei miſericordiã ſplendidiſſimam eſſe cognoſceremus,oppoſuit iuxta illam hominũ miſeriã. Ideò hanc vocem literis mandauit illi dicentẽ: *Omnis caro fœnum,& omnis gloria eius quaſi flos agri.* O verba glorioſa & inſignia, digna quę ſemper ſint in nòſtra memoria impreſſa,ex qua nulla vnquam obliuione deleantur. Ea nobis veritatẽ aperiunt, noſtrã miſeriam & imbecillitatem ante oculos ponunt, & quid denique ſimus apertiſſimè oſtendunt. Vide aptiſſimam ſimilitudinem:hominem cum fœno comparat,& eius gloriã cum flore agri. Quid vilius fœno? Quid agri flore fragilius, qui frigore areſcit, calore marceſcit,vento rapitur & frãgitur,pedibus conculcatur,à brutis comeditur,& cùm pulchritudinem oſtẽdat,in puncto tempotis conſumitur & perit? Ideò dicebat Iob c.13.*Homo quaſi flos egreditur & conteritur,& fugit velut vmbra.* Et rurſus:*Cõtra folium quod vento rapitur,oſtẽdis potentiã tuam,& ſtipulam ſicã perſequeris.* Vbi vides appellari hominẽ, foliũ vento raptum,& aridã ſtipulã. Et Eccleſiaſticus,*Omnis* inquit, *Eccle.14.*
caro ſicut fœnum veteraſcit,& ſicut folium fructificans in arbore viridi. Et diuus Iacobus,*Qua eſt,* inquit,*vita Iacc.4.*
noſtra? Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Et Dauid: *Dies mei ſicut vmbra declinauerũt Pſal.101*
& ego ſicut fœnum arui. Vnde dicitur in Prouerbio: *Homo bulla:* Eſt quidem bulla tumor ille inanis, qui videtur in aquis ſubitò naſcens,& ſtatim euaneſcẽs. F
Quo Prouerbio monemur nihil eſſe fugacius humana vita. Homerus comparat hominis vitã caducis arborũ foliis. Euripides ait huius vitæ fœlicitatẽ durare vnũ diem,& eodem gloriam in ignominiam commutari. Sed reprehẽditur à Demetrio Phalareo,quòd non vnum diem, ſed vnum temporis inſtans dicere debuerit. Pindarus hominem vmbræ ſomnium vocauit. Nihil inanius vmbra, quæ cùm nihil ſit, aliquid eſſe videtur, tamen aliquid inuenit, quòd videtur inanius, nimirum ſomnium vmbræ. Æſchylus apud Stobæum vmbræ fumi humanam vitam comparauit: non ſolùm fumo, ſed etiam vmbræ fumi. Quid igitur ſuperbis homo,quo nihil eſt fragilius, nihil vanius? Illud eſt prętereà hoc loco aduertendum, Eſaiam miſſum eſſe concionatum, & tamen à Deo quæſiſſe, quid eſſet dicturus. Ex quibus colliges,Chriſtianum concionatorem non debere in ſuggeſtum aſcendere, niſi mittatur, niſi

exiſtima

A existimauerit hanc esse Dei voluntatem. Vnde ait apostolus: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Et alibi: *Nec quisquam*, inquit, *sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo.* Colliges etiam Christianum concionatorem debere à Deo postulare id, quod est populo suasurus, nec dicere nisi id, quod crediderit Deo placere. Placet autem Deo, vt auditores excitet ad mundi contemptum, & humanæ fragilitatis & miseriæ cõtemplationem, vt intuentes esse hominem fœnum, & omnem gloriam eius quasi florem agri, inanem mundi splendorem, falsámque nominis claritatem contemnant, & ad immortalem gloriam aspirent. Tunc enim concionatores munere suo rectè fungũtur, cùm auditoribus persuadent, vt considerata humanæ naturæ fragilitate, & misera atque caduca vitæ conditione, & mundi gloriæ inconstantia, omnia humana despiciant, hominum opes, & rerum gestarum gloria florentium tristes casus, & miserabiles ac subitas ruinas, in memoriam reuocantes, abnegent semetipsos, & cruces suas tollentes, Christum ducem nostrum sequantur.

B n *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion.*) Nonnulli codices habent: *Tu quæ euangelizas Sion*, vt Sion sit vocandi casus, & ad Ecclesiam referatur. Et ita vertunt nonnulli ex Hebræo. Et tunc est sensus: Tu ô Sion, ô Christi ecclesia diuini verbi annuntiatrix, quoniam es bonum nuntium prædicatura, & de magnis rebus dictura, ascende in montem excelsum, eleuáque fortiter vocem tuam. Faciens mentionem euangelij diuinus vates non sat esse existimauit Ecclesiam ad vocem efferendam monere, sed etiam ad ascendendum in excelsi montis cacumen exhortari, vbi magno inuictóque animo concionaretur. Sin autem legas: *Tu qui euangelizas Sion*, vt habent Septuaginta, tunc hic est sensus: Tu fidelis concionator & Apostolorum chore qui apud Sionem concionaris, ascende in montem sublimem, & ex eius cacumine annũtia Messiam. Vbi vides oportere Euangelicum concionatorem ad eleuatum virtutis montem ascendere. Est enim virtus mons altissimus, quãquam à nobis ob eius magnam distantiam paruus abiectúsque existimetur. Vt enim Apenninus mons altissimus à Genua nobili | Liguriæ emporio incipiens paruus apparet mediterraneum mare procul nauigãtibus, illúmque magno interiecto spatio aspicientibus, sic virtus, cùm sit adeò sublimis, vt nubes tran-
C scendat, minima tamen nobis videtur ob longum interuallum inter nos & ipsam interiectum. Mundi enim mare nauigantes ab ea longissimè absumus, ob eámque causam aut eam non aspicimus, aut saltem paruam abiectámque iudicamus. At si ad eam accederemus, non possemus absque dubio eius incredibilem celsitudinem non admirari. Poteris per hunc montẽ Christum intelligere, de quo suprà noster vates secundo capite vaticinatus est. Oportet euangelicos concionatores esse super Christum firmissimum fundamentum ædificatos, quoniam sunt ciuitas illa supra
Matt. 5 montem sita, de qua ait Christus apud Matthæum: *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Quibus verbis eos excitat ad veritatem forti erectòque animo prædicandam, quod hîc fecerat per Esaiam. Ideo sequitur: *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem, exalta, noli timere.* Quãuis hæ expositiones sint rectæ, ego tamen existimo Esaiã loqui cũcionatoribus Iudæorum ante aduentum Christi, quos hortatur, vt annuntient Messiam venturum esse Deũ & hominem, propter hæc quæ sequuntur.

o *Dic ciuitatibus Iudæ.*) Hoc est Iudæorum synagogæ. D

p *Ecce Deus vester.* 'Ecce' *Dominus Deus in fortitudine veniet.*) Sẽsus est: Tu qui Hebræis annútias Messiã vẽturum, declara illis eum esse verũ Deum & non purum hominem. Dic illis: *Ecce Deus vester ipse veniet*, qui humanitate assumpta euidentissima miracula efficiet, hominum genus à peccatis expiabit, & à diaboli iugo potenter eripiet. Etsi quatenus homo est subiturus labores, infirmitatibúsque subiiciendus, tamen quatenus Deus æqualis est patri, fortis, omnipotens, & sempiternus. Hoc dicebat Esaias Iudæorum concionatoribus ante Christi aduentum. Indicat apertè hic locus Christum saluatorem nostrum, quem nos venisse credimus, esse verum Deum. Et quoniam Hebræi nostri tẽporis negãt Messiã fore Deũ, aientes fieri nõ posse vt finitũ sit infinitũ, corruptibile sit æternum, mortale sit immortale, ostendens illis hoc in loco ex Lege, Psalmis, & prophetarum oraculis & vaticiniis, Messiam esse Deum, vt nos firmiter asserimus. Negant enim illi hoc in sacra scriptura inueniri, multáque in nos iactant conuicia, quòd repugnãtib. diuinis literis hoc affirmemus, magnáque in Chri E
stum Deum nostrum blasphemias, quas ego ab illis audiebam, cùm Romæ, vbi nostri ordinis negotia gerebam, cum illis disputarem. Capite vigesimosexto Leuitici alloquens Deus Hebræorum populum, has voces emisit: *Ego Dominus Deus vester. Non facietis vobis idolum & sculptile.* Et paulò pòst: *Ambulabo inter vos, & ero Deus vester.* Nemo est qui ambigat hæc verba Dei esse. Deus est qui loquitur, qui promittit se inter homines ambulaturum. Quî fieri poterat vt Deus qui spiritus est, gressibus corporis ambularet, in terra hominibus appareret, & cum illis conuersaretur, nisi humanam carnem assumeret, in qua se visibilem demonstraret? Hunc locum explanãs R. Moyses Gerundiensis apertè indicat esse de rege Messia intelligendum: asserit enim fore vt Messias sit Deus & homo inter homines visibilis apparens: quod probat ex capite vigesimoquinto Esaiæ dicentis: *Et dicent in illa die: Ecce Deus noster iste, spectauimus eum, & saluabit nos.* Et hæc est multorum antiquorum Rabbinorum sentẽtia in libro, qui inscribitur Torath choani. Hinc intelliges quantò melius veteres illi Rabbini sanctã scripturam exposuerint, quàm Hebræi nostri temporis. In hac sententia est Onkelos Chaldaicus, qui illa Dei verba: *Respiciam vos, & crescere faciam*: quibus in F
eodem capite ipse Deus promittit se magnum in Israelitas beneficium esse collaturum, vertit in hunc modum: *Et conuertam me ad vos in verbo meo, vt benefaciam vobis, & crescere faciam vos.* Et paulò pòst, vbi communis editio habet: *Et non abiiciet vos anima mea:* habet ipse: *Nec abominabitur vos verbum meum.* Vbi vides Deum suum verbum hominibus promittere, vt suam erga eos admirabilem charitatem declaret. Hoc Dei verbũ est illud, per quod omnia facta sunt, quod significauit Moyses, quando ita scripsit: *Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux. Fiat firmamentum*, & cætera quę sequuntur. Si hoc dixit Deus, ergo per verbum suum. Hoc est verbum illud, de quo cecinit regius vates: *Verbo Domini cœli firmati sunt.* De quo ait Sapientia: *Qui fecisti omnia verbo tuo.* Hoc Dei verbũ est ipse Dei filius verus Deus, de quo ait diuinus ille Ioãnes euãgelista: *In principio erat verbũ, & verbũ erat apud Deũ, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt.* Hoc verbum promisit Deus se in mundum missurum, vt sumpta nostra humanitate

A pro nobis moreretur. Nec est ô Hebræe quòd magnos aduersus nos & queribundos clamores extollas, nósque conuiciis atque maledictis vulneres, dicens velle nos diuinum numen violare, asserentes esse illud cum infirma humanitate copulatum. Nam deitas filij, quæ illi cum patre est communis, nullum detrimentum omnipotentiæ subiit, neque Dei formam serui forma violauit. Duas habet naturas Messias noster, diuinam & humanam, & in vtraque idem est Dei filius, vna persona, vnum suppositum, nostra suscipiens, & sua non amittens. Nec existimes has duas naturas confusas esse, neque eò Christum appellandum esse duos, quòd duas habeat naturas: vnus est enim nõ confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Qui ideò nostram humanitatem assumpsit, cùm esset immortalis, vt pro nobis factus homo mortem subiret, quo suam diuinam immensámque bonitatem, singularémque erga nos amoris abundantiam ostenderet. Sed quoniam ô Hebræe, his nequaquam moueris, ea relinquam, tuísque scripturis tecum agam. In Psalmo quadragesimoquarto sunt hæc verba literis consignata: *Sedes tua Deus in seculum seculi, virga directionis virga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Intelligi hunc Psalmum de Messia indicat eius inscriptio, vbi post alia hæc sunt verba: *Canticum pro dilecto.* Appellari autem in diuinis literis Christum dilectum, quinto capite ostendimus. Præterea in hoc Psalmo, vbi nostra editio habet: *Speciosus forma præ filiis hominum*, habet paraphrastes
B Chaldæus: *pulchritudo tua ô Messia excedit filios hominum.* Hunc Psalmum interpretatur de Christo diuus
Heb.1. Paulus in epistola ad Hebræos. Sed ipsius Psalmi verba ponderemus. *Iam* vides ô Iudæe sanctum regem Dauidem hoc in loco Messiam Deum appellare. Ita enim ait: *Sedes tua ô Deus in seculum seculi.* Et paulò pòst: *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Hoc est, tu ô Deus, cuius thronus est in seculum seculi, vnctus es à Deo non oleo illo, quo reges puri homines vngi solent, *sed oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Quid potest esse clarius & lucidius? Vocauerat Messiam Deum dicens, *Sedes tua ô Deus in seculum seculi*, & statim eum iterum Deum appellat dicens: *Vnxit te Deus Deus tuus.* Nam illa dictio, *Deus*, est in casu vocandi, Deus autem tuus in casu nominandi. Messias idem est quod vnctus apud Hebræos, quemadmodum Christus apud Græcos. Et volens propheta significare se loqui de Messia quem Deum vocat: ait: *Vnxit te ô Deus Deus tuus.* Qui essent homines tam obtusi, tantáque ingenij hebetudine laborantes, qui hunc locum videntes de hac veritate dubitarent, nisi essent impia perfidia ob-
Psa. 49. stinati? In alio Psalmo ait propheta: *Deus manifestè*
Psal. 24. *veniet, Deus noster, & non silebit.* Et in alio: *Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus saluator meus.*
Psal. 86. Et in alio. *Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est*
C *in ea, & ipse fundauit eam Altissimus?* Vide quàm clarè vtranque Christi generationem significauit diuinus vates æternam & temporalem. Et volens rursus ostendere hunc Altissimum Deum, qui Sionem fundauerat, ibi se hominibus sumpta humanitate visibi-
Psal. 83. lem ostensurum, ait: *Videbitur Deus Deorum in Sion.* Quid ad tam aperta loca respondere poteris Hebræe? Non tibi cito nouum testamentum, quoniam illud non recipis, sed tuum vatẽ, tuas scripturas, quibus te animi cæcitate coopertum, tenebrísque vndique circumfusum conuinco. Ieremias capite vigesimotertio & trigesimotertio, vbi de Messiæ aduentu loquitur, ita inquit: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo* D *Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus eius saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. Et hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus iustus noster.* Hæc Ieremias dicit hoc de Dauid, qui multis retro annis excesserat è vita, est merum commentum & pura insania. Sed quoniam Messias futurus erat ex semine, & progenie Dauidis iuxta illud: *De fructu ventris tui po-* *Psal. 131* *nam super sedem tuam:* & illud: *Iuraui Dauid seruo meo* *Psal. 88* *vsque in æternum præparabo semen tuum.* ideò eum Ieremias Dauidem appellat. Intelligi hoc de Messia indicat paraphrasis Chaldaica: nam vbi nos habemus: *Suscitabo Dauid germen iustum*, habet illa: *Statuam iustum Messiam.* Volens autem propheta ostendere Messiam esse Deum ait eum esse vocandum Dominum iustum nostrum. Et pro Domino est in Hebraico יהוה Iehouah, nomen Dei tetragrãmaton aliis Dei nominibus illustrius & præstantius, soli Deo tributũ quod Iudæi mirabile ineffabiléque appellant. Vocans eum Iehouah, indicat eius diuinitatem: dicens verò esse ex semine Dauidis suscitandum, eius humanitatem. Hæc est clara, distincta, vera, & lucida huius loci explanatio. At Iudæi volunt hunc textum corrumpere in verbo vocabunt, sed Ionathan Chaldaicus & Septuaginta eorum falsitatem ostendunt. Ita enim habent quẽadmodum nos habemus. Michæas propheta capite quinto suarum visionum volens hanc veritatẽ ostendere, hæc verba literis mandauit, vt essent perpetuis monimẽtis contestata: *Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Pro, *Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*, habet E Thargum Chaldaicum, *Ex te Messias egredietur.* Quid voluit propheta significare dicens egressum Messiæ esse ab initio à diebus æternitatis, nisi eum, qui in Bethleemitico diuersorio natus est, quem mentis oculis humanitatem sumpturum aspiciebat, esse verum Deũ cœlesti patri coæternum? Nónne vides hîc duas Christi natiuitates, alteram in tempore in Bethleẽ, alteram verò ab æterno? *Et egressus*, inquit, *eius ab initio à* *Psal. 71* *diebus æternitatis.* Id cecinerat alius vates ita dicens: *Ante solem permanet nomen eius.* Noster Esaias nónne capite nono & duodecimo & vigesimoquinto, & quadragesimoquinto & quinquagesimotertio ostendit Messiam esse Deum? Lege si volueris nostra in hæc loca commentaria, & erit tibi hæc veritas perspecta & explorata. Cũ omnibus his locis cohęret id, quod hîc ait Esaias: *Ecce Deus vester: Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet.*

q *Ecce merces eius cum eo.*) Id est, ipse merces, quam suis dilectis tribuit, præbet enim seipsum diligentibus eum. Et opus illius coram illo: Id est, videt omnia creata. Quicquid est creatum opus Dei est, sem- F
pérque coram illo est. Quasi dicat: Christus cùm venerit, præbebit seipsum fidelibus, non enim eos ignorabit, quoniam omnia videt.

r *Sicut pastor ggegem suum pascet.*) Christum vocat pastorem, qui apud Ioannem de seipso ait: *Ego sum* *Ioan. 10.* *pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me mea, & animam meam pono pro ouibus meis.* Hic est de quo Deus pater ait per Zacha. ca. decimotertio: *Percutiam pastorem, & dispergentur oues*: quem locum Christus de seipso apud Matthæum capit. vigesimo-

sexto

A sexto interpretatur. Et apud Ezechielem : *Suscitabo*, inquit, *super ea pastorem vnum, qui pascet ea, seruum meum Dauid, ipse pascet ea, & ipse erit eis in pastorem.* Quæ non de Dauide, qui à vita migrauerat, sed de Christo dicuntur, cuius multis in reb. rex Dauid imaginem gerebat. Ideo apostolus de Christo disserens in epistola ad Hebræos eum pastorem magnum appellat, & diuus Petrus eum in epistola sua prima principem pastorum vocat. Hic est pastorille, qui ouem, quæ errauerat, suis humeris reportauit, vt est apud Lucam. Id quod iam Esaias dixerat hoc in loco iis verbis : *In brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* Contemplare hanc Dei nostri pietatem & mansuetudinem. Intueantur præsules pastorem hunc, eúmque imitari conentur. Non dispergit oues, & errare facit, sed congregat & adunat, eásque errantes ad gregem ducit, in sinu suo leuat, & humeris asportat. O diuinum pastorem, ô cœlestem pontificem. Ideò se non solùm pastorem vocat, sed pastorem bonum, qui oues suas vsque adeò amauit, vt pro illis sanguinem fuderit. Perpẽde. Non
B se vocat hîc iudicem, quia non venit vt mundum iudicaret: non ducem belli, quia pacem diligit, qui, vt nos patri reconciliaret, se salutarem hostiam deuouit atque constituit, vt inimicitias inter homines & Deũ depelleret, genúsque humanum à mortis faucibus sua morte liberaret. Non se hîc vocat regem, quia videtur hoc nomen timorem inducere, atque honorem potentiámque significare : Ipse enim titulos honorificos non appetebat. Nam, vt ipse ait, *non veni ministrari sed ministrare.* Ipse nos docuit Christianam philosophiam in humilitate consistere. Vocat se pastorem, rem abiectam, vult vilem ac contemptum titulum sibi vendicare, non qui nos terreat, sed qui nos consoletur : non quo nos ducat in obliuionem, sed quo nobis in memoriam redigat labores, quos tulit pro nobis, nostram vult vtilitatem & salutem. Cùm esset Deus, indutus est veste lanea ex ouibus sumpta, sumpsit naturam nostram, ne ab eo fugeremus, ne oues exterrerentur. *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, vt* de Christo ait ad Philippenses sanctus Apostolus. O immensum amorem ! O admirabilem pietatem huius diuini pastoris, & infinitam charitatis abundantiã. Quis non desiderabit se esse ouem talis pastoris ? Nam qui veræ oues sunt, ne timeant, ipse enim est qui pascit, & tuetur. Ideò dicebat Dauid in 22. Psalmo illo pleno fiducia Dei : *Dominus regit* me, aut, vt litera Hebraica habet, *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit, super aquas refectionis educauit me.* Nec mirum est, si ipse modò nos pascat, nam nos suo sanguine emit. Et quoniam ille pro nobis dedit vitam, & tulit alapas, flagella, cruciatus acerbissimos, & indignissimas contumelias, ideò non est mirandum si nos congregat suis brachiis, & leuat in sinu, & in humeris, cùm tam carè nos emerit. *Empti enim estis precio magno*, ait Apostolus in epistola prima ad Corinthios. Ideò nos custodit & pascit, lupos verò deterret. At hodie multi pastores erga oues sunt leones, erga lupos agni. Lupos nutriunt, oues interficiunt. Optimus nauis gubernator proiicit aliquando opes ad mare, vt homines salui fiant, at nunc multi præsules proiiciunt homines ad mare, vt opes acquirant, & retineant. O scelus inauditum, & incredibilem impietatem ! Scio tamen multos esse pastores virtutum magnarum gloria præstantes, & vitæ consilia atque actiones ad rectam rationis normam dirigentes. Sed non loquor nisi de illis, qui actiones suas non ad ouium salutem, sed ad suam referunt vtilitatem. Quamuis non possit rectè appellari vtilis as ea, quæ est ab honestate seiuncta. Illud est præterea hoc in loco aduertendum, ob eam causam Deum nobis nomen ouium imposuisse, vt infirmitatis & imbecillitatis nostræ nos admoneret. Oues enim nec se sciunt defendere, nec in fugam coniicere, & nisi sit pastoris præsidium, facilè à lupis rapiuntur, & trucidantur. Sic nos nisi à Deo protegamur, facilè à demonio interficimur. Est præterea ouis animal mite, subiectum, humile, innocens, vtile lana, lacte, & carne. Et tales debent esse Christiani. Oues sint non hirci, non vulpes, non tauri, non vrsi, non leones. Sed vide quemadmodum diuinæ literæ sint inter se consonæ & cohærentes. Id quod hîc Esaias prædixit Christum portare agnos, & oues suas in sinu leuare, est in euangelio scriptum in illa historia & parabola de oue perdita, quam pastor quæsiuit, & super humeros imposuit. Et fuerat multò antè in libro Exodi figuratum. Est enim ibi memoriæ proditum sacerdotem ex iussu Dei portauisse in humeris super pectus suum nomina filiorum Israelis scripta in lapidibus preciosis. Quibus verbis voluit scriptura significare fore, vt summus ille sacerdos & pontifex animarum pastor Christus Deus noster factus homo subditos suos in humeris super pectus suum portaret, & ouem veheret ad gregem, quæ anteà perierat. Erant hæc nomina scripta non atramento, quod posset deleri, sed stylo ferreo, vt intelligant omnes euangelici pastores & præsules, debere se in animo subditos suos portare, nullámque esse rem, quæ tantam vim habeat, vt possit subditorum memoriam ex eorum animo delere. In lapidibus preciosis intelligant, quàm charas Christus habeat oues suas, & quanto amore ipsi præsules debeant uos subditos prosequi, pro quibus debeant, si opus fuerit, sanguinem suum fundere. Ideò summus sacerdos hos preciosos lapides non in dorso, sed in pectore, & in corde gestabat, vt posset eos semper aspicere, & ante oculos habere, quos ardenti charitate diligebat. Hinc discant pastores non debere ab ouibus abesse, sed eas videre, visitare, & cognoscere, & earum necessitatibus consulere, eásque & verbo & exemplo docere. Id existimo fuisse significatum in literis illis, quas Deus præcipiebat vt sacerdos haberet in rationali iudicij, nempe *Doctrina & veritas.* Tunc dicitur doctrina & veritas, quando ea, quæ ore doces, factis exerces. Appellabatur autem rationale iudicij, quia continebat iudicium Deique sententiam. Illa verba, si fuerint ex Hebraico reddita in Latinum sermonem, possunt ita verti : *Illuminationes & perfectiones.* Sed in idem coincidunt. Nam per illuminationes significatur doctrina, per perfectiones morum integritas & sanctitas. Nam doctrina sine exemplo, parum prodest. Qui enim ad virtutem excitant & cohortantur, sed in eam non incumbunt, similes illis sunt, qui præmungunt lucernam, sed oleum nequaquam infundunt. Et quemadmodum qui theriacam vendunt, eam prius in se experiũtur, alioquin nemo eam vult emere, sic qui virtutem docent, eam in se debent experiri, & id, quod aliis dicunt, efficere, si volunt vt alij ad virtutem moueantur. Nisi theriacæ venditor in se periculum faceret, nihil proficeret. Vis persuadere virtutem ? esto præditus illa. Tunc enim alios incendes, cùm tu ipse flagraueris. Sint igitur pastores ouium suarum charitate inflammati, eásque non dispergant, nec occidant, sed pascant, & brachiis congregent, in sinu leuent, atque in humeris imponant: doceant eas, & quod verbis docuerint, factis exerceant.

A s *Quis mensus est pugillo aquas, & cœlum palmo ponderauit?*) His verbis & multis sequentibus vult homines in fide confirmare, illisque Dei omnipotentiã ac benignitatẽ ostendere. Dixerat venturum esse Christum, & vi eius auferenda esse impedimenta, & homines visuros esse Christum, qui quasi pastor in brachio suo congregaret agnos, & saluos faceret fideles, tam ex Iudæis quàm ex Gentibus congregatos. Et ne aliquis existimaret hoc fieri non posse, describit Dei magnitudinem, potentiam, & sapientiam, vt intelligant omnes nihil Deo esse impossibile. Est igitur sensus: *Quis quasi pugillo mensurauit aquas?* Nemo certè nisi Deus, qui earum copiam vidit, & illis aptum locum parauit. Et quis veluti palmo ponderauit cœlũ, nisi Deus qui omnia potest? qui tali mensura mõtibus locum assignauit, vt in sua sede consisterent, & totam terræ molem veluti tribus digitis comprehendit. Vtitur his nominibus, pugillo, palmo, & digitis, vt Dei potentiam per verba nostra discamus.

t *Quis adiuuit spiritum Domini?*) Nemo Deum docuit: est enim eius sapientia summa & sempiterna, nec indiget alicuius hominis consilio & adiumento. Imò omnes gentes cum eo comparatæ sunt gutta situlæ, & momentum stateræ. Situla est vas accommodum ad hauriendam aquam, ex quo aliquãdo excidit quædam guttula, cui genus humanum comparatur. Comparatur etiam momento stateræ, quoniam leuissimo pondere in alteram partem inclinatur, quidam enim paruus puluis facit bilancem in alteram partem pendere.

B

v *Ecce insulæ.*) Omnes insulæ cum Deo comparatæ nihil sunt. Extenuat homines, vt Dei omni potentiam ostendat.

x *Et Libanus non sufficit.*) Id est, Si quis vellet Deo pro dignitate sacrificare, omnes arbores nemorosi Libani non possent ad holocausti ignem sufficere, nec omnia animalia ad ipsum holocaustum.

y *Cui ergo similem fecistis Deum?*) Cùm infinita sit Dei maiestas & potentia, quomodo audet homo Dei titulum dare ligno? Cùm Deus sit spiritus omnia implens, quomodo eum sculpetis? quam imaginem illi tribuetis? Irridet eos, qui idola conflabant, & ipsa ligna adorabant, atque Deos esse censebant.

z *Nunquid non scietis?*) Correctiores codices habent: *Nunquid non scitis?* Id est, Nunquid non cognoscitis hæc ita esse, vt dixi, nempe Deum esse infinitũ & idola esse ligna & lapides? Cur igitur colitis tot simulachra? cognitione naturali, & audita lectione scripturarum, & antiquorum hominum traditione, potestis errorem vestrum intelligere.

C

aa *Nunquid non intellexistis fundamenta terræ?*) Hoc est, ipsa elementa. Acsi diceret: Elemẽta & ipsæ creaturæ vos deberent ducere in cognitionem creatoris, quemadmodum riuuli ducunt ad fontem.

bb *Qui sedet super gyrum terræ.*) Id est, Qui instar regis sedet super globum terræ. Vult Propheta Dei potentiam & maiestatem, hominisque fragilitatem & miseriam significare. Septuaginta habent: *Qui tenet gyrum terræ.* Quibus verbis significant Deum totum mundum manu tenere. Colliges hinc terram esse globosam & rotundam.

cc *Qui extendit velut nihil cœlos.*) Id est, qui tam facilè cœlos expandit, acsi nihil essent. Pro, Velut nihil, vertere poteris: Velut telam tenuissimam.

dd *Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint.*) Per secretorum scrutatores intelligit Philosophos, vel principes, quorum officium est, hominum vitam scrutari, vt vnicuique iuxta opera sua tribuant. Vnde Pagninus vertit principes, vbi nos habemus secretotorum scrutatores.

D

ee *Et quidem neque plantatos.*) Sensus est, Tam facilè dissipat Deus potentes, vt dicatur de illis non fuisse plantatos, nec satos, neque radicatos. Comparat homines arboribus, quæ vento radicitus euelluntur, de quibus dicitur in Psalmo. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani. Transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Psal. 36.

ff *Vt turbo quasi stipulam.*) Comparat homines potentes cum leuissimis stipulis, quæ à vento rapiuntur.

gg *Leuate in excelsum oculos vestros.*) Hoc est, Si non creditis meis verbis, certè credite oculis vestris. Ex cœlo, terra, & aliis elementis, & ex omni denique creatura creatoris magnitudinem cogitate.

hh *Qui educit in numero militiam cœlorum, & omnes ex nomine vocat.*) Stellas appellat militiã cœlorũ, quemadmodum in quarto libro Regum Manassem impium regem dicit scriptura adorasse omnem militiã cœli, id est, stellas more Gentium, quæ eas Saturnum & Iouem, & innumerabiles alios Deos, quos fingebãt, esse putabant. Has stellas creauit Deus certo numero, & omnes eas clarissimè cognoscit. Vocare stellas ex nomine est earum naturam, ac proprietates, & qualitates, perspectas & cognitas habere. Ita intelligitur id, quod dicitur in Psalmo: *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnes eas nomine vocat.* Poteris per militiam cœli Angelos interpretari, & omnes cœlitum exercitus. Vnde Deus dicitur Dominus Sabaoth. Quidam hoc intelligunt de viris iustis, qui in Ecclesia sunt veluti lumina nostram noctẽ illustrantia, de quibus ait Apostolus: *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Hæ sunt stellæ illæ, quas Deus numeratas habet, quibus ipse dicebat: *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo.* Moysi dixit Deus: *Teipsum noui ex nomine.* Contrà verò de reprobis dicit: *Non noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Et virginibus fatuis: *Amen dico vobis, nescio vos.* Apud Diuũ Lucam narrat Christus historiam de epulone & Lazaro mendico viro iusto, vbi diuitem improbum nõ appellauit nomine suo, pium autem pauperem nominauit. Ex quibus colliges iniustos & reprobatos non habere nomina sua scripta in libro vitæ, iustos verò & electos esse in eo scriptos & numeratos, eósque esse stellas, quas hìc ait Esaias esse à Deo suo nomine vocatas.

E

Psal. 146. Philip. 2. Luc. 6. Exod. 33. Mat. 7. Mat. 25. Luc. 16.

ii *Præ multitudine.*) Sensus est, Tãta est Dei sapientia, fortitudo, robur, & virtus, vt ne vna quidem stella sit, quam non cognoscat, & quæ ei non pareat. Id quod nos habemus: *Neque vnum reliquum fuit*, verti potest: *Nulla deest illi.* Et sic est sensus: Cùm Deus stellas accersit, nulla deest, omnes illi obediunt. Vel: Vt ne vnum quidem deesset. Id est, nullum nomen deest. Nulla est stella, quam Deus nomine proprio non vocet.

F

kk *Quare dicis Iacob.*) Per Iacob intelligit duas tribus, per Israelem alias decem. Et est sensus: Si Deus singulas stellas cognoscit, eásque suis nominibus vocat, cur tu ô populi eius dicis te esse ab ipso Deo absconditum, & iudicium tuum ab eo transire? hoc est, Deum non intelligere tuum iudicium, non cognoscere quid tu iudices & cogites, vel non te iudicare? Quî fieri potest vt te non cognoscat ille, qui omnia sidera cognoscit?

A ll *Et non deficiet neque laborabit.*) Deus in mundi regimine nec fatigatur, neque vnquam laborem subibit, quoniam est eius potentia infinita.

mm *Neque est inuestigatio sapientiæ eius.*) Id est, Dei sapientia non inuestigat & ratiocinatur vt sapientia humana, sed omnia illi sunt aperta & præsentia. Vel sic: Nemo est qui eius sapientiam possit per- Rom. 11. uestigare & cognoscere. Vnde ait Apostolus: *Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Non igitur deficit Deus, imò ipse dat lasso virtutem, & iis quos vires deficiunt, robur abundè suppeditat.

nn *Deficient pueri & laborabunt.*) Fatigantur adolescentes, & cadunt iuuenes. At qui sperant in Domino, nouas vires recipiunt. Mutare aliquem fortitudinem est nouum robur colligere, & fortiorem euadere.

oo *Assument pennas vt aquilæ, volabunt & non deficient.*) Qui in Deo ponunt fiduciam suam, nouas B pennas assument veluti aquilę, quę nouis pennis renouantur. Aquila, vt aiunt, postquam ita senectute Amite. grauatur, vt nec altè volare possit, nec solis radium intueri, quærit fontem, in quem ter mergens seipsam exuitur veteribus plumis, & posteà induitur nouis, quæ illi nascuntur, & ita renouatur, & in pristinum D vigorem restituitur. Huic sententiæ videtur fauere diuus Hieronymus hoc in loco, & in explanatione primi capitis Michææ Prophetæ. Nos igitur cùm nos ita grauatos senserimus, vt alta petere volatu nequeamus, nec mentis obtusam aciem in solis iustitiæ splendorem dirigere, eiúsque radiorum claritatem micantibus oculis aspicere, renouemus nosipsos in fonte lachrymarum, à vetustate peccati nosipsos nudantes, spiritúsque nouitatem induentes. Et, vt verbis diui Pauli vtar, *Expoliantes veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem Dei secundum imaginem eius, qui creauit eũ.* Hæc ait in epistola ad Colossenses c. 3. Et ad Ephesios cap. 4. *Deponite vos*, inquit, *secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem spiritu mẽtis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Et in epistola ad Romanos c. sexto ait, *Vt in nouitate vitæ ambulemus.* Hæc est ea aquilæ renouatio, de qua hic loquitur Esaias, & de qua dicitur in Psalmo 102. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Scio tamen alios hos duos locos Esaiæ & Dauidis aliter interpretari, sed hanc explanationem existimo esse veram, E piam, & à litera non discrepantem, & eam ob causam illam amplectendam esse censeo.

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT XL.

1 Consolamini consolamini populę meus.] *In Hebraico est* נחמו נחמו עמי *nachamu nachamu ammi, Quod poterat etiam ita verti*: Consolamini consolamini populum meum. *Et ita transtulerunt Septuaginta interpretes, quos secutus est Pagninus. Chaldæus paraphrastes existimat hęc verba esse ad Prophetas directa: ita enim habet:* Prophetæ prædicite populo meo consolationes.

C 2 Quia completa est malitia eius.] *In Hebraico est* צבאה *seuaah, hoc est, militia eius, non autem malitia. Sed vitio librariorum mutatum fuit i, in, a. Quidam verò codices habent* militiam, *& rectè quidem.*

3 Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.] *Septuaginta ita transtulerunt:* Quia recepit de manu Domini duplicia peccata sua. *Et tunc est sensus: Vos ô Prophetæ mei consolamini populum meum, sunt enim illius peccata dimissa, qui iam pro illis duplicem pœnam luit. Capitur peccatum pro punitione & pœna peccati, vt quarto capite Genes.* Nónne si bene egeris recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? *id est, statim pœnæ lues. Fuerunt autem hæ duæ pœnæ, quas Iudæi persoluerunt, calamitas à Babylonis illata & posteà ab Antiocho. Vide quãtum distet hæc interpretatio & versio à Lutheri expositione, de qua in explanatione disseruimus.*

4 Quis adiuuit spiritum Domini?] *Pro* adiuuit, *est in Hebraico* תכן *thiccen, quod significat etiam expendere & ponderare. Ita enim illud vertit paulò antea noster interpres, dicens:* Et cœlos palmo pôderauit. *Significat etiã parare & dirigere, vt in Psal. sexagesimoquarto:* Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio eius. *Et confirmare, vt in Psalmo septuagesimoquarto*: Ego confirmaui columnas eius. *Et habet etiam alias significationes. Ex quo effectum est, vt interpretes hunc locum tam variè interpretarentur. Interpres vulgatus vertit,* adiuuit, *Pagninus,* direxit. *Septuaginta habent:* Quis cognouit mentem Domini? *Vult diuinus vates his verF bis significare infinitam esse Dei sapientiam, & incomprehensibilia eius iudidia. Ad hunc locum existimo alludere Apostolum in epistola ad Romanos cap. 9. ita dicentem:* O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? *Et in epistola prima ad* cap. 2. *Corinthios,* Ipse, *inquit,* à nemine iudicatur, sicut scriptũ est: Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis instruxit eum? *Vbi vides Diuum Paulum citare hunc locum in eo sensu, in quo illum Septuaginta interpretati sunt.*

Argumentum capitis XLI.

Disceptat Deus cum populis & gentibus de potentia & misericordia sua, tanquam coram iudice causam agens. Arguit diuinus vates idolorum cultores, incitat pios homines ad afflictiones erecto & inuicto animo ferendas. Irridet idolorum vanitatem in annuntiandis futuris.

CAPVT

A D

CAPVT XLI.

Taceant a ad me insulæ,& gentes mutent fortitudinem. Accedant,& tunc loquantur, simul ad iudicium propinquemus. b Quis suscitauit ab Oriente iustũ, vocauit eum vt sequeretur se? c Dabit in conspectu eius gentes, & reges obtinebit. d Dabit quasi puluerem gladio eius, sicut stipulam vento raptam arcui eius. e Persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus eius non apparebit. Quis hæc operatus est & fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus f primus & nouissimus, ego sum. g Viderunt insulæ & timuerunt, extrema terræ obstupuerunt, appropinquauerunt & accesserũt. Vnusquisq; proximo suo auxiliatur, & fratri suo dicet, Confortare. h Confortauit faber ærarius percutiens malleo eũ, qui cudebat tũc temporis dicens glutino, bonum est, & confortauit eum clauis, vt non moueatur, i Et tu Israel seruus meus, Iacob quem elegi, semen Abraham amici mei, in quo apprehendi te ab extremis terræ, & à longinquis eius vocaui te, & dixi tibi: Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te. k Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines, quia ego l Deus tuus. Confortaui te, & auxiliatus sum tibi, m & suscepit l te dextera iusti mei. Ecce confundentur & erubescent omnes, qui pugnant aduersum te. Erunt quasi non sint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi. Quæres eos, & non inuenies viros rebelles tuos, & erunt quasi non sint, & veluti consumptio hominis bellantis aduersum te, quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, discensque tibi: Ne timeas, ego adiuui te. n Noli timere vermis Iacob, z quia mortui estis ex Israel. Ego auxiliator sum tui, dicit Dominus, & redemptor tuus sanctus Israel. o Ego posui te quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia. Triturabis montes & comminues, & colles quasi puluerem pones. Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo disperget eos, & tu exultabis in Domino, in sancto Israel lætaberis.

Infrà 44. & 48. b. Apoc. 1. b & 22. c.

E

B

EXPLANATIO.

a *Taceant ad me insulæ, & gentes mutent fortitudinem.*) Omnes insularum habitatores tacentes me attentè audiant, & gentes terram firmam colentes prodeant fortiores, muniant se responsionibus, accedant ad iudicium, vt mecum disputent & congrediãtur. Ego enim simul volo adesse iudicio, & cum illis disceptare. Vide summam Dei clementiam & charitatem. Vult rationibus ostendere errorem, in quo homines versabantur, qui eo ipso relicto idola colebant. Et hoc vult omnibus esse notum tam insularibus, quàm terram firmam colentibus. Et ne dicerent se non esse paratos ad iudicium, ideò eis prænuntiat, vt se parent, & fortitudinem mutent. Est autem mutare fortitudinem Hebraismus pro nouas vires recipere, vt capite superiore explanauimus. Fortasse per insulas intelligit Gentes, & id quod sequitur, *Et gentes mutent fortitudinem*, est explicatio superioris. Appellantur autem gentes insulæ, quoniam amaris salsísque maris huius mundi agitationibus tunduntur. Nam in sequenti capite, vbi vulgata editio habet: *Et legem eius insulæ expectabunt*, habet versio Septuaginta: *Et in nomine eius gentes sperabunt.* Quos litera Hebræa appellat insulas, illi gentes appellant. Et hanc Septuagita interpretum versionem secutus est diuus Matthæus capite duodecimo, vbi citat hunc locum. Pagninus habet hoc in loco: *Tacete, & attendite mihi insulares.*

C

b *Quis suscitauit ab Oriente iustum, vocauit eum vt sequeretur se?*) Hoc est, Quis excitauit Abram, vt relinqueret terram suam, quæ erat ad Orientalem plagam, & sequeretur eum, nisi ego? Ego sum qui eum vocaui, vt me ipsum sequeretur. Per iustum intelligit Abrahamum, cuius admirabilem iustitiam & sanctitarem diuinæ literæ multis in locis contestantur. Vult Deus iis verbis suam potentiam & pietatem significare, ac si dicat: Cùm Abraham, vt Chaldæorum inter idolorum cultores versaretur, nulla erat illustri laude celebratus. At postquàm vocem meam audiuit, & relicta terra & cognatione sua iuit, quò ego eum misi, consecutus est nominis celebritarem. Ego eum excitaui, & vocaui, nobilem reddidi. Cùm igitur ego talis sim, cur vos mihi non paretis? cur idola colitis? cur me relicto & contempto ad falsos & cõmentitios Deos confugitis? Quidã per hunc iustum intelligunt Cyrum, quem Deus ab Oriente, hoc est, à Perside suscitauit, vt Babylonem everteret, Iudæósque in suam patriã reduceret. Ego verò existimo hunc iustum esse Christum, qui patrem secutus est, qui loquitur in Psalmo 39. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuã.* Quẽ locum diuus Paulus de Christo interpretatur. Hic est iustus ille, qui vt à nobis pestem auerteret, in humana forma delituit, & omnes sceleratorum impetus suo corpore excepit. Hic est de quo dicebant Iudæi, vt est in libro Sapientiæ proditum: *Circunueniamus iustum, quia contrarius est operibus nostris.* Alias interpretationes non improbo, sed hanc libentius amplector.

Hebr. 10.

F

Sap. 2.

c *Dabit in conspectu eius Gentes, & reges obtinebit.*) Hæc, & ea quæ sequuntur, possunt conuenire Abrahamo, qui, vt diuinæ literæ asserunt, de Gentibus & regibus triumphauit. Possunt etiam intelligi de Cyro, qui de multis nationibus reportauit victoriam. Ego tamen existimo esse ad Christum referenda, de quo dicitur in Psalmo 2. *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Hic est qui vicit mundum, & Gentes idolorum cultrices, earúmque superbissimos reges subiecit, vt falsa superstitione repudiata, Euangelio parerent, & ipsum Christum regem ac Dominum recognoscerent.

Gen. 14.

d *Dabit*

A d *Dabit quasi puluerem gladio eius.)* Hoc est, Quis nisi ego dedit tantam fortitudinem Abrahamo, vt magni reges essent veluti puluis ante gladium suũ, & quasi stipula leuis atque vento rapta coram arcu suo? Cur igitur me non colitis, sed in idolis fiduciam collocatis? Possunt hæc Christo aptissimè cõuenire, qui gladio & sagittis, hoc est potestate sua dæmones debellauit, ac si coram eo essent parua stipula, & puluis vento agitatus.

e *Persequetur eos.)* Ipse Abraham persecutus est reges, euasit superior, pacificus, & incolumis, & semita in pedibus eius non apparuit, hoc est, *non ambulauit per semitas veluti timidus*, non quæsiuit diuerticula, sed strata publica & via regia ambulabat. Vtitur Propheta futuris pro præteritis. Sed quis non videt hæc multò clarius & rectius ad Christũ referri? Hic est qui contrarias potestates vicit, & persecutus est. Hic est qui transiuit in pace: ascendens ad patrem, & ideò ait Propheta: *Semita in pedibus eius nõ apparebit*, quia non per terram sed per aerem iuit. Ita enim ait diuus Lucas: *Eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cúmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui eis dixerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum?* Act.1.
B *Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Hæc diuus Lucas. De hac Christi ascensione dicitur in Psalmo cap. 46. *Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ.* Et alibi: *Qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem.* Hæc est via cuius nulla vestigia remanserunt, de qua in præsenti Propheta noster loquitur. Ascendit enim gloriosus ad patrem, qui extulit illum, & dedit illi nomen omnibus nominibus excellentius & præstantius, *vt in nomine Iesu omne genu flectatur*, & illius virtutem & amplitudinem sentiant cœlestes, terrestres, & inferi, atque fateantur omnes esse Dominum Iesum in sempiterni patris gloria constitutum. Et quoniam in hoc capite Deus vult suam potentiam, clementiam, & bonitatem significare, alloquitur homines, se esse eum, qui misit filium suum, vt mundum vinceret, & de dæmine victoriam reportaret, & tandem ad cœlos glorio sus ascẽderet: Acsi diceret: Cùm ego hæc faciam tam admiranda, & idolis impossibilia, cur me relinquitis, & idola adoratis? Psal.67.

f *Primus & nouissimus.)* Id est, sempiternus, qui sum principium omnium rerum, & finis, ad quem omnia creata sunt. In Apocalypsi Diui Ioannis ait Deus: *Ego sum α & ω, primus & nouissimus.* Hæ duæ literæ aperiunt & claudunt Græcum alphabetum. Apoc.22.
C

g *Viderunt insulæ, & timuerunt.)* Sensus est, Gentes etiam in remotissimis insulis habitantes videntes & audientes Christi, & Apostolorum miracula & doctrinam, timuerunt. Et accesserunt ad veritatem & fidem, qui antè ab ea erant alieni & separati. Et omnes, qui Euangelium recipiebant opem ferebant indigentibus, etiã homines plebeij & indocti. At vos Iudæi, quos ego multis beneficiis ad amplitudinem & celebritatem perduxi, quibus dedi legem & Prophetas, me contemnitis, & in vestra infidelitate pertinaciáque perseueratis. Libr.10. Gen.14.

h *Confortauit faber ararius.)* Id est, omnes se inuicem adiuuabant: faber ærarius adiuuabat aurificem, qui bracteas aureas super incudem deducebat, quas deinde glutino affigebat imagini, quam clauis robo rabat, ne moueretur & frangeretur, & sic operã per- D deret.

i *Et tu Israel serue meus.)* Consolatur Deus fideles suos & iustos, monétque vt aduersa toleranter ferãt, quoniam ipse non derelinquet eos. Duplex est Israel, alter secundum carnem, alter secundũ spiritum. De Israele secundũ carnem ait Apostolus in epistola prima ad Corinthios cap. 10. *Videte Israel secundum carnẽ.* Ex quo colliges alterum esse secudũ spiritum. Et in epistola ad Romanos cap. 9. ita inquit: *Non enim omnes, qui ex Israel, hi sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij. Sed in Isaac vocabitur tibi semen. Id est, nõ qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.* Hæc diuus Paulus. Cùm autem hoc in loco Deus vocet Israelem seruum suum & electum, ad eum hæc dirigit, qui est Israel secundum spiritum. Et huiusmodi Israelitæ sunt omnes fideles, iustitiam & pietatem colentes.

k *Ne timeas, quia ego tecum sum.)* Ille, quicum Deus est, non debet timere. Ideò dicebat Dauid: *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Vnde dicebat Gabriel angelus virgini Mariæ: *Ne timeas Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum.* Explicans causam non timendi esse gratiam. Debent ergo illi E timere, qui sceleribus astringuntur. Væ illis, qui cùm sint flagitiis contaminati, tam securi viuunt, acsi nunquam Deum offendissent, qui gladium ancipitem super caput suum tenui filo pendentem non considerant. Vt enim miles in bello amissis armis incidit in timorem, & gubernator nauis in mediis fluctibus fracto clauo, in magno metu versatur, sic homo sine gratia debet metuere, ne corruat in prælio, & à fluctibus absorbeatur, ex quibus in profundas tenebras relegetur. Psal. 26 Luc.1. *similia.*

l *Quia ego Deus tuus.)* Sensus est, Cùm ego sim Deus tuus, quid amplius vis? Qui me habet, omnia bona habet. Non igitur declines à rectitudine ad res humanas consequendas, cùm ego tuus sim.

m *Suscepit te dextera iustitiæ mei.)* Hoc est, Christi. Potest verti, dextera iustitię meæ. Et tunc erit sensus: Ego te iuuaui dextera, qua cultores meos iuuare soleo.

n *Noli timere vermis Iacob, quia mortui estis ex Israel.)* Per Iacob & Israel intelligit Chorum Apo- F stolorum, aliorúmque fidelium, quos appellat vermes, quia erant in mundo abiecti & contempti, magistrum suum imitantes, qui de se ipso dicit in Psalmo vigesimo primo: *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis:* quem Psalmum intelligi de Christo Euangelistæ testantur. Appellat etiam fideles mortuos, quibus ait Apostolus: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Et ipse Apostolus mortuus erat mundo, & non quacunque morte, sed morte crucis. Ita enim ait ad Galatas scribens: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quẽ mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Et in epistola prima ad Corinthios, *Quotidie*, inquit, *morior.* Et ad Galatas capite secundo: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* In vnoquoque nostrum est duplex homo, interior & exterior, homo nouus & homo vetus, homo carnalis & homo spiritualis. Sunt autem Coloss. 3: Gal.6. 1.Cor.15

A autem veri Christiani mortui quo ad hominem veterem, *qui carnem suam*, vt verbis vtar Pauli, *crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*, sed viuunt quo ad hominem nouum, viuit in eis Christus, *& eorum vita est abscondita cum Christo in Deo.* Itaque in me est duplex ego, alter secundum carnem, alter secundũ spiritum. Vtinam ego mortuus essem secundum carnẽ, & viuerem secundum spiritum. Vt viuerem iam non ego, sed viueret in me Christus.

o *Ego posui te quasi plaustrum triturans nouum.*) Alloquitur Deus Apostolorum chorum, & ecclesiam primitiuam, quam fecit plaustrum nouum & dentatum ad triturandam mundi superbiam, & elatos ac potentes homines superandos & humiliandos, & ad veritatis ac fidei horreum ducendos. Appellatur autem illa primitiua Ecclesia plaustrum nouum, & non vetus, quia nõ in vetustate literæ, sed in spiritus nouitate, peccatorum corda durissima contriuit, purgatúmque triticum à comminutis paleis separauit, & montes ac colles, hoc est, hæreticos in puluerem redegit. Sunt qui hoc referunt ad Iudęos, qui post captiuitatem præsertim tempore Machabæorum, multos ex hostibus suis fortiter contriuerunt. D

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT XLI.

1 Et suscepit te dextera iusti mei.] *In Hebraico est:* אחטמבחיר בימיו צוקי *aph temachtticha bemin tsidhki. Quæ possunt ita Latinè reddi:* Atque sustentaui te dextera iustitiæ meæ. *Hebraismus est hunc habens sensum: Et meaiusta manu dextera te sustentaui. Vnde Septuaginta interpretes verterunt:* Et coroboraui te dextera iusta mea. *Appellatur autem dextera iusta, quæ vniculque tribuit iuxta opera sua. Verbum* תמך *non solùm suscipere significat, sed etiam sustentare, vt Exodi 17.* Sustentabant manus eius ex vtraque parte.

B

2 Qui mortui estis ex Israel.] *In Hebraico est dictio* מיחי *methe, quæ & viros significat, & eos, qui ex vita excesserunt. Ideò potest verti:* Viri Israel. *Aiunt Hebræi ita esse hunc locum vertendum: nam quando hæc dictio scribitur cum xeua, quemadmodum hîc, potius viros quàm mortuos significat: quando verò cum tsere, potius mortuos.*

E

---

a Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt, lingua eorum siti aruit: Ego Dominus exaudiã eos, Deus Israel non derelinquam eos. Aperiam [1] in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes. Ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. b Dabo in solitudinem [2] cedrum, & spinam, & myrtum, & lignum oliuæ. Ponam in deserto abietem, vlmum, & buxum simul, vt videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hæc, & sanctus Israel creauit illud. c Prope facite iudicium vestrum, dicit Dominus, [3] afferte si quid forte habetis, dixit rex Iacob. d Accedant & nuntient vobis, quæcunque ventura sunt. e Priora quæ fuerunt, nuntiate, & ponemus cor nostrum, & sciemus nouissima eorum, & quæ ventura sunt, indicate nobis. Annũtiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos. Bene quoque aut malè si potestis facite, & loquamur & videamus simul. Ecce vos estis ex nihilo, f & opus vestrũ ex eo quod nõ est. Abominatio est qui elegit vos. Suscitaui ab Aquilone, & veniet ab ortu solis. Vocauit nomen meũ, & adducet magistratus quasi lutũ, & velut plastes cõculcãs humũ. g Quis annũtiauit ab exordio, vt sciamus, & à principio vt discamus. Iustus es? Non est annũtians neque prædicens, neque audiens sermones vestros. h Primus ad Sion dicet, ecce adsum, i & Israelem Euangelistam dabo. k Et vidi, & non erat ex istis quisquam, qui iniret consilium, & interrogatus responderet verbum. Ecce omnes iniusti & vana opera eorum, ventus & inane simulachra eorum

C

a *Egeni & pauperes.*) Sensus est: Cùm inopes & afflicti aquas quærunt, & non inueniunt, sed siti laborant, etsi videantur derelicti: ego tamen, ait Deus, eos exaudiam, & non derelinquam, sed aperiam illis flumina & fontes, & aquarum abundantiam in montibus & campis, & in terra inuia & deserta. Per hanc sitim intelligitur penuria verbi Dei ante aduentum Christi. At vbi ipse venit, totum orbem terrarum impleuit concionatoribus, vt in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Per flumina, & fontes, & stagna, & riuos, intelligitur pura & excellens Christi doctrina, quam ipse, eiúsque Apostoli, & viri Apostolici prædicarũt. Hę aquæ manarunt ab illo fonte, qui per Ieremiam loquitur, *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Hunc fontem appellat Dauid fontem vitæ, & Zacharias fontem patentem in ablutionem peccatorum: *& Esaias fontem salutoris.* Vnde ipse saluator dicebat: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Mundus fontem habet, sed qui non solùm sitim nõ extinguit, sed etiam bibentes necat. Vt enim nemo quamuis siti laboret, bibit ex fonte in cuius fundo videt lutũ, vermes venenosos, & alias pestiferas spurcitias, sic nemo bibit ex mundi fonte, nisi qui eius opum & voluptatum, cæterarúmque rerum humanarum fundũ non aspicit. Si enim mortales fundum aspicerent, si rerum finem contemplarentur, fugerent absque dubio à fonte mundi, ex quo non aqua, sed pernicies hauritur. Accedamus igitur ad Christi aquas, quas ipse nobis abundanter aperuit. In eo autem quod dicit daturum aquam, eámque aperturum in mõtibus, & campis, & desertis, significauit nullam fore nationem, neque humanitate præditam, nec agrestem & incultam, vbi non prædicanda esset & docẽda Christiana veritas & doctrina. Ante Dei nostri aduentum quærebant Gentes per diuersos magistros, & varia philosophorum dogmata, aquas salutares, sed nõ inueniebant. At non est passus Deus hominem lucem sapientiæ diutius requirentem, in errore versari. Aperuit oculos eius aliquando, & errantem ac vagum veritatem docuit, & aquas salutares, atque viam adipiscendæ æternitatis ostẽdit. Hoc fuerat multò antè in

F

Psal. 18.

Ierem. 2. *Psal. 35.* *Zach. 13.* *Supr. 12.* *Ioan. 4.* *simile.*

A in Agar adumbratum,quę,vt ſcriptura diuina commemorat,errabat in ſolitudine cum filio ſuo,& aquę vtrem portabat.Sed conſumpta aqua,quæ erat in vtre,laborabant ſiti mater & filius, erántque in magno vitæ periculo & diſcrimine conſtituti.At miſertus eorum Deus aperuit oculos Agar,& oſtẽdit ei aquam,ex qua biberent, & ſitim ſatiarent, & creuit puer,& fecit eum Deus in gẽtem magnam.Quid per Agar niſi Gentilitas ſignificatur,quæ infinitis ſceleribus implicata in deſerto extra viam veritatis degebat,& in erroribus incredibilibus verſabatur? Errabat Agar cum filio ſuo,errabat etiã Gentilitas cũ ſobole ſua,& aqua vtris,quæ aruit,ſuſtentabatur. Habet mundus aquam, ſed quæ æſtuat & conſumitur, quoniam mundi opes,voluptates,&magiſtratus pereunt & euaneſcunt.& omnis eius gloria quocũque afflictionũ æſtu conſumitur, & tandem extinguitur. At Deus ille ſummus & ſempitetnus non tulit, vt Gentilitas cũ ſobole ſua ſiti periret,aperuit illi aquã ſalutiferæ & Euangelicæ doctrinæ,qua ſuſtentata veram vitam conſequeretur,& Gentilitatis progenies iis aquis refecta multiplicaretur,quo tandem ad ciuitatem illam cœleſtem & triumphantem peruenireț,vbi ſeipſam aquarum diuinarum ſuauitate & abundantia ſatiaret.

b *Dabo in ſolitudine cedrum & ſpinam.*) Per has arborum varietates intellige gratiarũ diuerſitatem,aut viros ſapientia,virtute,& nobilitate prẹſtantes,in quo
B rum vmbra poſſent feſſi viatores aliquo modo requieſcere. Vt enim viã facientes magno ẹſtu & ardo
ſimile. re cõbuſti,amœna & opportuna alicuius opacę arboris vmbra recreantur,ſic afflicti homines & in ęrumnis verſati ope & conſolatione virorum iuſtorũ & ſapientium delectantur. Homines igitur iuſtitiam & pietatem colentes comparantur magnis & fructuoſis arboribus,iniqui autem & ſcelerati vrticis,ad quarum vmbram nulla animalia,niſi parua & vilia confugiunt.

c *Propè facite iudicium veſtrum,dicit Dominus. Afferte ſi quid fortè habetis.*) In principio huius capitis vocauit Deus idolorum cultores, vt veluti in iudicio cum eo diſputarent. Volebat enim rationibus illis oſtendere eorum errorem & contumaciã. Et ad hoc oſtendit quantam fortitudinem dederat iuſtis, qui contẽptis idolis ipſum ſolum Deum adorabant. Et quanquam multi viri iuſti eſſent in hac vita vexati, D
non tamen erant ab ipſo Deo derelicti. Ex quo ſumpſit occaſionem loquendi de Apoſtolis, qui etſi erãt pauperes & pauci,tamen multos & magnos principes ſuperarunt,& ad Eccleſiam cum Dei gratia adduxerunt. Nunc redit ad idolorum cultores,dicens, vt reddant rationem,cur colant idola, vt propè faciant iudicium ſuum,hoc eſt, vt adſint cauſæ ſuæ,& afferant rationem,ſi eam habuerint,& præcipua argumenta.

d *Accedant,& nuntient vobis.*) Nempe,idola veſtra. Irridet idolorum vanitatem, quoniam neque futura prædicebant,nec præterita indicabant.

e *Priora quæ fuerunt nuntiate.*) Apoſtrophe eſt ad idola.

Ecce vos eſtis ex nihilo.) Id eſt,vos idola nihil valetis,non eſtis dij,imò nihil eſtis. *Idolum nihil eſt*, ait Apoſtolus ad Corinthios 1.cap. 8.ſcribens.

f *Et opus veſtrum.*) Id eſt,reſponſiones veſtræ.Poſt quàm Deus oſtendit vana eſſe idola,nihilque valere neque poſſe,oſtendit ipſius potentiam, vt idolorum cultores confundat. Ideò inquit. *Suſcitaui ab aquilone,& veniet ab ortu ſolis.* Acſi diceret: Ego ſum ille, qui ſuſcitaturus ſum Cyrũ regem Perſarum, vt bellũ inferat Babyloniis,eoſq; ſuperet,vt Iudæos auferat ex captiuitate Babylonica,& in patriam reducat. Perſis erat ad partem aquilonarem reſpectu Iudææ.

g *Quis annuntiauit ab exordio,vt ſciamus?*) Senſus eſt:Dicite mihi ô idolorum cultores,quis ex diis veſtris annuntiauit hæc à principio,vt ſciamus eum eſſe verum Deum.

h *Primus ad Sion dicet, ecce adſum.*) Hieronymus in commẽtariis legit:*Ecce adſunt.* Et ita habent non nulli codices. Et eſt ſenſus: Idola nihil poſſunt verè nuntiare,Deus eſt qui primus dicit Sioni, Ecce adſunt ea,quæ ab ipſo promiſſa ſunt.

i *Et Hieruſalem Euangeliſtam dabo.*) Id eſt, Ego Dominus dabo Hieroſolymæ Euangeliſtas, qui ei læta pronuntient. E

k *Et vidi,& non erat.*) Verba ſunt Dei in hũc modũ dicentis:Ego vocaui idolorũ cultores ad diſceptandum mecũ in iudicio,ſed vidi nullum eſſe ex illis,qui inſtructus eſſet conſilio,qui pro ſe rationem reddere poſſet.Imò omnes ſunt iniuſti,&eorũ opera inutilia & inania,& eorum idola ventus & vanitas.

ANNOTATIO.

1 In ſupinis collibus.) *Quidam codices habent:* In ſupremis collibus. *Pagninus vertit* in excelſis.

2 Cedrum & ſpinam.) *Hic variant etiam Latini codi-*
C *ces:quidã habẽt* ſpinã, *quidam verò* pinũ. *Neque eſt mirum,quoniã Hebræi in varias circa hanc dictionẽ ſententias diſtrahuntur.Ex noſtris nonnulli exiſtimãt per ſpinas prunos intelligi,iuxta illud poẽtæ quarto Georgicorũ:* Edurámq; pyrum,& ſpinas iã pruna ferentes. *Alij per ſpinas arbores ſpinoſas intelligunt,qualis eſt malus citrea aut medica. Sũt qui dicãthãc arborẽ eſſe ſpinã Aegyptiã, cuius ligna etiã in aquis incorrupta perſeuerant. In Hebraico eſt* שטים *xittim, quod nomẽ ſcriptũ inuenies multis in locis diuinarũ literarũ.Pro quo noſter interpres vertit ſethim,vt Exod.c.27.* Facies& tabulas ſtantes tabernaculi de lignis ſethim. *& paulò poſt:* Facies & vectes de lignis ſethim. *Ex Iudæis nonnulli exiſtimãt eſſe buxũ,alij piceã,alij cedrum.R. Kimhi aſſerit eſſe ſpeciem quandã optimæ cedri,cui aſſentitur noſter Pagninus,qui hoc Eſaiæ loco pro* שטה *vertit,xittah genus cedri optimæ. Sũt qui dicant hæc ligna excellentiũ cedrorũ fuiſſe ab Hebræis ex Aegypto in deſertũ aſportata,vt ex illis tabernaculum fœderis;q; arcã conſtruerẽt.Exiſtimo tamen probabiliorẽ eſſe Aben Ezræ ſententiã exiſtimãtis has precioſas cedros circa motem Sinai creuiſſe.Cui adſtipulatur author Hizcuni,qui ait fuiſſe in deſerto ſyluas,vbi hæ arbores oriebãtur,iuxta illud Nu.* 25.Morabatur autẽ eo tẽpore Iſrael in Sethim:*vbi eſt hoc idẽ nomẽ.Ioſephus libro Antiquitatũ tertio,c.6.ait ligna tabernaculi fuiſſe adeò duribilia,vt nequaquã potuiſſent putredine violari,& cap. octauo eiuſdẽ libri ita ait:* Facta eſt autẽ arca Deo ex lignis natura fortiſſimis,& quę nequaquã putredinẽ ſuſtinerẽt. *Huic ſentẽtiæ ſauet Septuaginta interpretũ verſio, qui pro lignis Sethim trãſtulerũt* ξύλα ἀσηπτα *hoc eſt ligna imputribilia ſiue incorrupta.Ex quo videtur vera eſſe eorũ ſentẽtia,qui per ſethim optimas cedros interpretãtur. Conſtat enim inter omnes eſſe ligna cedrina incorruptibilia. Narrat Plinius libro de hiſtoria naturali ſextodecimo fuiſſe ſuo tẽpore Vticæ in Apollinis tẽplo trabes cedrinas incorruptas tantæ vetuſtatis,vt inter earũ collocationẽ & ipſius Plinij ætatem mille centum & octoginta anni interfluxiſſent.*

3 Afferte ſi quid forte habetis.) Pro ſi quid forte habetis,*eſt in Hebraico vnica dictio* עצמוטיכם *atſumothecham,quæ eſt in numero multitudinis deriuata à ver-*

A *bo* עצם *atſam, quod ſignificat prævalere, fortem eſſe, & roborare. Vnde poteſt verti:* Afferte firmamenta veſtra, *hoc eſt, ea argumenta, quę exiſtimaueritis fore contra me fortiſſima. Illa igitur dictio,* forte, *non eſt aduerbium, ſed nomen. Pagninus vertit:* fortes veſtros: *vt ad falſos commẽtitióſque Deos referatur. Quaſi dicat: Afferte in medium ex veſtris Diis eos, quos fortiores eſſe creditis, & videamus poſſintne futura prædicere.* D

Argumentum capitis XLII.

Inducit Propheta Deum patrem loquentem, & filium ſuum hominibus nuntiantem. Prædicit eſſe Chriſti aduentum in ruinam & reſurrectionem multorum, eius denique Chriſti lenitatem, manſuetudinem & magnificentiam ſignificat, Infideles Iudæos arguit, eorúmque cæcitatem prænuntiat.

CAPVT XLII.

Ecce [a] ſeruus meus, ſuſcipiam eum, electus meus, [b] cõplacuit ſibi in illo anima mea. Dédi ſpiritũ meũ ſuper eum, [d] iudiciũ Gentibus proferet. [c] Nõ clamabit, [f] neque [e] accipiet perſonã, [g] nec audietur vox eius foris. [h] Calamũ quaſſatũ non cõteret, & linum fumigãs non extinguet. [i] In veritate educet iudiciũ, [k] nõ erit triſtis neque turbulentus, donec ponat in terra iudiciũ, [l] & legẽ eius inſulæ expectabunt. [m] Hæc dicit Dominus Deus creãs cœlos & extendẽs eos, firmans terrã, & quę germinãt ex ea, [n] dans flatũ populo, qui eſt ſuper terrã, & ſpiritũ calcantibus eã. [o] Ego Dominus vocaui te in iuſtitia, & [p] apprehendi manũ tuã, & ſeruaui te. [q] Et dedi te in fœdus populi, in lucẽ gentiũ, [r] vt aperires oculos cæcorũ [s], & educeres de concluſione vinctũ, de domo carceris ſedentes in tenebris. [t] Ego Dominus, Hoc eſt nomen meũ. Gloriã meam alteri non dabo, & laudẽ meã ſculptilibus. [v] Quę prima fuerunt, ecce venerunt: noua quoq; ego annuntio, antequã oriantur audita vobis faciam. [x] Cantate Dño canticum nouum, laus eius ab extremis terræ. Qui deſcenditis in mare, & plenitudo eius, inſulę & habitatores earũ. Leuetur deſertũ & ciuitates eius, in domibus habitabit Cedar. Laudate, habitatores petræ, de vertice montiũ clamabunt. Ponent Dño gloriã, & laudẽ eius in inſulis nuntiabũt. [z] Dñs ſicut fortis egredietur, ſicut vir pręliator ſuſcitabit cœlũ. Vociferabitur & clamabit, ſuper inimicos ſuos cõfortabitur. [aa] Tacui, ſemper ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar. [bb] Diſſipabo & abſorbebo ſimul, deſertos faciã montes & colles & omne germẽ eorũ exiccabo. [cc] Ponã flumina in inſulas, & ſtagna arefaciam. [dd] Et educã cæcos in viam, quã neſciunt, & in ſemitis quas ignorauerunt, ambulare eos faciã. Ponã tenebras coram eis in lucẽ, & praua in recta. [ee] Hæc verba feci eis, & nõ dereliqui eos. [ff] Cõuerſi ſunt retrorſum Cõfundantur confuſione, qui cõfidunt in ſculptili, qui dicunt cõflatili, vos dij noſtri: [gg] Surdi audite, & cæci intuemini ad videndũ. Quis cæcus niſi ſeruus meus, & ſurdus niſi ad quẽ nuntios meos miſi? [hh] Quis cæcus niſi qui venũdatus eſt, & qui cęcus niſi ſeruus Dñi? [ii] Qui vides multa nónne cuſtodies? Qui apertas habes aures, nónne audies? Et Dñs voluit vt ſanctificaret eũ, & magnificaret legẽ, & extolleret, ipſe autẽ populus direptus & vaſtatus. [kk] Laqueus iuuenũ omnes, & [ll] in domibus carcerũ ab ſcõditi ſunt. Facti ſunt in rapinã, neque eſt qui eruat in direptionẽ, neq; eſt qui dicat, redde. [mm] Quis eſt in vobis qui audiat hoc, attẽdat & auſcultet futura? Quis dedit in direptionẽ Iacob, & Iſrael vaſtantibus? nónne Dñs ipſe cui peccauimus? Et noluerunt in viis eius ambulare, & non audierunt legem eius. Et effudit ſuper eum indignationẽ furoris ſui, & forte bellum. Et combuſsit eum in circuitu, et non cognouit et ſuccendit eum, et non intellexit. C

Matth. 12. d

Infr. 49. b

Infr. 48.

Pſal. 149.

E

B

EXPLANATIO.

a *Ecce ſeruus tuus.)* Dixerat Deus cap. ſuperiore prope finẽ, ſe ſuſcitaturũ eſſe liberatorẽ, qui principes Babylonis ſuperaret, et fideles in patriã reſtitueret, per quem intelligitur Cyrus, vt ibi explicuimus. Sed quoniã ſolent diuini vates quãdo de aliquo liberatore et ſeruatore terreno loquuntur, eleuari ſpiritu, et mentis aciẽ ad diuinũ liberatorem et ſaluatorẽ dirigere, eiúſq; alta myſteria intueri, trãsferunt ſermonẽ à terreno ad cœleſtẽ, et de chriſto Deo noſtro vaticinantur, qui venit in mundũ, vt nos è tetris tenebris in lucẽ et claritatẽ vindicaret, et ex Babylonica captiuitate, ex peccatorũ vinculis ad liberã ac cœleſtẽ Hieroſolymã perduceret. Id facit modò Eſaias, q de cyro trãsfert ſermonẽ ad chriſtũ, de quo in hoc ca. apertè vaticinatur. Intelligi autẽ hoc caput de chriſto apertiſſimè teſtatur diuus Matth. ca. 12. ſui Euãgelij. Sed quid mirũ Catholicos interpretari hęc de chriſto, cùm etiã ex Iudęis multi in hac ſententia permaneãt? Sed differimus in hoc, qđ illi dicunt Chriſtũ eſſe venturũ, nos autẽ veniſſe affirmamus. Loquitur igitur in hoc cap. Deus pater, ita inquiẽs: *Ecce ſeruus meus ſuſcipiã eũ, &c.* Appellat autẽ Chriſtũ ſeruũ ſecũdũ naturã humanã, propter miniſteriũ illud, quod nobis exhibuit, miſſus à patre, ſed nũquã ſeparatus ab eo, non enim venit miniſtrari, vt ipſe ait, ſed miniſtrare. Et, vt verbis vtar Pauli, *Semetipſum exinaniuit, formã ſerui accipiens, in ſimilitudinẽ hominum factus, & habitu inuẽtus vt homo.* Nõ negat Chriſtũ eſſe hominẽ, de quo dixerat in epiſtola ad Timotheũ: *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominũ homo Chriſtus Ieſus.* Et ad Corinthios ſcribẽs, *Primus homo,* inquit, *de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis.* Nã non valet hęc cõcluſio: Fuit Chriſtus in ſimilitudinẽ hominũ factus, igitur non eſt homo. Quẽdamodũ nec valet hæc, Inuictiſſimus Ioãnes tertius in ſimilitudinẽ cæterorũ Luſitaniæ regũ creatus eſt: ergo non eſt rex. Imò de rege dicitur: Incedit in ſimilitudinẽ regis, aut tãquã rex. Et ita intelligitur id, quod ait de Chriſto D. Ioãnes, c. 1. *Vidimus gloriã eius, gloriã quaſi vnigeniti à patre.* Vbi nõ negat eũ eſſe vnigenitũ, ſed ait taliẽ gloriã habere, qualẽ decet vnigenitũ Eodẽ modo dicit Apoſtolus chriſtũ eſſe in ſimilitudinem F

Mat. 20. Philip. 2.

1. Tim. 2

A dinẽ hominum factũ: nõ tamen negat esse hominem. Sed quoniã Christus est verus Deus, & diuinitas ipsa est vnita humanitati, ideò nõ homo purus appellatur ab Apostolo, sed in similitudinẽ hominũ factus. Vbi vides Christum seruum appellari, & verum hominem esse. Nec mirũ est, cũ voluerit pro nobis vẽdi, vt nos suo sanguine emeret. Id autẽ quod hic dicit Esaias, videtur alludere ad id, quod dixerat Dauid cũ Deo patre loquens in Psal. 64. *Beat⁹ quẽ elegisti & assumpsisti.*

b *Cõplacuit sibi in illo anima mea.)* Hoc ipsum testata est vox illa patris, quę in trãsfiguratione audita est, vt ait diuus Matthęus, c. 17. dicẽs: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, quã refert Petrus Apostolus in epistola secunda. c. 1. Et eadem vox audita fuit etiam in baptismo Christi, vt refert idem euãgelista. Est igitur sensus: *Ecce seruus meus, qui est mihi charissimus.* Matth. 3.

c *Dedi spiritũ meum super eum.)* Idẽ dixerat suprà Esaias: *Et requiescet super eũ spiritus Domini.* Et infrà: *spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me.* Hinc Ioannes Baptista apud Ioannẽ Euãgelistã, c. 1. *Vidi*, inquit, *spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum.* Non intelligendum est Christum tunc primùm accepisse spiritum sanctum, fuit enim eo plenus ab instanti conceptionis. Sed declarauit spiritus sanctus tunc præsentiam suam signo exteriore, & in Christo mansit in testimonium veræ eius diuinitatis. Infr. 61.

B d *Iudiciũ gentibus proferet.)* Id est, Euangeliũ, quod iudicium Dei continet. Multis enim in locis Euãgelij indicauit Christus bonos esse adepturos gloriam, malos autem esse suorũ scelerũ pœnas daturos. Vel proferet iudiciũ extremũ. Docebit seipsum venturum esse ad iudicium. Quid significet iudiciũ, & quo modo in diuinis literis accipiatur, explicuimus fusè c. 2. Aspicis hìc Messiã nõ solũ Iudęis, sed etiã Gentibus fuisse Euãgeliũ daturum. Lex vetus fuit Iudęis lata, noua verò Iudæis & Gentibus.

e *Non clamabit.)* Nẽpe clamore cõtentionis. Non clamoribus rem aget, sed admirabili quadã modestia ac benignitate homines tractabit. Hoc voluit Dauid in Psalmo 71. iis verbis significare: *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillãtia super terrã.*

f *Nec accipiet personã.)* Id est, erit rectus & æqualis, & non personarũ acceptor. Hoc idẽ ait Apostolus in epistola ad Romanos, c. 2. & est multis in locis diuinarũ literarum scriptũ. Iudex, qui Christum voluerit imitari, nõ debet affectu humano & corrupto duci, si iustitiã in qua virtutis splẽdor est maximus, & vitæ quasi cõmunitas continetur, rectè exercere voluerit. Vt enim diameter sic ab angulo ad angulum

C mediũ quadrangulũ diuidit, vt vtrinq; spatium relinquat æquale, sic iudex debet æqualitatẽ colere, & personarũ acceptionẽ fugere, ne ius humanę societatis violet, & iustitiã peruertat. Caueat iudex ne sit bilãx, quę illi parti inclinatur, à qua plus põderis recipit: ne illi iniustè faueat, à quo maiore munere afficitur. simile.

g *Non audietur vox eius foris.)* Diuus Matthæus vertit: *Nec audiet aliquis in plateis vocem eius.* Hoc est, erit pacificus & mitissimus. Id paulò antè significauit, dicens: *Non clamabit.* Et alibi: *Nõ aperiet*, inquit *os suũ, sicut ouis ad occisionẽ ducetur, & quasi agnus corã tondẽte se obmutescet.* Vnde dicebat Apostol⁹: *Omnis clamor, & ira & amaritudo, auferatur à vobis.* Infrà 53. Ephe. 4.

h *Calamum cassatũ non conteret, & linũ fumigans non extinguet.* Sẽsus est, christ⁹ cũ venerit neminẽ contẽnet, quãuis sit imbecillus & fragilis, sed oẽs ad se allicere conabitur. Nomine arundinis cassatę & lini fumigãtis intelligit infirmos in fide, in qbus tamẽ relucet aliqd bonę spei. Diuus Hieronym⁹ in libro quęstionũ ad Algasiã per calamũ cassatũ intelligit populum Iudaicum, qui anteà sonorus laudes Deo concinebat, at posteà fractus in angulari lapide vulnerat manus eius, qui in illo voluerit inniti. Per linum fumigans intelligit populum Gentium, qui extincto legis naturalis ardore fumi amarissimi oculos lędentis inuoluebatur erroribus. Hũc non solùm christus nõ extinxit, & in cinerem redegit, sed potius insufflauit, & de parua scintilla magnũ charitatis incendium erexit, atque homines admirabili amoris igne, quem venit in terram missum, incendit, studióque immortalitatis inflammauit.

D i *In veritate educet iudicium.)* Hoc est, verè iudicabit, neminẽ timẽs. Absque metu Euãgeliũ nũtiabit.

k *Nõ erit tristis neq; turbulens, donec ponat in terra iudiciũ.)* Hoc est, Durabit hęc mãsuetudo eius vsq; ad mortẽ: tunc enim ponet iudiciũ in terra, hominẽ patri recõcilians, moriẽs pro peccatis nostris. Vel donec annuntiet Euangeliũ. Acsi dicat. Erit vsque ad mortẽ mãsuetus & mitis. Nã vsq; ad mortem Euangeliũ nuntiauit. Vide obsecro, & alto animo intuere huius præsulis modestiã, lenitatẽ, benignitatem, tolerantiam, & mansuetudinẽ. Discant ab eo Christiani principes & prędules, nec velint nimia asperitate subditos perdere. Vt enim qui vasa vitrea maculis contaminata volũt mundare, & ad nitorẽ perducere, non debent duriter applicare manus, ne dum volunt sordes abstergere, vasa conterant & infringant: sic prędules, qui volunt coinquinatos subditos corrigere, summa ope niti decet, vt id efficiant moderatè, ne illis perniciẽ conflent, dũ eos ad puritatẽ animique pulchritudinem perducere conantur. Et quemadmodũ inter chirurgos ille est laudabilior, qui lenius tangit vulnera, quàm qui asperè manus imponit: sic ille prędules est prudentior censendus, qui potius lenitate & moderatione, quã nimia seueritate animi vulneribus medetur. Et vt chirurgus, vt in eodẽ simili verser, sectur⁹ mẽbra corrupta & labefactata, nõ impletur ira, quin potius tũc maiorẽ trãquillitatẽ ostẽdit, ne perturbatio impediat artẽ, sic prędules in reprehẽsionib. & punitionib⁹ debet magna vti tẽperãtia, ne ira turbatus modũ trãseat. Nihil enim est prędstãtius, nihil magno & illustri prędule dignius placabilitate ac clemẽtia. Et tamẽ ita probãda est mansuetudo, vt adhibeatur etiã seueritas, absq; qua administrari rectè respublica nequaquã potest. Sed omnis animaduersio & castigatio debet contumelia vacare. Id nos docuit christus Deus noster, qui eum, quem reiecit ex nuptiis, quòd non haberet vestẽ nuptialem, amicum vocauit. Cuius mansuetudinem Esaias in hoc capite multis verbis ostendit. E simile. simile. simile. Matt. 22.

F l *Et legẽ eius insulæ expectabũt.)* Septuaginta habent: *Et in nomine ei⁹ gẽtes sperabũt.* Et ita citat etiã hũc locũ diuus Matt. c. 2. Vbi vides per insulas intelligi gẽtes, quod ca. superiore annotauimus. Ita intelligitur id, quod est ca. sexagesimo scriptũ: *Me enim insulæ expectant.* Id quod Iacob multò anteà iis verbis prædixerat: *Ipse erit expectatio Gentium.*

m *Hæc dicit Dominus Deus.)* In principio capitis non explicauit, quis erat ille, qui loquebatur, modò dicit esse Deum, qui de filio suo vnigenito loquitur.

n *Dãs flatũ populo.)* Hoc est, dãs hominib⁹ spiritũ vitæ. Id q̃ statim subiũgit: *Et spiritũ calcãtibus eã*, elliptica repetitio superioris. Poteris q̃ flatũ intelligere vitã, per spiritũ verò gratiã. Ideò ait Deũ dare spiritũ calcãti b⁹ terrã, hoc est, opes, & delicias, cæteráſq; huiusmodi res humanas cõtẽnẽtibus. Aspicis hoc in loco viros iustos Deòq; gratos conculcare terrã, at iniusti à suis pedib⁹ cõculcãtur. Vbi enim est eorũ thesaurus, ibi est eorũ anima, quoniã anima plus est vbi amat, quã vbi animat. Cũ aũt auarorũ, ambitiosorũ, iniustorúmq; omniũ thesaurus sit in terra, ibi est eorũ anima. Ex quo cõcluditur animã scelerati hominis ĩ terra esse. Ideòq̃ dã dicebat: *Adhæsit pauimẽto anima mea.* Matth. 6. Psal. 118.

A Cũ autẽ ibi homo esse dicẽdus sit vbi eius anima est, apertè ostẽditur sceleratũ hominẽ esse in terra, & à suis pedibus cõculcari. Vnde dicebat Deus: *Fili hominis sta supra pedes tuos.* Non enim iniquus & terrena quærẽs stat supra pedes, sed sub pedibus. At vir pius & rectus terrã cõculcat, quoniã ea, quæ præstãtia mũdi amatoribus vidẽtur, parua ducit, eaq; ratione stabili firmaq; negligit, & ad cœlestia semper aspirat. Ex qbus colliges cor viri iusti esse ignẽ ad cœlũ tendentẽ, terreni verò & iniusti esse arboris truncũ terræ affixũ, & intra illã collocatũ. Vt enim truncus arboris diuersas habet radices, sed omnes intra terrã ad diuersa tẽdẽtes, sic cor hominis prophani multas habet curas & cogitationes, sed omnes terram spectantes, suas voluptates, dignitates & diuitias quærentes. Sed hi viuunt absque vita: conculcantibus autem terram tribuit Deus spiritum & gratiam.

Exech. 2.

similia.

o *Ego Dominus vocaui te in iustitia.*) Id est, vt iustitiã doceas, & per te homines iusti reddantur.

p *Apprehendi manum tuam.*) Significat Deus pater amorem suum erga filium suũ vnigenitum. Vel ideò hoc dicit, quia ea, quę operatur filius, operatur pater. Hoc quidem est quod ait Christus apud Ioannẽ: c. 14. *Pater in me manens ipse facit opera.*

q *Et dedi te in fœdus populi, in lucẽ Gentiũ.*) Aspicis hîc Christũ esse nostrũ fœdus, & nostram lucẽ. Sine eo nõ essemus recõciliati patri, nec mentis oculos aperire possemus. Ille est mediator Dei & hominũ, & lux illa dicens: *Ego sum lux mundi*, de qua dixerat Simeon: *Lumẽ ad reuelationẽ Gentiũ.* Eramus filij irę: & erant inimicitiæ inter Deum & hominem, quas homo ipse per se diluere nõ poterat. Venit fœdus nostrũ, Filius Dei, vt esset author nostrę recõciliationis.

Ioan. 8. Luc. 2.

B

Sup. 9. Malach. 2 Ephe. 2. Coloss. 1.

Ideò Esaias alibi eũ vocat principem pacis. Et Malachias ait: *Pactũ meũ fuit cũ eo vitæ & pacis* Et D. Paulus, *Ipse*, inquit, *est pax nostra, qui fecit vtraq; vnũ.* Et alibi: *Et vos*, inquit, *cùm essetis alienati, & inimici sensu in operibus malis, nunc autẽ recõciliauit in corpore carnis suæ per mortẽ.* Huc pertinet quod ait D. Ioannes in epistola sua: *ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Nõ pro nostris tantum, sed etiã totius mundi. Huius rei gerebat imaginẽ propitiatoriũ, quod erat Christi figura. Erat enim ex auro purissimo super arcã, & tegebatur à duobus seraphim mutuò se respicientibus. Arca illa Ecclesiã adumbrabat, super eã erat propitiatoriũ significãs christũ, q est ppitiatio nostra, rectorũ & protectutũ Ecclesiam suã. Duo seraphim erãt duo testamenta, quę summa ac mutua cõsonantia respõdent, docentia esse christũ propitiatorem & recõciliatorem. Docet hic locus Messiam non solùm Iudęos, sed Gentes etiam fuisse illuminaturum.

Ioan. 2.

figura. Exod. 25.

Ephe. 5.

r *Vt aperires oculos cæcorũ.*) Nõ enim anteà Deũ videbãt: quoniam nõ solùm erãt tenebris circũfusi, sed ipsæ tenebræ. *Eratis aliquãdo tenebræ*, ait diuus Paulus, *nũc autẽ lux in Domino.* Aspicis hîc peccatores esse cæcos, de qbus ait christus: *Cæci sunt & duces cæcorũ*: claudit diabolus eorũ oculos, tenebrísq; cooperit, ne suã perniciem intueãtur. Vt enim fur nocturnus domũ spoliaturus statim extinguit lucernã, & lupus nocte, aut certè tẽpore obscuro & aere nebulis & caligine cooperto irruit in gregẽ, & in aquã inuolutam & turbulẽtam piscator mittit retia, quoniã tunc ea

Matt. 25

similę.

C

pisces nõ vident, sic diabolus intellectũ hominũ tenebris circunfundit, ne suũ exitiũ considerantes caueant, & diabolicas ac pestilentes insidias declinent.

Psal. 142

Hoc intelligebat qui ait: *Collocauit me in obscuris sicut mortuos seculi:* Acsi diceret: Meũ intellectũ dęmõ caligine inuoluit, & me in tenebris posuit, vbi iacẽt omnes flagitiosi seculũ amantes, quos ego mortuos seculi appello. Væ illis, qui non solùm sunt cæci, sed etiam alios obcęcant. Contrà verò illi sunt felices,

Ioan. 8. Luc. 1.

qui non solùm sunt illuminati, sed etiam alios illuminant, Christum imitantes, qui de seipso ait: *Ego sum lux mũdi.* De quo ait Zacharias, *Visitauit nos Oriens ex alto, illuminare iis qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

D

s *Et educeres de conclusione vinctũ.*) Docet hic locus peccatores esse scelerũ vinculis ligatos, in carcere cõclusos, & tenebris coopertos. Aqb⁹ malis venit summus ille generis humani cõditor & cõseruator nos liberatũ, vt nos in amissam dignitatẽ multis ornamentis amplificatã restitueret. Aspicis hîc Christi officiũ esse illuminare cęcos, erigere in peccatis iacẽtes, & vinctos ac ligatos soluere, & ipsum carcerẽ aperire. Ita enim eum sanctus vates Zach. c. 9. alloquitur, *Tu quoq; in sanguine testamẽti tui emisisti vinctos tuos de lacu.* Intelligi aũt caput illud Zacharię de Christo Euãgelistę testãtur. Sed cæci Iudæi totũ hoc intelligũt de terrena liberatione, sperãtes Messiam, qui eos eripiat à captiuitate, nõ animi sed corporis, nec vident miseri ac cæci homines redẽptionẽ p Christũ nõ terrenã esse, sed spiritualẽ. Ait enim Propheta: *Ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* Dicẽs *Ex omnibus iniquitatibus eius*, aperte voluit ostendere Christũ fore animorũ redemptorẽ. Iniquitates enim animi sunt vincula, quibus peccatores sub diaboli tyrãnide captiui detinẽtur. Hoc docuit Iere. c. 31. sic Messiam loquentẽ introducẽs: *Dabo legẽ meam in visceribus eorũ, & in corde eorũ scribam eã, & ero eis in Deũ, & ipsi erunt mihi in populũ.* Et paulò pòst: *Propitiabor iniquitati eorũ, & peccati eorum non memorabor amplius.* Quem locum D. Paulus de Christo interpretatur. Et apud Esaiã ait Christus: *Deleui vt nubẽ iniquitates tuas, & quasi nebulã peccata tua. Reuertere ad me, quoniã redemite.* Vide qualẽ vaticinatus est fore Christi redẽptionẽ. Et ob eã causam hic idem Propheta gladium huius regis & redẽptoris spiritualẽ esse dicit, nimirũ sacrũ Dei verbũ, de quo ait: *Percutiet terrã virga oris sui, & spiritu labiorũ suorũ interficiet impiũ.* Et alibi: *Posui*, inquit, *os meũ vt gladiũ acutũ.* Hunc existimo esse eũ, de quo ait Dauid: *Accingere gladio tuo super femur tuũ potẽtissime.* Est aũt Euangelica doctrina gladius, quo fideles defẽdũtur, dęmones verò expuguantur. Hic est gladius, de quo ait Ioãnes in Apocalypsi: *De ore eius, nępe* Christi, *gladius vtraq; parte acut⁹ exibat.* De quo ait Paulus: *Galeã salutis assumite, & gladiũ salutis, qđ est verbũ Dei.* Hęc volui dicere, vt errorẽ Iudæorũ ostẽderẽ Messiã expectãtiũ, qui eos redimat à terrena captiuitate, de spirituali autẽ minimè curantiũ. Cùm ipsorũ scripturę cõtestentur, Christũ redẽptorẽ esse animarũ, non, vt ipsi expectãt, bellatorem, nõ diuitiis affluentẽ, non ascẽdentẽ ornatũ equũ, aut currũ triumphalẽ, non habẽtẽ armatos satellites, sed eius apparatũ esse spiritualẽ, cœlestíq; regi cõgruentẽ. Ait enim Zach. c. 9. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalẽ. Ecce rex tuus veniet tibi iust⁹ & saluator, ipse pauper & ascẽdẽs super asinã, & super pullum filiũ asinæ.* Quẽ locũ Euangelistæ de Christo exponũt, & ipse Zachariæ textus apertè cõtestatur. Venit Christus nõ cum humana põpa & superbo apparatu, sed in humilitate & mãsetudine quemadmodũ ipse de se ait: *Discite à me, qa mitis sum, & humilis corde.* Nonne aspicis Hebræe Messiã nõ venturũ fuisse ad humanas opes vobis tribuẽdas? Quî fieri poterat vt diuini patriarchæ sanctíq; vates omni sapientia & virtute præstantes, eum tã ardenter expectarent, qui humanas tãtùm opes & dignitates afferret, quas iidẽ viri contemnebant, & pro nihilo putabant? Quas diuitias allaturus erat ille, quẽ Zach. c. 9. pauperẽ, & Esaias c. 52. inglorium appellat, nisi cœlestes & immortales? Hoc intelligens Dauid, *Redimet*, inquit, *Dominus animas seruorum suorũ.* Et Esaias, *Israel*, inquit, *saluatus est in Domino salute æterna.* Non loquuntur de salute externa & tẽporali, sed interna & immarcessibili, & peccatorũ

Matt. 27. Ioan. 12.

Matt. 11.

E

F

Hebr. 10. Infr. 44.

Sup. 11. Infr. 49.

Psa. 44.

Apoc. 1. Ephe. 6.

Psal. 33. Infrà 59.

carce

A carceris apertione de qua hîc ait noſter vates: *Et educes de concluſione vinctum.*

t *Ego Dominus.)* Prohibet idolorum cultum. Quod autem dicit: *Hoc eſt nomen meum*, ita eſt intelligendum: Nomẽ meum eſt Dominus. Ita dicitur in Pſalmo 67. *Dominus nomen illi.*

v *Quæ prima fuerunt.)* Id eſt, ea, quæ prędixi, cõpleta ſunt, nunc autem prædico vobis alia, quę ventura ſunt, ideò velim vt mihi fidem adhibeatis.

x *Cantate Domino canticum nouum.)* Omnes vocat ad canendum Deo, & ad gratiarum actionẽ pro aduentu Meſſię, & humani generis reſtauratione. Et vult vt ſit canticũ non in vetuſtate literæ, ſed in ſpiritus nouitate. Quibus verbis ſignificat in aduentu Chriſti eius Euangelio fulgente abrogandam eſſe veterem legem. Euangelium autem ad omnes gentes propagandum, etiam ad inſulas, & ad deſerta loca colentes.

y *Habitatores petræ.)* Id eſt, qui in rupibus habitatis, & in arcibus ſitis in petris locisque inexpugnabilibus. Sunt qui dicant Petram eſſe ciuitatem quandam Palæſtinæ.

B z *Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitauit cœlum, vociferabitur & clamabit.)* Deſcripſit hactenus primũ Chriſti aduentũ in humilitate & manſuetudine: nunc deſcribit ſecundum in maieſtate & potentia, quando venturus eſt iudicatum vniuerſos. Poſſunt hæc etiã intelligi de primo aduẽtu Chriſti, quem comparat viro fortiſſimo contra hoſtes pugnaturo. Sed quî fieri poteſt vt de Chriſto dicatur: *Vociferabitur & clamabit*, aùm in hoc eodem ca. de eo ſit dictũ: *Non clamabit, neque audietur vox eius in plateis.* Hanc difficultatem facilè abſoluemus, dicentes prius voluiſſe Prophetam Chriſti manſuetudinem, humilitatem, & patientiam oſtendere, qui ſuas iniurias toleranter ferens inimicis ſuis litem non intendebat, ſed ſicut agnus ad occiſionem ductus ſilentio vtebatur: Nunc verò facit eum clamantem, & mundi ſcelera reprehendẽtem. Vnde colliges debere concionatorem contumelias in ſe iactas æquo animo tolerare, mundi verò ſcelera queribunda voce arguere non vt ſuam ſed Dei gloriam quærere videatur.

aa *Tacui, ſemper ſilui, patiens fui: ſicut parturiens loquar.)* Verba ſunt Dei dicentis: Hactenus continui iram meam, nunc clamabo, & inſtar parturientis ma
C gnas voces emittam. Loquitur Deus more humano, vt eum intelligamus. Aſpicis hîc Deum non ſtatim hoſtes ſuos ſternere, ſed aliquando tacere atque diſſimulare, vt rerum publicarum gubernatores, iudicas & præſules doceat declinandam eſſe iram, impatientiam, & præcipitationem, & vt hæc vno verbo comprehendam, animi perturbationem, quæ eſt auerſa à recta ratione contra naturam animi commotio. Hæc enim vt res terra & deteſtabilis eſt omni contentione, velis, vt ita dicam, remisque fugienda. Sunt multi qui vitam priuatam & otioſam degentes videntur mites & moderati, ſed ad dignitatem & principatum euecti, ira, temeritate, malitia, feſtinatione,
ſimile. & animi ac corporis perturbatione ducuntur. Vt enim dolium, aut quodcunque vas ligneum & magnũ quandiu eſt vacuum, ſciſſuras ſuas non oſtendit, ſed eo pleno omnes apparent, quoniam hac atque illac fluit, ſic nonnulli à negotiis publicis ſeparati, in nullâq; dignitate conſtituti tegunt ſuã imbecillitatem, iram, prauitatẽ, & perturbationem, ſed rempublicam capeſſentes ſtatim animi ægritudines & corruptiones oſtendunt, hac fluit ira, illa inuidia, hîc oſtẽditur temeritas, illic prauitas. Nulla adeſt trãquillitas, nulla ſecuritas, nulla moderatio. Ex quo efficitur, vt nihil diſſimulent, neque vllo ſilentio vtantur, ſed omnia D
velint ſtatim temerario impetu caſtigare. Ideò dicebat Pittacus Græcus Philoſophus, principatum virũ declarare. Diſcant rempublicã adminiſtrantes à chriſto Deo noſtro, qui ait: *Tacui ſemper, ſilui, patiens fui, vt ſciant vti tempore, & cum animi placabilitate, & moderatione, & conſilio gubernare.*

bb *Diſſipabo.)* Euertam inimicos meos. Per montes, & colles, & inſulas, & ſtagna, intelligit impios & infideles Iudæos, de quibus ait ſe pœnas ſumpturum.

cc *Ponam flumina in inſulas.)* Id eſt, ſubuertam inſulas aquarum abundantia.

dd *Et educam cæcos in viam.)* Idolorum cultores cæcos vocat. Quaſi dicat: Perfidos Iudæos euertã. Gentes autem ſeruabo, eiſque viam veritatis oſtendam. Alijs ero in ruinam, aliis in reſurrectionem. Qua de re alibi diſſeruimus.

ee *Hæc verba feci eis, & non dereliqui eos.)* Hoc eſt, Id E
quod dico, nempe eſſe Gentes ad veritatem ductum, faciam abſque dubio, non enim eas derelinquam.

ff *Conuerſi ſunt retrorſum.)* Senſus eſt: Qui ex idolorum cultoribus credere noluerint, peiores efficientur. Et confundentur in inferno, qui in ſimulachris & idolis ſuis fiduciam ponunt.

gg *Surdi audite.)* Conuertit Deus ſermonem ad Iudæos infideles, qui in ſua pertinacia perſeuerãt. Hos ſurdos cæcóſque vocat.

hh *Quis cæcus niſi qui venundatus eſt?)* Id eſt, niſi populus Iudaicus, qui ſeipſum dæmoni vendidit? Qui mortiferum peccatum admittit, ſeipſum diabolo vendit, illíque chirographum tradit. Et quoniam ante aduentum chriſti venundati eramus, crucifixus eſt Chriſtus, vt ſuo ſanguine nos emeret. Ait enim *1. Cor. 6. & 7.* Paulus: *Empti enim eſtis precio magno.* Et diuus Petrus *1. Petr. 1.* in prima epiſtola ſua: *Scientes*, inquit *quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paterna traditionis, ſed precioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati.* Chirographum autem decreti, quo eramus dæmoni venundati, deleuit Chriſtus, teſte Paulo dicente: *Coloſ. 2.* F
Delens quod aduerſum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci.

ii *Qui vides multa nónne cuſtodies?* Tu ô Iſrael, qui vides oracula meorum vatum, cur non cuſtodis ea, quæ tibi præcipio?

kk *Laqueus iuuenum omnes.)* Notat Phariſæos & Scribas, quorum conſilio iuuenes decepti & vincti Chriſtum recipere noluerunt.

ll *In domibus carcerum abſcondiri ſunt.)* Hoc eſt, detrudentur in æternas tenebras. Erunt in rapinã & direptionem, capientur à Romanis quo ad corpus, & à dæmonibus quo ad animam, & tandem corpore & anima in æternum cruciabuntur. In tantam incidẽt calamitatem, vt nec ſit qui eos eripiat, nec qui pro illis loquatur, qui dicat raptori vt eos reddat, & reuocet ad libertatem.

mm *Quis eſt in vobis)* Vult Propheta perſuadere Iudæis, vt audiant, & futura cognoſcant, mentéque percipiant peccata ſua eſſe cauſam ſuarum calamitatũ, quoniam chriſtum occiderunt. Et concludit prophe ta afferens miſeros & infideles Iudæos comburendos eſſe à Romanis, & penitus euertendos, & nec ita intellecturos in tot ærumnas ob ſuam infidelitatem & impietatem incidiſſe.

A 2 Et nõ accipiet perſonã.] *In Hebraico eſt*, לא ישא, *ve-loiiſſa, à verbo* נשא *naſa, qđ ſignificat ſumere, leuare, ferre, efferre, portare. Vnde Pagninus vertit*, Et nõ eleua bit, *ſubaudi vnũ, deprimendo aliũ, pro quo noſter interpres vertit:* Non accipiet perſonam. *Aduertant hoc, qui non æquabilitate ſed effectu ducuntur. Vt enim falſa & inæqualis ſtatera, æqualibus ponderibus non ad libellam & æqualiter conſiſtit, ſed alterum deprimit, alterum eleuat, ſic nonnulli alios laudibus efferunt, alios verò pares vita & moribus maledictis vulnerant, de eorũ fama detrahentes, eorúmque ſplendorem maculantes. Poteſt verti:* Non efferet, *ſubaudi vocem. Vel,* Non vociferabitur. *Pro quo Septuaginta verterunt:* Neque dimittet, *ſubaudi populum ſuum.* D

Argumentum capitis XLIII.

Conſolatur Deus Eccleſiam ſuam, promitens ſe eam eſſe protecturum: & populum Iudaicum arguit, & ad iudicium vocat.

CAPVT XLIII.

ET[a] nunc hęc dicit Dominus creans te Iacob, & formans te Iſrael.[b] Noli timere quia redemi te,[c] & vocaui te nomine tuo. Meus es tu.[d] Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te.[e] Cùm ambulaueris in igne, non cõbureris & flãma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus ſanctus Iſrael ſaluator tuus.[f] Dedi propitiationẽ tuã Ægyptum, Æthiopiam & Saba pro te. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis & glorioſus, ego dilexi te. Et dabo homines pro te, & populos pro anima tua. Noli timere, quia ego tecum ſum. 5 Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te. Di E
B cam aquiloni, da: & auſtro, noli prohibere. Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. Et omnẽ qui inuocat nomẽ meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum.[h] Educ foras populũ cæcum & oculos habentẽ, ſurdum et aures ei ſunt.[i] Omnes Gẽtes congregatæ ſunt ſimul, et collectæ ſunt tribus.[K] Quis in vobis annuntiet iſtud, et quæ prima ſunt audire vos faciet?[l] Dent teſtes eorũ, et iuſtificentur, et audiant et dicant:[m] Verè vos teſtes mei dicit Dominus: et ſeruus meus quẽ elegi, vt ſciatis, et credatis mihi, et intelligatis quia ego ipſe ſum. „Ante me non eſt formatus Deus & poſt me non erit. Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me ſaluator.[n] Ego annũciaui & ſaluaui, auditũ feci, & non fuit in vobis alienus. Vos teſtes mei dicit Dominus, & ego Deus. Et ab initio ego ipſe, & non eſt qui de manu mea eruat. Operabor, & quis auertet illud? Hęc dicit Dominus redemptor veſter ſanctus Iſrael[p] Propter vos emiſi Babylonem & detraxi vectes vniuerſos, & Chaldæos in nauibus ſuis gloriantes.

Oſee 13.b

EXPLANATIO.

a *Et nunc hæc dicit Dominus creans te Iacob, & formans te Iſrael.*) Duplicem eſſe Iacob & Iſrael, alterum ſecundum carnem, alterum ſecundum ſpiritum, ſatis à nobis explicatum arbitror capite quadrageſimo primo. Eorũ multitudo & cõgregatio qui Euangelium receperunt, & Chriſto ſe dedicarũt, Iſrael ſpiritualis dicitur, eorũ verò qui in ſua infidelitate & contumacia permãſerunt, carnalis Iſrael appellatur. De hoc dictũ eſt ſuperiore c. 42. Ipſe autem populus direptus & vaſtatus, laqueus iuuenum omC nes. Et paulò poſt: *Et noluerunt in vijs eius*, nimirum Chriſti, *ambulare, & non audierunt legem eius. Et effudit ſuper eum indignationem furoris ſui, & forte bellum*, & cætera, quæ ſequuntur. Vbi propheta aduerſus pertinaces Iudæos fuit apertè vaticinatus. Nunc autem ad veros Iſraelitas cõuertit ſermonem, præſertim ad Apoſtolos, & primitiuã Eccleſiam, quæ in principio tormentis ac cruciatibus tyrannorum fuit crudeliter vexata & afflicta. Solet aliquando ſcriptura nomine Iacob & Iſrael Chriſtianos intelligere.

b *Noli timere, quia redemi te.*) Verba ſunt Chriſti Eccleſiam ſuã alloquentis, acſi diceret: Ego qui te tã to precio emi, qui pro te ſanguinẽ fudi, nũquã te derelinquã, ideò ne timeas, ſed in me ſpem tuã firmiter colloca, quoniã ego te in periculis omnibus ſeruabo.

c *Vocaui te nomine tuo.*) Hoc eſt, te dilexi, & ſigna dilectionis oſtendi. Tũc rex charũ ſibi eſſe famulũ ſignificat, cùm eum nomine proprio vocat. In libro Exodi c. 33. ſcriptum reperrimus dixiſſe Dominum Moyſi, *Te ipſum noui ex nomine.* Contrà verò de reprobis dictũ eſt: *Non noui vos, diſcedite à me operarij iniquitatis.* Ideò narrans Chriſtus hiſtoriã de Lazaro & de diuite epulone nomen Lazari explicuit, epulonis autem ſuppreſſit.

Matt. 7. Luc. 13. Luc. 16.

d *Cùm tranſieris per aquas, tecum ero.*) Senſus eſt: Ego te ab omnibus periculis liberabo. Et ſi viri ſancti propter Chriſtũ & Euangelicam veritatẽ torqueren tur, & in ſummũ capitis periculum vocarentur, non tamen animo frangebantur. Tanta enim erãt fide ac conſtantia muniti, tanta charitate inflammati, vt multò præſtantius & illuſtrius exiſtimarent pro Chriſto occumbere, ſéque hoſtiũ telis obiicere, quàm Chriſtũ ſaluatorẽ noſtrũ relinquere & negare. Neq; dicendũ eſt eos à chriſto derelinqui, cùm torquerentur & occumberent, quoniã etſi corpus pateretur, animus tamen gaudio perfundebatur. Sed nec tormentis Eccleſia ſubuerſa eſt. Licet enim nauicula, cuius chriſtus nauclerus eſt, fluctibus agitetur, nunquam tamen peribit. F

e *Cùm ambulaueris in igne non combureris.*) Aſpicis hîc iuſtũ in medio afflictionũ non cõburi, quoniam Deus cũ illo eſt. Vt enim rubus Moyſi oſtenſus ardebat, ſed nõ cõſumebatur, quia in eo erat Deus, ſic vir verè chriſtianus & optimus in calamitatibus verſat' igne afflictionũ incẽſus, ſpinis ærumnarũ cõpũctus, refrigeratur animo, & placida trãquillitate conſiſtit, quoniã Deũ ſecũ habet. Non eſt miſer nec ærumnoſus, qui pro chriſto affligitur, ſed qui eũ affligit, qui tantò eſt miſerior, quãtò ſibi videtur beatior. Quî enim fieri poteſt, vt non ſit miſerrimus ille, qui viros pios et iuſtos vexat illíſque pernicię machinatur, cũ illius motus turbulenti iactationéſque incitatæ, omnem rationem repellant, nullamque partem tranquilitatis animi relinquant? contrà verò fieri nullo pacto poteſt, vt miſer ſit ille, qui pro chriſto cruciatur, in cuius animo nulla eſt ægritudo peſtilẽs, nulla

A nulla tetra & pernicioſa labes, ſed Chriſti gratia, & ſecuritas placidiſſima. Hic eſt vir ille, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, & de quo loquitur Chriſtus apud Matthæum, *& deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illã, & non cecidit, fundata enim erat ſuper petram.* Hic eſt ille, de quo ait Deus per prophetam: *Cùm ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Viri enim iuſti & charitate præſtantes afflictionibus exercentur, vt poſteà diuino gaudio fruantur. Ideò dicebat Dauid: *Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Vbi vides ignẽ & aquam, hoc eſt, mũdi afflictiones, eſſe viam ad æternas voluptates. Sic tamen velim exiſtimes me non ita laudare afflictiones, quin intelligam multos in illis corruere. Vt enim in mari Rubro Hebræi fuerũt erepti, Ægyptij verò oburuti & ſubmerſi: ſic in afflictione, quæ eſt veluti mare Rubrum, quidam liberantur, quidam verò corruunt & franguntur. Fuit mare Rubrum aliis in gloriam, aliis in ignominiam: aliis aperuit iter ad terram promiſſionis, aliis verò in mediis fluctibus vitã eripuit. Et ita miſeri perierunt ſuorum ſcelerum & facinorum debitas pœnas luentes. Contemplare & intentè conſidera vim afflictionis, & inuenies eam eſſe cum mari Rubro meritò cõparatam. Sed ab ea ait hoc in loco Deus per Eſaiam ſe eſſe ſuos liberaturum. Nam per aquas & flumina, ignem & flammam, intelligit

B afflictionem.

f *Dedi propitiationem tuam Aegyptum, Aethiopiam & Saba pro te.*) Quando Hieroſolyma fuit ſeruata, & à Sennacheribo erepta, fuerunt captæ hæ prouinciæ, quas hîc numerat Propheta. Ideò ait Deus: Ego vt te ſeruarem, volui vt hæ Gentes punirentur. Similis locus eſt in Prouerbiis c. 11. vbi ita ſcriptum eſt: *Iuſtus de angustia liberatus eſt, & tradetur impius pro eo.* Vel ſic: Ego ô Eccleſia mea in propitiationem tuã, vt tibi ſim propitius, pro infidelibus Iudæis dabo tibi alias nationes, nempe Aegyptum, Aethiopiam, & Saba, & ex omnibus denique mundi partibus multi ad te confluent & conuenient. Septuaginta habent: *Feci commutationem tuam Aegyptũ.* Et eſt ſenſus: Ego ô populo Iudaice infidelis, dedi pro te Eccleſiæ meæ Aegyptios, Aethiopes, & Sabæos. Eſt enim monumẽtis mandatum, has nationes ſtatim poſt Chriſti paſſionem Matthæi & Marci prædicatione fuiſſe ad fidem conuerſas.

g *Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente, &c.*) Hunc locum afferunt Iudæi ad probandũ Chriſtum ſaluatorẽ noſtrum non eſſe Meſſiã, quoniã eoſdem per mundum diſperſos in promiſſionis terram non congregauit. Aiunt enim Meſſiã Hebræos omnes per vniuerſum orbem terrarum diuiſos eſſe Hieroſolymam reducturum, quos hîc ſemen ſuum & filios appellat. Nec vident cæci homines ex hoc capite ſuũ errorem & pertinaciã conuinci, cùm apertè de

C Gentibus, quæ erant ad Chriſtum conuertendæ loquatur, nõ ſolùm autẽ de Iudeis, vt ipſi exiſtimant. Nam ſtatim ait Deus: *Et omnẽ qui inuocat nomen meũ:* Qui *omnem* dicit, neminem excludit. Et paulò pòſt: *Omnes*, inquit, *Gentes congregatæ ſunt ſimul.* Nónne vides planè ô Hebræe tuam cæcitatem? Perſpicuè indicat Deus ſe in hoc capite de fidelium omniũ multitudine tractare, ſiue ſint Gentes, ſiue Judæi. Eos omnes filios appellat, quos ſuo ſanguine generauit, de qua generatione ait alio in loco Eaias: *Generationem eius quis enarrabit?* Et paulò pòſt: *Si poſuerit pro peccato animã ſuã, videbit ſemen longæuũ.* Ideò ait diuus noſter Ioannes: *Quotquot autem eum receperunt, dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius.* Cõgregauit autem Chriſtus omnes fideles non localiter in vna prouincia, ſed in vnitate fidei. Ideò ipſe aiebat apud Matthæum c. 8. *Dico autẽ vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, in regno cælorũ.* Hos vocat filios, quos ait de longinquo, hoc eſt, de peccato, quo homines longè à Deo diſtant, eſſe ad gratiam ducendos.

h *Educ foras populum cæcum, & oculos habentem.*) Foras, hoc eſt extra errorem. Omnes infideles cæcos vocat & ſurdos. Particula, *Educ*, refertur ad Chriſtum, quem pater alloquitur. Septuaginta habent: *Eduxi*, vt ſit vox ipſius Dei.

i *Omnes Gentes cõgregatæ ſunt ſimul, & collectę ſunt tribus.*) Ex Gentibus & Iudæis fuit Chriſti Eccleſia congregata. Et cùm dicit, omnes Gentes, diſtributio eſt pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum.

k *Quis in vobis annuntiet iſtud?*) Nullus eſt inter vos ô Gẽtes, qui hoc poſſit enuntiare, & vobis priora dicere.

l *Dent teſtes eorum & iuſtificentur.*) Id eſt, Afferant Gentes teſtimonia, videamus vtrum idola ſua illis ventura prædixerint: & ſi hoc probauerint, iuſtificentur. At hoc oſtendere non poterunt. Ideò audiant me, & dicant vera eſſe, quæ ego dico.

m *Verè vos teſtes mei, dicit Dominus.*) Alloquitur Deus Prophetas & Apoſtolos. *Et ſeruus meus quem elegi*, id eſt, Eſaias.

n *Ante me non eſt formatus Deus.*) Oſtendit in Deo nec eſſe principium nec finem.

o *Ego annuntiaui.*) Subaudi futura. Et ſaluaui. Id eſt, vos ab hoſtibus & mentis & corporis eripui. Et non fuit in vobis alienus: nimirum Deus.

p *Propter vos emiſi Babylonem.*) Id eſt, vt vos liberem à captiuitate, mittam Cyrum, qui Babylonẽ capiat, & vos in patriam veſtram reducat. Et detraham vectes vniuerſos, hoc eſt, aperiam ciuitatem, & detractis vectibus à portis ingrediẽtur Perſæ. Et detraham à ciuitate Chaldæos, qui nauibus ſuis gloriari ſolebant.

D

E

F

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT XLIII.

1 Detraxi vectes vniuerſos.] *Pro vectibus in Hebraico eſt,* בריחים *à verbo* ברח *barach, quod ſignificat claudere. Vnde* בריח, *quod eſt noſtrum nomen, ſignificat vectem, quo oſtium clauditur. Quid autem ſit detrahere vectes vniuerſos, diximus in explanatione. Sed quoniam verbum hoc* ברח *barach ſignificat etiam fugere, verterũt Septuaginta:* Et fuſcitabo fugientes vniuerſos. *Et pro eo quod nos habemus,* & Chaldæos in nauibus ſuis gloriãtes, *habent illi,* & Chaldęi in nauibus vinciẽtur. *Vt ſit ſenſus: Ego propter vos ô Iudæi mittã Cyrũ Babylonẽ, & omnes Babylonios excitabo, vt fugiant, Chaldæique erũt in ſuis nauibus vincti, vt ita captiui & ligati ad alias gentes transferantur. Cùm hac Septuaginta interpretũ tranſlatione videtur cohærere verſio Pagnini, quæ habet:* Et deſcendere faciam fugitiuos vniuerſos. *Alij vertunt:* Deſcendere faciam in nauibus omnes ipſos. *Et deriuant nomen hoc à verbo* רוח *rauach, quod ſignificat reſpirare: dicunt enim naues appellari* בריחים, *quòd vento ducãtur. Ab hoc enim verbo deriuatur* רוח, *quod ſignificat ventum, & ſpiritum.*

A D

Ego Dominus sanctus vester creās Israel Deus vester.[a] Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viā, & in aquis torrentibus semitam. Qui eduxit quadrigam & equum, agmē & robustum. Simul obdormierunt nec resurgent, cōtriti sunt quasi lignū, & extincti sunt.[b] Ne memineritis priorū, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nūc orientur, vtiq; cognoscetis ea. Ponā in deserto viā, & in inuio flumina. Et glorificabit me bestia agri: dracones & struthiones, quia dedi in deserto aquas, & flumina in inuio, vt darem potum populo meo electo meo,[c] Populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit.[d] Nō me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israel. Nō obtulisti mihi arietē holocausti tui, in victimis tuis nō glorificasti me.[e] Nō te seruire feci in oblatione, neq; labotem tibi præbui in thure. Nō emisti mihi argento calamum,[1] & adipe victimarum tuarum nō inebriasti me.[f] Veruntamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.[g] Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum nō recordabor.[h] Reduc me in memoriā, & iudicemur simul, narra si quid habes vt iustificeris.[i] Pater tuus primus peccauit, & [2]interpretes tui præuaricati sunt in me.[k] Et cōtaminaui[3] principes sanctos,[l] dedi ad internecionem Iacob, & Israel in blasphemiam.

2 Cor. 5. d
Ap. 21. b.

Psal. 9.
Psal. 83.

Exod. 14.
Iosue 3.

a *Hęc dicit Dominus, qui dedit in mari viam.*) Quasi dicat: Ne existimetis Deum hæc facere non posse. Nā ipse, qui hæc dixit, ille est, qui aperuit mare Rubrum, & Iordanem, vt vos liberaret in exitu ab Aegypto, & in ingressu terræ promissionis. Qui currus & equos, & omnem exercitum Pharaonis demersit in mare, vbi Aegyptij fuerunt obruti, & nunquàm ad æternam vitam resurgent. Ne intelligas Aegytios non esse resurrecturos ad extremum iudicium. Nam,

1. Cor. 15 B

vt ait Apostolus, *Omnes quidem resurgemus, sed nō omnes immutabimur.* Sed quoniam qui in inferis cruciantur, nunquam consequitur vitā æternā, quæ est vera vita, ideò damnati non dicūtur resurgere. Et ita potest intelligi id, quod dicitur in Psalmo: *ideò non resurgent impij in iudicio.* Vera enim resurrectio est à morte ad vitam.

b *Ne memineritis priorū, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua.*) Sēsus est: Etsi magna pro vobis feci tēporibus prēteritis, tamē multò maiora sum pro vobis facturus, quorū respectu ea, quæ præterita sūt, non debēt in memoriā reuocari. Nā ponā in deserto mundi viā, hoc est, Christū. Et erunt gratiæ flumina, quę non corpora, vt anteà in deserto, sed animas abluant & reficiāt. Et tunc videbitis admirabilia: nā bestiæ agri dracones & struthiones, hoc est, variæ gētes, diuersis ritibus deditæ, quæ in deserto Gētilitatis habitabāt, idolis ac superstitionibus relictis me colēt & laudibus efferēt. Quid sit struthio diximus alibi. Colliges hinc neminē debere de misericordia diuina desperare quāuis instar belluæ vitā degat, quoniā potest eū Deus à feritate & scelere conuertere, eíq; gratiam & gloriā tribuere. Possunt hæc verba intelligi ad literam de abrogatione sacrificiorū & ceremoniarum legis veteris, & de institutione sacramētorū legis gratiæ. Et hęc est vera hui' loci interpretatio. Lege diuinas literas, & videbis apertè esse hoc multis locis præ-

C

Ierem. 31.

dictū. Ier. ita ait: *Ecce dies veniēt dicit Dominus, & feriā domui Israel & domui Iuda fœdus nouū: Nō secundū pactum, quod pepigi cū patribus vestris, in die qua apprehēdi manū eorū, vt educerē eos de terra Aegypti.* Et paulò post: *Hoc*, inquit, *erit pactū, quod feriam cū domo Israel. Post dies illos, dicit Dominus, dabo legē meam in visceribus eorū, & in corde corū scribā eam, & ero eis in Deū, & ipsi erunt mihi in populū.* Vide quàm apertè abrogationē veteris legis prædixerit, & noui Testamenti institutionē. Ita hunc locū interpretatur Apostolus

Hebr. 9.

in epistola ad Hebræos. Et quāuis illum Apostolus non interpretatur, tamē ipse seipsum declarat. Et infert Apostolus: *Dicendo autem nouum*, subaudi Testamentum, *veterauit prius*: Et reuera hæc est Testamentorum lex, vt nouum destruat vetus. Hanc promissio-

Baruch 2.

nem confirmauit Deus per Baruch Prophetam ita dicens: *Et statuam illis testamentum alterum sempiternum, vt sim illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Et quoniam noua lex nouum populum cōstituit, nouos mores, nouos pontifices, nouas ceremonias, ideò dicit hoc in loco Deus: *Ecce ego facio noua.* Et capite secundo, & quinquagesimoquinto, & sexagesimoquinto, & aliis in locis, hanc noui Testamenti institutionem prædicit. Qua de re vide ea, quæ in sequentibus annotabimus.

c *Populum istum formaui mihi.*) Habes hîc apertum E & perspicuum locum contra Iudæos, quos Deus reiicit ob eorum infidelitatem & contumaciam, & eorum abrogat sacrificia.

d *Non me inuocasti Iacob.*) Acsi diceret: Dracones, struthiones, & cæteræ feræ, me laudibus efferent, tu autemô populе Iudaice, quem ego enutriui, & ad magnum vexi honorem, de meis laudibus conticescis, cæteris me inuocantibus, tu taces.

e *Non te seruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure.*) Sensus est: Nunquam te coegi, vt mihi offerres sacrificia, nec te fatigaui, vt mihi thus & thymiama incēderes. Non exegi à te vt argēti mihi emeres calamū, cuius odorifero fumo me delectares, nec vt mihi victimas offerres. Reiicitur sacrificium sine fide & charitate. Nā sacrificia veteris legis per se Deo non placebant, vt ipse ait in Psalmo 39. cū patre ita loquens: *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustū & pro peccato non postulasti, tūc dixi, ecce venio.* Quem locū diuus Paulus de Chri- Heb. 10.
sto apertè asserit esse intelligendū. Est enim Christus vera hostia, quæ delet nostra crimina. Et quoniā sacrificia legis peccata non delebant, venit Christus vt nostra scelera expiāret, & inueteratā maculam sanguine suo deleret. Nemo est in literis diuinis vel me- F
diocriter versatus, qui non videat prædixisse Deum per diuinos suos vates esse legis sacrificia abroganda. Nā per Amos c. 5. ita ait: *Si obtuleritis mihi holocautomata, & munera vestra nō suscipiā.* Et per Oseā c. 6. *Misericordiam volo, & non sacrificiū.* Et per Danielē: *In dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificiū.* Lege totū illud caput, & videbis Danielē c. 9. vaticinantē de morte Christi, & de cessatione legaliū. Per Malach. c. 1. iis verbis Deus Iudęos alloquitur: *Nō est mihi volūtas in vobis, & munus nō accipiā de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda.* Non vult Deus vt offerantur illi hirci & boues, sed munda hostia & purissimū sacrificiū, quod est Christus Deus noster, qui vt ait Esaias, *oblatus est quia ipse voluit, vt in ara crucis crimina nostra deleret*, in cuius memoriam quotidie in Ecclesia consecratur. Cùm Christo autem mortuo mortua fuerunt Infrà 53.

legis

A legis veteris sacrificia & ceremoniæ & iudicia. Quibus mortuis perspicuum est nouam illam legẽ succedere debere, de qua Ieremias & Baruch, quos pauló antè citaui, vaticinati fuerunt, quæ est Christi legislatoris nostri Euangelium. Hoc præuidẽs regius vates canebat: *Constitue Domine legislatorem super eos, vt sciant gentes quoniam homines sunt.* Et in alio Psalmo: *Etenim benedictionem dabit legislator.* Qua de re ea poteris videre, quæ 1. & 2. capite literis mandauimus.

Psal. 9. Psal. 83.

f *Veruntamen seruire me fecisti in peccatis tuis.*) Sensus est: Sacrificia veteris legis non delebant peccata, ideò ego veni vt ea delerem. Peccata mundi in causa fuerunt, vt ego formam serui acciperem, ingentes labores subirem, & meipsum immolarem.

g *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* Sensus est: Tu me seruire fecisti, & ego propter me, quia misericors sum, deleo peccata tua. Ideò diuus Ioannes dicebat de Christo: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,*

Ioan. 1.

h *Reduc me in memoriã, & iudicemur simul.*) Sis memor mei, & vide habeáne aliquid contra me, & affer illud in medium: contendamus iudicio, & inter nos disceptemus. Vide Dei clementiam. Idem licet aliis verbis dicit per Michæã: *Populo meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Respõde mihi.* Qua de re diseruimus capite quinto.

D

Mich. 6.

i *Pater tuus primus.*) Nempe Adam, peccauit, cùm funestum pomum comedit. Interpretes tui, nempe Moyses & Aaron. Quasi dicat: Non poteris mihi maiorum tuorum sanctitatem obiicere, cùm etiam ipsi peccauerint. Per interpretes poteris legis doctores intelligere.

k *Et contaminaui principes sanctos.*) Hoc est, contaminatos ostendi, vel contaminari permisi Moysem & Aaronem.

Dedi ad internecionẽ Iacob.) Id est, Occidi Hebræos in deserto ob eorum crimina, permisíque vt probris afficerentur, & vt gentes in eos blasphemias iacerẽt. Vel sic, *Dimisi eos*, vt in peccata mortifera & blasphemias inciderent.

ANNOTATIO.

1 Adipe victimarum tuarum nõ inebriasti me.) *Septuaginta habẽt:* Nec adipem hostiarũ tuarũ cõcupiui.

2 Interpretes tui.] *In Hebraico est* מְלִיצַיִךְ *meli tsecha. Pro quo Septuaginta verterunt:* Principes tui. *Quos secutus est postea Pagninus. Potest verti:* Dulces tui. *Debent enim principes & præsules diuinam legem subditis interpretari, & dulcedinem quandam ac lenitatem cum castigatione miscere. Ob eam causam idem vocabulum &* B *dulces & principes significat.*

3 Et cõtaminaui principes sanctos.] *In Hebræo est,* קֹדֶשׁ *kodæx, quod etiam significat sanctuarium. Ideò potest verti:* & contaminaui principes sanctuarij. *Acsi dicat: Ego ô Iudæi abieci vestros sacerdotes, vestras ceremonias & oblationes. Pagninus pro* cõtaminaui *vertit,* occidam, *& rectè quidem. Potest etiam rectè transferri:* & cessare faciam magistros sanctuarij. *Nomẽ enim* שָׂר *sare, quod hîc est, magistrum significat, vt Geneseos c.* 41. Magister pincernarum. *Habes in hoc capite multa loca aduersus Iudæorũ infidelium contumaciam. Septuaginta verò habent:* Contaminauerunt principes sancta mea. *Et vide quid sequatur:* Dedi ad internecionem Iacob, & Israel in blasphemiam. *Nã cùm principes & præsules* E *contaminant religionem, & in diuina lege violãda tetras fraudes concipiunt, quid sequitur, nisi populi pernicies, & certissima euersio atque confusio? Vt enim ex eclipsi & defectu solis magna mortalibus gignitur pernicies, sic ex principis & præsulis deprauatione magnum in subditis oritur excidium.*

similia.

Argumentum capitis XLIIII.

Facit Propheta Christum seruatorem nostrum loquentem, & Ecclesiam suam consolantem: inuehitur in idolorum cultores. Promittit liberationem à Babylonica captiuitate.

CAPUT XLIIII.

Ierem. 13. & 46. g.

ET[a] nunc audi Iacob serue meus, & Israel quẽ elegi. Hæc dicit Dominus faciẽs & [b]formãs te, ab vtero auxiliator tuus: Noli timere serue meus Iacob, [c]& rectissime quẽ elegi. Effundã enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam. [d] Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionẽ meã super stirpem tuam, & germinabunt inter herbas, [e]quasi salices iuxta præterfluẽtes aquas. [f] Iste dicet, Domini ego sum, & ille vocabit in nomine Iacob. Et hic scribet manu sua Dño, & in nomine Israel assimilabitur. [g]Hęc dicit Dñs Deus Israel, & redẽptor eius Dñs exercituum. Ego primus & ego nouissimus, & absque me nõ est Deus. Quis similis mei? [h]Vocet & annuntiet, & ordinem exponat mihi: Ex quo cõstitui mihi populum antiquum. Vẽtura & quæ futura sunt annuntiet eis. [i] Nolite timere neque cõturbemini. Ex tunc audire te feci, & annuntiaui. Vos estis testes mei. Nunquid est Deus absque me, & formator quẽ ego nõ nouerim? [k]Plastæ idoli omnes nihil sunt, & amãtissima eorum nõ proderunt F eis. Ipsi sunt testes eorum, quia non vidẽt neque intelligunt, vt cõfundãtur. [l] Quis formauit deum, & sculptile cõflauit ad nihil vtile? Ecce omnes participes eius cõfundẽtur, fabri enim sunt ex homi- C nibus. [m] Cõueniẽt omnes, stabunt & pauebunt, & cõfundẽtur simul. [n] Faber ferrarius lima operatus est, in prunis & in malleis formauit illud, & operatus est in brachio fortitudinis suæ. Esuriet & deficiet, non bibet aquã & lassescet. Artifex lignarius extẽdit normã, [o] formauit [a] illud in runcina. Fecit illud in angularibus, & in circino tornauit illud, & fecit imaginẽ viri, quasi speciosum hominẽ habitantem in domo. Succidit cedros, tulit ilicem & quercum, quę steterat inter ligna saltus. Plantauit pinum, quam pluuia nutriuit, & facta est hominibus in focum. Sumpsit ex eis, & calefactus est, & succendit, & coxit panes, de reliquo autem operatus est deum, & adorauit, fecit sculptile, & curuatus est ante illud.

Sup. 41. b. Infr. 48. b Apoc. 1. d & 22. c.

Sap. 13. a.

EXPLANATIO.

a *Et nunc audi Iacob serue meus, & Israel quem elegi.*) Vide quanta verborum lenitudine Deus Ecclesiam suam alloquatur. Acsi dicat: O Iacob secundum spiritum, ô Israel electe mi, hoc est, ô Ecclesia mea aud

audi me, qui te creaui, & ad honorem dignitatísque amplitudinem euexi. Si tibi hostis aliquis loqueretur vt falleret, nô deberes audire. At cùm ego sim Deus, qui in te summa contuli beneficia, debes me attentis auribus audire.

b *Formãs te ab vtero.*) Videtur alludere ad id, quod ait Deus per Malachiam Prophetam, *Dilexi Iacob, Esau autem odio habui.* Qua de re diuus Paulus in epistola ad Romanos c. 9. ita ait: *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Mala. 1.

c *Rectissime quem elegi.*) Rectissimam appellat Ecclesiam, quòd sit, vt ait Paulus, columna & firmamẽtum veritatis, & quòd in ea recto animo colatur Deus.

d *Effundam enim aquas super sitientem.*) Eos appellat Deus sitientes & aridos, quos ipse vocauit ad fidem, qui anteà erant sine gratia, & sine cognitione
B Euangelicæ doctrinæ, quibus aquas gratiæ & spiritualium donorum promittit.

e *Quasi salices iuxta præterfluentes aquas.*) Comparat viros iustos arboribus iuxta riuos aquarum plantatis. Nam vt aqua arborem nutrit & confirmat, eáque in sua viriditate conseruat, sic vir iustus satus ad excellentes aquæ diuinæ fluuios, rerúmque diuinarum meditatione rigatus alitur ad æternitatem, nulláque aeris siccitate, nullo calamitatum ardore fidei viriditatem amittit: Eam ob causam in Psalmo 1. vbi vir rectus & pius describitur, sic scriptum est: *Et erit tanquam lignum quod plantarum est secus decursus aquarum.* Contrà vero impius pulueri aridoà vẽto proiecto in eodem Psalmo comparatur. Similitudo

f *Iste dicet.*) Sensus est: Vbique erunt fideles, qui Christiano nomine glorientur, & Israelitas se esse dicẽt, etsi ex Gẽtibus nati sint. Est enim Christi Ecclesia Israel secundum spiritũ. Quidã dicet se esse Christianũ, alter fatebitur se esse de Ecclesia. Hic scribet manu sua Domino. Id est, profitebitur se esse Christianum, & in nomine Israel assimilabitur, hoc est, cognominabit se Israelitam secundum spiritum, id est, in Christum credentem.

g *Hæc dicit dominus Deus Israel.*) Loquitur contra D
idolorum cultores, eos arguit, suámque ipsius potẽtiam ostendit.

h *Vocet & annuntiet.*) Si aliquod idolum Deus est, clara voce dicat, & annuntiet ea, quæ præterierunt, narret mihi ordinatim ea, quæ facta fuerunt à mundi principio, ex quo constitui mihi populum antiquum, hoc est Adamum & filios eius. Quidam per populum antiquum angelos intelligunt.

i *Nolite timere.*) Ne paueatis vos fideles mei, nulla vos teneat conturbatio. Nã ego sum qui hæc omnia nota vobis feci: & vos testes estis, & scitis me ea prædixisse.

k *Plasta idoli omnes nihil sunt.*) Id est, fictores & formatores idolorum vani sunt, & nihil valent. Et amãtissima eorum, hoc est, simulachra, quæ vnicè diligũt, non proderunt eis.

l *Quis formauit Deum?*) Subaudi nisi demens aliquis, qui lignum & ferrum colit vt Deum. Non prohibet Deus pingere aut fabricare diuorum imagines ad rudes docendum, animíque deuotionem & pietatem excitandum: sed eas imagines adorare: illis latrię cultum tribuere, eásque ad hunc finem efficere, est in diuinis literis prohibitum.

m *Conueniẽt omnes, stabũt & pauebunt, & cõfundẽtur simul.*) Omnes idolorũ fictores & artifices in vltimo iudicio erũt cõgregati, & timẽtes suã dãnationẽ erunt cõfusi. Vel loquitur de aduentu Christi, & tẽpore Euangelicæ prædicationis, quando idolorum cultores suam dementiam intelligentes confundebantur, & repudiatis idolis ad veritatem conuertebantur. E

n *Faber ferrarius.*) Ad confusionem idololatrarum prosequitur quomodo idola formentur. Et vt eorũ ostendat vanitatem, eorúmque artificum vilitatem, ait eos ipsos Deos, quos efficit faber ferrarius, nõ posse reficere eum, nec dare ei potum, licet faber indigeat, esuriat, sitiat, & præ fame atquè siti lassescat.

o *Formauit illud in runcina.*) Runcina est fabrile instrumentũ ad leuiganda ligna. Apud Plinium est magna serra, qua arborum moles secatur. Pro angularibus quidã vertit, *securibus.* Circinus est instrumentũ quo circuli vertendo designantur. Appellatur à Lusitanis *compasso.* Vel capitur hîc pro torno.

ANNOTATIONES EX Hebræo in

C

CAPVT XLIIII.

1 Rectissime quem elegi.] *Septuaginta habet:* Dilecte quem Israel elegi. *In Hebraico est* ישרון *vixurũ, à verbo* ישר *iaxar, quod significat rectũ esse. Sed Septuaginta intelligentes eos esse à Deo dilectos, qui recti sunt, & ad rectã rationis normã actiones suas dirigũt, pro rectissimo dilectũ posuerunt. Ille autem est Deo odibilis qui spiritu curuo, obliquo & retorto ducitur. Ideò Dauid spiritũ rectum in visceribus suis innouari à Deo vehementer petebat. Ille spiritus dicitur curuus, qui peccatorũ pondere effrenatiq; appetitus tractu ac consensu deprimitur & inclinatur, & malitia regyratur & contorquetur. Ex quo fit, vt nihil rectè iudicet. Vt enim qui per scalam cochleæ ascendit, licet sit rectus, tamen quoniam per circuitũ ambulat, videtur esse circunflexilis: sic quicquid intellectum contortum & regyratũ ingreditur, licet sit rectũ, iudicatur retortũ. Est enim spiritus scelerati & malitiosi hominis cochlea, qua nihil rectè potest ascendere. At vir rectus* F
rectè iudicat & incedit, estq; Deo dilectus. Vnde verbum hoc ישר *iaxar, quod significat rectũ esse, significat etiam placere. Ita capitur primi Regum capite* 18. Placuit sermo in oculis Dauid. *His rationibus adducti Septuaginta pro rectissimo dilectum verterunt.*

2 Formauit illud in runcina.] Pro runcina *est in Hebræo* שרר *sarad, quod nomen teste Reuchlino significat etiã cretã, hoc est, terrã tenacem, qua vestes mũdatur. Hac ratione ducti quidã vertunt:* Designat illud rubrica, *hoc est filo rubrica aut creta infecto. Pro quo Pagninus dixit:* Formauit illud filo Phœniceo, *hoc est, purpurei coloris, quo fabri lignarij signant ligna incidenda.*

Medium[a] illius cõbussit igni, & de medio eius carnes comedit. Coxit pulmẽtũ, & saturatus est, & calefact[a] est, & dixit: Vah calefactus sũ, vidi focũ. Reliquũ autẽ eius deũ fecit, & sculptile sibi. Curuatur ante illud, & adorat illud & obsecrat, dicẽs: Libera me quia deus meus es tu. Nescierunt neque intellexerunt. [b] Obliti enim sunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde suo. Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt, neque sentiunt vt dicant: Medietatem eius combusi igni, & coxi super carbones eius panes, coxi carnes & comedi, & de reliquo eius, idolum faciam. Ante truncum ligni procidã. [1] Pars eius cinis est. Cor insipiẽs adorabit illud, & nõ liberabit animam suam, [c] nec dicet: fortè mendacium est in dextera mea. Memento horum Iacob & Israel,

quo-

A quoniã ſeruus meus es tu. Formaui te, ſeruus meus es tu Iſrael, [d]nõ obliuiſcaris mei. Deleui vt nubẽ D
iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua. [e] Reuertere ad me, quoniã redemi te. [f] Laudate cœli, quoniam miſericordiam fecit Dominus, iubilate extrema terræ. Reſonate montes laudationem, ſaltus & omne lignum eius. Quoniam redemit Dominus Iacob, & Iſrael gloriabitur. Hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex vtero. Ego ſum Dominus faciens omnia, [g] extendens cœlos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum. Irrita faciens ſigna diuinorum, & ariolos in furorem vertens, [h] conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens, [i] ſuſcitans verbum ſerui ſui, & conſilium nuntiorum ſuorum complens. [k] Qui dico Ieruſalem, habitaberis, & ciuitates Iudæ ædificabimini, & deſerta eius ſuſcitabo. [l] Qui dico profundo, deſolare, & flumina tua arefaciam. [1] Qui dico Cyro, paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Ieruſalem, ædificaberis, & templo fundaberis.

a *Medium illius combuſſit.*) Irridet multis verbis idolorum artifices & cultores.

b *Obliti ſunt.*) Non à verbo obliuiſcor, ſed à verbo oblino. Quaſi dicat, Sunt eorum oculi circunfœdati. Habent intellectum, tenebris circunfuſum.

c *Neque dicet, fortè mendacium eſt in dextera mea.*) Tam cæcus eſt idoli artifex, vt non cogitet, nec ſecum dicat, id quod efficit eſſe idolum, & mendaciũ, & meram vanitatem.

d *Non obliuiſcaris mei.*) Exigit à nobis Deus, vt eum in animo teneamus, ne ſuorum erga nos beneficiorum memoriam vlla vnquam deleat obliuio. Cur excidit ex animo noſtro eius memoria, qui nos non o-
Infrà 49. bliuiſcitur? Quia ait per hunc eundem Propheta:
B *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filij vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamẽ non obliuiſcar tui, ecce in manibus meis deſcripſi te.* Id intelligens Dauid dicebat in Pſalmo 118. *In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas.* Omnes qui Deum
Pſal. 9. obliuiſcũtur, in æternas tenebras relegantur. Ideò dicitur in Pſalmo: *Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deum.* Sed quoniam multi Deum obliuiſcuntur, ait Deus per Ieremiam. capite ſecundo: *Populus meus oblitus eſt mei diebus innumeris.* Vult Deus vt eius myſteria cogitemus, &
ſimile. memoria ſæpenumerò repetamus, vt ex hac meditatione fructum ſalutarem comparemus. Vt enim medicæ potiones tum ſanitatem conferunt, cùm in ſtomacho calore naturali digeruntur: ſic diuina myſteria tũ maximè medẽtur noſtris animis, cũ in ipſis meditationis ac memoriæ calore veluti concoquuntur.

e *Reuertere ad me, quoniam redemi te.*) Quoniam ego ſum Deus delens iniquitates tuas, & teipſum redimens, reuertere ad me, falſóſque deos derelinque, quoniam vnus eſt tantùm Deus. Summa totius
ſimile. huius capitis eſt oſtendere vnicum eſſe Deum. Sunt quædam ſpecula tali artificio fabricata, vt vnius tantùm rei multas imagines repreſentent. Talis erat Gentilium opinio & ſecta, quæ cùm vnus tantum ſit
C Deus, multos ac varios Deos eſſe dicebãt: noſtra autem fides eſt verum ac fidele ſpeculum, quæ proprium Deum vnicum & verum oſtendit, trinum in perſonis, vnum in eſſentia. Si Gentium Philoſophi & Poëtę hoc ſpeculum haberent, nunquam multos
1. Cor. 13 eſſe Deos affirmarent. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*, ait Apoſtolus, *tunc autem facie ad faciem.* Ait igitur Chriſtus: Cur ô homo me dereliquiſti? cur à me animum alienaſti? Si vis viuere, ego ſum vita: ſi comedere, ego ſum cibus: ſi bonum, ego ſum ſummum bonum. Reuertere igitur ad me, quoniam te redemi, quoniam te ſummo precio comparaui, quoniam pro te alapas, flagella, acerbiſſimos cruciatus tuli, quoniã pro te vitã fudi, & me in ara crucis hoſtiã deuoui. Cur igitur me fugis? cur ad me non reuerteris? Vide Chriſti Dei noſtri immenſam pietatẽ & infinitam charitatis abundãtiam. Hic locus docet apertiſſimè falſum eſſe ſemper in homine eſſe & manere peccatũ etiã poſt baptiſmũ, cũ hic Deus dicat: *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulã peccata tua.*

f *Laudate cœli.*) Meminit Propheta redemptionis humanæ per Chriſtum, nunc ob tam inſigne & admirabile beneficium inuitat creatura ad Dei laudem, & gratiarum actionem concinendam.

g *Extendens cœlos ſolus.*) Ex hoc loco colligunt nõnulli, Angelos non fuiſſe creatos antequam cœlum & terra crearentur. Sed ego non video quonam modo colligatur. Imò Gregorius Naziãzenius & diuus Hieronymus aſſerũt Angelos fuiſſe creatos ante mũdi creationem, quam Moyſes literis mandauit. Alij aliter ſentiunt. Quænam autem harum duarum opinionum ſit vera, ego me ingenuè fateor ignorare.

h *Conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum* E
ſtultam faciens.) Facio vt ſapientes mundi ſuis conſiliis fruſtrentur, eorúmque ſcientia in ſtultitiã vertatur. Oſtendit Deus potentiam ſuam, & nullã eſſe ſine eo veram ſapientiam. Id quod diuus Paulus apertè aſſerit in epiſtola prima ad Corinth. c. 1. & 3. Qua de re ea poteris videre, quæ ſuprà annotauimus cap. 5. & cap. 4.

i *Suſcitans verbũ ſerui ſui.*) Bona quæ Propheta, & quilibet ſeruus Dei loquitur, Deus ea inſpirat. Quaſi dicat: Deus ſapientiam mundi ſtultam facit, & ſuos ſeruos veram ſapientiam docet. Et conſilia atque vaticinia ſuorum nuntiorum, hoc eſt, ſuorum prophetarum complet & perficit.

k *Qui dico, Ieruſalem habitaberis.*) Quando Eſaias hæc literis mãdauit, nondũ Hieroſolyma erat euerſa à Babyloniis. Et iam prædicebat eam eſſe reædificandam, quoniam præſciebat eam eſſe euertendam.

l *Qui dico profundo, deſolare, & flumina tua arefaciam.*) Sẽſus eſt: Ego ſum ille, qui dico mari vt areſcat, & qui ſum eius flumina ſiccaturus. Nomine profundi ſiue maris intelligitur Babylõ, quę ita dicta eſt, quòd abundaret aquis, & in valle ſita eſſet, aut certè
F propter eius magnitudinẽ, vt alibi annotauimus. Per flumina Babylonis, mũdi opes, & deliciæ ſignificantur, quæ inſtar fluminũ mouentur & fluũt, nec in eodẽ ſtatu permanent, donec in mari mortis finiantur. Nos autẽ iuxta hæc flumina non geſtiamus lętitia & falſo gaudio, ſed recordatione cęleſtis Sionis vim lachrymarũ fundamus. His verbis prędicit Propheta euerſionẽ Babylonis per Cyrũ, eiúſq; opũ & imperij naufragiũ. Ideò ſubdit: *Qui dico Cyro: paſtor meus es, & omnẽ voluntatẽ meam coplebis.* Acſi dicat: Ego ſum Deus qui inſpiro Cyro regi Perſarũ, vt Babylonem euertat, & Hebræos in patriã ſuã liberos mittat. Hęc omnia impleta eſſe liber Eſdræ teſtatur. Huius Cyri *1. Eſdræ.* meminit Xenophon, Herodotus, Iuſtinus, & alij anti qui hiſtoriographi. Eũ vocat hoc in loco Deus paſtorẽ ſuũ, quoniã Iſraelitas cõgregauit, & in patriã ſuã honorificè reduxit. Ille nãq; poteſt paſtor appellari, nõ qui ſubditos diſpergit, ſed qui eos cõgregat, & in patriam ſuam, cœleſtem Hieroſolymã ducit: qui eos non Babylonis, ſed Sionis facit eſſe cultores, non in ima confuſione, ſed in alta ſpecula habitantes.

A D

ANNOTATIO.

1 Pars eius cinis est.] *Potest etiam verti:* Pascit cinerem. *Et ita vertit Pagninus. Acsi diceret, Qui conflat idolum, frustra laborat. Illi cinerem pascunt, qui rem inanem & inutilem moliuntur, in eámque studium & operã conferunt. A quibus natum est id, quod iam tritum est vetustate Prouerbium, Arenæ semina mandant.*

2 Qui dico Cyro: pastor meus est.] *In Hebraico est, Qui dico Cyro* רֹעִי *roi, à verbo* רָעָה *raah, quod significat pascere, vt Esaiæ quinto:* Et pascentur agni iuxta ordinem suum. *Vnde in Psalmo vigesimosecundo:* Dominus regit me, & nihil mihi deerit, *potest rectissimè verti:* Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. In loco pascuæ ibi me collocauit. *Diuus Hieronymus trãstulit:* Dominus pastor meus, &c. *Cùm autem hoc sit perspicuũ, mirandum videtur cur Septuaginta nullam hoc in loco pascendi nec pastoris mentionem fecerint. Ita enim habent:* Qui dico Cyro vt sapiat. *Sed existimo eos hoc ex industria & non sine mysterio feciſſe. Quoniam qui pastor est, sapiens esse debet. Ideò Deus per Oseam prophetã c. 4. ita ait:* Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. *Numerat eodem capite Deus mundi ægritudines, & inter eas ponit ignorantiam sacerdotũ & pastorũ. Hæc est magna & periculosa phrenesis, & mortifera ægritudo. Quonam enim modo alios leuabit, qui iacet in erroribus prostratus? Quî fieri potest vt alios illuminet, qui est cæcis tenebris circunfusus? Quomodo erunt riui puri, si fons est terra spurcitia & pestilente veneno coinquinatus? Sed de iis hactenus: quoniam satis explanatũ esse à me arbitror aliis in locis huius operis, quàm sit pastoribus necessaria scientia, & diuinarum literarum cognitio.*

Argumentum capitis XLV.

Prædicit Esaias liberationem Iudæorum à Babylonica captiuitate per Cyrum regem Persarum. Et assumpta occasione aperit mysterium liberationis humanæ à peccato per Christum Deum nostrum.

CAPVT XLV.

B

HÆc[a] dicit Dominus [1]Christo meo Cyro,[b] cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius Gentes, & dorsa regum vertam. Et a[2]periam coram eo ianuas, & portæ nõ E
claudentur. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo. Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.[c] Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, vt scias quia ego Dominus, [d]qui voco nomen tuum Deus Israel, propter seruum meum Iacob, & Israel electum meum.[e] Et vocaui te nomine tuo, [3]assimilaui te, & non cognouisti me. Ego Dominus, & non est amplius. Extra me non est Deus [f] Accinxi te, & non cognouisti me, [g] vt sciant hi qui ab ortu solis, & qui ab occidente, quoniam absque me non est Deus. Ego Dominus, & non est alter,[h] formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc.[i] Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet saluatorẽ.
Rom. 9. d. Iere. 18. a [k] Et iustitia oriatur simul. Ego [l] Dominus creaui eum.[m] Væ qui contradicit factori suo, [n] testa [3] de Samiis terræ. Nunquid dicit lutum figulo suo, quid facis? & opus tuum absque manibus est.[o] Væ qui dicit patri, quid generas? & mulieri, quid parturis? Hæc dicit Dominus sanctus Israel, plastes eius.[p] Ventura interrogate me super filios meos, & super opus manuum mearum mandate mihi. Ego feci terram, & hominem super eam creaui. Ego & manus meæ tetenderunt cœlos, [q] & omni [4]militiæ eorum mandaui.[r] Ego suscitaui eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam. Ipse ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet non in precio neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum.

C F

EXPLANATIO.

a *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.*) Volẽs Deus Babyloniam euertere ob eius superbiam, intemperantiam, effrenatas cupiditates, cæteráq; vitia, & Hebræos, qui ibi captiui detinebantur liberare, & in pristinam dignitatem reducere, euexit Cyrum ad regiã dignitatem, vt eo ministro compleret suum consiliũ, quo Hierosolyma esset restaurata, & tẽplum ad pristinum statum restitutum. Et quoniam solebant Iudæi reges suos vngere, & hæc vnctio erat apud eos insigne regiæ dignitatis, quemadmodum apud nos sceptrũ, & diadema seu corona, ideò Deus hoc in loco appellat Cyrum Christum, hoc est, vnctum, & appellat eum suum, quoniam ipse eum extulit, & ad hunc effectum eum ad regiam dignitatem perduxit.

b *Cuius apprehendi dexteram.*) Præteritum pro futuro. Nam inter hanc Esaiæ vaticinationem & ortum Cyri multi anni interfluxerunt. Est igitur sensus. Ego eum adiuuabo, vt vincat Gentes & reges. Lege historias Græcorum & Latinorum, & inuenies impletam fuisse hanc vaticinationem.

c *Dabo tibi thesauros absconditos.*) Faciam vt potiaris thesauris in vrbibus, quas tuo imperio subieceris, absconditis. Et arcana secretorum, hoc est, ea, quæ in secretis locis abstrusa sunt. Hoc refertur ad eos thesauros, quos victi fugientes abscondebant, ne à Cyro inuenirentur. Testantur historiæ Cyrum potitum fuisse thesauris Crœsi regis magni, & diuitiis affluẽtis, ad quos fortasse hæc referuntur. Lege Herodotum lib. 1. suæ historiæ.

d *Qui voco nomen tuum.*) Subaudi, priusquam nascaris.

A scaris. Narrat Iosephus libro 11. Antiquitatum legisse Cyrum prophetiam hanc, vbi suum nomen multis annis antequàm nasceretur, à Propheta prædictũ vidit, & eam ob causam Iudæos quasi Dei familiares amore prosecutum fuisse.

e *Vocaui te nomine tuo.*) Ostendit velle me tibi fauere. Assimilaui te nõnullis seruis meis, quos priusquã nascerẽtur nominaui. Vel assimilaui te, hoc est, cognominaui te. Non solùm te vocaui Cyrum, sed etiam regem, antequam esses editus in lucem. Tu autem non cognouisti me: quin potius, idola coluisti.

f *Accinxi te.*) Id est, dedi tibi fortitudinem, vt magna & excelsa tibi proponeres.

1.Esdr.1. g *Vt sciant hi qui.*) In Esdræ volumine scriptum legimus scripsisse Cyrum ad regna sua, Deum Israelis esse Deum cœli. Et ob restaurationem Hebræorum fuit Deus multis Gentibus notus.

h *Formans lucem.*) Sensus est: Ego, ait Deus, sum ille, qui facio diem & noctem, pacem & bellum: Poteris per diem prosperitatẽ intelligere, per noctẽ verò aduersitatẽ. Sed aduerte. Non dicit, faciẽs pacẽ & creans bellũ, *sed faciens pacem & creans malũ.* Bellũ appellat malum. Quid enim melius dulci pace? quid peius crudeli bello? Dicitur autẽ Deus creare malũ,

B quia permittit illud fieri, non quòd Deus malũ culpæ efficiat. Dicitur tamen facere malũ pœnæ, quòd puniat delinquentes. Sic intelligitur id, quod ait A-

Amos 3. mos propheta: *Si erit malũ in ciuitate quod Deus nõ fecerit?* Ait igitur Deus: Ego, qui Iudæos afflixi, eos recreabo, & ad antiquum decus restituam. Fuerunt in tenebris, nunc erunt in luce. Oppressi sunt bello, nunc delectabuntur pace.

i *Rorate cœli.*) Prædicebat diuinus vates venturum esse Cyrũ, qui Babylonios propter eorum scelera, & in omni vitiorũ genere effrenatã immanitatẽ & superbiã euerteret, & oppressos ab illis Israelitas, atq; ab importuno tyrãno exagitatos eriperet, atq; ad patriã reduceret, ex qua fuerãt pulsi & egressi magnis tẽpestatib. iactati, & à Babylonis in miserã seruitutẽ adducti, propter eorũ deprauatos mores & neglectã pietatẽ. Cùm enim Deũ, qui in eos summa & innumerabilia beneficia contulerat, colere deberent, eo derelicto in rebus humanis spẽ posuerunt rerũ suarũ, suámq; ipsorũ dignitatẽ, & nominis amplitudinẽ & splendorẽ maculare voluerũt. At misertus eorum Deus voluit eos per Cyrũ regẽ Persarũ ad Pristinam dignitatẽ reuocare. Cùm autẽ diuinus vates loqueretur de Cyro liberatore, eleuatus est spiritu, & vidit mentis oculis aliũ liberatorẽ, qui multò illustrior & excellentior venturus erat, cuius vmbrã in

C Cyro contẽplabatur. Et de terreno, de quo vaticinabatur, se transfert ad cœlestẽ, ad filiũ Dei vnigenitũ, qui sumpta humana carne ex sacratissimo admirãdę virginis vtero nasceretur, & genus humanũ propter peccatũ à cœlesti Hierosolyma pulsum, & in regione Babylonica, hoc est in mũdi huius cõfusione cõstitutũ eriperet, eiúsq; res afflictas & iacentes erigeret, illúdq; ad æternã Hierosolymã verã promissionis patriam reuocaret. Cùm igitur Propheta hæc animo conspiceret, has voces emisit: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustũ, aperiatur terra, & germinet saluatorẽ.* Acsi diceret: Ardẽter desidero huius seruatoris aduentũ. Ideò emittit vos ô cœli rorẽ illũ qui terrã præ nimia siccitate sterilẽ humectet, & frugiferam reddat. Veniat iã Christus, qui terrã infœcũdam, qui peccatores sine virtute nullũ fructũ pietatis ac religionis ferentes fœcundet. Et nubes pluant iustũ, nimirũ illũ, qui homines iustificet: Hic est iustus ille, de quo alio in loco per hunc eundẽ Prophe-

Infra 53. tam ait Deus: *In scientia sua iustificabit ipse iustus seruos meos multos, & iniquitates eorũ ipse portabit.* De quo ait

1.Cor. 1. Apostolus in epistola prima ad Corinthios: *Factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redẽptio.* D *Pluant igitur nubes iustã, & aperiatur terra, & germinet saluatorẽ.* Terra illa sanctissima Maria semper virgo aperiatur aratro Spiritus sancti. Consentiat & dicat Gabrieli angelo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundũ verbum tuũ,* & sic germinet & pariat saluatorẽ Christũ verũ Deũ & verũ hominẽ. Ostendunt hæc verba quanto desiderio aduentus Christi flagraret Esaias. Lege diuinas literas, & videbis quàm ardẽtib. suspiriis ab imo pectore eductis petebant antiqui patres aduentũ Christi saluatoris nostri, in quo omnis eorũ spes erat cõstituta. Apud hunc eundẽ prophetã dicebant: *Vtinã dirumperes cœlos, & descenderes. Et Dauid,* Infrà 64. *Ostẽde,* inquit, *nobis Domine misericordiã tuã, & salutare tuũ da nobis.* Et eius filius Salomõ in Cãticis facit Psal.84. congregationẽ fideliũ loquentẽ, & iis verbis Christi Cant.1. aduentũ desiderantem: *Osculetur me osculo oris sui.* Id quidẽ est, quod dicebat Christus discipulis suis: *Dico* Luc. 10. *enim vobis quòd multi prophetæ & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & nõ viderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Erat prius vẽtura illustrissima illa virgo summis laudibus efferenda, quæ vniuersi creatorẽ & conseruatorẽ mundũ pugillo continentẽ mirabiliter conciperet, & pareret, suísq; brachiis amplecteretur. Vnicornis est animal admirabile, q cornu suo aquas veneno contaminatas attingẽs salubres reddit, & valet ad diuersa morborum genera depellenda. Narrántq; authores congregari multos venatores ad vnicornẽ capiendũ, qui eũ clamoribus obtundunt: at nõ posse capi nisi quædã pulchra virgo sedeat in cãpo, ad quã vnicornis veniat, in cuius sinu quiescat, & ita capiatur. Christus est cœlestis v- E nicornis, iuxta id quod dicitur in Psalmo. *Et dilectus quemadmodũ filius vnicornis.* Quẽ locũ diuus August. Psal.28. de Christo interpretatur. Et Origines in cõmentariis in librũ Numerorũ per vnicornẽ Christũ intelligit, quẽ admodum etiã per leonẽ, agnũ, & ouẽ, significatur, Est igitur Christus ille diuinus vnicornis, qui cornu suæ potẽtiæ venenũ depellit, qui morbis animi medetur, in quo habemus prõptum & salutare remedium ad ægritudines omnes curãdas. Venatores fuerũt viri illi illustres veteris Testamẽti, qui ad eũ clamabant vt veniret. Quemadmodum facit hoc in loco Esaias. At non sat erat eos vociferari, et ad cœlũ ex inflãmato pectore ardẽtes voces emittere, sed vẽtura erat pulchra illa virgo sanctissima Maria hominum generis reparatrix, in cuius vtero filius Dei F summus ille vnicornis reclinaretur. Hęc est terra illa sacratissima de qua dicitur in Psal. *Et terra nostra* Psal.84. *dabit fructũ suũ.* Et de qua hoc in loco ait Esaias: *Aperiatur terra, & germinet saluatorem.*

k *Et iustitia oriatur.*) Sensus est: Oriatur iustus, et statim pariter oriatur hominum iustificatio. Natus Christus cœpit statim homines iustificare. Et confestim adduxit pastores ad præsepiũ, et magos ab Oriente, qui eum adorarent, eique munera offerrent.

l *Ego Dominus.*) Ostendi Deus his verbis Christum concipiendum de Spiritu sancto absque opera viri. Ponitur præteritum pro futuro more prophetico. Quasi dicat cœlestis pater: Ego dominus creaturus sum mundi seruatorem. Loquitur de Christo secũdum humanitatem. Nam secundum diuinitatem filius à patre est, non factus nec creatus, sed genitus. Et quanquam sit minor patre secundum humanitatem, est tamen æqualis illi secundum diuinitatẽ. Hic igitur qui conceptus est de Spiritu sancto, et natus de Maria semper virgine, fuit in illo lapide adumbratus, qui, vt est apud Danielem, abscissus est de Dan.2. monte sine manibus. de quo hic ait Deus: *Ego Dominus creaui eum.*

m *Væ qui contradicit factori suo.*) Postquam Prophe ta clamauit, & ardens desideriũ aperuit, quo aduen-

A tus Christi tenebatur,eos arguit,qui factis Dei offẽduntur,& cum eo contendunt,diuinam prouidentiã calumniãtes,eisque æternam damnationẽ minatur.

n *Testa de Samiis terræ.)* Alludit ad vasa Samia à Samo insula dicta. Nonius inquit Samium esse testã. Aspicis quàm fragilis & imbecillus sit homo,qui testæ figuli comparetur. Vnde Ieremias ait: *Ecce sicut lutum in manu figuli,sic vos domus Israel in manu mea.* Et Dauid: *Tanquam vas figuli confringes eos.* Et Apostolus scribens ad Corinthios: *Habemus thesaurũ istũ in vasis fictilibus.* Ait ergo Propheta: *Nunquid dicit lutum figulo suo: Quid facis?* Quasi dicat,nõ. *Et opus tuũ absque manibus est,* hoc est non dicit opus esse absque manibus factum,nec insurgit in artificem. Cur tu igitur homo contendis cum Deo,qui te fecit, illíque contradicis?

Ierem. 18. Psal. 2. 2. Cor. 4.

o *Væ qui dicit patri.)* Si filius non debet dicere patri aut matri, Cur me genuisti, multò minus vilis creatura summo creatori.

p *Ventura interrogate me super filios meos.)* Quærite à Prophetis meis ea, quæ ventura sunt Israelitis filiis meis. *Et super opus manuum mearũ mandate mihi,* hoc est, præcipite Prophetis meis, vt vobis ea, quæ ego feci,annuntient. Cùm igitur ego per viros sanctos vobis dicam ea,quæ præterierunt,& ea,quæ futura sunt, quod idola facere non possunt, quare mihi contradicitis,illis autem acquiescitis?

q *Et omni militiæ eorum mandaui.)* Ego sum qui im-
B perio cœlorum exercitui. Per militiam cœli poteris intelligere angelos,vel sydera,vt sit sensus: Ego sum syderum moderator & rector,mihi obediũt. Ego illis præcipio,vt orbes suos, circulósq; conficiant celeritate mirabili,& suos certos & æquales motus immutabili constantia conseruent. Vel sic: Ego sum ille, qui stellas omnes feci, iussi enim, & factæ sunt. Qui igitur cœlos feci, & stellas in illis miro ordine collocaui, cur non potero creare Cyrum,qui Babylonem euertat,& voluntatem meam adimpleat? Vel sic,& melius: Ego qui mundum creare potui,potero eum etiã redimere. Ideò nemo existimet impossibile me mittere filium meũ, qui mundi confusionẽ euertat, & homines ad cœlestem Hierosolymã reducat.

r *Ego suscitaui eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam.)* Dixerat fore,vt Cyrus euerteret Babylonẽ & Hebræos captiuos in libertatẽ vindicaret. Nunc aliis verbis hoc significat. Ait igitur Deus. *Ego suscitaui eum,* nimirum Cyrum ad iustitiam. Et omnes eius vias planas faciam & expeditas. Hic ædificabit mihi Hierosolymam, & populum meum captiuũ in patriam liberum mittet. Hoc autem faciet ille nullis muneribus adductus,sed quia ego hoc illi inspirabo. Hæc quæ aliquo modo ad Cyrum possunt referri, multò melius & clarius ad Christum referuntur,qui captiuos scelerúmque vinculis ligatos liberauit, & D Hierosolymam militantem,hoc est Ecclesiam super firmam petram constituit: qui Babylonem eiúsque tyrannum,hoc est,mundum & diabolum vicit, & de morte triumphauit. Hæc intuebatur Propheta,cùm hæc diceret,& hæc præcipuè intendebat. Nam si attentius volueris considerare, videbis hæc non Cyro sed Christo apertissimè conuenire. Quonam modo enim fieri potest vt Cyrus sit iustus ille, de quo hîc vaticinatur Esaias,quando dicit ex persona Dei: *Ego suscitaui eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam,* cùm ipse non fuerit iustus,nec omnes eius viæ directæ? Quanquam in Hebræos magna contulerit beneficia,ob quæ non solùm in diuinis literis commẽdatur,sed in humanis à Gentilibus,à quib. tandiu laudabitur, quandiu veterum annaliũ monimenta permanebunt: tamẽ ad extremum vertit omnia,quoniã fuit in Deum impius,& in homines crudelis & iniurioſus, incidens in imperiorum inaníſq; gloriæ cupiditatẽ. Et eã ob causam fuit miserè in bello quod iniustè parauerat,extinctus,cui quidem ad summam sed inanem & falsam mundi gloriam floreſcenti ferro erepta vita est. Est ad maiorem eius ignominiam non fuit occisus ab aliquo viro fortitudine præstante,sed à quadam muliere Scytharum regina,quę Tomyris appellabatur. Et ferunt fuisse eius caput in vtrem plenum humano sanguine proiectũ, eíq; reginam dixisse: Implere sanguine sitibundũ caput. Diodorus & Trogus & alij hanc Tomyridem Scytharũ E reginam dicunt fuisse. At Herodotus Massagetarum reginam eam appellat,ait tamen esse nonnullos asserentes Massagetas esse quandam Scythicam nationẽ. Hîc aspicis quàm malè mundus respondeat hominũ *simile.* spei et desiderio. Volebat Cyrus alteram Babylonis turrim construere,hoc est,mundi gloriam comparare,eámq; in sublime efferre: sed confuſę sunt linguę. Nam quando à mundo vnum petebat,alterum mundus illi dabat. Petebat gloriam, et mundus porrexit illi infamiam: petebat vitam,et tulit mortem. Et ita cecidit ædificiũ contra cœlum erectum et constructum. Tales sunt omnes, qui honores et dignitates iniustè quęrunt. Nam ea, quę hoc modo consequũtur,posteà ignominiosè amittunt. Sunt enim mundi status veluti puerorum ludus. Vt enim pueri constituunt regem,cui obediunt, sed finito ludo eum irri- *simile.* dent,et alapis petunt, sic mundus multos eleuat ad honores et dignitates, sed sublatis illis eos miserè deprimit,nullum illis vestigium pristinæ glorię relinquẽs. Et ita obscuratur mũdi gloria,et in ignominiã cõuertitur. Quod Cyro accidit ob eius superbiã et immanitatẽ. Ex quo apparet hæc non de eo sed de Christo Deo nostro intelligi,quę hoc in loco Esaias noster literis mãdauit,vt paulò pòst clari? innotescet. F

C

ANNOTATIONES ex Hebræo in CAPVT XLV.

1 Christo meo Cyro.] *In Hebræo est* לכשׁ יחזעבורש *limxicho le-Corex. Et potest verti, Messiæ suo Cyro. Verbum* מרשׁח *significat vngere, vt Esaiæ* 61. Spiritus Domini super me,eò quòd vnxerit me. *Vnde* מרשׁרח *significat vnctum, quem Græci appellant Christum.* χριστὸς *enim vnctionem significat. Igitur Christus, Messias, vnctus, idem sunt. Quo vocabulo reges nominantur, quoniã vngi solebant, vt capite sexto libri primi Regum, & aliis in locis ostenditur. Ideò Saul Christus vocatur libro primo Regum ca.* 24. *& aliis in locis, quemadmodum Cyrus hoc in loco.*

infrà 61. 1. *Reg.* 6. 1. *Re.* 24

2 Assimilaui te.] *In Hebræo est* אכנר *achanneca, à verbo* כנה *chanah, quod significat etiã nominate. Ob eã causam vertit Pagninus:* Et cognominaui te.

3 Testa de Samiis terræ.] *Pro testa & Samiis in Hebræo est vnum atque idem vocabulum nempe* חרשׁ *cheres. Ideò potest hoc ita verti:* Testa cum testis terræ, *vt sit sensus: Qui testa est, vt alia testa terræ, audet cum opifice suo disceptare.*

4 Omni militiæ eorũ mãdaui.] *Militia aliquãdo pro cœlorũ sideribus accipitur, vt alibi ostendimus. Hac ratione adducti Septuaginta verterũt:* Omnib. stellis mãdaui.

Hæc dicit Dominus: Labor Ægypti & negotiatio Æthiopiæ,& Sabaim viri sublimes ad te trãsibunt,& tui erunt. Post te ambulabunt,vincti manicis pergent,& te adorabunt, teque deprecabuntur. *b* Tantùm in te est Deus,& non est Deus absque te. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator. *c* Confusi sunt & erubuerunt omnes simul, abierunt in confusione fabricatores errorum. Israel saluatus est in Domino salute æterna. Non confundemini,& non erubescetis vsque in seculum seculi, quia hæc dicit Dominus creans cœlos. Ipse Deus formans terram & faciẽ;

eam, ipſe plaſtes eius. Non in vanum creauit eam, vt habitaretur formauit eam. Ego Domi- D
nus & non eſt alius.[d] Non in abſcondito locutus ſum, in loco terræ tenebroſo. [e] Non dixi ſe-
mini Iacob fruſtra, quærite me. Ego Dominus loquẽs iuſtitiam, annuntians recta. [f] Congrega-
mini & venite, & accedite ſimul, qui ſaluati eſtis ex Gentibus. [g] Ne ſcierũt qui leuãt lignum ſcul-
pturæ ſuę, & rogant Deum non ſaluantẽ. Annuntiate & venite, & cõſiliamini ſimul. Quis auditũ
fecit hoc ab initio? Ex tunc prædixi illud: Nunquid nõ ego Dominus? Et nõ eſt vltrà Deus abſq;
me. Deus iuſtus & ſaluãs nõ eſt præter me. [h] Cõuertimini ad me, & ſalui eritis õnes fines terrę, quia
Ego Deus, & nõ eſt alius. [i] In memetipſum iuraui: Egredietur de ore meo iuſtitiæ verbũ, & non re-
Rom 14. Philip. 2. uertetur, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. [k] Ergo in Domino dicet: Meę
ſunt iuſtitiæ & imperium. [l] Ad eum venient, & confundentur omnes qui repugnant ei. [m] In Do-
mino iuſtificabitur, & laudabitur omne ſemen Iſrael.

a *Hæc dicit Dominus: Labor Aegypti.*) Promittit deus his verbis Cyro imperium Aegyptiorum, Aethiopũ & Sabaimorum. Eſt autẽ Sabaim trans Aethiopiam. Sed hoc ad chriſtum potius refertur, cui cœ eſtis pa ter promittit, has regiones, & per eas intelligit alias omnes, Euãgeliũ ſuſcepturas, eiúſq; imperio ſubii-
Pſal. 2. ciendas. Id etiam dicit in Pſalmo *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionẽ tuam terminos terræ.* Sed aduerte, & verba Prophetæ perpende. Poterat quidem dicere: Aegyptus & Aethiopia ad te venient, te adorabunt & deprecabuntur. Sed ait: *Labor Aegypti & negotiatio Aethiopiæ ad te tranſibit.* Acſi dicat: Qui Aegypti laboribus fatigãtur, & Aethiopiæ negotiationes exercent, ad te tranſibunt. Vt oſtendat graue eſſe iugum diaboli, & eos, qui ſub eo militant, labore & negotiatione opprimi & vexari. Sed repu-
diatis idolis & ſceleribus ac ſuperſtitionibus relictis,
B labor peccatorũ conuertitur in illã requiem, de qua
Mat. 11. Chriſtus ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onera tis eſtis, & ego reficiã vos. Tollite iugũ meũ ſuper vos & inuenietis requiẽ animabus veſtris, iugũ enim meũ ſuaue eſt, & onus meũ leue.* Et negotiatio Aethiop. in negotia tionem Hieroſolymæ conuertitur, hoc eſt, mũdi, humanarúmq; rerũ negotiatores ad animorũ, rerúmque cœleſtium negotiationẽ ſe transferunt. Eſt enim om nis bonus Chriſtianus negotiator, de quo Chriſtus ait
Matt. 13. apud Matthæum: *Simile eſt regnũ cælorũ homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inuẽta autẽ vna pretioſa margarita abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, &*
Luc. 19. *emit eam.* Et apud Lucam: *Negotiamini dũ venio.* Non igitur Chriſtus à peccatoribus aufert efficiũt, ſed mutat materiam. Qui erant ſub iugo diaboli, ſunt ſub Chriſti iugo. Qui negotiabantur, non deſinunt officium, ſed mutant negotiationẽ. Matthæus negotiator erat rerũ corporearum: at fecit eum Deus negotiatorem animorũ. Diuus Petrus erat piſcator piſciũ, ſed fuit factus hominũ piſcator: non ei Chriſtus abſtulit officium, ſed materiam mutauit. Magdalena non ami ſit officium amandi, ſed amorem humanum in diuinum conuertit.

b *Tantum in te eſt Deus, & non eſt Deus abſque te. Verè tu es Deus abſcõditus.*) Hic aſpicis apertiſſimè Prophetã à Cyro liberatore terreno ſe tranſtuliſſe ad Chriſtum liberatorem diuinum, quod anteà dixeramus. Perſpicuũ eſt enim & clarius luce meridiana, hoc nõ de Cyro dici, ſed de Chriſto. Ille eſt enim Deus, &
C abſq; eo non eſt Deus, & Deus eſt in eo. Ipſe enim ait
Ioan. 14 apud Ioannem: *Non credis quia ego in patre, & pater in me eſt? Verba, quæ ego loquor, à me ipſo no loquor, pater autem in me manens ipſe facit opera.* Et alio in loco, *Ego,* inquit, *& pater vnũ ſumus.* Sed vide quàm planè, quàm apertè Eſaias hoc in loco affirmet Chriſtũ eſſe Deũ.
Ioan. 10. *Verè* inquit, *tu es Deus abſconditus.* Poterat quidẽ dicere: Tu es Deus abſconditus. Sed appoſuit particulam affirmantem, *Verè*, vt dilucidè, firmiter & aſſeueranter Chriſti numẽ oſtenderet. Appellatur autem chriſtus Deus abſconditus propter aſſumpti corporis ſacramẽtum. Voluit enim Deus in humana forma deliteſcere & abſcondi, vt corpore ſuo impetus ſceleratorum hominum ferret, & morte ſua nos è mortis vinculis 1. Cor. 2.
liberaret. Hic eſt illa ſapientia, de qua ait Apoſtolus: *Loquimur Dei ſapiẽtiã in myſterio, quæ abſcõdita eſt.* Hic eſt ille Dei Filius, de quo ait diuinus pſaltes in 9 Pſalmi inſcriptione: *Pro occultis filij.* Occultabatur enim diuinitas in humanitate. Hic eſt theſaurus ille abſcõditus. de quo ipſe ait apud Matthæum: *Simile eſt regnũ cælorum theſauro abſcondito in agro.* Et de quo ait A- *Abac. 3*
bacuc Propheta: *Iei*, nimirum in cruce, *abſcondita eſt fortitudo eius.* Quoniã bonũ eſt cõmunicabile, vt ait Dionyſius, ſui ipſius diffuſiuũ, voluit ſummũ bonum ſummè ſe hominibus cõmunicare. Sumpſit noſtram naturã, verſatus eſt inter homines, mortuus eſt pro illis, & ſeipſum in admirabili euchariſtiæ ſacramento nobis reliquit, vt ſemper nobiſcũ eſſet, & ſummè ſeipſum nobiſcũ cõmunicaret. In illa hoſtia conſecrata E
verè eſt Deus abſcõditus. Quæ poterat maior excogitari cõmunicatio? Quod maius beneficiũ? quæ maior amoris abundãtia? Quod munus aut magnitudine admirabilius aut fructu ſalutarius, aut amplitudine magnificentius? Adoro te hoſtia conſecrata, adoro te chriſte Fili Dei viui, qui te pro ſalute noſtra hoſtiã ſalutarẽ deuouiſti, & vt tuam erga nos immẽſam charitatem demonſtrares, corpus tuum ſanctiſſimum in cibum, & ſanguinẽ tuum precioſiſſimum in potũ, ſub ſpecie paniset vini ſumendũ nobis reliquiſti, & ſub modici panis ſpecie tu chriſte ſancte verus Deus & verus homo cõtineris. Ideo ego dico cum Propheta: *Verè tu es Deus abſconditus.* Tu es ſub accidẽtibus abſconditus, & inuiſibilis viſibiliter à nobis ſumeris aliena ſpecie occultatus. Et ita ſumptus peccata deles, animam expias, gratiam tribuis, virtutes auges, & ſumentes admirabilibus gratiarum ornamentis decoras, et ad verã dignitatis amplitudinem perducis. *At qui manducat & bibit indignè*, vt verbis Paulinis vtar, *iudicium ſibi manducat & bibit.* Vt enim incẽſus ignis 1. Cor. 11.
ſimilitudo
in ſtagnum gelidarum aquarum coniectus non in flãmat aquas, quin potius earum frigiditas & regelatio ignem extinguit, ſic qui ignem illum excellentiſſimũ ſummi amoris chriſti, qui in illo admirabili ſacramento realiter continetur, coniicit in frigida & regelata viſcera animæ ſuæ, non ſe ipſum inflammat, nec prunæ illæ diuinæ in tali anima ignem charitatis accendunt, quin potuis ſcelerum frigiditas ignẽ extinguit, hoc eſt quantum in ſe eſt, impedit effectũ ſacramenti, quod eſt animas diuino amore incẽdere, ſtudióque
immortalitatis inflammare atque vitam æternam tri- F
buere. Ipſe enim chriſtus apud Ioannem capite ſexto ita ait: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Ne exiſtimes chriſtum contaminari, quando ab iniquis impuriſque hominibus ſumitur. Nã, vt Diui Athanaſij vtar ſimilitudine, quemadmodum Sol etſi immunda loca attingat, nequaquã tamen immundus manet, ſic chriſtus etſi ab impiis mãducetur, tamẽ in ſe nequaquam cõtaminatur. Et quoniã Deus eſt in hoc ſacramento occultatus: ait diuinus noſter vates hoc in loco: *Verè tu es Deus abſcõditus, Deus Iſrael Saluator.* Hic

A est Dei & hominũ mediator: & vt diui Cypriani verbis vtar, hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapiẽtia eius & gloria, & ideò eũ dignè æstimamus, dũ inexstimabilem dicimus. Hũc Esaias appellat saluatorẽ, quoniã venit in mundũ vt homines saluos faceret, quod est eius nomine significatum. Nã Iesus saluatorẽ significat. Ita enim dixit Angelus iusto Ioseph: *Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matt. 1.

c *Confusi sunt, & erubuerunt omnes simul.*) Sensus est: Omnes qui te ô bone Iesu nõ receperint, confundẽtur & pudefiẽt, & fabricatores errorũ, hoc est, idolorum opifices & cultores cũm obstinatis Iudæis erũt à te alienati. Israel autẽ æternã salutẽ consequetur. Sæpe diximus nomine Israelis fideles significari siue ex Iudæis siue ex Gentibus. Omnes enim qui fide charitate formata excedunt è vita, qui sunt verè Israelitæ, proficiscuntur ad cœlum, vbi Deo fruuntur, eiusque inenarrabilibus bonis in æternum satiãtur. Eóque si non statim, aliquando tamen deueniunt.

d *Non in abscondito.*) Dæmones respondent in locis occultis & obscuris, Deus apertè in monte Sina. Aut potius hæc intelligũtur de Christo, qui de seipso ait B apud Ioannem: *Ego palam loquutus sum mundo.* Ego semper docui in synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Ioan. 18.

e *Non dixi semini Iacob, frustra quærite me.*) Dixi quidem vt me quærerent, sed non frustra, imò proposito præmio. Lege diuinas literas, & passim inuenies propositũ præmiũ quærentibus Deum. Per Amos Prophetam ait ipse Deus: *Quærite me, & viuetis.* Da uid ait in quodam Psalmo: *Querite Dominum, & viuet anima vestra.* Et in alio: *Lætentur in te omnes, qui quærunt nomen tuum.* Et in alio: *Quærite Dominum, & confortamini.* Amos 5. Psal. 68. Psal. 69. Psal. 104.

f *Congregamini, & venite.*) Dispersi enim & discordia segregati, ad Deum ire non possumus. Charitas cõgregat & vnit, odiũ dispergit & dissoluit. Qua de re latè disseruimus cap. vndecimo, & decimonono.

g *Nescierunt qui leuant lignum sculpturæ suæ.* Id est, stulti sunt, qui ligneum idolum extollunt, vt adorẽt illud, & preces fundunt ad Deum falsum & commẽtitium, qui neminẽ potest saluum facere. Cùm Deus hæc verba dixisset inuehitur in idololatras, dicẽs illis, vt annuntient & adducant, quæ existimauerint esse aduersus ipsum Deum. Acsi diceret: Vos qui idola colitis, quid contra me habetis? Cõtendite mecum, inite pariter consilium, & rationes vestras in lucem proferte. Nónne videtis idola vana esse, & nihil vobis prædixisse? Ego sum qui ventura prænuntio, qui solus sum Deus. B

h *Conuertimini ad me, & salui eritis.*) Salus nostra est in auersione à mundo & conuersione ad Deum, & pernicies nostra prouenit ex auersione à Deo & conuersione ad mundum.

i *In memetipso iuraui.*) Sensus est: Iuramento asserO, & id quod dico, ita sine dubio erit, quia verbũ, quod de ore meo exit, est iustum, & nõ vertetur retro, nec erit irritum & frustraneum. Id autem quod iuro est, omnes in die extremi iudicij esse coram me apparituros, & mihi velint nolint parituros. Et tunc ego reddam vnicuique iuxta opera sua. Diuus Paulus in epistola ad Romanos citans hunc locum ita ait: *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim: Viuo ego dicit Dominus, quoniã mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque vnusquisque nostrum pro se rationẽ reddet Deo.* Hæc diuus Paulus. Vbi vides eum de extremo iudicio hunc locum interpretari. Pro eo quod Esaias ait: *Et iurabit omnis lingua*, ait Apostolus: *Et omnis lingua confitebitur Deo.* Acsi dicat: Et tunc in illo terribili iudicio omnis homo confitebitur Christum esse Deum. Aspicis apertissimè Apostolum de Christo hæc verba intelligere quæ Esaias dicit esse Dei, & ex consequenti confiteri Apostolum, Christum esse Deum. Rom. 14.

k *Ergo in Domino dicet: Meæ sunt iustitiæ & imperium.*) Sensus est: Cùm igitur in die extremi iudicij omnis lingua fassura sit me esse Deũ, dicet etiã meas esse iustitias, & meũ esse imperiũ, fatebitur me esse iustũ regẽ. E

l *Ad eum venient.*) Nimirũ ad Christum, qui sunt æternam vitam consecuturi. Contrà verò flagitiosi Deo ipsi repugnantes in æternum confundentur.

m *In Domino iustificabitur & laudabitur omne semen Israel.* Per semen siue filios Israelis intellige fideles, qui ex Iudæis crediderũt, de quibus dixerat Prophe ta noster capite primo: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* Sup. 1.

ANNOTATIO.

1 *Fabricatores errorum*]. Pagninus vertit: *Fabricatores sculptilium.* Nomine errorum idola intelliguntur, quæ in literis diuinis variis nominibus appellantur, quæ sunt vanitas, nihil, dolor, mendacium, error, & similia.

Argumentum capitis XLVI.

C

Prædixerat Propheta capite superiore euertendam esse à Cyro Babylonem. Nunc prosequitur idem argumentum, & in eadem euersione prædicit confringenda esse cum impiis idola & simulachra sua. Quibus verbis voluit diuinus vates significare fore, vt mundus à Christo vinceretur, qui de seipso ait: Ioan. 16. *Ego vici mundum. Quo victo cessaret idolorum cultus, & gentes repudiatis falsis diis ad veram Christi religionem conuerterentur.* F

CAPVT XLVI.

COntractus a est Bel, contritus est Nabo: b facta 1 sunt simulachra eorum bestiis & iumẽtis. c Onera vestra graui pondere vsque ad lassitudinem contabuerunt, & contrita sunt simul. Non potuerunt saluare portantem, & anima eorum in captiuitatem ibit. Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israel. d Qui 2 portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua. Vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo & saluabo. Cui assimilastis me & adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem? e Qui confertis aurum de sacculo, & argentum statera ponderatis, conducentes aurificem, vt faciat Deum, & procidunt & adorant. Portant illum in humeris gestantes, & ponentes in loco suo. Et stabit, ac de loco suo nõ mouebitur. Sed & cùm clamauerint ad eum, non audiet, de tribulatione non saluabit eos. Memẽtote istud 3 & ffundamini: redite præuaricatores ad cor. Recordamini prioris seculi, quoniam ego sum Deus, & non est vltrà Deus, nec est similis mei annuntiãs ab exordio nouissimum, & ab initio quæ nondum facta sunt, dicens, Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. f Vocãs ab Oriente auẽ, & de terra longinqua virũ voluntatis mea. Et locutus sum, & adducã illud: creaui, & faciam illud. g Audite me duro corde, h qui longe estis à iustitia. Prope feci iustitiam meam, non elongabitur, & salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutẽ, & in Israel gloriam meam. Baruc. 6. c

EXPLA-

A D

EXPLANATIO.

a *Confractus est bel.*) Hoc erat idolum, cui Babylonij primas deferebant, secundas autem Nabo. Diuus Hieronymus ait Bel esse eum, quem Græci Belum appellabant, hoc est Saturnum, cui gentes nõ solùm quoscunque homines, sed proprios etiam filios immolabant.

b *Facta sunt simulachra eorum bestiis & iumentis.*) Subaudi similia. Ad tantam enim insaniam deuenerunt, vt simulachra colerent belluarum. Possunt hęc verba ita explanari, vt subintelligatur, onus. Et tunc vertentur hoc modo: Facta sunt simulachra Babyloniorum onus bestiis & iumentis, quoniam ad Persidem transferentur. Persæ enim idola Babyloniorum aurea & argentea iumentis imponebant, vt ea in patriam suam transferrent. Ideo sequitur:

c *Onera vestra.*) Prosopopœia est. Alloquitur enim statuas mutas, & idola insensibilia. Quasi dicat: Iumenta vestra ô idola vestro pondere fatigabuntur. Onustæ enim bestiæ, quæ vos portauerint, lassabuntur, & cadent, ac deficient, tantum onus ferre non
B valentes. Miseri dij ac infœlices, qui eas bestias, quę ipsos portauerint, seruare non poterunt, & miseri atque ærumnosi, qui tales deos colũt, quoniam cum ipsis ibunt in captiuitatem. Tam enim dij quàm eorum cultores à Persis capientur, & in Persidem captiui portabuntur. Ea verba, *Anima eorum in captiuitatem ibit*, possunt referri ad idola, quasi Propheta dicat: O dementes homines, qui lapidea & aurea simulachra animam habere putatis. Idolorum enima asportabitur in Persidem captiua. Irridet gentes simulachra prædita esse animo existimantes.

d *Qui portamini ab vtero meo, qui gestamini à mea vulua.*) Id est, quos foueo & protego, acsi in meo vtero velut mater eos portassem, & ipse eos concepissem. Vide Dei nostri summam erga homines clemẽtiam.

e *Qui confertis aurum de sacculo.*) Id est, qui coniungitis aurum, quod de thesauro extrahitis, & argentũ ponderatis, ad idola vestra facienda. Eos arguit, qui aurum & argentum in simulachris fabricandis consumunt.

f *Fundamini.*) Nimirum in fide. Est enim fides fundamentum. Nam, vt ait diuus Paulus, *sine fide impossibile est placere Deo.* Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Gentiles credunt multos esse Deos, ideò nullum habent fundamentum, quia nullam habent
C fidem. fides enim est, vt credamus vnũ solum Deum. Et quoniam sine fide nemo fundatus esse dicitur, vocat diuinus noster vates omnes ad fidem, dicens: *Mementote istud, & fundamini.* Vel ideò cohortatur homines vt fundentur, quoniam peccatores nullũ habent firmum fundamentum. Nituntur enim in deliciis, voluptatibus, opibus, & mundi dignitatibus, quæ omnia flexibilia sunt, imbecilla varia, incerta, caduca, falsa, inconstantia, posita non in nostris consiliis, sed in mundi temeritate. Sola vera virtus est vna altissimis defixa radicibus, quæ nulla vnquam vi euelli potest, nec labefactari.

Heb. 11.

g *Redite prævaricatores ad cor.*) Reuertimini ad vos ipsos, à quibus vos alienastis. Nihil tam longè à vobis quàm vos. Hic vides homines sceleribus implicatos, & mundi vanitatibus deditos extra se esse, & in mundo vagari. Ideò in Euangelio filius prodigus dicitur in se reuersus, suam cognouisse infœlicitatẽ, & ita ad patrem rediisse. In se reuertitur, qui à se fuerat alienatus. Exierat extra se, & seipsum relinquens reliquerat patrem. Sed aliquando reuersus ad se inuenit seipsum, qui perditus erat. Non enim poterat ad se redire, nisi qui à seipso abierat. Et in se reuersus excitat seipsum memoria præteritæ fœlicitatis, & in spem veniæ erigitur. Et tunc cognouit nõ fuisse secũ, cùm in se esse videretur. Qui extra se est, dicitur esse extra cor: ideò peccatores corde carere, & sine corde esse dicũtur. Apud Ieremiam ait Deus: *Audi me populę qui non habes cor.* Et in hoc nostro capite paulò pòst, vbi nostra versio habet, *Audite me duro corde*, habent Septuaginta: *Audite me qui perditis cor.* Et Dauid ait: *Et cor meum dereliquit me.* Et alibi: *Super sanctos suos*, inquit, *& in eos, qui conuertuntur ad cor.* Si ad cor conuertuntur, ergo anteà extra cor vagabantur. Et Ecclesiasticus, *Qui*, inquit, *timet Dominum, conuertetur ad cor suum.* Et alibi: *Collige & congrega cor tuum.* Et hic Deus per Esaiam: *Redite prævaricatores ad cor.* Iubet Deus vt ad nos ipsos eamus. Idem apud Matthæum voluit Christus significare, cùm nos ad vineam ire iubeat. Cùm enim nos simus ipsa vinea, ad nos ipsos nos mittit. Mulier illa, apud Lucam, quæ inuenit drachmam, quam perdiderat, est Ecclesia. Drachma sumes nos. Cùm autẽ nos ipsi simus Ecclesia, apertè concluditur nos quærere atq; inuenire nos ipsos, qui perditi eramus. Sed fieri non potest, vt quæramus nos ipsos, nisi nos esse perditos intelligamus. Primus quidem gradus salutis est cognoscere nos ipsos, & videre vnde excideri mus. Hac ratione ducti antiqui dicebant hanc sententiam. Cognosce te ipsum, non humanam esse sed diuinam, nec esse mortali alicui, sed Deo ipsi tribuẽdam. Vis redire ad cor, cognosce te ipsum. Cogita & E
tecũ ipse reuolue, & interroga hæc omnia teipsum. Ego vbi sum? Quomodo viuo? Quid ago? Quid spero? Quid desidero? Quid erit si sic moriar? Quò ibo? Et quas tandem pœnas meorum scelerum persoluã? Ex huius considerationis defectu nascitur humano rum flagitiorum colluuio. At nos vt alios cognoscamus, nos ipsos cognoscere negligimus. Vt enim sartor occupatus aliorum vestibus sarciendis, suas habet scissas, sic multi impediti in aliorũ vita cognoscenda, suam ignorant: Inquirunt aliorum mores, volunt alienas cogitationes, intentiones, & cõsilia diuinare, se ipsos autem derelinquunt, & à corde suo peregrinantur. Ideò ait Deus per Ezechielem prophetam. *Fil. hominis sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Hierusalem.* Quis est hic later, quæ est hæc terra tam dura & cocta, nisi F
cor nostrum? Hoc nobis præcipit Deus vt sumamus & quod extra nos erat, iuxta nos collocemus, & in eo ciuitatem æternam cœlestem Hierosolymam describamus, vt in ea sit nostra cogitatio collocata & constituta. Et vt qui ab arce sibi à rege tradita egreditur eámque hostibus tradit aut relinquit, traditor dicitur, sic qui à corde à Deo sibi tradito exit, illúdque in manu tyrannici appetitus, cæterarúmque indomitarum cogitationum relinquit, prævaricator appellatur. Ideò ait Deus: *Prævaricatores redite ad cor.*

Ieremi. 5.
Psal. 39.
Psal. 84.
Eccl. 21.
Eccl. 30.
Matt. 10.
Luc. 15.
simile.
Ezech. 4.
simile.

h *Vocans ab Oriente auem.*) Hoc est, Cyrum à Persi de, qui Babylonem euertat, & Iudęos in patriam reducat. Vocatur auis ob velocitatem, qua venit in Chaldæam.

i *Audite me duro corde.*) Alloquitur Deus Hebręos, qui non credebant se liberandos esse à Babylonica captiuitate, quos ob eorum contumaciã duros corde appellat. Hoc secutus diuus Stephanus eos in oratione, quam apud illos habuit, duros ceruice, & corde atque auribus incircuncisos vocauit. Vsque

Act. 7.

A adeò fuerunt indurati, vt in Christi morte, vbi lapi-
Matt. 27. des se sciderunt & fregerunt, ipsi in sua duricie & in-
tegra pertinacia permanerent. Tale cor appellat E-
Ezech. 4 zechiel laterem, terram duram & coctam.
k *Qui longè estis à iustitia.*) Hoc est, à Christo, eum
1. Cor. 1 enim diuus Paulus iustitiam appellat. Eam promit-
tit pater facturum propè, neque esse elongandã. Ille
propè accedit, & nos quotidie vocat. Nos sumus qeũ
fugimus, & quantò longius ab eo separamur, tantò
propius accedimus ad infernum, & fugientes vitam
incidimus in mortem. Vita peccatoris duri cordis
& obstinati est auersio à Christo, propinquitas infer D
ni mors animæ, victoria appetitus, triumphus volu-
ptatis. Hæc etsi ad literam de Cyro intelligantur,
quem Deus promisit missurum, vt Iudæos in pristi-
nam libertatem reuocaret, ad Christum tamen mul-
tò melius referuntur. Eum promisit pater venturum
fuisse hominum genus liberatum, illúdque ad cœ-
lestem patriam perductum. Ideò ait: *Dabo in Sion sa-*
lutem, & in Israel gloriam meam. Nam vera animæ sa-
lus & gloria, quæ in hac vita potest esse, solùm in
Sione & Israel, hoc est in Ecclesia reperitur.

ANNOTATIONES EX Hebræo in CAPVT XLVI.

B 1 Facta sunt simulachra eorum bestiis.] *Nonnulli co-*
dices habent: Fracta sunt. *Vt sit sensus, fracta fuisse simu*
lachra, quando super iumenta ponebantur, & funibus a-
stringebantur. Non enim Persæ colebant imaginum for-
mam, sed materiam, hoc est, aurum & argentum. In He-
braico est, הויי *haiu, à verbo* היה *haiah, quod significat*
esse, & est verbum substantiuum. Significat etiam corrũ-
pere, & frangere, & fugere. Ideò vtraque litera potest
defendi. Poterat etiam verti: Fugerunt idola eorum in
bestiis imposita. *Vt idola ac deos irrideat, qui se eripere*
non potuerint, nisi se in fugam coniicerent.
2 Qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea
vulua.] *Potest totum hoc ita verti ex Hebræo.* Qui por-
tamini à me ab vtero, qui baiulamini à me à partu.
Acsi dicat: Qui à principio, à vestra natiuitate à me nu-
trimini, & veluti infantes in meis brachiis baiulamini.
Itaque ab vtero & à vulua significant ab instanti natiui-
Psal. 57. *tatis. Quemadmodum in Psalmo*: Alienati sunt pecca-
tores à vulua, errauerunt ab vtero, *hoc est, ab eo pun-*
cto, quo nati sunt.
3 Et fundamini.] *In Hebraico est* והתאששו *vehi-*
thoxxaxu à verbo אשש *quod significat fortem & firmũ esse: vnde* אשישי *axixe fundamenta. Et capitur*
pro viris fortitudine præstantibus, vt ait Kimbi vir do-
C *ctus inter Hebræos, quòd hi sint regni fundamentum. Po-*
test esse ex significatione איש *ix, quæ dictio virum signi-*
ficat: Quasi dicat: Estote viri. *Ideò potest verti*: Præsta-
te vos viros, *Acsi diceret*: Ostendite vos valere fortitu-
dine & iudicio recto. *R. Ioseph deducit ab* אש *ex, quod nomen ignem significat: Vt sit sensus*: *Estote rubei*
velut ignis, erubescite & confundamini, vestras insanias
& vanitates & scelera aspicientes. Hac ratione adducti
quidam pro fundamini *posuerunt* confundamini, *vt in*
multis codicibus licet videre. Et vtraque lectio est recta
& proposito Prophetæ satis conueniens. Septuaginta ha-
bent in hunc modum: Ingemiscite, agite pœnitentiam,
qui erratis. *Pro quo quidam dixerunt*: confundamini
Indicat apertè hic locus à Septuaginta interpretibus trã-
slatus vtilem esse & salutarem peccatoribus pœnitentiã,
vt ad charitatem perueniant: & pœnitentiam non esse
Cõtra Lu therum. *nouam vitam, sed ingemiscere & peccata deplorare. Non*
enim solùm hic ait Esaias, Agite pœnitentiam, sed Inge-
miscite, agite pœnitentiam. *Ostendit hic locus falsum*
esse id, quod ait Lutherus, nempe contritionem ante cha-
ritatem esse execrabilem, & non solùm non esse vtilem sed
perniciosam. Damnat enim gemitum, & fletum, & omnẽ
pœnitentiam, quæ fit per discussionem & detestationem
peccatorum. O hæreticum detestabilem! Quid potest esse
Luc. 3. *hoc tuo dogmate pestilentius? Quid perniciosius? Quid ve-*
ritati repugnãtius? Si gemitus & pœnitẽtia nihil prosunt
peccatoribus, cur Deus hic per prophetam eos ipsos pec-
catores sceleratos & impios alloquens hortatur ad gemi-
tum & pœnitentiam? Quorsum sanctificatus ille Baptista
has voces emitteret: Genimina viperarum quis osten
dit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus
Matt. 12. dignos pœnitentiæ, iam enim securis ad radicem
arboris posita est. *Quorsum verus ille ac cœlestis doctor*
Christus Deus noster laudaret pœnitentiam Niniuitarum?
Quorsum toties gehennam, & ignem æternum minitare-
tur peccatoribus, vt eos ad pœnitentiam & contritionem
inducerent, si talis pœnitentia & contritio essent res inu-
tiles & inanes, &, vt tu Luthere ais, pernicioseæ Sapien-
Psal. 17. *tissimus ille Dauid quo nullus alius fuit suo tempore illu-*
strior, nullus charitate ardentior, nullus iustitia præstan-
E *tior, nobis pœnitentiæ perspicuam formam descripsit.* Cir
cundederunt, *inquit*, me dolores mortis, & torrentes
Psal. 6. iniquitatis conturbauerunt me, dolores inferni cir-
cundederunt me, præoccupauerunt me laquei mor-
tis, in tribulatione mea inuocaui Dominum. *Et alibi*,
Laboraui, *inquit*, in gemitu meo, lauabo per singulas
noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum
rigabo. *Aspicis regem peccatis astrictum pœnitentiam e-*
gisse, Dominum inuocasse, vim lachrymarũ profudisse, &
fuisse gratiam consecutum. Ait enim paulò post: Disce-
dite à me omnes qui operamini iniquitatem, quo-
niam exaudiui Dominus vocem fletus mei. *Vbi aspi-*
cis fuisse gemitum Dauidis Deo gratum & auditum. I-
deò in inscriptione huius Psalmi meminit octauæ. Erat
enim octaua instrumentum octo fidibus ornatum, quo ca-
nere solebant carmina triũphalia, vt colligitur ex primo
1. Par. 15 *libro Paralipomenon. Canit igitur victoriam Dauid, quã*
de peccato reportauit, ideò Psalmum in gaudio & exul-
tationis tripudio finiuit. Et si quæras arma, quib. hanc
victoriam obtinuit, & veniam ac gratiam impetrauit,
ipse explicat esse gemitus & lachrymarum abundantiã,
& denique pœnitentiam. Hæc enim sunt arma quibus de
peccato consequimur victoriam, & glorioſum de illo re-
portamus triumphum. Eam ob causam ait hoc in loco di-
uinus noster vates iuxta Septuaginta translationem. In-
gemiscite, agite pœnitentiam, qui erratis. *Vide Lu-* F
there quomodo hæc concordent cum tuo articulo, in quo
asseris pœnitentiam nihil aliud esse quàm nouam vitam,
& veram pœnitentiam damnas & detestaris.
4 Audite me duro corde.] *Septuaginta habent*: Audi-
te me qui perdidistis cor. *Videtur alludere ad id, quod*
paulò antea dixerat: Redite præuaricatores ad cor.
5 Et vocans ab Oriente auem.] *Nonnulli codices ha-*
bent: Et vocans ab Oriente iustum. *Sed correctiores*
habent auem. *Et ita est in versione cui diuus Hierony-*
Sup. 18. *mus adiecit commentaria. Et ita est etiam in Hebræo.*
Dictio enim עיט *ait, quæ est in Hebræo, auem significat,*
vt apud Esaiam: Et relinquentur simul auibus mon-
tium. *Sed quoniam vir iustus alta petit, & abimis ele-*
uatur, ideo nomine auis significatur. Id voluit scriptura
quinto decimo capite Geneſis significare, quando inquit, Gen. 15.
sumpsisse Abrahamum vaccam, capram, arietem, turtu-
rem, & columbam, & diuisisse animalia terrena, aues au-
tem non diuisisse. Per terrena animalia significantur ho-
mines appetitu ducti, à Deo & à se ipsis diuisi: per aues ve- Rom. 8.
rò spirituales homines secum & cum Deo vniti, quorum
vnus dicebat: Quis nos separabit à charitate Christi?

Argu

A

Argumentum capitis XLVII.

D

Vaticinatur Esaias de superbæ Babylonis per ineptos astrologos seductæ excidio & eversione.

CAPVT XLVII.

DEscende,[a] sede in puluere virgo filia Babylon, sede in terra, non est soliũ filiæ Chaldæorum, quia vltrà non vocaberis mollis & tenera.[b] Tolle [1] molam, & mole farinã, [c] denuda [2] turpitudinem tuam, discooperi humerum, reuela crura, transi flumina. Nahum. 3.b Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum, [d] vltionem capiam, & non resistet mihi homo. [e] Redemptor noster, Dominus exercituum nomen illius, sanctus Israel. [f] Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum, quia non vocaberis vltrà domina regnorum. Iratus sum super populum meum, [g] contaminaui hæreditatem meam, & dedi eos in manu tua, [h] non posuisti eis misericordias, super senem aggrauasti iugum tuum valde. [i] Et dixisti: In sempiternum ero domina, non posuisti hæc super cor tuum, [k] neque recordata es nouissimi tui. Et nunc audi hæc delicata & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: Ego sum, Apo. 18.b & non est præter me amplius: [l] non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo hæc infrà 51.f subitò in die vna sterilitas & viduitas. Vniuersa venerunt super te, propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiam incantatorum tuorum vehementem. [m] Et fiduciam habuisti in malitia tua, & dixisti: Non est qui videat me. [n] Sapientia tua & scientia tua hæc decepit te. Et dixisti in corde tuo: Ego sum, & præter me non est altera. Veniet super te malum, & [o] nescies ortũ eius: & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare. Veniet super te repẽte miseria, quam nescies. [p] Sta cum incãtatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, [q] in quibus laborasti ab adolescentia tua, si fortè quid prosit tibi, aut si possis fieri fortior. Defecisti [1] in multitudine consiliorum tuorum: stent & saluent te [r] augures cœli, qui contemplabantur sydera, & supputabant menses, vt ex eis annuntiarent ventura tibi Ecce facti sunt quasi stipula, ignis cõbusit eos, non liberabunt animam suam de manu flammæ, [s] non sunt prunæ quibus calefiant, nec fo- E
B cus vt sedeant ad eum. Sic facta sunt tibi, in quibuscunque laboraueras: [t] negotiatores tui ab adolescentia tua vnusquisque in viam suam errauerunt, non est qui saluet te.

EXPLANATIO.

a *Descende, sede in puluere virgo filia Babylon.*) Tribuit Babyloni personã superbæ reginæ deliciis deditæ, & more tragico eius calamitatẽ describit. Vocat eã virginem, quòd nõdum fuisset euersa: Vel ob teneras delicias. Filia Babylonis & Babylon more Hebraico idem valet. Vtitur Propheta imperatiuis pro indicatiui futuris. Ac si diceret: Descendes ab altitudine tua Babylõ regina potentissima. Amittes gloriam tuam, sedebis in puluere dolore affecta. In tantam incides calamitatem & miseriam, vt non in solio & throno regio, sed in terra sedeas abiecta, captiua, & afflicta. Nõ iam versaberis in deliciis & voluptatibus, sed duram captiuitatem sustinebis. Vocatur Babylõ filia Chaldæorum: quia erat sita in Chaldæa, vt Mela, & Solinus, & alij Geographi testantur. Et ex sacris literis apertè colligitur.

b *Tolle molam, & mole farinam.*) Solebant captiuæ molere farinam, & erat hoc extremæ seruitutis indicium.

C c *Denuda turpitudinem tuam.*) Duceris captiua, & flumina pedibus transibis. Et quoniam neminem habebis quite baiulet, tuipsa nuda transibis aquas. Ex quo efficietur, vt & crura & verenda discooperias.

d *Vltionem capiam.*) Quoniam tu ô Babylon populum meum afflixisti, affligam ego teipsam. Lues pœnas tuæ immanitatis, nec erit q mihi possit resistere.

e *Redemptor noster.*) Subaudi, hæc dicit.

f *Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorũ.*) Tu quæ anteà gloriari solebas, tacebis nõ audens loqui, & ob cõfusionem & ignominiam tuam quæres loca abscõdita, & hominum cœtum ac frequentiã fugies.

g *Contaminaui hæreditatem meam.*) Id est, permisi cõtaminari Hebræos.

h *Non posuisti eis misericordias.*) Quoniam poterant fortasse Deo obiicere Babylonij: Si tu iratus populo tuo ob eius scelera eum à nobis capi, & in ærumnas incidere permisisti, quare nos affligis, quòd eos, qui te offenderant, vexauerimus? Respondet Deus huic tacitæ obiectioni, se fuisse iratum populo suo, nihilominus tamen deliquisse Babylonios, quòd in Iudæos fuissent immanes, eósque vulneribus lacerarent, & iniustè opprimerent. Non distat ab hoc id, quod dicitur in Psalmo. *Fiat habitatio eorum deserta,* Psal. 68. *& in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet, quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorẽ vulnerum meorum addiderunt.* Aspicis hic non excusari eos, qui humanitatem exuentes illos vulnerãt, quos Deus ob aliquam causam permittit vulnerari. Voluit cœlestis Pater vt filius suus vnigenitus se in crucis ara pro nobis hostiam constitueret, & sanguine fuso hominum genus expiaret, nihilominus tamen peccauerunt Iudæi Christum ad cædem vocantes, eúmque pestilenti atque effrenato impetu cruci F affigentes. Illud est etiam aduertendum, ideò Babylonios in miseras calamitates incidisse, quia nulla erga Hebræos misericordia vsi fuerant, præcipuè erga senes. Vbi aspicis quàm grata sit Deo humanitas & misericordia etiam erga inimicos, præsertim erga senes. Ideò ait hoc in loco Deus: *Non posuisti eis misericordias, super senem aggrauasti iugum tuum valde.* Leui. 19 Et in Leuitico: *Coram cano capite,* inquit, *consurge, & honora personam senis.* Et in Threnis plorãs Ieremias. Thren. 4. *Facies,* inquit, *sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt.* Et in epistola prima ad Timotheum ait 1. Tim. 5 Apostolus: *Senem ne increpaueris.* Chilo Lacedæmonius, vt refert Plutarchus, docebat eam esse debere reuerentiam iuuenum erga senes, quæ est filiorum erga parentes. Et ob eam causam Sparta censebatur olim quoddam virtutis domicilium, quia omnes suspiciebant senes, & magno honore ac veneratione prosequebantur.

i *Et dixisti, In sempiternum ero domina.*) illa pars vitæ

A est periculosior, quę ob nimiam securitatem videtur esse tutior. Multi ex magnis periculis liberi euaserunt, & in magnis procellis & tempestatibus tam constantem vitę cursum tenuerunt, vt nunquam exciderint, sed aduerso vento sæuiente ad optatos exitus peruenerunt. Nam videntes rerum humanarum varietatem & imbecillitatem, non illis fidebant, quin potius munientes se virtute & consilio, in Deo spem omnem collocabant. At posteà obtinentes res prosperas & ad voluntatem fluentes, existimantes se esse securos dediderunt se otio & inertiæ: ex quo effectum est, vt miserè perirent, & in grauissimam calamitatem & ignominiã incurrerent. Ideò oportet vt in prosperitate meminerimus aduersitatis, ne turpiter excidamus. Ait enim Ecclesiasticus. *In die bono rum ne immemor sis malorum.* Hoc significare volens Apostolus dicebat Corinthiis: *Qui gaudent tanquam non gaudentes.* Videns Iesus Hierosolymam quiete & diuitiarum affluentia vtentem, & venturas illi miserias ignorantem, eam deplorauit, & in illo magno triumpho lachrymas profudit. Nos igitur non ita gaudeamus, vt tutos nos esse existimemus: quin potius cogitemus fieri posse, vt ex lætitia excidentes subitò in lachrymis & mœrore versemur, & à potẽtia ad miseriam recidamus. Id quod euenit Babyloniis, qui perpetuum principatum, & nominis celebritatem & propagationem, sibi ipsis pollicentes in captiuitatem, & perpetuam infamiam incurrerunt.

Ecclꝛ. 11.

1. Cor. 7.

Luc. 19.

B k *Neque recordata es nouissimi tui.*) Septuaginta habẽt: *Neque recordata es nouissimorum.* Acsi dicat: Ideò capieris, & in ęrumnas incredibiles incides, quia nouissimorum tuorum non meministi. Aspicis hìc quã vtile sit finem rerum memoria tenere, earúmq; imbecillitatem & interitum contemplari. Ideò Ecclesiasticus, *Memorare*, inquit, *nouissima tua, & in æternũ non peccabis.* Et Moyses, vt in libro Deuteronomij diuinæ literæ commemorant, *Gens*, inquit, *absque cõsilio & sine prudentia, vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent.* Ieremias propheta in suis Lamentis, vbi euersæ Hierosolymæ & peccatricis animæ miseram captiuitatem deplorat, has voces emittit: *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui.* Nomine pedum intelliguntur affectus, quibus anima mouetur, qui tunc dicuntur sordibus contaminati, cùm non ratio tenet imperium, nec pro dignitate quæ sunt pulchra & appetenda, quæ verò terra & aufugienda præscribit, sed effrenatus appetitus cæco impetu rationis arcem oppugnans animam ducit, eiq́ue solùm opes, & mundi voluptates proponens, sine vlla mortis & finis contemplatione. Hoc sentiens Ieremias & sordes pedum animæ, & finis obliuionem lamãtabatur. Ideò Christus Deus noster cùm ei discipuli de magnifico Salomonis tẽplo loquerentur, eius sumptuosi ædificij pulchritudinem admirantes, respondit, vt diuus Lucas testatur: *Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* Illi de re illa magna ante oculos posita loquebantur: Christus verò eis illius rei finem & vastitatem in memoriam reuocat. Voluit nos docere cœlestis magister, cùm cogitauerimus rem aliquam humanam insignem & amplam, oportere eius finem in animo versare, & memoria repetere. Nihil nobis est salutarius ad coercendas vagas & inanes cogitationes, turbidósque motus acerrimè propulsandos, quàm finem animo intueri. Nam vt vinum purum iudicium turbat & perdit, at aqua temperatum non nocet, sic rerum humanarum pulchritudo, generis nobilitas, nominis claritas & amplitudo, prosperitas honorum & magistratuum, diuitiarum abundantia, & cætera huiusmodi, ad quæ plerique mortalium cæca auiditate inflammati rapiuntur, per se intemperanter sumpta sunt vinum, purum illud quidem, quod humanum iudicium lædit & perturbat. At si omnia hæc fuerint temperata memoria finis, & consideratione inconstantiæ & imbecillitatis, ita possunt sumi, vt nequaquam noceant. Quin etiam in ipsorum affluentia poteris in trãquillitate viuere cupiditatum ardore sedato. Est enim mortis memoria aqua salutaris vini humanarum rerum moderatrix, quæ non sinit, vt effrenati ac concitati motus auersi à ratione animum perturbent, & è sua sede & statu deiiciant. Venit tibi in mentem res quædam, qua nimium oblectaris, sed quæ te suis illecebris potest à Deo abducere & separare, cogita statim quàm cito res illa finietur, quæ etsi aliquandiu durauerit, euanescet tamen, & penitus tandem extinguetur. Et cõsidera quàm stultum erit, pro breui voluptate, pro re caduca, incerta, & mortali, velle amittere summam illam inenarrabilem, ac æternam beatitudinem, vbi viri sancti, qui è corporum vinculis tanquam ex carcere euolauerunt, summo illo ac sempiterno bono fruuntur. Peritus gubernator nauis non in principio & in medio ambulat, sed in fine, hoc est in puppi sedet, ex quo loco totam nauem regit, eámque paruo clauo moderatur, & ita ad optatum portum tandem peruenit. Vis totam vitam tuam ita gubernare, vt salutis portum consequaris? Non quiescas in mediis solùm considerandis, sed respice finem. Sede cum cogitatione in exitu & fine rerum humanarum, & ita transibis mundi mare gubernans ac moderans vitæ nauem clauo rationis, donec ad portum beatitudinis peruenias, & patriam obtineas, vbi in æternum conquiescas. In libro Leuitici scriptum legimus, præcepisse Deum vt plumæ auium, quæ illi in holocaustum offerebantur, proiicerẽtur in locum, in quẽ cineres effundi solebant, ad Orientalem plagam. Aues Deo hoc modo oblatæ sunt Christiani, qui non in quodcunque sacrificium, sed in holocaustũ, quod est totum incensum, se debent alto Deo immolare. Plumæ in altum volitantes & aues ipsas in sublime efferentes sunt diuitiæ, potentia, cæteræque mundi vanitates, quibus homines efficiuntur elati, superbi, & inanes. Has præcipit Deus vt in locũ cineris proiiciamus: est autem cinis id, in quod versum est id, quod anteà fuerat. Ex quo efficitur, vt cinis pro fine & rerum exitu & interitu accipiatur. Quid voluit Deus hac excellenti figura significare? Quid voluit nobis præcipere, nisi vt rerum humanarum finem contemplemur, & id, in quod tandem vertũtur, perpendamus? vt memoriam diuitiarum, humanæ potentiæ & amplitudinis cum cinere misceamus, vt cũ nobis mundus potentiam & opes, caro voluptates & delicias, diabolus ad hæc obtinenda tetra flagitia & nefaria scelera suggesserit, & ante oculos posuerit, statim cinerem, in quem hæc omnia redduntur, animo complectamur? Et quoniam finis omnium nostrarum actionum debet esse Deus, ad quem eas debemus dirigere, præcipitur hoc in loco, vt non ad Occidentem, sed ad Orientem respiciamus. Non enim sine mysterio dicitur proiiciendas esse plumas prope altare ad Orientalem plagam. Occidens est mundi gloria, quæ occidit, & tandem finitur, & penitus obscuratur. Ergo in contemnenda mundi gloria, ne hominum gloriam quæramus, sed gloriã Dei: respiciamus ad Orientem, dirigamus omnia facta nostra ad Christum, ad summum illum Orientem, de quo apud Lucam ait Zacharias: *Visitauit nos Oriẽs ex alto.* De quo dixerat Deus per alterum Zachariã: *Adducam seruum meum Orientem.* Et alibi. *Ecce vir Oriens nomen eius.* Aspicis quemadmodum hac figura monemur, vt finem rerum memoria teneamus. Id

Deut. 31.

Thren. 1.

Luc. 21.

similitudo

C

D

similitudo

E

Leuit. 1. figura.

Luc. 1. Zach. 3. Zach. 6. Gen. 25. figura.

F

fuerat

A fuerat etiam adumbratum in Iacob, qui, vt diuinæ literæ commemorant, Esau fratris sui vterini plantam pedis manu arripuit. Esau qui quadam significatione idem est quod vanus, qui vocatus est Edom, hoc est terrenus, humanarum rerum imaginem gerebat, per plantam autem pedis finis significatur. Vnde Hebraicè idem nomen עקב significat plantam pedis & rerum finem, quòd planta sit vltimum corporis. Ille qui est verè Iacob, qui est verè supplantator, Deo gratus & acceptus, plantam pedis mundi, hoc est, rerum humanarum finem & interitum comprehendit, & animo intuetur. Ex quo efficitur, vt animum habeat promptum & paratum ad legem diuinam adimplendam. Et id fortasse voluit significare diuinus vates ac illustrissimus rex, cùm dicebat in
Psal. 118. psalmo: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum* עקב, pro quo noster interpres vertit: *propter retributionem.* Et recte quidem hæc enim vox retributionem significat, & plantam & finẽ. Quam ob causam potest hic versus ita rectè conuerti: *Inclinaui cor meum ad implenda præcepta tua in æternum propter finem.* Acsi diceret: Ego rerum finem animo contemplans, mundi gloriam contempsi, quam vidi fugacem esse, & caducam, & tandem consumi,
B atque penitus interire, & te solum Deum quæsiui, atque ad legem tuam complendam animum præparaui. Nos igitur finem humanarum rerum alta mẽte perpendamus, ne nobis dicatur id, quod hoc in loco Deus obiicit Babyloni: *Neque recordata es nouissimi tui.*

l *Non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem.*) Id est, non priuabor gloria mea. Habebo semper regem, & populos subiectos.

m *Et fiduciam habuisti in malitia tua.*) Ideò corrues, quia fiduciam tuam in malitia fixisti. Vt enim
simile. domus in arena sita quanquam ventis non sit agitata, ipsa tamen per se ruit, sic fiducia fundata in flagitiis etiam à nemine oppugnata ipsa per se dilabitur & euanescit.

n *Sapientia tua & scientia tua hæc deceperunt te.*) Stulta est illa sapientia, quæ non solùm veritatem non docet, sed etiam fallit. Loquitur de mundi sapiẽtia, quam diuus Paulus dicit esse stultitiam apud Deum. Vnde quidam ait: Infœlix qui omnia scit, te autem Domine nescit.

o *Et nescies ortum eius.*) Præ subita & repentina celeritate. Vel ponitur ortus pro causa. Acsi dicat: Malum tuum est incurabile, quoniam nec causam eius intelligis.

p *Sta cum incantatoribus tuis.*) Abundasse Babylonios incantatoribus & auguribus quos reges consu-
Dan. 2. lebant, liber Danielis Prophetæ apertè ostendit.

q *In quibus laborasti ab adolescentia tua.*) Id est Quorum concilio à regni tui constitutione cuncta gubernas.

r *Augures cæli.*) Septuaginta habent, *Astrologi cæli.* Quidam vertũt Astrologos, ita enim augures cæli appellantur. Irridet Propheta astrologos, non eos, qui scientia præditi considerant cœli cõuersionem, ortum, occasum, motum & cursum astrorum suspiciunt, polos, hemisphæria, climata, dierum ac temporum rationem contemplantes. Est enim hoc vtile & licitum: Sed eos arguit & contemnit, qui asserunt omnia humana gubernari syderibus, qui omnia futura scire gloriantur, & fataliter ventura prænuntiant. Qua in re & ipsi falluntur, & alios fallunt. Et videntes se id nec arte neque scientia consequi posse, ad dæmones confugiunt, qui cùm multa ignorẽt, eos decipiunt. Non itaque eos irridet Propheta, qui astrologia vtuntur, sed quia ea abutuntur.

s *Non sunt prunæ.*) Augures tui & astrologi incen- E
dio terribili flagrabunt. Non enim erunt temperatæ prunæ, ad quas accedunt, qui volunt se calefacere, nec moderatus ignis, iuxta quem solent sedere frigore laborantes, sed erit ingens flamma omnia consumens. Vel sic: Ita astrologi tui comburentur, vt nullæ ex illis remaneãt prunæ, quibus se homines possint calefacere, sed subitò in fauillas conuertentur. Hunc finem habebunt ea, in quæ incubuisti, & quibus operam nauasti: hoc est, astrologi & astrologia.

t *Negotiatores tui.*) Qui negotiari apud te cõsueuerant, ab eo tempore quo regnare cœpisti, fugient. Et tam subita erit fuga, vt vnusquisque percurrat suam partem, errans, & à recta vita discedens. Nec erit qui eis opem ferat, illòsque à Persis eripiat.

D
1. Cor. 5

ANNOTATIONES EX Hebræo in CAPVT XLVII.

C 1 Tolle molam, & mole farinam.] *Pro molere est in Hebræo verbum* טחן *tachan, quod significat tundere. Et quoniam hoc in loco sequitur statim.* De nuda turpitudinem tuam, *existimat diuus Hieronimus hoc in loco tollere molam & molere, actum turpem significare. Huic expositioni fauet Scriptura trigesimoprimo c. Iob. Nam vbi vulgata versio habet:* Scortum alterius sit vxor mea, & super illam incuruentur alij: *Habet litera Hebræa:* Molat alteri vxor mea, & subigãt illam alij. *Est enim idem verbum in vtroque loco, & hic apud Esaiam, & illic apud Iob.*

2 Denuda turpitudinem tuam.) *In Hebraico est* Danuda צמה tsammathec. *Hæc dictio* צמה *significat fasciam, in qua capilli innectuntur. Significat etiam ipsos capillos. Vnde Pagninus vertit:* Denuda cincinos tuos: *Septuaginta habent,* Reuela operimentum tuum. *Acsi diceret Esaias: Aperi ligamen capillorum. Nam statim sequitur in eorum versione:* Denuda canos, *pro quo nostra editio habet: discooperi humerum.*

3 Sede tacens.] *In Hebraico est:* Sede דמם dumã. *Potest esse à verbo* דום *quod significat tacere: quam significationem secutus est noster interpres. Et potest esse à verbo* דמם *damam, quod significat deficere, & compũgi. Quam significationem secuti Septuaginta verterunt:* F
Sede compuncta. *Potest verti:* Sede deficiens. *Et quoniam verbum hoc significat subiici, potest Latinè reddi:* Sede subiecta. *Ita in Psalmo sexagesimotertio:* Verumtamen Deo subiecta esto anima mea. *Pro quo Diuus Hieronymus vertit:* Verũtamen Deo tace anima mea. *Verbum enim hoc etiam tacere significat, & quiescere, & expectare. Qui verè subditus est tacet & quiescit, nullãque suis calamitatibus adhibet desperationem. Et quando loquitur, statim verbis ostendit se non esse fractũ sed integrum. Vt enim vasa sonitu ex percussione effecto o-* simile.
stendunt sintne integra an rupta, sic verbis in afflictione prolatis ostendunt homines sintne tolerantia & virtute muniti, an indomiti & deprauati. Vis cognoscere vas? tangatur manus: vis cognoscere hominem? percutiatur afflictione. Est enim afflictio excellentissima probatio.

Argumentum capitis XLVIII.

1 *Inuehitur Propheta in Iudæos, qui virtutis simulatione tetra flagitia tegentes, nomine Israelis gloriabantur, cùm verè Israelitæ non essent, quòd immeris sceleribus implicati & constricti nec Israelem imitarentur, qui fuit religione & pietate integerrimus, & virtutum maximarum gloria præstantissimus,*

A *tissimus, vtqui in facta tanto nomine digna incumberent. 2 Aperit mysterium sanctissimæ trinitatis; Vaticinatur de liberatione à Babylonica captiuitate,* D *& 4 hortatur homines ad gratias Deo pro eius beneficiis agendas.*

CAPVT XLVIII.

AVdite[a] hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israel,[b] & de aquis Iuda existis,[c] qui iurãtis in nomine Domini, & Dei Israel recordamini non in veritate neq; in iustitia.[d] De ciuitate enim sancta vocati sunt, & super Deum Isreel constabiliti sunt. Dominus exercituũ nomẽ eius.[e] Priora ex tunc annuntiaui, & ex ore meo exierũt, & audita feci ea, repẽte operatus sũ, & venerũt.[f] Sciui enim quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frõs tua ærea,[g] Prædixi tibi ex tunc antequã venirent indicaui tibi, ne fortè diceres: Idola mea fecerunt hæc sculptilia mea, & conflatilia mãdauerunt ista. Quæ audisti, vide omnia. [h] Vos autẽ nũ annuntiastis? [i] Audita feci tibi noua ex tunc, & conseruata sunt quæ nescis, nunc creata sunt, & nõ ex tunc, & ante diẽm: & non audisti ea, ne fortè dicas: Ecce ego cognoui ea. Nec audisti neq; cognouisti, neque ex tunc aperta est auris tua. Scio enim quia præuaricans præuaricaberis, & trãsgressorẽ ex vtero vocaui te. *k* Propter [1] nomẽ meum longè faciam furorẽ meũ, & [1] laude mea infrenabo te, ne intereas. *m* Ecce [1] excoxi te, sed non quasi argẽtum, elegi te in camino paupertatis.

[1] *Sup. 41. b* Propter me faciam, vt non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo.

EXPLANATIO.

B a *Audite hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israel.)* Israel sonat principem cum Deo, vel prævalentem Deo, vel, vt alij dicunt, videntem Deum. Textus Ge-
Gen. 32. nesis cap. 32. innuit Iacob sonare fortem contra Deũ. Nam cùm Angelus luctaretur cum eo, & non posset eum superare, *Nequaquam*, inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniã si cõtra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis?* Hoc tam illustri nomine gloriabantur Iudæi, memoriã suæ nobilitatis ex scripturarum vetustatem eruentes, eáque in splendore nominis, non in virtute collocantes. At sapientium est non niti opinione maiorum, sed omnẽ amplitudinem & dignitatem in virtute, atque in propiis rebus gestis positam existimare. Est igitur sensus: Audistis ô Iudæi qui solo nomine, non autem re appellamini Israelitæ, ea, quæ aduersus Babylonios prædixi, nunc autem tribuite mihi silentiũ, & ea, quæ de vobis dicturus sum, attentis auribus audite.

b *Et de aquis Iudæ existis.)* Hoc est, qui egressi estis ex semine Iudæ. Semen hominis aquas vocat. Ionathas vertit: *De cognatione Iuda.* Lusitani volẽtes significare aliquẽ esse similem patri suo, aiũt, habere quasdam aquas sui patris. Et à contrario sensu exire ab aquis Iudæ, seu nihil aquarum Iudæ habere, est ab eo
C penitus discrepare, nullámque cum eo habere similitudinẽ. Ait igitur Propheta: Vos ô Iudæi gloriamini ex Iuda, sed eum imitari non vultis. Ego verò existimo, Exire ex aquis Iudæ, esse ex eo tanquam ex fonte emanare, ita vt aquæ non capiantur pro semine, sed pro eo, ex quo familia aut genus sumit exordiũ. Hac
Psal. 67. exornatione vsus est Dauid dicens in Psalmo: *Benedicite Deo Domino de fontibus Israel.* Acsi diceret: Vos Iudæi qui ab Israele tanquam à fonte dimanastis, benedicite Christo in Ecclesia, qui est Dominus Deus. Vbi pro, *De fontibus Israel*, potest verti, *Vos qui estis de vena Israelis*: hoc est de fonte, siue de aquis. Ergo totum hoc, *Vos qui existis de aquis Iudæ*, est periphrasis Iudæorum, quemadmodum hoc: *Vos qui ex Israele tanquam ex fonte dimanastis.*

c *Qui iuratis in nomine Domini.)* Id est, qui Deum habetis in ore per ipsum iurantes, cùm ab eo animũ alienaueritis. Non vt eum veneremini, per eum iuratis, sed vt eius cultores vos esse simuletis, eúmque vestrorum mendaciorum testem faciatis.

d *De ciuitate enim sancta vocati sunt.)* Vocantur filij Hierosolymæ, vbi est templum Dei, & verus Dei E cultus. Sunt eorum fundamenta iacta non in idolis, sed in vero Deo. At illi his rebus tã amplis & aptis ad suam vtilitatem, & virtutis splendorem, abuntur ad suam deformitatem & perniciem.

e *Priora ex tunc annuntiaui.)* Ego prædixi ea, quæ euenerunt. Ex ore meo egressæ sunt Prophetiæ. Decreui me ea facturum esse, & protinus feci.

f *Sciui enim quòd durus es tu.)* Arguit Iudæorum duriciem, de qua loquitur scriptura Exodi trigesimosecũdo, & Deuteronomij trigesimoprimo, & Actorũ septimo, & multis aliis in locis. Appellat eorum ceruicem neruum ferreum, hoc est, inflexibilẽ, quòd essent duri & obstinati: & eorum frontem æneam, hoc est, impudentem, quòd nullam haberent verecundiam: Qui enim pudore non mouentur, frõtem æneam habere dicuntur.

g *Prædixi tibi.)* Volebat Deus multa Iudæis ventura prædicere, ne hoc suis idolis tribuerent.

h *Vos autem num annuntiastis?)* Quasi dicat, non. Sensus est: Ego sum qui futura annuntio, vos autem non. Potest etiã ita explanari. Vos non estis annuntiaturi miracula mea, quoniam gloriam meam non quæritis. Quod est vestræ ingratitudinis apertissimũ F signum. Vbi aspicis velle Deum ne eius beneficia & mirabilia silẽtio prætereamus, sed ea prædicantes, nos ipsius memores ac gratos demonstremus.

i *Audita feci tibi.)* Sensus est: Nonnulla prædixi tibi, priusquam euenirent, vt meam videres potentiam & sapientiam. Quædam verò ventura tibi nolui indicare, ne diceres te omnia scire, & incideres in superbiam, non mihi sed tibi scientiam rerum futurarum tribuendo. Scio enim te esse præuaricatorem, & à principio inditum est tibi hoc nomen ob tuum deprauatum animum. Vbi nostra versio habet, *conseruata*, verti potest *abstrusa*. Quasi dicat: Tu audisti à me aliquas nouas res, quæ venturæ erant, sed apud me abstrusæ & absconditę sunt aliquæ, quas tibi nolui referare, quæ nunc creatæ, hoc est, in effectũ productæ sunt: quas non ex tunc & ante diem tibi aperire volui, ne gloriareris te eas sciuisse. Vide Dei misericordiam, omnia quæ illis aperiebat, & quæ illis occultabat, ad eorum vtilitatem referebat. Sciebat Iudæos esse præuaricatores à principio & ingratos, sed nec ideò cessabat in eos magna conferre beneficia.

A neficia. Eodem modo qui voluerint Deum imitari, in benefacta & virtutis actiones incumbant, vtantur benignitate, beneficentia, & misericordia, nec ob aliorum ingratitudinem & nefaria scelera ab incœpto desistant. *simile.* Vt enim ferri acies & duricies tarandi cutem mollem, lenem, & flexibilem secare non potest: est enim impenetrabilis ferro, sic dura sceleratorum ingratitudo & immanis pertinacia non debent officiosi hominis benignum animum transfigere, & ab officio abducere, sed debet talis animus impenetrabilis existere, & in virtute atque incœpta beneficentia perseuerare. *simile.* Vt enim sol non desinit terras suis ealidis & fulgentibus radiis illustrare, quamuis illis lutum obdurescat, sic vir pius & rectus non debet à rectè factis & beneficiis desistere, quamuis illis iniquorum animus durior, & in sua ingratitudine pertinacior in dies reddatur.

k *Propter nomen meum longe faciam furorem meum.*) Vt glorificetur nomen meum, differam meum furorem: non te statim delebo, sed ad pœnitentiam expectabo, vt omnes videant meam infinitam benignitatem. Hinc discant principes & præsules in castigandis subditis non duci ira, & furore, & impetu. Vacandum est enim animi perturbatione, vt tranquil- *simile.* litas animi adsit, & securitas, quæ afferat tum moderationem, tum etiam dignitatem. In regione aeris

B altiore, vbi aër ipse est purior & excellentior, nulla est nubes, nulla vis fulgurum & procellarum, nullus caliginosus & nebulosus vapor, sed tota illa regione nitescit, & splendidissimo candore elucet. Infrà autem generantur turbines, tempestates, & tonitrua. Eodem modo princeps, qui excelsam & superam partem ob tinet, debet in sedatione & animi tranquillitate consistere, contrahere iram, continere furorem, séque moderatione & placabilitate munire, & in statione quieta collocare. Tolerabuntur aliquo modo in subditis & obscuris hominibus perturbationes. At in principibus sunt omnino intolerabiles. Nemini licet nec honore insigni, nec obscuro & ignoto, furore duci, & temerario impetu præcipitari: sed qui sunt in dignitate constituti, quantò sublimiorem locum obtinent, tantò pernicioſius offundunt. Cùm enim sint in vrbis oculis aut regni, in eósque se omnes conuertant, illósque intueantur D & imitentur, sunt eorum scelera cum aliorum pernicie coniuncta. Nec solùm obsunt, quòd ipsi corrũpuntur, sed etiam quòd alios corrumpunt: neque *simile.* minus exemplo, quàm peccato aliquãdo nocent. Et vt turpis cicatrix deformio r est in facie, quàm in aliis corporis partibus quòd facies sit magis conspicua, in quam oculi intuentium statim coniiciantur, sic flagitium & de decus in principe fœdius apparet: quemadmodum tetra macula in panno candido & *simile.* precioso insigniorem deformitatem ostendit, quàm in pullo & vili. Comprimant igitur furorem, qui alios gubernant, imitantes Deum hoc in loco dicen- *simile.* tem: *Longe faciam furorem meum.*

l *Et laude mea infrænabo te ne.*) Vt lauder ob populum seruatum, tibi frænum iniiciam, ne curras ad tuam perniciem. Vt penitus miles effrenatum & indomitum equum fræno moderatur, & in gyrum ducit, sic nos Deus afflictionis fræno cõprimit, ne concitatis & pernicioſis appetitibus ducamur. Aspicis hic afflictionem esse frænum ad pestilentes cogitationes, turpes voluptates, & falsas mundi vanitates coercendas.

m *Ecce excoxi te.*) Non te statim interficiã, sed affligam te, et in fornacem calamitatis et paupertatis E mittam, vt ibi purgeris. Non omnino purificaberis vt argentum, in quo nulla manet rubigo, neque te tam duriter tractabo, vt tu mereris, alioquin te perderem omninò: sed probabo te, et calamitatibus exercebo, ne pereas, tibíque excidium compares. Et hoc faciam, ne nomen meum blasphemetur inter gentes, me ipso contempto idola laudibus efferantur, nolo enim gloriam meam alteri tribuere. Vide Dei clementiam, ideò nos infrænat, ne ad excidium curramus, ideò nos affligit vt mundemur. Et ne penitus consumamur, non tractat nos duriter, sed leniter affligit. Docet hic locus præsules et iudices, vt cum iustitia lenitatem coniungant, et afflictionem esse fornacẽ, cuius igne exercemur. Hæc est illa Babylonica fornax ignis ardẽtis, in qua iusti exercẽtur, *simile.* et Deũ laudant: iniqui autẽ si nulla sint tolerãtia muniti, incẽdio flagrãt. Docet præterea hic locus quãti Deus faciat gloriam, quã alteri tribuere non vult.

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT XLVIII.

C 1 Propter nomen meum longè faciam furorem meum, & laude mea infrænabo te, ne intereas.] *Septuaginta habent*: Propter nomen meum ostendam tibi furorem meum, et glorioſa mea inferam super te, vt non te interficiam. *Vbi aspicis Deum gloriam suam ostendere in sceleratorum castigatione: & ideò nos castigare, ne nos interficiat. Considera quàm vtile nobis & salutare sit à Deo puniri, cùm ideò nos puniat, vt saluos faciat. Qua de re alibi disseruimus.* Cæterùm pro eo quod Septuaginta dixerunt. Ostendam tibi, *in Hebraico est* אאריך *aarich, à verbo* ארך, *quod significat prolongare, vt Deuteronomij sexto*: vt prolongentur dies tui. *Vnde* ארך *significat longum & longanimem, pro quo noster interpres vertit* misericordem, *vt in Psalmo*: Mi- Psal. 102. sericors et miserator Dominus. *Vnde apparet meliorem esse hoc in loco versionem communem, quàm Septuaginta interpretationem: significat enim hoc verbum prolongare, & longe facere, & dimittere. Sed quoniam quirem prolongat, eam extendit: & quò magis eam extendit eò magis eam ostendit, verterunt Septuaginta.* Ostendã tibi, *& recte quidem. Pro quo Pagninus vertit*: Propter nomen meum elongabo furorem meum. *Quod potest habere vtrumque sensum & versionis communis, & Septuaginta interpretum. Nam elongare furorem dicitur, qui furorem longum facit, & iram vehementer ostendit, & qui furorem à se elongat & dimittit.* F

2 Et laude mea infrænabo te, ne intereas.] *Pro infrænare est in Hebraico verbum* חטם *chatam. Ita enim scriptum est* אחטמלך *echetam lach. Quod potest rectissime ita verti*: Ob laudem meam infrænabo tibi iram meã, ne intereas. *Pro quo quidam vertunt*: Propter laudem meam frænum iniiciam mihi tui causa, ne te omnino excindam, *Verbum hoc refertur ad iram & furorem, quem flatus narium indicat, vt de equis scribit Vergilius. 3. Georg.* Collectúmque premens voluit sub naribus ignem. *Vno enim vocabulo Hebræi & nares & furoris fremitum significant, nempe* אף *aph, Et eam ob causam Iudæorum Rabbini ita hunc locum vertunt*: Et ob laudem meam obturabo nares tibi, seu causa tui. *Quasi dicat: furorem meum continebo, ne te penitus euertam.*

3 Ecce excoxi te.] *In Hebraico est,* חבתיצרפתיך *hinneth tseraphticha, à verbo* צרף *tsaraph, quod significat coquere, fundere aurum ad purificandum illud, purgare, & examinare. Fundit nos Deus, vt nos igne afflictionis purget ab scoriis, & nitidos efficiat. Vt as quando* fun- *simile.*

A *quando funditur non perditur, quoniam ex eo elegans ſtatua efficitur, quæ, niſi æs fundatur, conflari non poteſt, ſic quando nos Deus igne calamitatum fundit, non nos perdit ſed vult ex nobis, ex rudi, miſto, impuro metallo precioſam ſtatuam conflare, ad quod oportet, vt in vna fornace fundamur & purificemur. Illud Pſalmi:* Eloquia Domini igne examinata, *poterat etiam verti* : Eloquia Domini igne concocta et purificata. *Deducitur enim ab hoc noſtro verbo, cuius deriuata ſignificant etiam probationem & ſoliditatem.* *Pſal.17.* D

Supr.41.b & 44.a [a]Audi me Iacob, & Iſrael quem ego voco. [1]Ego ipſe ego primus & ego nouiſſimus. Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea menſa eſt cœlos. [b]Ego vocabo eos, & ſtabunt ſimul. [c]Congregamini omnes vos & audite. Quis de eis annuntiauit hæc? [d]Dominus dilexit eum, faciet voluntatem ſuam in Babylone, & brachium ſuum in Chaldæis. Ego ego locutus ſum, & vocaui eum, adduxi eum, & directa eſt via eius. Accedite ad me, & audite hoc: [e]non à principio in abſcondito locutus ſum, [f]ex tempore antequam fieret, ibi eram, [g]& nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius. Hæc dicit Dominus Deus redemptor tuus ſanctus Iſrael. Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas. Vtinam attendiſſes mandata mea, [h]facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris, & fuiſſet quaſi arena ſemen tuum, & ſtirps vteri tui vt lapilli eius: non interiſſet, & [i] non fuiſſet attritum nomen eius à facie mea. *Exo.17.b Num.21.b Infr.57.d* [k]Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis, in voce exultationis annuntiate, auditum facite hoc, & efferte illud vſque ad extrema terræ. [l]Dicite: Redemit Dominus ſeruum ſuum Iacob. [m]non ſitierunt in deſerto, cùm educeret eos: aquam de petra produxit eis, & ſcidit petram, & fluxerunt aquæ. [n]Non eſt pax impiis dicit Dominus.

B a *Audi me Iacob & Iſrael, quem ego voco.)* Voco vos ad pœnitentiam, voco vos vt ad me accedatis, voco vos ad beatitudinem, ideò me audite. Circunſpice celeriter animo Dei erga homines immenſam pietatem, eos, quos modò in hoc capite hypocritas & tranſgreſſores appellauit, vocat & excitat ad pœnitentiam, & vt ſe diſponant ad gratiam. Si diſponere ſe ad gratiam eſſet peccatum mortale, vt Lutherus aſſerit, non Deus nos adhoc vocaret, & excitaret. Qua de re videre poteris ea, quæ ſuprà annotauimus capite quadrageſimo. Colliges hinc neminem debere deſperare de beatitudine, quamuis ſit infinitis ſceleribus implicatus, cùm habeat Deum, qui cum ad pœnitentiam vocat. Sed heu quàm ſurdi ſumus ad voces diuinas. Verſæ ſunt aures noſtræ in duriciem & ſurditatem. Ideo quæritur Deus per Eſaiam dicens: *Vocaui, & nō erat qui audiret.* *Infrà 50. Ierem.11.* Et per Ieremiam: *Audite vocem meam, & non audierunt, nec inclinauerunt aurem ſuam, ſed abierunt vnuſquiſque in priuitatem cordis ſui mali.*

b *Ego vocabo eos, & ſtabunt ſimul.)* Cœli mihi obediūt. Si eos vocauero, illico ſtabūt, & mihi parebūt. Intuere quæſo hominis duriciem. Cœli inſenſibiles, animæ & intellectus expertes Deo parent, homo verò rationis particeps, ad imaginem Dei factus, ipſi Deo non ſolùm non obtemperat, ſed reſiſtit. Non

C ſydera clariſſima, non ſolem relinquorum luminum facilè principem, omniáque ſua luce complentem, non cœlos ipſos admirabili conuerſione & celeritate concitatos, et excellentibus aſtris diſtinctos, ſed ſolùm hominem ſcimus fuiſſe ad Dei imaginem et ſimilitudinem procreatum. Et tamen ſolus ille Deo non paret, et obtemperantibus aliis, ille reſiſtit. Vocat Deus cœlos, obediunt: vocat hominem, et obedire non vult. Tempore Ioſue ſtetit Sol iuſſu Dei, dimiſſo curſu ſuo: at peccator à Deo vocatus nec vult ſtare neque quieſcere. *Ioſue 10. Matt 8. Luc.5.* Venti et mare obediunt Chriſto, nos verò eius verba contemnimus, et pro nihilo putamus. Sumus multò leuiores vento omni nimbo et procella furioſiores, omni maris mobilitate inconſtantiores. O amentiam, ô duriciem, ô pertinaciam. Elementa naturaliter indomita obediunt creatori, ſolus homo reſiſtit.

c *Congregamini omnes vos, & audite.)* Nam qui diſcordes ſunt, nulla vniti charitate, verba Dei audire non curant. Vide quemadmodum nos Deus ad con- E
cordiam vocet. Eſt enim eius officium congregare, vt alibi fusè oſtendimus.

d *Dominus dilexit eum.)* Subaudi Cyrum, qui Deo morem geſſit, euertens Babylonem, exercens brachium ſuum in Chaldæis, et liberans Hebræos. Ei Deus locutus eſt, eúmque vocauit, et fuit via eius recta et plana. Hæc quamuis de Cyro dicantur Hebræorum liberatore, ad Chriſtum tamen mundi ſaluatorem conuenientius referūtur, quem Eſaias, cum ea literis mandaret, contemplabatur. Porrò Ieſus Chriſtus eſt ille, quem Deus pater dilexit, de quo ait: *Hic eſt filius Deus dilectus, in quo mihi bene complacui.* *Mate.23.* Ipſe eſt, qui fecit patris voluntatem qui de ſeipſo ait in Pſalmo: *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam.* *1.Petr.1. Pſal.39. Hebr.10.* Quem locum Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos de eodem Chriſto explanauit. Hic eſt qui Babylonem, hoc eſt mundi confuſionem ſubuertit, brachiúmque ſuum, hoc eſt, potentiam ſuam in dæmones Chaldæorum nomine ſignificatos oſtendit. De eo ait in Apocalypſi Diuus *Apoc.5.* Ioannes: *Vicit leo de tribu Iuda.* Hæc igitur Chriſto conueniunt, ad eúmque cum his, quæ ſtatim ſequūtur ſunt abſque dubio referenda.

e *Non à principio in abſcondito locutus ſum.*) Hoc eſt, ego à meæ prædicationis exordio palàm docui. F
Verba ſunt Chriſti, qui apud Ioannem. *Ego*, inquit, *Ioan. 18.* *palàm locutus ſum mundo. Ego ſemper docui in ſynagoga & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil.* Poteſt hoc referri ad legis lationem in monte Sinai. Et hæc eſt meo iudicio germana huius loci explanatio. Ita hunc locum exponunt antiqui Hebræorum Rabbini in commentariis in decimumnonum caput Exodi, illa verba interpretantes. *Venerunt in ſolitudinem Sinai.* Quorum ad literam hæc ſunt verba: *Data eſt lex in publico, vt omnis qui volerit, eam recipiat,* & ideò Deus ſanctus & benedictus ait per Eſaiam quadrageſimooctauo: *Non à principio in abſcondito locutus ſum.* Hæc illi. Ex hoc loco probatur falſum eſſe & commentitium id, quod Iudæi dicunt de Cabala. Aiunt enim Deum in monte Sinai præter legem ſcriptam aliam dediſſe Moyſi verba tantùm, quam Moyſes ſucceſſori ſuo reuelaret, & ille poſteris ſuis, vt ita per aliquos ſucceſſores de manu in manū ſeruaretur. Huius figmenti au-

A ti auctor fuit quidam Idumæus magus nomine Mair, quem Iudæi post templi incendium Hierosolyméque per Titum Vespasianum euersionem & vastitatem in suam societatem receperũt, eum Messiam esse affirmantes. Hic cùm videret Iudæos veteris Testamenti authoritatibus à Christianis cõuinci, cùm esset astutus & vafer, hanc malitiã inuenit, vt hac lege secũda se aduersus Christianos defenderet. asserẽs Deum multa in ea docuisse, quæ ex diametro legi scripturæ repugnarẽt. Hanc legẽ appellant Hebræi Cabalã, hoc est traditionẽ, quòd fuerit ore tenus à patribus tradita filiis, & ita ad eos propagata. Nec solũ hîc quieuit eorum insania, sed etiam fuit longius dilata. Nã surrexerunt multi ex Hebræis, qui totum legis scriptæ sensum negarent, asserentes eius verum intellectum ex literarum nominúmque combinatione depromi, atque in ingenij subtilitate consistere. Et hi cabalistæ nominantur. cuius sectæ & vanitatis authorem Simonem quendam esse tradiderunt. Hanc falsã inuentionẽ & impietatẽ refutat hoc in loco Deus per Esaiam dicens: *Non à principio in abscondito locutus sum.* Acsi dicat: Ne dicatis me legem aliquam in abscondito tulisse: omnia enim,
B quæ vobis præcepti in monte Sinai, fuerunt à Moyse ad vos relata, publicisque mandata momimentis. Ita enim capite vigesimoquarto Exodi scriptum legimus: *Venit ergo Moyses, & narrauit plebi omnia verba Domini atque iudicia. Respondit que cunctus populus vna voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini.* Hæc ibi. Aspicis igitur nullam aliam legem Deum Moysi dedisse, nisi eam, quàm scriptam habemus, à Moyse quinque suis libris mandatam, & ex consequenti falsam esse impiam cabalistarum opinionem, & merum figmentum.

f *Et tempore antequam fieret, ibi erã.*) Id est, à principio quando Pater meus dedit vobis legẽ in mõte Sinai, ibi eram ego cum Patre, dãs vobis legem ipsam.

g *Et nunc Dominus Deus misit me & spiritus eius.*) connectuntur in hunc modum verba hæc cum præcedẽtibus. Ego, ait Deus, nullã vobis legẽ dedi in occulto in mõte Sinai: planè locutus sum, & ibi erã cum Patre & Spiritu sancto in legislatione. Sed quoniam legis cerimoniæ, sacrificia, & iudicia, non erãt nisi vsque ad Euãgeliũ duratura, ideò nunc misit me Pater & Spiritus sanctus, vt vos Euangelium doceã,
C à peccatis tenebrísque ad gratiam claritatémque vindicem, atque pro mundo me in crucis ara hostiam deuoueam atque constituã. Hæc est perspicua, vera, & germana huius loci intelligentia. Non torqueo nec corrumpo literã, sed vt iacet, & verè sonat, atque est, eam interpretor. Dicebat paulò antè Deus: *Ego primus & ego nouissimus. manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea mensa est cælos.*
Apoc.1. & 22. Quæ quidem verba nemini præter Deum conuenire possunt. Ipse enim est α & ω, principium & finis, totius vniuersi creator & rector. Et continuans sermonem suum ait post pauca verba: *Accedite ad me, & audite hoc: Non à principio in abscondito locutus sum: ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus eius.* Et volens diuinus vates clarius ostendere Deum esse hunc, qui loquitur, subdit statim: *Hæc dicit Dominus Deus redemptor tuus sanctus Israel.* Aspicis planè Deum esse qui ait, se esse à Patre & Spiritu sancto missum. Distinctè hîc loquitur Propheta nulla vtens implicatione, nulla obscuritate. Hic, qui loquitur, est missus à Deo, atque hic, qui loquitur, est Deus, ergo Deus est missus à Deo. Duo ex hoc loco colligimus, prius est Messiam Deum esse, posterius verò Deũ, qui est in essentia vnus, esse in personis trinum. Prius ita ostendo. Qui mittendus erat à Deo in hominum generis D
redemptionem, est Messias, atqui ille, qui hic loquitur, fuit à Deo missus ad humanam redemptionem, est igitur Messias. Tum sic: Hic est Deus, & hic est Messias, ergo Messias est Deus. Quis non videt esse validissimas has ratiocinationes? Sed quoniam capite quadragesimo multis verbis christi diuinum numen ostendimus, ad secundum propositum nos conferamus. Hebræi nostræ memoriæ non possunt ferre Trinitatis mysterium. Aiunt enim Deum esse vnum, in quo nulla pluralitas, nulla personarũ distinctio reperitur: nec posse probari ex veteri Testamẽto esse in Deo aliquam distinctionẽ. Eã ob causam operæprecium esse duxi, mysterium Trinitatis illis hoc loco ostendere, orationémq; lõgius, quàm forasse par erat, dilatare. Moyses in Genesis *Gen.1.* exordio ita inquit: *In principio creauit Deus cælum & terram*, & pro Deo posuit אלהים Elochim, quod est nomẽ pluralis numeri à singulari אלי, quanquam nõ desint qui asserunt, eius singulare esse אל el, inter quos est R. Aben hezra in sua huius loci expositione. Quare Moyses voluit hîc Deũ numero multitudinis appellare, nisi vt in diuinis personarum pluralitatem ostenderet? Et quare dixit, *creauit*, in singulari, nisi vt essentiæ vnitatem demonstraret? Voluit sanctissimus vates sapientissimúsque diuinæ legis scriptor statim in eius frontispicio sanctissimæ Trinitatis E
admirabile sacramentum significare. Et paulò post: *Gen.1.* *Dixit Deus*, inquit, *Fiat lux.* Quibus verbis innuit verbum Dei, per quod omnia facta sunt: quod verbum nos dicimus esse filium: quem etiam ostendit, dicens: *In principio creauit Deus cælum & terram*: Est enim filius principium, per quod omnia facta sunt. Et paulò post ait: *Et spiritus Domini ferebatur super aquas.* Vbi vides trium personarum distinctionem. Per Deum intelligit Patrem, per principium & verbum Filium, per Spiritum Dei Spiritum sanctũ. Intelligi autem per Spiritum Dei Spiritum sanctum indicat Thargum Hierosolymitanum ita vertens: *Spiritus misericordiarum siue gratiæ flabat super facies aquarum.* Vt sit sensus: Spiritus sanctus illam molem fouebat, illíque incubabat, vt gallina suis ouis, quò ea calore suo calefaciat & animet. Ita illum locum Magnus Basilius interpretatur. Has duas personas alloquitur Pater, dicens paulò post in eodem capite: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* In verbo, *faciamus*, innuitur, personarum pluralitas: in verbo *imaginem*, essentiæ vnitas. capite decimo octauo eiusdem Geneseos sunt hæc verba ad literam: *Apparuit autem* F
ei, nimirum Abrahamo, Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei. Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum. Quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terra, & dixit: Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, & catera. Vbi nos habemus, *Dominus*, est in Hebraico Iehouah, nomen Dei tetragrammaton, quod soli Deo conuenit. Ideò poterat rectissimè verti: *Apparuit autem ei Deus.* Et paulò post in eodem capite vbi nos habemus: *Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare risit Sara vxor tua?* Pro Domino est etiam in Hebraico idem nomen Iehouah. In hac visione essentiæ diuinę vnitatem, trinámque personarum distinctionem, altè spectare si voles, mentis oculis perspicies. Quid enim voluit scriptura significare dicens, Abrahamum tres vidisse, & vnum adorasse, nisi vnam esse atque simplicissimam deitatem, tres verò personas distinctas? Id in principio capitis ostenditur, apparuisse Abrahamo Deum, & statim, tres viros. Si

A Abrahamus in illis tribus personis vnicam essentiam non cognouisset,non dixisset quidem, *Domine si inueni gratiam in oculis tuis*,sed,*Domini si inueni gratiam in oculis vestris*. In Deuteronomio sunt hæc verba capite sexto mandata:*Audi Israel:Dominus Deus noster.Dominus vnus est*. Quæ verba ita possunt verti ex Hebraico:*Audi Israel:Deus Deus noster Deus vnus est*, nam pro Domino in vtroque loco est in Hebraico Iehouah.Nominans scriptura Deum ter,indicat esse trinum, & volens vnam eius essentiam significare ait esse vnum.Et aduerte. Nec Deo,qui primo loco ponitur,neque qui vltimo,sed tantùm qui, secundo loco est, additur, *noster*: quià nec pater, qui prima persona est in Trinitate,neque Spiritus sanctus, qui tertia est, sed solus filius, qui est secunda eiusdem trinitatis personæ,per nostræ humanitatis assumptionem & participationem noster futurus erat. Hunc locum explanans Rabbi Simon Hebræus, fatetur nobiscum ex eo probari Trinitatis sacramentum. Cum hoc loco maxime cohæret id, quod dicitur in
Psal. 66. Psalmo: *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ*.Non ait: *metuant* eos,sed *eum*,vt eius vnitatem ostenderet,cuius Trinitatem significarat. Hanc veritatem voluit o-
Psal. 32. stendere idem vates, dicens in Psalmo: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Per Dominum Pater,per verbum Filius, per
B Spiritum oris eius,Spiritus sanctus intelligitur. Verbũ Græcè λόγος logos dicitur,quod multa significat, nam& verbum est, & ratio, & supputatio, & causa vniuscuiusque rei,per quam sunt singula,quæ subsistunt. Probatur ex hoc Psalmo, totam Trinitatem mundum creauisse,quoniam Trinitatis opera ad extra sunt indiuisa. Hoc verbum est Sapientia illa in
Prou. 8. creata,quam Salomon in prouerbiis ita facit loquentem: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret: Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram*. Et paulò post: *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens*. Hoc Trinitatis mysterium significauit Esaias capite sexto, dicens: *Sanctus,sanctus,sanctus,Dominus Deus Sabaoth*. Cui simile est testimonium hoc, quod asserit in præsenti, ita Christum loquentem inducens:*Et nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius*. Vbi etiam vides filium fuisse à patre & ab Spiritus sancto missum, quod alibi annotauimus. Hæ tres personæ operatæ sunt incarnationis mysterium,sed solus filius simpsit humanam carnem. Tres virgines efficiunt quandam vestem, sola vna eam duit in die suarum nuptiarum.
si mile, Ita in nuptiis Christi cum humana natura,in magno atque admirabili sacramento inter Christum & Ecclesiam tota trinitas operata est incarnationem, sed solus filius hanc vestem nostræ mortalitatis induit,
Mat. vlt. vt maculas nostras abstergeret,viámque æternę beaC titudinis consequendæ aperiret.Ille nobis hoc trinitatis sacramentum ostendit, dicens:*Euntes ergo docete omnes Gentes, Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. In nomine vti nuc ait*, non in nominibus,vt cum Trinitate personarum vnitas essentiæ ostendatur. Non tibi cito ô Hebræe Euangelium,vt eo te conuincam,quod, nequaquam admittis, sed vt videas quemadmodum vtriusque Testamenti testimonia sint sibi consona & cohærentia. Nec solùm diuinæ literæ, sed etiam Gentiles philosophi personarum distinctionem in diuinis suo modo cognouerunt. Plato in epistola quadam ad Dionysium hæc verba scripta reliquit: Omnia sunt apud regem mundi, & propter eum est quicquid est creatum, qui est omnium bonorum causa. Et mox post hunc regem est totum in secundo, & post illum in tertio, Plotinus ita ait in libro trium sustantiarum:Si quæsieris quis genuerit exemplar & sapien- D
tiam, huiúsque mundi opificem, dico fuisse illum simplicem, qui in caussa est vt hic genitus sit talis tantáque magnitudine præditus.Et paulò post comparat filium respectu cœlestis patris cum splendore respectu Solis.Æmilius loquens de filio Dei,ait hoc esse verbum, per quod omnia facta sunt.vt Heracli tus asserebat. Philo Platonicus in libro de bonis irrisis à malis appellat Dei filium eius imaginem & verbum sacratissimum, à quo ait fuisse mundum formatum. Aspicis Hebræe non solùm literas diuinas, sed etiam humanas distinctionem in diuinis, quam tu tantopere refugis & detestaris, affirmare. Nos verò credimus in sanctam Trinitatem, id est Patrem,& Filium, & Spiritum sanctum vnum Deũ omnipotentem, vnius essentiæ, vnius potestatis, creatorem omnium creaturarum: à quo omnia, per quem omnia,in quo omnia:æternum, incommutabilem, qui totus vbique est, totus vbique præsens, non per partes diuisus, sed totus in omnibus locis, non localiter sed potentialiter, qui absque sui mutatione cuncta mutabilia creauit. Huius filius venit in mundum, qui ait hoc loco. Et nunc Dominus Deus misit me,& spiritus eius.

h *Facta fuisset quasi flumen.*) Id est, abundans & perpetua.

i *Et non fuisset attritum nomen eius à facie mea.*) Hoc est,non fuisset nomen Israelis vilecoram me. E

k *Egredimini de Babylone,fugite à Chaldæis.*) Vaticinatur Propheta de Iudæorum liberatione à Babylonica captiuitate.Facit Deum loquentem, Hebræósque ad egressionẽ & fugamà Chaldæa exhortantem,Et quanquam hæc de Babylone illa in Chaldæa sita intelliguntur, existimo tamen Esaiam respexisse præcipuè ad communem Babylonem, hoc est, ad confusionem mundi, ad quam fugiendam christus nos hoc in loco hortatur, omnibus præcipiens,vt seruent mandata,absque quorum obseruatione nemo potest sibi vitam, comparare. Illi egrediuntur è Babylone,fugiúntque à chaldæis, qui contemptis pestiferis voluptatibus, relictísque turbulentis negotiis, sedebunt christianæ philosophiæ, quæ animis medetur, inanes cogitationes detrahit, effrenatas cupiditates sedat, aut longius pellit. Ait igitur: Egredimini de Babylone vos, qui in confu- F
sione & perturbatione hactenus vixistis. Habetis animũ excelsum &altum contemnite infima,fragilia, & caduca,& aspirate ad sublimia,cœlestia, & immortalia. Relinquite mundum,fugite à chaldæis, fugite ab animæ hostibus,fugite à falsis appetitibus, reuocate mentem à sensibus, cogitationem à deprauata consuetudine adducite:fugite à vobisipsis: nam hac in re egredi est vincere,fugere est triumphare. Egrediamur igitur & fugiamus, vt consequamur victoriam,& non solùm de hostibus extraneis, sed etiam nobisipsis honorificè triumphemus. Dauid ille regum illustrissimus in tertio Psalmo Deum in hunc *Reg. 16.* modum alloquitur: *Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa, dentes peccatorum contriuisti*. Quibus verbis cum aliis concinit victoriam, quam de hostibus suis reportauit. Et in principio Psalmi hæc verba literis mandauit: *Psalmus Dauid,cùm fugeret à facie Absolom filij sui*. Hæc est Psalmi descriptio: Parauit Absolom bellum aduersus patrem suum regem omni virtute ac laude præstantem,voluit per summum scelus ius diuinum & humanum violare & peruertere,atq; de regni pernicie & ignominia cogitare:quoniã ad principatũ,&ad falsę inanisq;mũdi glorię cupiditatẽ incredibiliter exardebat.cùm autẽ Dauid intelligeret filiũ suũ contra eum surrexisse & coniurasse,aufugit,& hunc Psalmũ literis mandauit.

Quid

A Quid est hoc rex illustrissime? Canis victoriam tuam & in principio, statim in frontispicio Psalmi ais te fugisse. Non hæc videntur inter sese coherere, nempe fugere & superare. Si Psalmum tuæ victoriæ compo neres, quando cum magno triumpho ingressus es Hierosolymam pro victoria, quam de Goliath fortissimo Philistinorum mirabiliter reportasti, nulla occurreret dubitatio. Solent enim victores carmina atque cantica suarum victoriarum canere, memoriæ prodere, & literis consignare. At cùm dicas Psalmũ hunc composuisse, cùm fugeres à facie Absalom filij tui, videris à teipso dissentire. Hæc sunt quæ prima fronte se offerunt. Sed si ea voluerimus altè perpendere, & attentius intueri, videbimus apertè nullam hîc esse repugnantiam. Omitto illam interpretandi rationem, quam literalem vocant, venio ad moralẽ. Per hunc Absalom filium Dauidis intelligitur appetitus, qui ab eo gerebatur. Quid est fugere Dauidem à filio suo, qui contra eum insurgebat, eique bellum parabat, nisi fugere ab appetitu, à turbido motu, à confusione, à peccandi occasione, & à mundi vanitate? Hæc est illustrissima victoria, excellentissimus triumphus, præstantissimum monumentum, & am-
B plissimum rerum gestarum trophæum. Quæ potest esse glorioſior victoria, quàm vincere ipsum? atqui in hoc bello à seipso fugere, est seipsum vincere, & carnem, dæmonem, & mundum superare. Vincere alios est humanum, at vincere hominem seipsum est diuinum. Hæc inquam, hæc est victoria illa, quæ gloriam illam consequitur, quæ viget memoria omniũ seculorum, quàm posteritas alit, quam omnes intuẽ-
Iosue 8. tur & admirantur. In libro Iosue scriptum legimus, fugisse Israelitas vt vincerent, & hac fuga de rege Hai ciuitatis victoriam reportasse. Fugiebãt ab inimicis, relinquebant ciuitatem, & se in solitudinem recipiebant, & erat Iosue cum fugientibus. Hai idẽ est quod chaos, siue confusio. Vis vincere tuorum appetituum confusionem, fuge ab illis, fuge à teipso & vinces teipsum: fuge à mundi confusione, derelinque mũdum, & vinces eum, & erit tecum Iosue, hoc est, Iesus, cuius ille Iosue imaginem gerebat. Quid igitur facimus cur non fugimus mundum, cur in eo detinemur, cur cupiditatibus obtemperamus? Au-
Luc.9. diamus Christum dicentem: *Egredimini de Babylone,*
2.Petr.1. *fugite à Chaldæis.* Et in Euangelio, *Si quis vult*, inquit, *venire post me abneget semetipsum, & tollat crucẽ suam, & sequatur me.* Et Apostolorum princeps, *Per hoc*, inquit, *efficiemini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.*
C Et Ioannes in Apocalypsi: *Facta est*, inquit, *Babylon*
Apoc.18. *habitatio dæmoniorum.* Et paulò pòst: *Et audiui aliam vocem de cœlo dicentem: Exite de illa populus meus.*
l *Dicite: redemit Dominus seruum suum Iacob.)* Intelliguntur hæc de beneficiis, quæ Deus contulit in Hebræos, sed melius ad redemptionem generis humani per Christum referuntur, ad quam Propheta cùm hæc scriberet, respiciebat.
m *Non sitierunt in deserto, cùm educeret eos, aquam de petra produxit eis.)* In hoc capite vaticinatur E- D
saias de liberatione ex Babylonica captiuitate, & de Iudæorum reditu ad patriam suam sub Esdra & Zorobabele: & excitat eos ad agendas Deo gratias pro tam insignibus beneficiis, & ad ea prædicanda & celebranda: inter quæ beneficia numerat hæc, quæ hoc loco continentur. Sed si præteriti temporis memoriam respiciamus, & sacrorum librorum historias replicemus, non inueniemus hæc in reditu è Babylonica captiuitate contigisse. Sed dici possunt instat prioris fœlicitatis, quando ab Ægyptiaca seruitute reuertebantur. At cùm per Babylonicam liberationem generis humani per Christum redemptio significetur, existimo absque dubio Prophetam hæc ad tempus gratiæ retulisse. Liberans enim Christus à mundi confusione homines in tenebris vagantes, nõ permisit vt in deserto siti perirent. Dedit illis gratis aquas gratiæ & doctrinæ, quarum hausta atque potu conceptam visceribus sitim sederent, ardorémque restinguerẽt. Scissa fuit petra, & fluxerunt aquæ: *Petra autem erat Christus*, vt vas electionis ad Co- *1.Cor.10.*
rinthios scribens apertissimè testatur. Fuit igitur *Ioan. 19.*
hæc petra aperta in latere virga Moysi, hoc est, militis lancea, à cuius vulnere exiuit sanguis & aqua, quibus nos redemit & abluit.
n *Non est pax impiis, dicit Dominus.)* Dixerat liberandos esse Hebræos à captiuitate Babylonica, & Hierosolymam reuersuros. Sed quoniam sciebat multos mansuros esse in Chaldæa, qui nollent ad patriam redire, nec pace gaudere, ideò ait: *Non est pax* E
impiis. Sed potius existimo Prophetam ad eos respicere, qui post Christi mortem nec voluerunt bibere de petra, nec Babylonem, hoc est, mundi perturbationem relinquere, nec in spirituali pace, & trãquilla animi securitate viuere: sed in pristino errore permanentes Hierosolymam, hoc est, visionem pacis contempserunt. Ob eam causam ait: *Non est pax impiis, dicit Dominus.* In animo enim impiorum nulla est pax, nulla quies, Gignuntur enim ex appetitione impia turbidi & concitati animorum motus auersi à ratione, inimici pacis vitæque tranquillæ, qui animũ inflammant bello intestino, & quodam furore à pace & temperantia plurimùm dissidente. Ex quo efficitur, vt impij in medio pacis etiam siue pace viuãt F
contrà verò iusti & pij in medio belli pace oblectentur. Xenophon dicebat pacem videre esse maximum hominibus bonum, bellum maximum malum. Hæc animi pax est illa εὐθυμία, hoc est animi tranquillitas, quam Democritus dixit esse summam mundi fœlicitatem. Sed hi adhuc in tenebris versabantur, nec vera animi pace gaudebant. Vera, dulcis, ac cœlestis pax est ea, quam Christus attulit mundo, de qua ipse *Ioan. 14*
ait apud Ioannem: *Pacem meam do vobis: pacem relin-* *Psal. 45.*
quo vobis. De eo regius vates multò anteà fuerat iis verbis vaticinatus. *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad finem terræ.* Qua de re capite secundo, & nono, & vigesimosexto, & aliis in locis latè disseruimus.

ANNOTATIO.

1 Ego primus & ego nouissimus.] *Septuaginta habent*: Ego sum primus, & ego in sempiternum

Argumentum capitis XLIX.

Inducit diuinus vates Christum loquentem, & ad gentes, vt eius verba attentis auribus percipiant, clamantem. Nam vocatis reliquiis Israelis, & abiectis contumacibus Iudæis in sua perfidia manentibus, transit ad Gentium vocationem. Prædicit Christianos educandos esse animorum pabulo, & aquis gratiæ doctrinæque reficiendos. Ostendit Deum non esse oblitum suorum, nec eos derelinquere etiam cum maximè derelicti, & periculis vndique cincti videntur. Promittit Christus spolia à dæmone ablaturum, & Israeli libertatem donaturum.

A D

CAPVT XLIX.

AVdite insulæ,& attendite populi de longè: [b]Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. [c]Et posuit os meum quasi gladium acutum, [d]in vmbra manus suæ protexit me,& [e]posuit me sicut sagittam electam, pharetra sua
infrà 51. abscondit me.Et dixit mihi:[f] Seruus meus es tu Israel,[g] quia in te gloriabor. [h] Et ego dixi, in vacuum laboraui, sine causa & vanę fortitudinem meam consumpsi: ergo iudicium meum cum Domino,& opus meum cum Deo meo. Et nunc hæc dicit Dominus formans me ex vtero seruum sibi, vt reducam Iacob ad eum [i]& Israel ad eum congregabitur,& glorificatus sum in oculis Domini,& Deus meus factus est fortitudo mea.Et dixit: Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas.
Sup.42.b Act.13.g [k]Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus redemptor Israel sanctus eius ad contemptibilē animam,ad abominatam Gentem,ad seruum dominorum:Reges videbunt & consurgent principes,& adorabunt propter Dominum,quia fidelis est,& sanctum Israel qui elegit te. Hæc dicit Dominus. [l]In tempore placito exaudiui te,& in die salutis auxiliatus sum tibi: & [m]seruaui te, &
2.Corint. 3,b a. [n]dedi te in fœdus populi, vt [o]suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas, [p] vt diceres his qui vincti sunt:Exite:& his qui in tenebris:reuelamini.

EXPLANATIO.

E

a *Audite insulæ & attendite populi de longe.)* Nomine insularum Gentes intelligit. Nam explicans quæ sint hæ insulæ,dicit statim: *Et attendite populi de longe:* Hoc est,qui procul abestis; aut, *Attendite Gentes*, vt septuaginta verterunt. In hoc eodem capite
B prope finem,vbi nostra versio habet: *Ad populos exaltabo signum meum*: habent Septuaginta : *Super insulas leuabo signum meum.* Vbi vides per insulas populos significari.appellātur Gentes insulæ,quia priusquam Euangeliū reciperent,maris huius mundi fluctibus patebant,& à vitiis & erroribus vndique agitabantur. Vel per insulas intelligit insulares. Acsi dicat: Audite me etiam vos Gentes remotissimæ, quæ in abstrusis insulis longęq; distātibus habitatis. Nō solū alloquor Iudęos,sed Gentes etiā remotissimas.

b *Dominus ab vtero vocauit me.)* Verba sunt Christi,quem Deus pater ab vtero matris suæ ordinauit, & ad hoc destinauit,vt esset redemptor noster. Indicant hæc verba Christum esse verum hominem, cuius nominis recordatus est Deus. Sic enim dixit an-
Matt.1. gelus Ioseph. *Vocabis nomen eius Iesum,ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et sanctis-
Luc.1. simæ virgini Mariæ: *Ecce concipies in vtero, & paries*
C *filium,vocabis nomen eius Iesum.*

c *Et posuit os meum quasi gladium acutum.)* Vt spiritu oris mei interficiam impium. Hic gladius est
Ephes.6 verbum Dei, de quo ait Apostolus : *Et gladius spiritus, quod est verbum Dei.* Et Ioannes in Apocalypsi:
Apoc.1. *De ore eius gladius vtraque parte acutus.* Huius gladij meminit multis aliis in locis scriptura.

d *In vmbra manus suæ protexit me.)* Septuaginta habent:*Sub protectione manus suæ abscondit me.* Vbi aspicis nomine vmbræ protectionem significari. Ita in Psalm.56.*In vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Et in Psalm.99.vbi vulgata editio habet : *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur*:vertunt quidam:*Qui habitat in latibulo Altissimi,in vmbra omnipotentis comorabitur.* Vbi nostra versio hic habet : *Protexit me*, quoniam Deus iustos abscondit, quemadmodum dicitur in Psal.30 *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.*

e *Et posuit me sicut sagittam electam.* Omnes sancti concionatores dicuntur sagittæ per orbem discurrē tes. Et de illis intelligunt nonnulli id, quod dicitur in Psalmo 44. *Sagittæ acutæ,populi sub te cadent.* Nō solùm os concionatoris dicitur sagitta, sed totus ipse sagitta est,si verè concionator est:tota enim eius vita debet hominum corda penetrare. Non solùm verbis sed etiam factis debet concionari. Sermo concionatoris comparatur gladio,quoniam propinquos *simile.* tantùm vulnerat,& solùm auditores attingit: at exemplum vitæ bene actæ est sagitta, quæ non solùm præsentes sed etiam absentes transigit & mouet. Sagittæ fuerūt Apostoli,martyres, cæteriq; sancti,qui fide ornati, spe & charitate septi, cæterisq; virturū ornamentis exculti,verbo & exemplo Christum prę dicauerunt. At inter omnes sagittas vna est electa, omnium absque vlla comparatione excellentissima: quæ nunc ait:*Et posuit me sicut sagittam electam. Filius Dei vnigenitus Christus Deus noster est qui hoc de se ipso asserit, qui veritatem docuit, qui seipsum proposuit exemplum, qui mortem pro veritate sustinuit à perfidis Iudæis illatam*, quorum odia in illum incredibiliter ardebant,quoniam eorum flagitia vituperabat, qui morte sua tyrannidem antiqui hostis extinxit, & ho
F minum genus sanguine suo expiauit.Hac sagitta vulnerata sponsa,hoc est,anima Deo deuota,dicebat in Canticis : *Percusserunt me & vulnerauerunt me.* Hac *Cant.5.* sagitta vulneratus Petrus fleuit amarè. Hac percus- *Matth.7.* sa Magdalena fluuios profundebat lachrymarum:e- *Cant.5.* rant enim eius lachrymæ sanguis cordis vulnerati, *Luc.17.* qui per oculos fluebat. Quàm beatum est hac sagitta transfigi. Vtinam Domine Iesu animam meam hac sagitta percuteres, vt tui amore transfixa diceret cum sponsa:*Adiuro vos filiæ Ierusalem,si inueneritis dilectum meum,vt nuncietis ei,quia amore langueo.* Fuit hæc sagitta diuina absconditа in carne humana,quæ est pharetra,de qua hoc in loco dicit:*In pharetra sua abscondit me.* Appellat se Christus sagittam & suprà,os suum cum gladio acuto cōparauit, quoniam eius sermo cum ab eo proferebatur solùm à præsentibus audiebatur,sed erat ipse sagitta,quę per vniuersum terrarum orbem discurrens etiam Gentes à terra sancta longè remotissimas charitate vulnerauit.

Sup.4

Seruus

A f *Seruus meus es tu.*) Appellat deus pater Christum seruum suum, quo ad humanitatem. Et de eo Apostolus, *Semetipsum*, inquit, *exinaniuit formã serui accipiẽs.* Philip. 2.

g *Quia in te gloriabor.*) In Psalmo 56. alloquens pater filium suum, *Exurge*, inquit, *gloria mea, exurge Psalterium & cithara*, hoc est, omnium virtutum harmonia. Potest ita explanari: *In te gloriosus apparebo.* Vel, *tu gloriam meam quæris.*

h *Ego dixi, in vacuum laboraui.*) Pater me misit, vt ego homines vocarem, & ad ipsum adducerem. Et dixit mihi: *Seruus meus es tu Israel, quia in te glorificabor.* Et tamen magnam partem hominum ad ipsum non reuocaui: Vocaui eos, mortuus sum pro mundi salute, sed illi noluerunt à sua infidelitate discedere. Hæc ostendunt libertatem arbitrij. Nam si necessariò damnandi erant, quorsum eos vocabat Christus, & pro eis laborabat, vt eos ad se traheret? Vocauit eos Christus, & non venerunt, quia noluerunt: habebant enim liberum arbitrium. Si facerent quod in se erat, deus qui eos vocabat, illis gratiam tribueret. Sed voluerunt potius creaturam quàm creatorẽ diligere: & se ad gratiam non dispoſuerunt. Et quoniam Christus omnia fecit, quæ pro eis facere debuit, ait: *Ergo iudicium meum cum Domino, & opus cum Deo meo.*

B i *Et Israel ad eum congregabitur.*) In Hebraico est: *Et Israel ad eum non congregabitur.* Et ita habet versio cui diuus Hieronymus adiecit commentaria. Et codices Latini correcti vulgatæ editionis ad marginẽ particulam, *num.* Pagninus vertit: *Israel non congregabit se.* Christus dispersos ac errantes Iudæos congregare volebat, sed illi noluerunt congregari. Ostendit hic locus contumaciam & perfidiam Iudæorum, qui tantis Christi miraculis, tot diuinis beneficiis noluerunt deliniri nec conuerti, sed in sua duricie permanserunt.

k *Dedi te in lucem Gentium.*) Hebræi nostri temporis aiunt se spectare Messiam illis promissum, qui eos à captiuitate, in qua detinentur, liberet, externorúmque affluentiam illis largiatur. Aiunt enim in suis contineri scripturis esse Messiã pro eis tantùm venturum, non autem pro Gentibus, quas cæcas esse existimant, semperque in tenebris esse permansuras. At eorum scripturæ locis propè infinitis illis contrarium ostendunt. Non vident cæci homines, Deum hîc per Esaiam ita Messiæ dicentem: *Parum est: vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Dedi te in lucem Gentium*, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Duo hîc ait diuinus vates, alterum est, paucos ex Iudæis fuisse cõ-
C uertendos: alterum verò infinitas Gentes à principio ad finem vsque terræ fuisse per Christum illuminandas. Id quod ipsis oculis aspicimus: manentibus enim plerisque Hebræorum cæcis, densáque caligine circunfusis, fuerunt Gentiles per Christum animi lucem, verámque salutem, & immortalitatem consecuti. Ipse Messias apud hunc nostrum vatem capite 45. *Conuertimini*, inquit, *ad me, & salui eritis* D *omnes fines terræ.* Non ait: Et salua eris tu ô Iudæa, sed *omnes fines terræ* dixit esse salutem consecuturos si se à vitiis abducerent, verúmque Christum hominem generis saluatorem reciperent. Id intuens regius vates præcinebat: *Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu Gentium reuelauit iustitiam suam.* Et paulò pòst: *Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.* Hanc veritatem prædixit Esaias capite quadragesimoquinto in hęc verba prorumpens. *Ecce Gẽtem, quam nesciebas, vocabis, & Gentes, quæ te non cognouerunt, ad te current propter dominum Deum tuum.* Zacharias capite 2. *Applicabuntur*, inquit, *Gẽtes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum. Oseas capite 2. Et dicam non populo meo: populus meus es tu.* Quem locum diuus Paulus ad hoc propositum citat in epistola ad Rom. 9. & diuus Petrus in sua prima epistola canonica. Esse autem ex Hebræis 1. Pet. 2. paucos conuertendos ostendit Esaias capite primo Supra 1. & decimo, vbi eos semen & reliquias vocat, & capite decimoseptimo & sexagesimoquinto tam paucos Sup. 17. & 65. dixit esse Messiam recepturos, vt paucis racemis post vindemiam in vitibus relictis granòq; in botro manenti comparentur. Et hic ait Israelem non fuisse ad Messiam congregandam, à quo Gentes erant illuminandę. Et paulò post vocat Hebręos populum contemptibilem, abominatum, seruum dominorum, quẽ prædicit in sua infidelitate permansurum, reges autem & principes Gentiles animi visum recepturos, E & à somno peccati excitatos Christum adoraturos.

l *In tempore placito exaudiui te.*) Verba sunt Dei Christum alloquentis. Diuus Paulus hoc tempus à Propheta prædictum refert ad tempus gratiæ. Ita enim ait in epistola secunda ad Corinth. 6. *Adiuuantes* 1. Cor. 6. *autem exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc* Heb. 5. *dies salutis.* Et in epistola ad Hebręos de Christo loquens: *Qui in diebus*, inquit, *carnis suæ preces supplicationésque ad eum, qui posſit illum saluum facere à morte cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Vbi vides fuisse Christum tempore placito exauditum, quod hoc in loco Esaias prædixerat, & eos in errore versari qui totum hoc non ad tẽpus aduẽtus Christi referũt, sed ad tẽpus Esaiæ.

m *Seruaui.*) Morte superata te à mortuis suscitaui.

n *Dedi te in fœdus populi.*) Aspicis Christũ esse nostrum reconciliatorem. Qua de re capite 42. disseruimus, & aliis in locis.

o *Vt suscitares terram.*) Hoc est, vt à somno peccati, & à morte animæ peccatores excitares. Solet scriptura peccatores terram appellare, vt alibi annotauimus.

p *Et diceres his qui vincti sunt.*) Nempe funibus ac vinculis peccatorum. *Exite*, nimirum à peccatis & à F carcere dæmonis. Aspicis hîc peccata suis vinculis Apo. 7. d ligare.

Cant. 5. Matth. 7. Cant. 5. Luc. 17. Sup. 45.

ANNOTATIONES
ex Hebræo in
CAPVT XLIX.

1 Auditæ insulæ, & attendite populi de longè, Dominus ab vtero vocauit me. De ventre matris meæ recordatus est nominis mei.] *Septuaginta habent*: Audite me insulæ & attendite Gentes. Post multum temporis stabit, dicit Dominus: de ventre vocauit me, &c. *Aspicis hic hanc prophetiam non referri ad tempus illud, quo eam Esaias literis mandauit, sed ad Christi aduentum. Verùm pro insulis vertit Pagninus* insulares. *Dictio tamen Hebraica* איים *insulas significat, vt apud Ezechielem*: 21. Et turbabuntur insulæ in mari.

2 Ad contemptibilem animam.] *In Hebraico est* לבזה נפש *liuzoh nephex. Verbum est* בזה *bazah, quod significat contemnere: & vt ait R. Dauid potest esse macor. Et tunc potest verti: ei qui paratus est contemnere vitam: anima enim pro vita ponitur. Vt referatur totum hoc ad Christum. Cui expositioni fauet Translatio Theodotionis habens in hunc modum*: Ei qui despicit animã, qui abominationi est Genti, qui seruus est principum. *Quæ omnia Christo apertißime conueniunt. Ipse enim vitam pro ouibus posuit, vt ipse apud Ioannem* 10. *testatur. Ipsum gens Iudæorum execratur,*

A *ipse stetit tanquam seruus coram principibus, Anna & Caipha, Herode & Pilato. Huic interpretationi fauet etiam versio Septuaginta, quæ ita habet:* Sanctificate eũ, qui despicit animam suã, qui abominationi est Gẽtium, qui seruus est principum. *Possunt igitur hæc verba esse Patris ad filium: Sequitur enim:* Reges videbunt: & consurgent principes, &c. *Quasi dicat: Iudæi te contemnent & crucifigent: at reges Gentium tibi seruient, téque repudiatis idolis adorabunt.* D

[a]Super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum. Non esurient nec sitient, & non percutiet eos æstus & sol, quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. [b]Et ponam eos montes meos in viam, & semitæ meæ exaltabuntur. [c]Ecce isti de longe venient, & ecce illi ab aquilone & mari, & isti de terra australi. Laudate cœli, & exultet terra, iubilate montes laudem, [d]quia consolatus est Dominus populum suum, [e]& pauperum suorum miserebitur. [f]Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. [g]Ecce [i] in manibus meis descripsi te, [h] muri tui coram oculis meis semper. [i]Venerunt
infr. 60.a structores tui: destruentes te, & dissipantes à te exibunt. [k]Leua in circuitu oculos tuos: & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Viuo ego dicit Dominus, [l]quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circundabis tibi eos quasi sponsa. Quia deserta tua, & solitudines tuæ, & terra ruinæ tua nunc angusta erunt præhabitatoribus, & longe fugabuntur qui absorbebant te. [m]Adhuc dicent in auribus tuis filij sterilitatis tuæ: [n]Angustus est mihi locus, fac spatium mihi vt habitem. Et dicis in corde tuo: Quis genuit mihi istos? [o]Ego sterilis, & non pariens, transmigrata & captiua: & istos quis enutriuit? Ego destituta & desolata: & isti vbi hic erant? Hæc dicit Dominus Deus: [p]Ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. [q]Et afferẽt filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt. [r]Et erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ vultu in terra demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Et scies E
quia ego Dominus, [s]super quo non confundentur, qui expectant eum. [t]Nunquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robusto, saluum esse poterit? Quia hæc dicit Dominus. Equidẽ &, captiuitas à forti tolletur: & quod ablatum fuerit à robusto, saluabitur. [x]Eos verò qui iudicauerunt t, ego iudicabo, & filios tuos ego saluabo. [y]Et cibabo hostes tuos carnibus suis, & quasi musto, sanguine suo inebriabuntur: & sciet omnis caro, quia ego Dominus saluans te, [z]& redemptor tuus fortis Iacob.

a *Super vias pascentur.*) Qui receperint Euangelium, & fuerint Christum secuti, non extra viam errabunt, sed in viis veritatis & salutis pascentur. Erat ante aduentum christi genus humanum ouis, quæ errauerat in dumis perdita, & lupis exposita. Sed quæsiuit eam christus, & super humeros suos asportauit, & ad Ecclesiæ gregem adduxit, eámque in loco pascuæ non in rupibus & asperis montibus, sed
C in plano campo collocauit. Et quoniã christus suis tribuit aquas gratiæ & doctrinæ, subdit: *Non esurient nec sitient.* Totum hoc fatetur Ecclesia fidelium, quã
Psal. 22. Dauid in Psalmo in hunc modum facit loquentem: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit. Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum.*

b *Et ponam omnes montes meos in viam.*) Id est, tollam à viis omnia impedimenta, vt omnes possint ambulare, & ad cœlestem gloriam venire. Et semitæ meæ exaltabuntur, hoc est, erunt pulchræ, stratæ, & munitæ. Itaque montes conuertam in stratas planas, & semitas muniam & complanabo.

c *Ecce isti de longè venient.*) Multi venient ad Ecclesiam de remotissimis regionibus, quidam à longè hoc est, ab Oriente: quidam à mari, hoc est, ab Occidente: alij ab Aquilone, hoc est, à Septentrione: alij ab Austro, hoc est, à Meridie. Prædicit diuinus vates id, quod impletum videmus, nempe ex omnibus mundi partibus fuisse homines ad Ecclesiam venturos. Vel ideò dicit peccatores venturos de longè, quoniam qui flagitiis sunt implicati & constricti, longè à Deo esse dicuntur: & ob eam causam quando ad Deum conuertuntur, de longè dicuntur venire. Id volebat christus significare dicens apud Lu
Gen. 15. cam, filium prodigum profectum esse in regionem longinquam, quæ, vt ait diuus Augustinus, est Dei obliuio. Quid prodest adesse corpore, & animo di- *Gen. 11.*
stare? Quid turrim Babylonis ædificarunt, de longè venerunt: ait enim scriptura eos profectos fuisse de Oriente. Reliquerunt Orientẽ, hoc est, christum, discesserunt longè, & turrim Babylonis construxerunt. Qui se à christo separant & seiungunt, sunt exules à patria, & mundi ciues, construentes turrim ex lateribus & bitumine, ex terra & puluere, non ex quadratis lapidibus, quam Deus destruit, quoniam non est ad eius normam & amussim constructa. Et cum sint longè à Deo, est etiam Deus longè ab illis. Quemadmodum dicitur in Psalmo: *Longè à peccatoribus salus.* Et in Prouerbiis: *Longe est Dominus ab impiis.* Regio longinqua in qua habitant, qui mortiferis peccatis implicantur, appellatur vmbra mortis: iusti autem viuunt in vmbra vitæ, hoc est, christi, de F
qua in canticis ait sponsa: *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi.* In vmbra mortis, in regione longinqua sedebat ante Dei aduentum humanum genus, sed christus illud ad se congregauit. Quod intelligens diuus Paulus dicebat ad Ephesios scribẽs. *Vos qui eratis longè, facti estis prope in sanguine Christi.* Verùm cum mortiferis flagitiis contaminamur, nos à christo longè separamus. Vnde dicebat in libro septimo confessionum Augustinus: Inueni longè me esse à te Domine in regione dissimilitudinis. Appellat regionem longinquam regionem dissimilitudinis, quoniam ob admissa scelera deturpatur in nobis Dei similitudo. Et non solùm peccatores longè sunt à Deo, sed etiam à seipsis maximè distant. Quid longius, ait diuus Ambrosius, quàm à se recedere? Vnde Seneca, Mali, inquit, vbique sunt præterquàm secum. cùm igitur deprauati homines sint procul & à Deo & à seipsis, & tales essent Gentiles, qui se humanis

Psal. 118. Prou. 15. *Cant. 2.* *Ephe 2.*

A mnis vitiis contaminuerant, séque totos libidinibus dederant, & in iure diuino & humano violando teterrimas fraudes conceperant, meritò de illis dixit Esaias: *Ecce isti de longe venient*, hoc est, à sceleribus suis separabuntur, & ad christum conuertẽtur. d *Quia consolatus est Dominus populum suum.*) Pro *consolabitur*. Præteritum pro futuro more Prophetico. Quæ maior potest esse hominibus consolatio, quàm scire filium Dei vnigenitum sumpsisse nostrã naturam, vt nos è tenebris ad lucem, & è morte ad vitam vindicaret?

e *Pauperum suorum miserebitur.*) Peccatores appellat pauperes, vtpote religione, fide, & bonis animi carentes. Nam mundi opes incertę & caducæ nó sunt diuitiæ habendæ, nec in bonis numerandæ. Loquitur de iis, qui repudiatis idolis se ad fidem con-
Psal.21. uerterunt. De quibus dicitur in Psalmo: *Edent pauperes & saturabuntur.* Explicans autem scriptura qui sint hi pauperes, subdit: *Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersæ fines terræ*: vbi Gentium salus prædicitur. colligis hinc omnes infideles esse pauperes, licet mundi opibus vndique circunfluant. Qui enim virtute præditi sunt, soli sunt diuites. Non est autem perfecta virtus ea, quæ est à fide se-
B iuncta.

f *Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei.*) Per Sionem intellige congregationem fidelium, qui in virtutis specula sunt constituti. Hi cùm in lachrymis sæpe versentur, variisque calamitatibus opprimantur, possunt cogitare, & secum dicere esse Deum oblitum eorum. Quibus respondet Deus tantùm abesse, vt eorum obliuiscatur, vt etiam eos in manibus suis habeat descriptos coram oculis suis. connectuntur autem sic hæc verba cum præcedentibus. Dixerat diuinus vates venturos esse ad fidem Gentiles, qui falsos & commentitios Deos colebant, vt in vera religione viuentes æternam beatitudinem tandem consequerentur. Hos dixit Deus se esse consolaturum. Sed quoniam intuebatur eos esse non solùm ab infidelibus tyrannis torquendos, sed etiam à multis, qui fidem profitebantur, vexandos, & tam acerbos cruciatus, tam graues iniurias propter christum passuros, vt posset humana ac fragilis ratio fluctibus calamitatum obruta vacillare, & existimare se esse à Deo derelictos, corroborat eos Deus, ne animis cadant, ne ingrauescente rerum aduersarum mole debilitentur, & eorum tolerantia ac constantia frangatur. Et asserit se nunquam eos esse
C derelicturum. Vult Deus his verbis piorum hominum animos afflictos & propè labentes erigere & consolari, & vtitur hac naturali similitudine: Vt mater non est immemor filij sui, quem genuit, & portauit in vtero, & aluit, & in brachiis suis gestauit, (non enim potest partum suorum viscerum obliuisci) sic nec ego tui oblitus ero. Plus dicam, etsi ab illa memoriam filij aqua vnquam deleuerit obliuio, ego tamen nunquam te obliuiscar. Perpende quæso, & altè considera immensam Dei misericordiam: & admirare diuini numinis summam ac infinitam erga homines pietatem. Aspicis hìc viros iustos & pios, qui se diuinæ misericordiæ committunt, nunquam à Deo derelinqui, etiam quando magis abiecti & derelicti videntur. Deus enim ille misericordiæ parens suorum salutem tutissima custodia regit ac munit, nec eos vnquam negligit aut derelinquit. Poteris hic per Sionem intelligere congregationem fidelium Iudæorum. Dixerat Deus vocaturum Gẽtiles ad fidem, & ne Iudæi existimarent se esse penitus derelictos, eos iis verbis consolatur.

g *Ecce in manibus meis descripsi te.*) Qui domi alicuius personæ, quam diligit, habet in tabula imagi- D
nem pictam, memor est eis, quandiu eam videt: sed cùm discedit à loco, vbi est imago, fieri potest, vt eius, cuius est imago, obliuiscatur. At si eam habeat in manibus descriptam, nunquam illi excidet eius memoria. Hac similitudine vtitur Deus, ostendens se nunquam esse oblitum suorum, cùm eos habeat in manibus suis sculptos, & non blandis penicillis, sed duris clauis, quibus eius manus fuerunt crudeliter vulneratæ & transfixæ. Descripsit eos non atramento nostro, sed sanguine suo. Ideò Dominus post re- *Ioan. 20*
surrectionem loca clauorum in manibus habere voluit: apparens enim discipulis dixit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas. Dixerat enim: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittã manum meam in latus eius, non credam.*

h *Muri tui coram oculis meis semper.*) Id est, in perpetuum muros tuos conseruabo. Ostendit Deus apertè non loqui de Sione & terrena illa Hierosolyma, sed despirituali, hoc est, de Ecclesia militante. Quî enim potest fieri vt muri illius Hierosolymæ, *Luc.19.*
quàm Christus deplorauit, muri illius ciuitatis ingratæ, quæ non solùm Prophetas, sed Dominum prophetarum occidit, sint semper ante oculos Dei, & tã chari, vt semper eos custodiat, si scimus eos esse euersos, & totam ciuitatem fuisse vastatam, & funditus deletam: Fieri non potest vt de portis Sionis, quas E
scimus fuisse incendio consumptas, & in fauillas cõuersas, illud intelligatur, quod dicitur in Psalm. 86. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Hęc Sion est Ecclesia sua, tam à Iudæis quàm à Gentibus congregata, quam Deus diligit super omnia tabernacula Iacob.

i *Venerunt structores tui: destruentes te & dissipantes à te exibunt.*) Alloquitur Ecclesiam, cuius structores venerunt ad eam, & in ea permanserunt, destructores autem & dissipatores ab ea exierunt. Constructores sunt Apostoli & viri Apostolici: euersores autem hæretici, qui omnes extra Ecclesiam sunt. Vt enim *simile.*
mare non sustinet cadauer, sed illud proiicit in littus, sic Ecclesia hæreticos in se non continet, sed tãquam corpora mortua, & corrupta, & pestilentia execratur. Appellat Propheta hæreticos destructores & dissipatores, quoniam in Ecclesia nutriti eam postea suis hæresibus euertere conantur. Id quod modò contigit Luthero, qui in Germania genitus & educatus eam corrupit & peruertit. Vt enim tinea in *simile.*
panno gignitur, & eum abrodit, & teredo in ligno nascitur, & illud terit & consumit, sic Lutherus in Germania natus eam suis erroribus & pestilentibus dogmatibus deprauit.

k *Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti cõgregati sunt, venerunt tibi.*) Hoc est, Vide circunquaque ô Ecclesia Gentium multitudinem ad te ipsam venientium. Prædixit conuertendam esse ad fidem magnam infidelium multitudinem. F

l *Omnibus his velut ornamento vestieris.*) Venient ad te multi ô Ecclesia, quibus eris veluti ornamento quodam amicta, & decoraberis illis, vt sponsa solet annulis & monilibus adornari. Aspicis hìc viros iustos & sanctos esse ornamenta, an nulos & monilia, quibus Ecclesia decoratur. Nec est mirum quoniam ipse Deus apud Ieremiam 22. *Si fuerit*, inquit, *Iechonias filius Ioacim regis Iuda annulus in manu dextera mea, inde euellam eum.* Vbi vides virum sanctum & rectum non solùm esse annulum in Ecclesia, sed etiam in manu Dei, ex qua eiicitur, si sceleribus implicatur. Quàm preciosum monile est quidam sanctus, quot gemmis, quantis virtutum ornamentis

Gen.11.

Psal.118. Prou. 15.

Cant.2.

Ephe 2.

A decoratum,quantis miraculis admirandum. Imitemur ſanctorum virtutes, & admiremur eorum miracula. Vt in menſa principis apponuntur precioſa vaſa aurea & argentea mirabiliter elaborata, & epulæ ſplendidæ & ſuaues,vaſa vt admireris,dapes vt eas ſumas, ſic in vita ſanctorum proponuntur miracula ad admirationem virtutes verò ad exemplum: miracula, vt eorum admirabilitate tenearis,virtutes vt eas imiteris. *ſimile.*

m *Adhuc dicent in auribus tuis.)* Id eſt,filij tui,quæ anteà ſterilis eras. Alloquitur Eccleſiam primitiuã, eíque congratulatur de multitudine eorum, qui ad eam conuertebantur.

n *Anguſtus eſt mihi locus.)* Oſtendit tantam fore fidelium multitudinem, vt eos locus capere non poſſet.

o *Ego ſterilis.)* Senſus eſt:Tu gaudio perfuſa vidēs fidelium multitudinem dices in animo tuo: Quis mihi tot filios genuit? Nam eram ſterilis,exul,& captiua,& deſtituta. Quomodo ergo tot filios habui? Iam diximus Gentilitatem fuiſſe ſterilem,ſed poſt cõuerſionem ad fidem multos filios habuiſſe,de qua dicitur in Pſalmo 112. *Qui habitare facit ſterilem in domo matrem filiorum lætantem.*

p *Ecce leuabo ad Gentes manum meam.)* Id eſt, Ecce ego voco Gentes ad fidem. Solemus enim, quando aliquem à longè vocamus,manum extendere, & ſignum facere. Eccleſiæ dicenti: Quis mihi tot filios genuit, cùm ego ſim ſterilis & captiua? reſpondet Deus dicens: *Ne mireris*: Nam ego ſum, qui voco Gentes ad fidem. *Et ad populos exaltabo ſignum meũ.* Hoc dicit,quia ſolent, qui milites congregant,& parant ad bellum,vexillum erigere. Poteſt hic ſignum pro cruce accipi, quam Chriſtus extollit, vt contra mundum,carnem, & dæmonem ſub illa militemus. Hoc eſt glorioſum vexillum à Chriſto duce noſtro erectum,præclarum ſignum noſtrarum victoriarum, cuius cap. 11. meminit Eſaias. B

q *Et afferent filios tuos in vlnis.)* Nempe Apoſtoli mei. Vnde dicebat quidam ex illis ad Theſſalonicẽſes ſcribens: *Tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos,ita deſiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis non ſolũ Euangelium Dei,ſed etiam animas noſtras,quoniam chariſſimi nobis facti eſtis.* 1. Theſ. 2.

r *Et erunt reges nutritij tui.)* Reges alent electos tuos. Id quod fecit Conſtantinus & multi alij principes Chriſtiani. Et nunc noſtro tempore Dominus Ioannes huius nominis tertius rex Luſitaniæ inuictiſſimus, qui pius religionum pater modò non ſine magno luctu totius regni ex vita migrauit.

s *Super quo non confundentur.)* Aſpicis hîc non cõfundi eos,qui omnem ſpem ſuam in Deo habent fixam & conſtitutam. Vis eſſe Dominus mundi, collocа in Deo omnem ſpem tuam. Eſt nauis in mari: ſi anchora ſit fixa in terra, tenet nauem: ſi eſt in aqua mare eam exagitat, & nauis eam fert ſecum. Nauis in medio mari eſt mundus,anchora eſt ſpes: ſi anchora eſt iacta in terram ſtabilem, id eſt,in gloriam cœleſtem,ſi eſt in Chriſto collocata & conſtituta, tenes totum mundum. Vnde diuus Paulus, qui non in rebus humanis ſpem poſuerunt rerum ſuarum, ſed in Chriſto eam totam firmiter collocarunt, *Omnia*, inquit, *veſtra ſunt, ſiue mundus, ſiue vita ſiue mors, ſiue præſentia ſiue futura.* Sin autem ſpem tuam non in terræ firmitudine ponas, ſed in aquæ mobilitate, in profluente & fluminis procurſu, hoc eſt, in rebus fluxis nullam certitudinem habentibus,nullam perpetuitatem,mundus te abripiet,& ſecum ducet. Itaque ſi ſpem poſueris in mundo,mundus te tenebit: ſi eam eleuaueris, & à mundo ſeiunxeris, tu tenebis mundum. Hoc ſentiens diuus Paulus in epiſtola ad Hebræos has voces emittit: *Confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis.* Vbi per interiora velaminis cœlum voluit ſignificare. Nos igitur in Chriſto Deo noſtro totam noſtram ſpem ac fiduciam collocemus, quoniam, vt hoc in loco ait Propheta, *non confundentur qui expectant eum.* C 1. Cor. 3. *ſimile.* Hebr. 6. D

t *Nunquid tolletur à forti præda?)* Eſt quædam obiectio,quæ fieri Deo poterat. Si tanta eſt diaboli vis ac fortitudo,quis poterit ab eo prædam tollere, hoc eſt,homines ab eo captos eripere? Cui reſpõdet Deus ſe eſſe eum,qui erat eos à dæmonis poteſtate liberaturus. Docet hic locus ſceleratos homines eſſe prędam diaboli, & ab eo captos & vinctos. O infœlicẽ captiuitatem,miſerum & ærumnoſam hominũ conditionem. Docet præterea fortem eſſe diabolum,ſed fortiorem eſſe Chriſtum, qui eum ligauit, & ab eius tyrannide peccatores eripuit. Quod idem Chriſtus apud Euangeliſtas ſignificauit. Sed dices: Si diabolus eſt alligatus, cur nos lædit? Ad quod poteſt hac ſimilitudine reſponderi. Vt canis ligatus te mordere non poteſt,ſed ſi accẽſeris ad ipſum,in te irruet,téque rabidis dentibus lacerabit, ſic diabolus niſi ad illum accẽſeris, te lædere non poteſt: ſed ſi incautè vixeris,ſi te illi commiſeris, eris lethaliter vulneratus. Chriſtus venit vt diabolum alligaret. Eam ob cauſam vidit beatus Ioannes in Apocalypſi 20. angelum deſcendentem de cœlo,habentem clauem abyſſi,& catenam magnam in manu ſua, qui apprehendit draconem ſerpentem antiquum,qui eſt diabolus & Satanas, & ligauit eum per annos mille. Hoc eſt, eius poteſtatem ab eis ſeducendis ac poſſidẽdis, qui fuerunt liberandi,cohibuit ac frenauit. Mille annos poſuit pro toto tempore, finitum pro infinito. Ita illum locum diuus Auguſtinus explanat. *Mar. 3. Luc. 11. ſimile.* E

v *Et captiuitas à forti tolletur.)* Ideò ait Apoſtolus: *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* Quod iam multò anteà prædixerat Dauid. Hæc captiuitas non ſolùm refertur ad ſanctos patres,qui in limbo detinebantur, ſed communiter ad vniuerſum genus humanum. Sunt autem arma diaboli,doli,voluptates,delicię,opes,& cętera alia,quibus homines quotidie oppugnat. *Epheſ. 4. Pſal. 67.* F

x *Eos verò qui iudicauerint tę.)* Senſus eſt:Cũ eis, qui tibi litem intenderint, ego contendam: eos qui te oppreſſerint,ego opprimã,& filios tuos ſeruabo.

y *Et cibabo hoſtes tuos carnibus ſuis.)* Non ſolùm liberabo te Eccleſia mea,ait Deus, ſed tantam in aduerſarios tuos famem ac ſitim emittam, vt carnem propriam comedant,& ſanguinem ſuũ bibant. Vult Deus his verbis ſignificare hoſtes Eccleſiæ eſſe ſuorum ſcelerum pœnas daturos.

z *Et redemptor tuus fortis Iacob.)* Iacob eſt nominandi caſus.

ANNOTATIO.

1 Ecce in manibus meis deſcripſi te.] Pro in manibus *eſt in Hebraico* עַל־כַּפַּיִם *alcapaim. nomen eſt* כַּף *quod ſignificat manum, quam ſignificationem ſecutus eſt noſter interpres. Significat etiam nubem. Idò poteſt etiam verti:* Ecce ſupra nubes ordinaui te. *Et ita hũc locum explanant R. Ioſeph filius Kimbi, & R. Sadias. Ionа-* Thren. 3.

A *Ionathas tamen cum versione nostra vulgata consentit. Et in Ieremiæ Lamentis,id quod nostra versio habet:* Leuemus corda nostra cum manibus:*potest verti*: Leuemus corda nostra versus nubes. *Quasi dicat: Eriga-* D *mus ad cœlos corda nostra,non terrena quærentes, sed ad cœlestia aspirantes.*

Argumentum capitis L.

Inducit Propheta Christum dicentem Iudæos esse suam ob culpam reiectos,quòd ipsi se ab eo separauerint,& ipsum Christum non receperint. Fecit Christus pro Iudæis omnia,quæ ad eorum perfectionem pertinebant:eum autem videret eos nequaquam velle à sua perfidia desistere, eos abiecit,in calamitosúmque exilium dissipauit.

CAPVT L.

HÆc[a] dicit Dominus:Quis est hic liber repudij matris vestræ,quo dimisi eam? Aut quis est creditor meus,cui vendidi vos? Ecce[b] enim in iniquitatibus vestris venditi estis, & [c]in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.[d] Quia veni,& non erat vir:[e] vocaui, & non erat qui audiret.[f] Nunquid abbreuiata & paruula facta est manus mea, vt non
Infr.59.a possim redimere? Aut non est in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatione mea desertum faciam mare,ponam flumina in siccum,computrescent pisces sine aqua,& morientur in siti. Induam cælos tenebris, & saccum ponam operimentum eorum.[g] Dominus dedit mihi linguam eruditam,[i] vt sciam sustentare eum,qui lassus est,verbo.[h] Erigit manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem,ego autem non contradico,retrorsum non abij.

B

EXPLANATIO.

a *Hæc dicit Dominus: Quis est hic liber repudij matris vestræ?*) Intuebatur mentis oculis Propheta esse Iudæos à Deo reiiciendos, quòd non essent Christum recepturi, ideò postquam capite superiore prædixit Gentium vocationem,nunc facit Christum dicentẽ ipsam synagogam se vendidisse, & ab eo seipsam separasse. Ait igitur: Quis est ô Iudæi libellus repudij, quo matrem vestram synagogam dimisi? Quasi dicat: Ne dicatis me duricie & austeritate repudiasse synagogam,illa enim se à me abstraxit, & sceleribus suis à me recessit. Hoc dicit quia solebant Iudæi vxores dimittere,eísque libellum repudij dare: vt videre licet Deuteronomij 24.& Matth.19.

b *Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis.*)Docet hic locus hominem cùm mortifero peccato a-
C stringitur, seipsum vendere dæmoni,& à Deo alienari. Seipsum vendit,quem Deus magno precio emit, non argento & auro,sed vita & sanguine. *Empti enim*
1.Cor.6. *estis precio magno*, ait Apostolus. Et sequenti capite:
2.Cor.7. *Precio*, inquit, *empti estis,nolite fieri serui hominum.*
Apoc.14. Ioannes in Apocalypsi, c.14. *Nemo*, inquit, *poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia,qui empti sunt de terra.* 2. Pet.1. Apostolorum princeps in epistola sua,*Scientes*,inquit, *quòd non corruptibilibus auro & argento redempti estis de vana vestra conuersatione paterna traditionis, sed precioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Quę igitur amentia est cùm simus serui Dei, cui seruire regnare est, vendere nos dæmoni, & fieri tam abiecti & reprobi domini vilia mancipia, & pro rebus fluxis velle a-
Rom.6. mittere æternas? *An nescitis*,inquit, Paulus, *quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis?* Si igitur seruis Christo seruus es Christi: si mundo, seruus es mundi. Sed dicet aliquis: Ego seruiam Christo & mundo. Cui respondet Christus fieri non posse, quoniam nemo potest duobus Dominis seruire. Stultum est velle homines habere rationem cum mundo, qui cum nemine rationem habet:& nolle habere rationem cum Deo, qui cum omnibus habet rationem:seruire mundo,qui neminẽ Matt.6.
vnquam remunerauit: & non seruire Deo, qui nunquam desinit præmia largiri. Gaudia mundi quinquaginta annis comparata possunt vno die numerari, at molestias & afflictiones vnius diei quinquaginta annis numerare non poteris. Et nihilominus tanta est hominum insania, vt velint mundo potius, quàm Deo seruire.Cùm oporteat seruire,cui potius seruiemus, quàm ei qui se pro nobis seruum fecit? de quo ait Apostolus: *Exinaniuit semetipsum formam* Philip.2.
serui accipiens. Cur igitur seruimus mundo? Consideremus quis est Deus, à quo deficimus: & quis est mundus,cui obtemperamus. Quid facimus?quem sequimur:quid speramus?Cur non videmus nos cœlo contempto ad infernum properare,spreta vita mortem amplecti, derelicta gloria in dedecus incurrere? O amentiam intolerabilem, ô summam abiectionẽ & incredibilem cæcitatem. Quid est mundus,cui seruimus,nisi sepulchrum mortuorum, carcer viuorũ, F
officina vitiorum,contemptus virtutum,carnifex ac cruciator vitam ad rationis normam dirigentium, fautor ad malitiam vigilantium,inimicus præsentiũ, obliuio præteritorum,rerúmque præclarè gestarum splendoris maculator & extinctor? Reuertamur igitur ad nos,& contempto ac neglecto mundo, Christo seruiamus,& ad cœlestia aspiremus.

c *In sceleribus vestris dimisi matrem vestram.*)Nempe synagogam.Dimittit nos Deus,quoniam nos ab eo discedimus, & nostras inuentiones & effrenatas cupiditates sequentes,sceleribus implicamur. Idcò ait ipse in Psalmo 80. *Dimisi eos secundum desideria cordis sui,ibunt in adinuentionibus suis.* Tũc nos Deus magno supplicio afficit,cùm nos sinit nostris deprauatis desideriis obtemperare, nósque in manu nostrorum appetituum relinquit.

d *Quia veni, & non erat vir.*) Verba sunt Christi, quasi dicat: Vt videatis dimissionem & abiectionem synagogæ debere eius sceleribus tribui, audite quæ dico: Ego veni in mundum,natus sum in Iudæa, feci ibi

A ci ibi diuina miracula, & nō erat vir qui me reciperet, exceptis paucis, qui in me crediderunt. Nō inueni virum in synagoga. Multi ibi erant, sed nullus dignus, qui vir appellaretur. Docet hic locus homines impios non homines appellādos esse, sed feras: ea enim scelera concipiunt, vt bruta animalia feritate, stoliditate, & maleficio superent. Phariseos appellauit Ioannes Baptista progeniem viperarum. Quibus Christus dixit: *Serpentes & genimina viperarum quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Herodē propter malitiā appellauit Christus vulpem. *Ite*, inquit, *& dicite vulpi illi.* Libidini deditos appellat Ierem. c. 5. equos amatores. Voluptuosi appellātur porci: impudentes verò canes, iuxta id quod ait Christus: *Nolite dare sanctū canibus, nec mittatis margaritas vestras ante porcos.* Venit igitur Christus ad homines, & non inuenit hominē. Inuenit feras, quæ eum innocētem agnū lacerarunt. *In propria venit*, vt ait diuus Ioannes, *& sui eum non receperunt.* Venit enim, vt hic ait per Esaiā, *& non erat vir.* Non immeritò Diogenes philosophus lucerna quadā meridie plateam perlustrans interrogatus quid quæreret, respondit hominē: quoniā quos videbat, non homines esse iudicabat. Quod ciuitates plenæ sunt hominibus, qui homines dici nequaquam merentur? Pro re magna ait diuus Lucas esse Hierosolymæ quendam hominem, D ita enim ait: *Homo erat in Ierusalem. cui nomen Simeon.*

Matth. 3. *Mat. 23.* *Luc. 13.* *Matt. 7.* *Ioann. 1.* *Luc. 2.*

e *Vocaui, & non erat qui audiret.*) Clamabat Christus dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. & non erat qui audiret.* In Psalmo eum inducit propheta in hunc modum loquentem: *Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.* Qua de re alibi diseruimus. *Mat. 11.* *Psal. 68.*

f *Nunquid abbreuiata & paruula facta est manus meæ?*) Ne existimetis me non posse miracula efficere: possum enim iterum diuidere mare, quemadmodum feci in exitu Israelis de Aegypto: & fluuios, quemadmodum feci Iordani: & corrumpere pisces, ac cœlos tenebris cooperire, quemadmodum feci in Aegypto.

g *Dominus dedit mihi linguam eruditam.*) Hæc dicit Christus iuxta dispensationem corporis assumpti: quēadmodum multa alia. Apud diuum Ioānē ita ait Christus: *Qui misit me pater, ipse mihi mādatum dedit, quid dicam & quid loquar.* Et paulò post: *Quę ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor.*

h *Erigit manè, manè erigit.*) Id est, semper & assiduè pater mihi erigit aurem, vt eum quasi magistrū audiam.

B

ANNOTATIONES
ex Hebræo in

CAPVT L.

1 Vt sciam sustentare eum, qui lassus est verbo.] *Id est, vt verbo sciam reficere eum, qui est fatigatus & afflictus. Vbi vides donum esse Dei scire mœstos consolari, & iacentes erigere. In Hebraico vt est: Vt sciam* רבר לעת את יעה *lauth ethiaeph dauar. Quæ verba si, vt iacent, in Latina conuertas, ita dies:* Vt sciam in tempore lassum verbo: *Subaudi reficere, vel sustentare. Vel vt sciam in tempore lasso verbum: subaudi dicere. Pro lasso poteris etiam vertere sitibundum, hoc est eum, qui verbum Dei ardenter sitit. Et ita vertit Pagninus: & rectè quidem. Ita etiam hunc locum R. Dauid interpretatur. Magnum est enim scire tempore oportuno concionari & verbum Dei sitientibus illud distribuere. Si enim diuina mysteria hominibus impiis illaquefastidientibus resecare volueris, nulla habita temporis ratione, non solùm fortasse nullum afferes commodum, sed afferes detrimentum. Vt si quis in altum puteum cœno plenum aquam puram, nitidam, & excellentem effuderit, nihil aliud efficiet, quàm cœnum turbare, & aquam amittere, sic qui apud impios & flagitiosos homines orationem de diuinis arcanis habuerit, meosque clarissimam & purissimam doctrinæ aquam infuderit, tali tempore id faciet, vt nihil illis prosit, quin potius impuriores reddātur. Eam ob causam dicebat Christus:* Nolite sanctū dare canibus, nec mittatis margaritas vestras ante porcos. *Diuus Cyrillus in tertio tomo explicans illam Pythagoræ sententiam, nempe Dei imaginem non esse in annulo ferendam, ait eam significare, non esse omnibus diuina mysteria referenda.* E *simile.* *Matth. 7.*

Corpus[a] meum dedi percutientibus,[b] & genas[1] meas vellentibus: faciem meam non auerti
Matth. 26. g ab increpantibus & conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, ideò non sum confu-
C sus: ideò posui faciem meam vt petram durissimam, & scio quoniam non cōfundar. Iuxtà est qui iustificat me, quis cōtradicet mihi? [c] Stemus simul. Quis est aduersarius meus? Accedat ad me. Ecce Dominus Deus, auxiliator meus: quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, [d] tinea comedet eos. [e] Quis ex vobis timens Dominum audiens vocē serui sui, quis ambulauit in tenebris, & nō est lumen ei? Speret in nomine Domini, & innitatur super Deū F suum. [f] Ecce vos omnes accedentes ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis, vestri, & in flammis, quas succendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.

a *Corpus meum dedi percutientibus:*) Christus est qui loquitur, qui fuit percussus, flagellatus, alapis cæsus, vulneratus, & tādem occisus, vt & nos firmiter credimus, & Euangelia contestantur. O rem dignā magno gemitu, & omni lachrymarum abundantia.

b *Et genas meas vellentibus: faciem meā nō auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.*) Hoc est, paraui barbas meas euellētibus eas, & non auerti faciē meam à perfidis Iudæis, qui me calumniabantur, & sputis suis meum vultum contaminabant. Fuit christus Deus noster positus direptioni. Vt enim castellum à militibus & hostibus captum diripitur, & in illa expugnatione & direptione nulla est in militibus pietas, nulla misericordia, sed hic deiicit, ille subleuat, & quidam frangit, quidam pedibus cōculcat, quidam rapit, quidam secum affert, & omnes truculento vultu omnia furibundis clamoribus implent: sic lata à Pilato horribili illa, immanissima ac iniustissima sententia, vt christus crucifigeretur, & Iudæorum voluntati traderetur, omnes in eum irruerunt & impetum fecerunt. Hic eum alapis cædebat, ille capillos extirpebat. Quidam eum proiiciebant in terram, alij eum conculcabant pedibus, quidam sputis pretiosissimam ac pulcherrimam eius faciem deformabant, alij eius barbas euellebant, & in manibus eas asportabāt, & omnes denique vociferabantur, suam impiam immanitatem exercentes, & innocentissimum agnum ad crudelissimam & *simile.*

acer-

A acerbissimam mortem vocantes. Quid plura? fuit Deus noster commissus direptioni, & voluntati suorum hostium traditus, & in medio luporum mitissimus agnus constitutus. Quid vnquam sub sole factũ fuit indignius? Quod fuit vnquam tam impium facinus? Lege Euangelicam historiam, & videbis indignissimas contumelias, acerbissimos cruciatus, quibus homines sceleratissimi Christum sanctissimum affecerunt. Verùm id quod hic scribitur, nempe, *Genas meas dedi vellentibus*, non memini legisse in Euangeliis: sed credendum est factum fuisse, quoniam fuit hoc in loco à Propheta sancto prædictum. Multa enim perpessus est Christus, quæ Euangelistæ particulariter non expresserunt. Satis fuit dixisse diuum Lucam, Pilatum tradidisse Iesum voluntati eorum: cogita igitur quot & quàm immania supplicia iis verbis comprehenduntur. Si Iesus crudelissimorum hostium suorum voluntati tradebatur, qui in illum inaudito odio ardebant, perpende quot vulneribus, quibus iniuriis, qualibus opprobriis, eum afficerent, & quã impiè & immaniter eũ ad supplicium raperẽt.

Luc. 23.

c *Stemus simul: Quis est aduersarius meus? accedat ad me.)* Si aliquis habet aduersum me aliquid, ostendat

B illud, intendat mihi litem, & disceptemus simul. Idẽ apud Ioannem his verbis dicebat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ostendit Christus suam innocentiam, & Iudæorum malitiam.

Ioan. 8.

d *Tinea comedet eos.)* Comparat sceleratorum conscientiam tineæ eorum corda rodenti. Et sequenti capite *sicut vestimentum*, inquit, *sic comedet eos vermis: & sicut lanam, sic deuorabit eos tinea.* Id quod nascitur intra cor impij, ipsum rodit & interficit. Vipera concipit, vt aiunt, filios, qui corrosis lateribus exeunt cum matris interitu, sic homines impij eas cogitationes & scelera concipiunt, quæ illis perniciem machinantur.

Infrà 51.

simile.

e *Quis ex vobis timens Dominum.)* Sensus est: Nullus ex vobis est, qui timeat Dominum, & audiat vocem Christi, qui formam serui accepit, ambulet in tenebris, sitque lumine priuatus. Qui igitur Deum timet, & audit, innitatur in eo, non autem in spe mundi, quæ est fragilis, & fracta arundo, & baculus imbecillus. Id fortasse voluit Christus significare quando, vt est apud Matth. 10. dixit discipulis suis, ne vellent virgam portare. Deus enim est ille, in quo niti debemus tanquam in validissimo firmamento. Ideò dicebat diuinus Psaltes: *Dominus firmamentum meum & refugium meum.* Et alibi: *Firmamentum est Dominus timentibus eum.* Et hoc in loco Esaias: *Innitatur super Deum suum.*

Psal. 17. Psal. 24.

f *Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis.)* Sensus est: Ego veni, & me non recepistis, sed falsis criminibus ad capitis periculum vocastis, & in perfidia vestra permanetis, scelera in dies sceleribus addentes, & odio in me flagrantes. Ideò vos accincti flãmis odij, inuidiæ, impietatis, cæterorúmque flagitiorum, quibus rebus accenditis ignem, in quo estis in æternum comburendi, ite in ignem vestrum, in flammas æternas, quas vobis succendistis, nolentes vocem meam audire, neque meis monitis acquiescere. Hic est ignis, quem Christus apud Mat thæum 24. appellat æternum, & apud Marcum 9. inextinguibilem. Quo etiam nomine eum diuus Ioãnes Baptista apppellauit. Aspicis hoc in loco peccatores sibi ipsis æternam perniciem moliri, & quoties mortaliter peccant, ignem sibi infernalem accendere.

Matt. 3.

ANNOTATIO.

1 Genas meas vellentibus.] *Septuaginta habent:* Genas meas ad alapas. *Fuit enim Christus indignissimis alapis percussus. Sed in Hebraico pro vellentibus est in hunc modum* לִמְרָטִים *lemoretim. à verbo* מָרַט, *quod significat decaluare & pilos euellere. Ideò existimo meliorem esse hoc in loco vulgatam editionem. Inuenies enim hoc verbum apud Esdram cap. 9. vbi etiam vertit Latinus interpres:* Et euulsi capillos capitis mei. *Sed quoniam hoc verbum significat etiam polire, & qui vasa ærea poliunt, ea percutiunt, poterit etiam accipi pro percutere. Qua ratione fortasse ducti Septuaginta verterunt:* Et genas meas ad alapas *siue* ad percussores. *Venit Christus in mundum, docuit veritatem, ostendit viam æternæ salutis consequendæ, præbuit se vitæ exemplum, edidit miracula, nihil omisit quod esset ad nostram beatitudinem necessarium, & ob hæc omnia eius barbas euulserunt, eique ad crudelissimum excidium impij homines vocarunt.*

Matth. 7.

Argumentum capitis LI.

Promittit Deus se refecturum & recreaturum Sionem, & Euangelium daturum. Hortatur fideles ne hominum iniuriis terreantur, sed in sua constantia permaneant, quoniam omnes scelerati pereunt, virtus verò viget memoria omnium seculorum, quam posteritas alit, quam ipsa æternitas semper intuetur. In fine capitis pollicetur ereptum esse Iudæos à Babylonica captiuitate, & calcem calamitatum eorum Babylonis propinaturum.

CAPVT LI.

AVdite[a] me, qui sequimini quod iustum est, & quæritis Dominum. *b* Attendite 1 ad petram, vnde excisi estis: & ad cauernam laci, de qua præcisi estis. Attendite ad Abrahã patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos, quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum. *c* Consolabitur ergo Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius, & ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini. Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis. Attendite ad me[d] populus meus, 2 & tribus mea me audite, [e] quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requiescet. *f* Propè est iustus meus *g* egressus est saluator meus, *h* & 3 brachia mea populos iudicabunt, [i] me insulæ expectabunt, & brachium meum sustinebunt. Leuate in cœlum oculos vestros, & videte sub terra deorsum, quia[k] cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius sicut hæc interibunt: salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet. [l] Audite me qui scitis iustum, populus meus [m] lex mea in corde eorum, [n] nolite timere opprobrium

A brium hominum, & blasphemia eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos D
vermis: & sicut lanam, sic deuorabit eos tinea: salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia
mea in generationes generationum. [e] Consurge consurge, induere fortitudinem brachium Do-
mini: consurge sicut in diebus antiquis in generationibus seculorum. [f] Nunquid non tu percus-
sisti superbum, vulneratti draconem? [g] Nunqnid non tu siccasti mare, aquam abysi vehementis?
Exo. 14. c qui posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati? Et nunc qui redempti sunt à Domino,
reuertentur, [r] & venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium &
lætitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus. [s] Ego ego ipse consolabor vos. Quis tu vt timeres ab
homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum ita aresceret?

EXPLANATIO.

a *Audite me, qui sequimini quod iustum est.*) Postquã in fine superioris capitis minatus est Deus impiis æternos cruciatus: nunc consolatur fideles ereptos à Babylonica captiuitate, ne cadant animis, sed in fide, rerúmque aduersarum tolerantia permaneãt. Ideò eos vocat, vt erigant mentes & aures, eúmque dicentem attendant.

b *Attendite ad petram, vnde excisi estis: & ad cauernam laci, de qua præcisi estis.*) Hoc est, Considerate & B
ante oculos ponite Abrahamum & Saram, ex quibus geniti estis. Ne frangatur spes vestra ob paucitatem vestram. Senex erat Abrahamus, & sterilis Sara, & tamen ex eorum semine geniti sunt innumerabiles filij. Deus enim, qui potuit ex illis excitare tantam hominum multitudinem, poterit etiam vos multiplicare in immẽsum. Ego existimo Esaiam cùm hæc diceret, Apostolorum congregationem intueri. Hi
1. Cor. 4. Philem. enim cùm essent pauci, innumerabiles filios in toto orbe terrarum spiritualiter genuerunt, quorum vnus dicebat: *Per Euangelium ego vos genui.* Et alibi, *Obsecro*, inquit, *te pro filio meo, quem genui in vinculis Onesimo.* Eum quem, cùm esset inclusus in carcere, ad fidem conuerterat, esse à se genitum affirmabat. Vocatur hoc in loco Abrahamus Petra ob eius firmitudinem & constantiam, vel quia ad generationem nõ erat aptus, & ob eam causam vocat Saram cauernam laci, hoc est, sterilem, & spe gignendi destitutam. Vel ideò eam appellat cauernam laci, quia cùm antea eius vterus esset clausus, Deus eum aperuit. Honesta quidem allegoria. Et quoniã videbatur difficile per petram intelligere Abrahamum, & per cauernam laci Saram, voluit seipsum Propheta explicare subdẽs statim: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, ad Sarã, quæ peperit vos.* Hanc existimo esse veram huius loci interpretationem. Puto tamen posse verè & rectè per
C hanc petram intelligi Christum, & per cauernam laci, ex qua geniti sumus, vulnus eius sacratissimi lateris. Alludit Propheta ad historiam, quæ scripta est in
Exod. 17 Num 20. Exodo & in Numeris, vbi ex petra percussa fluxerunt aquæ abundantes, quibus refectus est populus.
1. Cor. 10. Ioan. 19. Quæ petra, vt Apostolus ait, Christi imaginem gerebat. Ex Christo enim in latere percusso exiuit sanguis & aqua ad generis humani redemptionem & ablutionem. Est igitur sensus: Etsi numero estis pauci vos ô Apostoli, qui sequimini iustum illum ex cœlis missum, & quæritis Deum, tamen ne diffidatis, sed respicite ad Christum, qui vos genuit sanguine suo, & ad latus eius percussum, vnde fluxerũt sacramenta gratiam ac vitam conferentia. Qui enim Abrahamo seni, & Saræ sterili dedit prolem, quæ innumerabili sua multitudine impleuit orbem, ipse propagauit filios, quos per Euangelium generabitis, & Ecclesiam suam per totum mundum dilatabit. Ideò enim mortuus est Christus, vt multos generaret. Eam ob causam dicebat alio loco Esaias de Christo loquens:
Si posuerit peccato animam suam, videbit semen longæuum. Id voluit Christus significare, quando dixit: *Nisi granum frumenti cadẽs in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Id fuerat in Ioseph figuratum. Vt enim mortuo Ioseph creuerunt filij Israelis, vt literæ diuinæ testantur, sic mortuo Christo creuerunt fideles, qui fuerunt ipsius Christi sanguine generati. Infra 53 Ioan. 12. figura Exod. 1.

c *Consolabitur ergo Dominus Sion.*) Hæc videntur referri ad tempus Zorobabelis: promisit enim Deus tunc post Babylonicam captiuitatem instauraturum E
se esse Sionem, templúmque ædificaturum, vt ibi esset gaudium, & lætitia, & gratiarum actio. At per Sionem Ecclesia Christi intelligitur. Sunt igitur in primis hæc dicta à Propheta sancto de ædificatione Ecclesię, & regno Christi, quarum rerum vmbræ erant ea, quæ de Sione in hoc capite dicuntur. Cùm enim Deus Hebræorum populum eriperet ex dura Babyloniorum captiuitate, significabat se hominum genus à crudelissima dæmonum tyrannide, & à scelerum vinculis, quibus erat astrictum liberaturum. Instauratio verò Hierosolymæ & templi figura erat constitutionis Ecclesiæ, in qua futura erat vera religio, & Deus abiecta Gentium superstitione colendus.

d *Populo meus & tribus mea.*) Poteris per populum Gentes, per tribum verò Indæos intelligere.

e *Quia lex à me exiet.*) Promittit Deus daturum se legem. Hoc non intelligitur de lege Moysi, quia iam lata erat in monte Sinai, sed de lege Euangelica, quã Sup. 2. Christus dedit: de qua dixerat secundo capite: *De Siõ exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Vide quam apertè Deus hic promiserit nouum Testamentum, ex quo colligitur veteris abrogatio. Hæc est enim
F testamentorum proprietas vt secundum destruat primum. Intelligi autem hoc de Christi Euangelio indicat id, quod sequitur: *Et iudicium meum in luce populorum requiescet.* Est enim perspicuum legem Moysi vni populo latam fuisse, ab eóque tantùm fuisse quo ad cerimonias, iudicia, & sacrificia, acceptam & obseruatam. At Christi Euangelium in populorum luce requieuit, quoniam per vniuersum orbem terrarum fuit prædicatum & in hominum cordibus scriptum. Quod intuens animo regius vates percinebat: Psal. 18. Psal. 147. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* De lege autem veteri aiebat: *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.*

f *Propè est iustus meus.*) Dixit Deus daturum se esse Euangelium, quo mundus illuminaretur. Sed ne existimaret aliquis, id quod promisit futurum esse post longum tempus, addit: *Prope est iustus meus.* Acsi dicat: breui mittam filium meum, qui non solùm iustus est, sed etiam mundum iustificabit. Et ipse dabit

legem

A legem Euangelicam. Quid ſperatis cæci Iudæi? cur hunc locum non aſpicitis? Si hoc in loco promittit Deus miſſurum breui Meſſiam, & iam propè eſſe, quomodo poſt duo millia annorum eum expectatis? ab hac Eſaiæ Prophetia ad hoc noſtrum tempus longiſſima tempora interfluxerunt. Non eſſet Chriſti aduentus propinquus, ſi eſſet poſt duo millia annorum expectandus. At Eſaias ait iam ſua ætate eſſe propinquum.

g *Egreſſus eſt ſaluator meus.*) Ieſus idem eſt quod ſaluator, qui apud Ioannem c. 16. de ſe ait: *Exiui à patre, & veni in mundum.* Ideò hìc ait pater: *Egreſſus eſt ſaluator meus.*

h *Et brachia mea populos iudicabunt.*) Hoc eſt, mea fortitudine iudicabuntur populi. Nomine brachij fortitudo ſignificatur. Fortaſſe per brachia Apoſtolos intelligit, quib. dixit apud Mat. c. 19. *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael.*

i *Me inſulæ expectabunt.*) Per inſulas Gentes intelligit, vt alibi expoſuimus. Aſpicis Chriſtum eſſe Gentium expectationem. Id quod prædixerat Iacob c. 46. *Et ipſe*, inquiens, *erit expectatio Gentium.*

B

k *Cœli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur.*) Ita ait Chriſtus: *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem non tranſibunt.* Magni doctores aiunt in fine mundi cœlum & terram tranſiturâ eſſe quo ad figuram, non quo ad ſubſtantiam. Quod videtur ſignificare Dauid dicens in Pſal. c. 101. *Opera manuum tuarum ſunt cœli, ipſi peribunt, tu autẽ permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut operto rium mutabis, & eos mutabuntur.* Explicans enim Propheta quis eſſet cœlorum interitus. *Sicut operto rium*, inquit, *mutabis eos, & mutabuntur.* Vbi innuit cœlorum tranſitum eſſe mutationem figuræ, non ſimplicem interitum. Id quod ait diuus Petrus 2. c. 3. in epiſtola ſua ſecunda, cœlos in tempore extremi iudicij magno impetu tranſituros, interpretatur diuus Auguſtinus 20. libro de Ciuitate Dei de aëre, qui in diuinis literis ſæpe cœlum appellatur, non de corporibus cœleſtibus: ſed quamuis de corporibus cœleſtibus intelligatur, referri poteſt ad motum, non ad ſubſtantiam. Poteſt hic locus Eſaiæ ita explanari: Prius cœlũ & terra vaſtabuntur, quàm

Matt. 24.

C vt ego non præbeam mundo ſalutem, & promiſſa mea non adimpleam.

l *Audite me qui ſcitis iuſtum.*) Alloquitur Deus naſcentem Eccleſiam, ſuóſque fideles præparat ad tolerandas hominum contumelias, cæteráſq; res aduerſas, quibus ſciebat eſſe iactandos.

m *Lex mea in corde eorum.*) Non ſatis eſt habere diuinam legẽm in ore, ſed in corde. Ideò dicebat regius vates: *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt no peccem tibi.* Et in alio Pſalmo 36. *Lex Dei eius*, inquit, *in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus eius.* Loquitur Eſaias in hoc capite de noua lege per Chriſtum data, quæ non in tabulis lapideis ſed in hominũ cordibus erat ſcribenda. Ideò ait: *Lex mea in corde eorũ.* Id prædictum fuit iis verbis per Ierem. c. 31. *Poſt dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero ipſis in Deũ, & ipſi erunt mihi in populum.* Hoc eſt Chriſti Euangelium, lex gratiæ, amoris, & gaudij, lex aquarum ſalutarium, de quibus dixerat Eſaias c. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris.* Pro quibus aquis Thargum nouam legem interpretatus eſt.

Pſal. 118.

n *Nolite timere opprobrium hominum.*) Ita Chriſtus apud Matthæum: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animas autem non poſſunt occidere* c. 5. Et alibi apud eundem: *Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint.* Vnde *Apoſtoli ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni eſſent qui pro nomine Ieſu contumeliam paterentur.* Diuus Hieronymus dicebat in quadam epiſtola: Gratias ago Deo meo, quia dignus ſum, quem mundus oderit. Videte honores & dignitates, ob quas vir ſanctus Deo gratias agit, ob iniurias in ſe iactas. Non te lædit, qui vult tuam gloriam obſcurare, & virtutis florem infringere, ſed ſeipſum. Vt enim pyrauſta volẽs extinguere lucernam, ſeipſam comburit, manente integro candelæ lumine & ſplendore, ſic qui in te cõtumeliam iacit, & vult nomini tuo tetram maculam inurere, & tuæ gloriæ ſplendorem penitus extinguere, ipſe odij ac malitiæ incendio flagrat, & virtutis ſplendore ac ornamentis deſtitutus in ſcelere & ignominia verſatur. Et tantum abeſt, vt tuam amplitudinem ſcelerati hominis iniuria obſcuret, vt eã potius mirabiliter illuſtret. Sed quoniam Chriſtus ſciebat diſcipulos ſuos eſſe impiorum hominum iniuriis afficiendos, & grauiter vexandos, eos anteà præparat, & ad tolerantiam exhortatur. Nemini enim tam nocet calamitas quàm ei, qui fœlicitatem, rerúmq; humanarum proſperitatem expectabat. Illis maximè eſt grauis afflictio, quibus eſt repentina & inopinata. Quam ſententiam ferunt imperatorem Adrianum in annulo aureo ſcriptam portauiſſe.

D Act. 5.

simile.

E

o *Conſurge conſurge, induere fortitudinem brachium Domini.*) Hortatus fuit Deus ſuos fideles præcedentibus verbis, ad iniurias impiorum hominum æquo animo tolerandas, quoniam ipſi tyranni & impij erant mortales, ſalus autem, quam ipſi fideles erant conſecuturi, erat ſempiterna. Et quoniam hæc ſalus danda erat per Chriſtum, ideò inducit hìc Prophetа populum hanc ſalutem poſtulantem, precantémque vt brachium Dei, hoc eſt, Chriſtus adueniat, ad oſtendendum ac aperiendam viam gloriæ immortalis conſequendæ. Ait igitur: Chriſte ſancte conſurge, veníque, vt nobis ſalutem tribuas, & mundum è tenebris inexplicabilibus ad veritatis ſplendorem adducas, & à miſera ac Babylonica captiuitate vindices ad veram ac Euangelicam libertatem. Tu es enim ille, qui quondam populum tuum ab Aegyptiaca ſeruitute mirabiliter liberaſti. Quidam hoc referunt ad Iudæos in Babylonica captiuitate detentos, & reditum ad patriam poſtulantes. Quam interpretationem non reiicio, dummodo concedant hæc à propheta in primis eſſe dicta de generis humani per Chriſtum redemptionem.

F

p *Nunquid non tu percuſſiſti ſuperbum, vulneraſti draconem?*) Intelligit Pharaonem regem Aegypti, quem Ezech. c. 29. appellat draconem magnum. Et Dauid in Pſalmo in quo interitum Pharaonis deſcribit, *Tu*, inquit, *confregiſti capita draconis.*

Pſal. 73.

q *Nunquid non tu ſiccaſti mare?*) Subaudi Rubrum. Vt Hebræi ab Aegypto tranſirent ad deſertum, fugit mare: vt autem à deſerto tranſirent ad terram promiſſionis, Iordanis conuerſus eſt retrorſum. Ita dicitur in Pſalmo 113. *Quid eſt tibi mare, quòd fugiſti, & tu Iordanis quia conuerſus es retrorſum?* Magnũ quidem ſpectaculum, & omni admiratione dignìſſimum, fugere mare & Iordanem retrorſum cõuerti. Vis videre mare fugiens, tranſi ab Aegypto ad deſertum, tranſi à mundo ad te ipſum. Cùm ad te ipſũ tranſieritis, eris eremi cultor, & penetrans ſecretiora cordis intelliges te eſſe deſertũ, & locũ horroris & vaſtæ ſolitudinis diuerſis ferarum generibus repletum. Relinque mundum, & redi ad te ipſum, & fugiet mare. Quid eſt mare niſi perturbatio? Penetra te ipſum, & audies Chriſtum dicentẽ: Nõ turbetur cor veſtrum, nec formidet: Et id quòd modò

Ioan. 14.

A per Esaiam dicebat: *Nolite timere opprobrium hominũ &c.* Dices cum Propheta: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Psal. 4. Aufugiet mare, aufugiet iracundia, & turbulentus motus, ita vt dicas cum Paulo: *Maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus, blasphemamur & obsecramus.* 1. Cor. 4. Redi igitur ad teipsum, audi Deum per Esaiam dicentem: *Redite præuaricatores ad cor, transi ad cor tuum,* Sup. 46. Psal. 54. penetra desertũ tui ipsius, & dic cum propheta: *Elongaui fugiens, & mansi in solitudine*: & ita videbis superbiam, inuidiã, cupiditatem, cæteráque salsas maris aquas fugientes. Et hic est primus transitus. Sed progredere vlterius & à deserto transi ad terram promissam. Ne maneas in deserto, ne quiescas & moreris in te ipso, quia morieris, & miserè in deserto peribis. Perge, quære summum bonum, da operam ne animi præstantiam turpi dedecore contamines. Transi à deserto, ne feræ consurgant, & in te irruentes omnibus virtutum ornamentis te spolient, grauissimísq; vulneribus saucium & deformatum relinquant. Transi ergo ad Deum, qui ait: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.* Eccl. 24. Et hic est secundus & glorioſus transitus. Et ita dulces Iordanis aquæ conuertentur retrorsum. Nullam aliam dulcedinem quæres præter Christum, omnes deliciæ & oblectationes retrogredientur, & tuum dulcissimum Christum mirabiliter concupisces, & suauissimè amplexaberis. Hæc est allegoria illius diuisionis maris Rubri in exitu Israelis de Aegypto, cuius in præsenti meminit Esaias. Inducit itaque pios homines in hunc modum loquentes: Libera nos à mundo Christe sancte, quoniam tu es ille, qui homines dæmoni in mundo seruientes liberas, & ab Aegypto ad se ipsos reuocas, siccatis amaris ac turbulentis aquis scelerum animos perturbantium, vt à seipsis ad teipsum conuertantur, & repudiatis omnibus voluntatibus, tu sis tota eorũ dulcedo, te solum quærant, tuo suauissimo amore ducti & ardentissima charitate inflammati. D

r *Et venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum.*) Describit reditum Iudæorum à Babylonica captiuitate. Sed mentis oculis intuebatur eos, qui è diaboli captiuitate venturi erant ad Ecclesiam, ex qua profecturi erant ad æternam beatitudinem. Nam hæc lætitia sempiterna hîc incipit, sed in cœlo realiter & perfectè possidetur. Vtitur propheta metaphora sumpta à re bellica. Nam vt illi, qui in præliis hostes superant coronantur, sic qui in spirituali certamine inimicos animæ vincunt, finita hac mortali vita accipiunt in gloria coronam lætitiæ sempiternæ. Id voluit diuinus vates his verbis significare: *& lætitia sempiterna super capita eorum*: Quasi diceret: Coronabuntur iusti non lauro, non robore, non gramine, quæ omnia marcescunt, & vetustate consumuntur, sed gaudio immarcessibili & sempiterno. Id appellat diuus Paulus coronam iustitiæ, *In reliquo*, inquiens, *reposita est mihi corona iustitiæ.* 2. Tim. 4. Iacob. 1. 1. Pet. 5. Hanc appellat Iacobus Apostolus coronam vitę, quam repromisit Deus diligentibus se. Et Petrus Apostolorum princeps immarcessibilem gloriæ coronam.

s *Ego ego ipse consolabor vos.*) Orantibus Deum vt consurgeret, eósque consolaretur, respondet ipse Deus hæc verba. Vide eius clementiam. E

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT LI.

1 Attendite ad petram, vnde excisi estis, & ad cauernam laci de qua præcisi estis.] *Totum hoc Septuaginta interpretes in hũc modum verterunt*: Attendite in robustam petram, quam excidistis, & in foueam laci, quam fodistis. *Quæ verba indicant Esaiam non loqui de Abrahamo, quem Iudæi non exciderunt, sed de Christo, quem illi vulnerarunt & occiderunt. Postea tamen Iudæos mittit ad Abrahami considerationem. Pro*, Et ad cauernam laci, *est in Hebraico* ואל מקבת בור *veel makkeuath bor. Quod potest rectissimè verti*: Et ad perforationem putei. *Fuit enim pectus Christi puteus altissimus aquarum viuentium gratiæ & spiritualiũ donorum, quo perforato exiuit sanguis & aqua, vt Euangelista testatur. Verbum enim* נקב *nakau perforare significat, vnde nomen* מקבת *makkeuath significat perforationem & apertnram.* בור *bor autem significat puteum & cisternam.* C Ioan. 19.

2 Tribus mea me attendite.] *Pro tribu mea est in Hebræo* לאומי *leummi. Septuaginta pro tribu verterũt* reges: *Theodotio* genus: *Symmachus* Gentem. *Quẽ secutus Pagninus vertit*: Et gens mea me audite. *Dixerat antea*: Attendite ad me populus meus, *& statim ait*; & tribus mea me audite. *Fortasse per populum suum intelligit Iudaicum, & per tribum suam tribum Iuda, ex qua carnem sumpsit. Et quoniam ea erat tribus regalis, ex qua erant reges Iudææ, verterunt Septuaginta interpretes*, reges, *& Theodotio* genus, *quoniam ex ea tribu natus est Christus, & Symmachus Gentem eadẽ ratione eam appellauit. Ego verò existimo populum Christianum esse eum, quem Deus hoc in loco & populum suũ & gentem suam appellat. Quem alloquens diuus Petrus*, Vos autem, *inquit*, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. 1. Pet. 2. *Vbi vides Christianos esse genus electum, quod conuenit cum versione Theodotionis: & esse reges, quod cohæret cum versione Septuaginta: & esse Gentem sanctam, quod non discrepat a Symmachi atque Pagnini translatione.* F

3 Brachia mea populos iudicabunt.] *Septuaginta habent*. In brachio meo Gentes sperabunt. *Quod de Christo intelligitur, qui in literis diuinis brachium Dei appellatur. Ipse enim est expectatio Gentium, vt prædixerat Iacob*: Ipse, *inquiens*, erit expectatio Gentium. *Qua de re alibi disseruimus.* Gen. 49.

---

[a]Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos, & fundauit terram: & formidasti iugiter tota die à facie furoris eius, qui te tribulabat, & parauerat ad prędandum. Vbi nunc est furor tribulantis? [b]Cito [i] veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet vsque ad internecionem, nec deficiet panis eius. [c]Ego autem sum dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumescũt fluctus eius, Dominus exercituum nomen meum. Posui [d] verba mea in ore tuo, [e]& in vmbra manus tuæ protexi te, [e] vt plãtes cœlos, & fundes terrã, & dicas ad Siõ: Populus meus es tu. [f] Eleuare,

eleuare,

A eleuare,consurge Ierusalem,quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius, ᵉ vsque ad fundum calicis soporis bibisti,& potasti vsque ad fæces, Non est qui sustentet eam ex omnibus filiis quos
Supr.47. genuit: & non est qui apprehendat manum eius ex omnibus filiis quos enutriuit. Duo sunt quę occurrerunt tibi,quis contristabitur super te? vastitas & contritio, ᵍ & fames & gladius ʰ Quis consolabitur te?, Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, ᵏ ficut bestia illaqueata:pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui. Idcirco audi hæc pauperecula, & ebria non à vino. Hæc dicit dominator tuus Dominus,& Deus tuus,qui propugnauit pro populo
. suo: Ecce tuli de manu tua calicem soporis,fundum calicis indignationis meæ: non adiicies vt bibas illum vltrà. Et ponam illum in manu eorum,qui te humiliauerunt,& dixerunt animæ tuę: Incuruare vt transeamus: Et posuisti vt terram corpus tuum,& quasi viam transeuntibus. D

a *Et oblitus es Domini factoris tui.*) Sensus est: Si me habes Deum & consolatorem, cur hominem times, qui vt fœnum cõsumitur,& Deum obliuisceris cœli atque terræ effectorem, qui te creauit, & potest ab omnibus inimicis tuis te facilè eripere?

b *Cito veniet gradiens ad aperiendum.*) Id est, filius meus vnigenitus non tardabit,sed cito veniet in mũdum ad aperiendam viam æternæ beatitudinis. Et
1.Tim. 2. Ezech. 8. non interficiet, non enim veniet vt perdat, sed vt saluos faciat. Vult enim,vt ait diuus Paulus, *omnes homines saluos fieri*. Et ipse Christus apud Ioannem: cap. 12. *Non veni*, inquit, *vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum*. Venit igitur vt vitam daret, non vt occideret. Non enim vult, vt est apud Ezechielem, mortem peccatoris. Nec deficiet panis eius,hoc est,eius doctrina,quæ animam reficit, & eius gratia, qua anima viuit,& velut suauissimo pabulo sustenB tatur. Hic est panis, quem petimus in oratione dominica,dicentes: Psal.101. *Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie*. De quo Dauid, *Aruit*,inquit, *cor meũ, quia oblitus sum comedere panem meum*. Potest totum hoc ita explanari,vt dicat Christus fidelibus suis: Vbi est nunc furor tribulantis vos? Ecce ille, qui vos affligit, veniet cito ad aperiendum vobis ostium carceris,in quem vos coniecit,& conuertetur ad fidem, vòsque nutriet & sustentabit. Potest hoc referri ad Cyrum,vt sit sensus. Ne cadatis animo ô Hebræi in Babylonica captiuitate constituti: nam cito veniet Cyrus,qui vobis ostium aperiet, & ad patriam mittet. Existimo tamen referendum esse in primis ad Christum,qui carcerem peccati, in quo mundus cõtinebatur,aperuit, & cœlum suo sanguine reserauit. Est enim Christi sanguis clauis aperiens scelerum carcerem,vt inde exeamus:& cœlum, vt illud penetremus. C

c *Ego autẽ sum Dominus Deus tuus.*) Alloquitur pater filium iuxta carnis assumptæ dispensationem.

d *Posui verba mea in ore tuo.*) Verba quæ loquitur Christus patris sunt. Ipse enim apud Ioan. 14. *Sermo*, inquit, *quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me patris*.

e *Vt plantes cœlos & fundes terram.*) Christus constituit alterum mundum. Apostolici,viri Apostolici, cæteræque viri illustres, qui in terra fuerunt vitam cœlestem imitati, appellantur cœli, vt alibi docuimus, alij verò fideles minus dediti contemplationi terra vocantur.

f *Eleuare eleuare, consurge Ierusalẽ.*) Verba sunt prophetæ consolantis Ecclesiam,eámque ad tolerãtiam rerum aduersarum cohortantis. Eleuate, inquit ô Ecclesia à tyrannis afflicta. Excitamini fideles, qui iacetis in lachrymis, qui de manu Domini bibistis calicem iræ eius vsque ad fundum, hoc est, qui in varias afflictiones diuina permissione incidistis,& in summis acerbitatibus versamini. Christus Deus noster afflictionum calicem bibit,& illum suis
Matt.19. electis porrigit & propinat. Hic est calix, ille de quo ipse dicebat filiis Zebedæi: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Et paulò pòst: *Calicem quidem meum bibetis*: Et alibi, *Calicem*, inquit, *quẽ dedit mihi pater, non vis vt bibam illum*? Solent magni ac nobiles viri,quando suam erga familiares & amicos beneuolentiam ostendere volunt, illis calicem suum tradere, vt ex eo bibant. Sic Christus Deus noster viris piis dilectis suis calicem suarũ afflictionum propinat,vt suam erga eos charitatem ostendat. Sed considera Dei pietatem. Permittit vt sui calamitatibus premantur, sed in medio illarum eos cõsolatur,ne timore debilitentur, & corruant, hortans eos,vt erigant animos,& ad cœlum aspirent,ipsúmque Deum contemplentur. Illud est aduertendum duos esse calices,alterum christi,alterum mundi. Calix Christi est gustui amarus, sed animę saluberrimus. Contrà verò calix mundi est gustui suauis, sed magnam animæ affert perniciem. Est foris aureus, sed intus habet pestiferum venenum. Qui ex eo bibunt pereunt, & ruunt in interitum voluntarium. Sed tanta est hominum insania, vt non desinant hoc venenum obbibere, quanquam intelligant eos, qui illud potant,conceptam mortem in anima continere. Si adesses conuiuio, & hausto poculo moreretur ille,qui biberat, & quotquot biberent mortui caderent,nónne iudicares illud esse venenum? iudicares equidem,& ex eo nihil sumeres, nisi penitus iudicio careres. Nunc quanta est amentia? quanta animi cæcitas, id velle quod semper detrimentum attulerit: & existimare fore, vt ipse non pereas, cùm alios perire videas? Hic est calix, de quo Ioannes in Apoca-
Apoc.14. lypsi,c.14. *Cecidit*,inquit, *cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes Gentes*. Fugiamus calicem Babylonis, detestemur calicem mundi,& Christi calicem amplectamur. Christus eũ bibit, priusquam nobis illum propinaret. Cæterùm hæc verba Esaiæ: *Eleuare eleuare, consurge Ierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius*, possunt F rectè referri ad populum Iudæorum in Babylonica captiuitate constitutum: quem Deus excitat, vt videat se esse ob sua scelera meritò punitum.

Ioan. 18. simile. E

simile.

g *Fames & gladius.*) Explicatio est præcedentium. Dixerat duo esse, in quæ inciderat,nempe vastitatẽ & contritionem: modò autem explicans hæc duo, ait esse famem & gladium.

h *Quis consolabitur te?*) Quasi dicat, nemo. Videtur esse explicatio eius,quod modò dixerat: *Quis cõtristabitur super te?* Magnum est enim solatium habere aliquos, qui tecum tuas ærumnas sentiant & plorent. Contrà verò summa est calamitas, non habere in ærumnis, qui tuam vicem doleat, & carere omni consolatore. Id lugebat Ieremias dicens in Threnis:ca. 1. *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius*. Et Salomon in Ecclesiaste,ca.4. *Vide*, inquit, *lachrymas innocentium, & neminem consolatorẽ*. Et Dauid in Psalmo 68.in persona Christi, *Sustinui*, inquit, *qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni*.

A i *Filij tui proiecti sunt.*) Pergit ostendere afflictionem populi Iudaici in Babylonicam captiuitatem relegati.

k *Sicut bestia illaqueata.*) In quam sæuiunt & irruunt venatores.

l *Idcirco audi hæc paupercula.*) Id est, Eam ob causam audi hæc Iudæorum synagoga, quæ in Chaldæa detineris, paupercula, abiecta, ebria non à vino, sed à te ipsa alienata, & ob scelera tua in Babylonicum carcerem coniecta. *Ego*, inquit, *Dominus auferam à te* D *calicem iræ meæ, & te affligentibus illum propinabo.* Eruam te ex Babyloniis, & illos euertam, & cyro captiuos subiiciam. Qui dicebant tibi: Incuruare vt transeamus, qui te acsi terra esses & lutum, pedibus conculcabant, & incredibilibus iniuriis afficiebant. Vide Dei clementiam. Adhuc Iudæi non erant capti, & in chaldeam adducti, & iam eos consolabatur, acsi à Babyloniis captiui detinerentur.

ANNOTATIO.

1 Cito veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet vsque ad internecionem.] *Symmachus ita vertit ex Hebraico:* Cito infernus aperietur: & non morietur in corruptione. *Subauditur Christus, qui ait in Psal.* 15. Non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem.

B 2 Et in vmbra manus tuæ protexi te, vt plantes cœlos, & fundes terram.] *Septuaginta habent*: Et in vmbra manus tuę protegam te, in qua statui cœlum, & fundaui terram. *Vide quam aperte indicent mysteriũ redemptionis per Christum. Quis enim non videt hæc palam ad Christum referri? Per ipsum enim cœlum fuit cõstitutum, & terra fundata. De eo ait diuus Ioannes: c.* 1. Omnia per ipsum facta sunt. *Et diuus Paulus in epistola ad Romanos: ca.* 11. Ex ipso, *inquit*, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. *Et ad Colossenses: ca.* 1. In ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia. *Hic est absque dubio ille, de quo hic loquuntur Septuaginta, in cuius manu Deus cœlum statuit, & terrã fundauit. Et aduerte eos dixisse*, protegam te, *in futuro, cum in versione nostra sit* protexi te, *in præterito. Mutãt aliquando Septuaginta aliqua de Hebraico, sed non sine diuino consilio & mysterio, vt ego credo. Est enim admirabilis eorum interpretatio, & tantæ authoritatis, vt eam sæpe Apostoli citauerint, vt aliis in locis ostendimus.*

3 Vsque ad fundum caliçis soporis bibisti.] *Pro sopore in Hebraico* תרעלה *tarelah. Quod nomen significat soporem, tremorem, stuporem, compunctionem, & crapulam. In Psalmo* 59. *vbi versio nostra habet*: Potasti nos vino compunctionis: *habet versio diui Hieronymi*, vino consopiente. *Est enim ibi hoc nostrum nomen. Quod poterat etiam verti*: Potasti nos vino tremoris. *Et illud Zachariæ ca.* 12. Ecce ego ponam Hierusalem super liminare crapulæ: *poterat verti*: Ecce ego ponam Hierosolymæ calicem soporiferum, vel calicem tremoris, vel stuporis, vel compunctionis. *Nomen enim* הפס *saphaph, quod ibi scriptum est, limen significat, & liminare, sed proprie calicem & poculum. Vnde in Exodo ca.* 12. *vbi scriptum legimus*: Fasciculúm que hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, *poterat recte transferri*: Fasciculúmque hyssopi tingite in sanguine, qui est in calice, vel in pelui, aut phiala. E *Omnia enim hæc significat nomen* הפס *saphaph. Hic calix tremoris & compunctionis est afflictio, dolor, & cruciatus, quibus Deus suos exercet. Et hic est calix, quem Christus bibit moriens in cruce, atrocissimis iniuriis, indignissimis doloribus, acerbissimis cruciatibus affectus. Hic est calix ille, quem Ioseph in sacculo Beniamin in sui charissimi fratris iussit abscondi. Gen. c.* 44. *Erat Beniamin minimus inter fratres, qui ibi paruulus appellatur. Vbi inuenitur calix Ioseph, nisi in paruulis, hoc est in humilibus, in iis, quos Deus diligit? eos enim permittit, in afflictionibus versari. Ioseph qui quærens fratres suos venditus est, qui seruauit Ægyptum, & mundi saluator appellatus est, vt in Genesi c.* 41. *diuinæ literæ testãtur, fuit Christi figura, cuius angustiarum calix in sacculo Beniamin reperitur, de quo ait Ioseph*: Ipse sit seruus meus, & in illum maiora contulit beneficia, *Ille qui est seruus Christi, quem Christus plus amat, qui maiora munera largitur, indigne aliquando patitur, & magnis afflictionibus premitur. Hic est calix ille, de quo illustrissimus Pro* Psal. 115. *pheta*, Calicem, *inquit, salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* F

C

Argumentum capitis LII.

Promittit Propheta Deum liberaturum à Babylonica captiuitate Hebræos, eósque ad fortitudinem & lætitiam exhortatur. Et sumpta inde occasione vaticinatur de primo Christi aduentu in mundum, & de Apostolorum prædicatione.

CAPVT LII.

Gen. 45.

Rom. 2. d
Ierr. 36. d

COnsurge a consurge, induere fortitudine tua Sion. Induere vestimentis gloriæ tuæ. Hierusalem ciuitas sancti, b quia non adiiciet vltrà, vt pertranseat per te incircuncisus & immundus. c Excutere de puluere, consurge, sede Hierusalem: Solue vincula colli tui captiua filia Sion. Quia hæc dicit Dominus: d Gratis venundati estis, & sine argento redimemini. Quia hæc dicit Dominus Deus: In Ægyptum descendit populus meus in principio, vt colonus esset ibi, e & Assur absque vlla causa calumniatus est eum. f Et nunc quid mihi est hic, dicit Dominus: quoniam ablatus est populus meus gratis? g Dominatores i eius inique agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blasphẽmatur. h Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. i Quàm pulchri

A chri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem, dicenti Sion: *k* Regnabit Deus tuus. D

Rom.16.c
Nahu.1.d

EXPLANATIO.

a *Conſurge conſurge.*) Loquitur Propheta Iudæis, qui in Chaldæa captiui detinebantur, eósque hortatur vt forti atque erecto animo ſint, lugubres veſtes deponant, & decoras atque precioſas induant, quoniam erunt liberati, & in ſuum priſtinum ſtatum reſtituti. Sed per hæc promittit eſſe genus humanum à peccati captiuitate liberandum, ipſósque peccatores exhortatur, vt exuant veterem hominem, & induant nouum, vt veſtibus nuptialibus induti poſſint ſecurè diuino conuiuio intereſſe. Hoc enim veſtimentum gloriæ eſt illud, de quo apud Matth. 12. *Amice quomodo huc intraſti non habẽs veſtem nuptialẽ?*

b *Quia non adiicet vltra.*) Hoc eſt, Non iterum Babylonius dominabitur tui. Poteſt hoc ad animam ſpiritualiter referri. Hæc enim ſe debet erigere, & B ad cœlum aſpirare, vt gratia induta, & fortitudine munita non aperiat oſtium turpibus cogitationibus non tranſeat per eam conſenſus incircunciſus & immundus. Poteris per incircunciſum & immundum quamcunque malam cogitationem intelligere, quæ non ita debet pertranſire animam, vt anima illi aſ-
ſimile. ſentiatur. cogitationes malæ ſunt velut hirundines, penetrant domum, contaminant eam, inquinant & inquietant, & exeunt, nullam vtilitatem relinquentes, Et quemadmodum non eſt in poteſtate noſtra cohibere hirundines, ne ſuper domum noſtram tranſeant volitantes, poſſumus tamen illas ex domo abigere, ne ibi morentur, & nidum conſtituant, ſic non eſt in manu noſtra non tentari: volitabunt enim cogitationes etiam nobis inuitis, ſed in manu noſtra eſt in illis cum Dei gratia reſiſtere, eaſque abducere & fugare, ne in corde noſtro domicilium conſtruant & nidum efficiant. Id exiſtimo voluiſſe ſignificare Pythagoram, quando dixit, ſub eodem tecto hirundines non eſſe habendas. Quam ſententiam tribuit illi Diogenes in eius vita, vt multi alij.

c *Excutere de puluere, conſurge, ſede Hieruſalem.*) Nõ ad parietes, ſed ad Iudæos Hieroſolymæ habitantes hæc referenda ſunt. Hos in terra iacentes, puluere C peccatorum pollutos, ſcelerum vinculis ligatos hortatur Propheta vt puluerem excutiant, conſurgant à peccatis, ſoluant vincula colli ſui, & ſedeant in loco honeſto. Ait enim: *Conſurge: ſede:* Quaſi dicat: Relinque peccata, age pœnitentiam, & ſede in virtutibus. Per ſeſſionem intelligit firmitudinem & conſtantiam. Non enim ſat eſt, virtutem ſemel amplecti ſi eam ſtatim relinquas, ſed neceſſe eſt in ea ſtabiliri & firmiter inhærere. Aſpicis quanta ſit ſceleratorũ miſeria, iacent in terra, humana amplectentes, vt de ſe quidam dicebat: *Adhæſit pauimento anima mea.* Sunt puluere conſperſi, polluti, & obcæcati, vt de Babyloniorum republica dicebat Ierem. 50. *Confuſa eſt mater veſtra nimis, & ad æquata puluери.* Sunt captiui, & vinculis alligati, de quibus vinculis dicebat quidam: *Dirupiſti vincula mea.* Et apoſtolus in epiſtola 2. ad Timotheum c. 2, & *reſipiſcant*, inquit, *à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.*

d *Gratis venundati eſtis.*) Id eſt, immeritò & iniuria capti eſtis. Nullum enim facinus, nullum flagitium in Babylonios nec in Aegyptios admiſeratis. Ego autem vos gratis liberabo. Iam diximus Cyrũ dimiſiſſe Iudæos nulla ab illis pecunia accepta. Sed hîc occultatur in litera myſterium. Sine cauſa homo ſe vendit dæmoni, & Chriſtus eum gratis redemit, hoc eſt, nullo auro & argento, ſed ſuo puriſſimo ſanguine. Qua de re capite 50. diſſeruimus.

e *Et Aſſur abſque vlla cauſa.*) Hoc eſt, Et poſteà Aſſyrius nulla à Iudæis iniuria laceſſitus eum vexauit, & captiuum duxit. Hic Aſſyrius eſt Nabuchodonoſor, qui quoniam non ſolùm Babyloniorum, ſed etiam Aſſyriorum monarchiam obtinuit, Aſſyrius appellatur. Vel per Aſſur non Nabuchodonoſor, ſed ipſorum Aſſyriorum rex intelligitur, qui cum Babyloniis aduerſus Iudæos pugnauit.

f *Et nunc quid mihi eſt hic dicit Dominus, quoniam ablatus eſt populus meus gratis.*) Cur manebo Hieroſolymę, quid faciam ibi, ſi populus Iudaicus tranſlatus eſt in Babylonem? Quanquam Deus eſt vbique dicebatur tamen eſſe ſpecialiter Hieroſolymæ, quoniam ibi à Iudæis colebatur, & ibi reſponſa dabat, & ſola Iudæa erat receptaculum fidei, cùm Gentes omnes idola colerent, & in erroribus verſarentur. Poſſunt hæc ad tempus gratiæ referri, vt dicat Chriſtus: Quid facio Hieroſolymæ, ſi populus Iudaicus me contemnit, ſéque gratis diabolo tradit? Diſcedã hinc, & Iudæos relinquam. Id dicebat idem Chriſtus diſcipulis ſuis: Ioan. 14. *Surgite eamus hinc.* Et volens Propheta ſignificare hunc, qui loquitur, eſſe Chriſtum, ſubdit: *Quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum.* Quaſi dicat: Ego, qui in Prophetis loquebar, veni in mundum, ſumpſi humanam naturam, & ecce adſum factus homo. E

g *Dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blaſphematur.*) Per dominatores populi Iudaici intellige ſcribas, & Phariſæos, & principes Sacerdotum. Vel potius Babylonios, qui Iudæorum dominabantur. Sed vide quàm F peſtilens ſit principum flagitium, quoniam illis attribuit blaſphemias populi.

h *Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum.*) Hoc eſt, Ideò in die illa, in tempore quo ſum liberaturus populum Iudaicum à Babyloniis, ipſe populus ſciet me eſſe Dominum Deum exercituum, quia ego ipſe qui modò hæc promitto, tunc adero promiſſionem hanc adimplens. Id eſt quòd ſonat litera. Sed quis non videt eſſet in ea Chriſti aduentum in mundum velatũ? Chriſtus eſt qui hic loquitur. Quaſi dicat: In illa die, in tempore gratiæ quando ſum iturus in mundum, & cum hominibus conuerſaturus, eósque à diaboli captiuitate liberaturus, populus meus ſciet nomen meum: ſciet me eſſe Ieſum, hoc eſt, hominum ſaluatorem. Ieſus enim idẽ eſt quod ſaluator. Ego enim qui antea per viros ſanctos loquebar, tunc adero factus homo. Id quidem ait iis verbis Baruch: 3. *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Quæ verba de Deo dicuntur, vt ibi ſcriptura apertiſſimè oſtendit. Id explicuit Apoſtolus dicens in epiſtola ad Hebr. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula.* Id quod ait Chriſtus: *ſciet populus meus nomen meum in illa die*, fortaſſe intelligitur de nomine ineffabili tetragrammaton, hoc eſt, quatuor literarum, quod eſt יהוה Ichouah, de quo dicebat Deus Moyſi:

A *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob, in*
Exod. 6. *Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis.* Nã in litera Hebraica non est Adonai, sed יהוה: sed quoniam nomen Iehouah est ineffabile apud Iudæos, pro Iehouah posuit noster interpres Adonai. Hoc nomen incognitum Iudæis manifestauit Christus, qui apud Ioan. 17. alloquens patrem, *Manifestaui*, inquit, *nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.* Sed quæres quomodo illud manifestauit. Dicam: Docuit Deum esse trinum & vnum. Dicens enim: *Do-*
Matt. 28. *cete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti*, ostendit trinitatem personarum. Apud Marcum 12. dicens: *Dominus Deus tuus, Deus vnus est*, ostendit vnitatem essentiæ: quemadmodum apud Ioan. 17. *Pater sancte*, inquit, *serua eos, vt sint vnum, sicut & nos.* Et in alio capite: *Ego & pater vnum sumus.* Vnde diuus Ioan. 10. c. à Christo dictus, *Tres*, inquit, *sunt qui testimonium dant in cœlo, pater, verbum, & spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.*
Ioan. 10. Docuit præterea Christus se esse Deum & hominẽ,
Ioan. 14. Deum, quando dixit: Ioan. 14. *Ego & pater vnum sumus*: hominem, quando dixit: *Pater maior me est.* Et omnia hæc sunt inclusa in hoc admirabili nomine יהוה, quod ex quatuor literis constituitur, quarum prima est, י Iod, quæ significat principium, per quã significatur pater qui est principium sine principio.
Secunda litera huius nominis est, he, quæ sonat esse, per quam significatur filius, quoniam per ipsum o-
Rom. 11. mnia facta sunt, & habent esse, de quo ait diuus Paulus: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Tertia
B litera est, ו vau, quę significat charitatem & amorem, & est coniunctio copulatiua, per quam significatur Spiritus sanctus, qui est amor, & charitas, & nexus. Qui, vt verbis vtar Augustini, nec patris tantum, nec filij tantum, sed simul patris & filij spiritus dicitur, & charitas siue sanctitas amborum esse agnoscitur. Vltima litera est, ה he, quæ est etiam secunda, per quam diximus filium significari. Sed quoniam Filius Dei vnigenitus sumpturus erat humanam naturam, duplicatur hæc litera, vt significet in Christo duas naturas diuinam & humanam, sed semper est vna litera, quia Christus est vna persona: sunt enim duæ naturæ in vno supposito. Et ponitur in fine hæc litera, per quam significatur humanitas, quoniam in
Sup. 2. fine in nouissimis diebus filius Dei humanam naturam sibi inenarrabili modo copulauit. Solet enim scriptura tempus gratiæ nouissimos dies appellare, & temporis plenitudinem, vt secundo capite ostendimus. Hinc intelliges cur Deus Abrahamo literam vnam addens, non aliam quàm, ה, quæ est ea quæ in fine admirabilis nominis יהוה ponitur, addiderit. Cùm enim vocaretur אברם, vocatus fuit à Deo אברהם, addita sola litera ה. Voluit enim Deus occulto illo mysterio significare filium suum vnigenitum esse ex semine Abrahami carnem sumpturum. Ideò enim literam admirabilis nominis Dei tribuit
C Abrahamo, & eam per quam Christus significatur, vt ostenderet filium Dei fore filium Abrahami secundum humanitatem. De eo enim ait Diuus Matthæus: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.*
Ioan. 8. Qui cùm secundum humanitatem sit filius Abrahami, secundum diuinitatem tamen, *Antequam*, inquit, *Abraham fieret, ego sum.* Et ob eam causam voluit Deus vt in nomine Abrahami, quod ita scribitur אברהם esset litera, ם, quæ regni Christi æternitatem significat, vt capite nono explicauimus, As-
Sup. 9. picis igitur hoc nomen Iehouah, quod Iudæi ob eius admirabilitatem & celsitudinem nominare non audent, in se altissima mysteria ipsis Iudæis infidelibus incognita continere. Et hoc est nomen, quod Christus suis fidelibus indicauit, quod Christianus popu-

lus cognouit, de quo hoc in loco ipse Christus ait per D
Esaiam: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum*
Psal. 8. *in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Hoc est nomen illud admirabile, de quo ait Dauid: *Domine Dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in*
Psal. 53. *vniuersa terra.* Et alibi: *Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me.* Et alibi inducit idem diuinus vates Christum ita Deum patrem alloquentem: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ec-*
Psal. 21. *clesia laudabo te.* Quem locum diuus Paulus in epi-
Heb. 2. stola ad Hebræos de Christo interpretatur.

i *Quàm pulchri sunt super montes.)* Dixerat Christus venturum se esse in mundum, & suum nomen manifestatarum. Et quoniam missurus erat Euangelistas, & Apostolos, qui pacem & salutem mundo nũciarent, qui prædicarent Euangelium, ideò Propheta eos laudat & admiratur dicens, speciosos esse super montes eorum pedes. Intuebatur diuinus vates pedes Apostolorum, qui peragraturi erant totum terrarum orbem. Et aduerte: Non dixit Apostolos solùm priuatis hominibus, & in eorum propriis domibus inter priuatos parietes Euangelium prædicaturos, sed esse ascensuros in montes, vt possent ab omnibus audiri. Voluit Propheta iis verbis significare Apostolos omnibus concionaturos, tam nobilib. quàm obscuro loco natis, & nuntiaturos esse vniuerso mundo pacem, & salutem cæteráque bona, quæ Christus in homines contulit. Ideò ait Propheta: Prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem: Dicentis Sion, regnabit Deus tuus. O-
E mnia hęc sub nomine Euangelij comprehenduntur. Euangelium enim bonum nuntium significat. Quod Christus significans ait discipulis suis, vt est apud Marcum 16. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Hunc locum Esaiæ citauit diuus Paulus in epistola ad Rom. 10. cùm de Apostolica prędicatione loqueretur. Ex quo apertè colligitur, Esaiam in hoc capite locutum fuisse de Christo, eiúsque Apostolis, & ex consequenti eos in errore versari, qui cùm nomine Christiano glorientur, Iudęorum expositioni adhęrentes, caput hoc de sola Babylonicę captiuitatis liberatione sub Cyro interpretentur, cùm diuini vatis præcipuum propositum sit, de humani generis redemptione per Christum, déque eius Apostolorum prędicatione vaticinari. Poteris hìc per montes altitudinem virtutum intelligere, ad quam oportet Christi concionatores ascendere. Illud est pręterea aduertendum, ante aduentum Christi raram fuisse in mundo pacem. Si e-
F nim fuisset, non Apostoli eam tanquam rem nouam & insolitam nuntiarent. Pax enim sine charitate esse non potest. Ita ait alio loco Esaias: *Non est pax im-*
Sup. 48. *piis dicit Dominus.* Quod de vera & spirituali pace est intelligendum. At de tẽpore Christi dicitur in Psal. 71. *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis.* Qua de re alibi disseruimus. Nec est silentio transeundum, prędixisse hoc loco Esaiam, Apostolos annuntiaturos bonum, vt significaret antea bonum eiusmodi ignotum fuisse. Differebant Philosophi de bono, sed non inueniebant, quoniam illud non in summo sed in imo quærebant, & in tenębris & erroribus inextricabilibus versabantur. Bonum igitur quod verè & realiter bonum est, annuntiauerunt Apostoli, quod anteà ignorabatur à mũdo, licet essent nonnulli viri sancti, qui illud non ignorabant. Sed hi nomine mundi non comprehenduntur.

k *Regnabit Deus tuus.)* Quasi dicat: Non amplius regnabit Moyses cum cerimoniis suis, sed Christus in Ecclesia sua in æternũ regnabit. Vel sic: Si Christum receperis, eiúsque dicta obseruaueris, non regnabit in anima tua peccatum, sed ipse Christus per gratiam.

A gratiam. Hanc gratiam, hoc Christi regnum petimus cùm dicimus: *Adueniat regnum tuum.* Sed tunc regnat in nobis peccatum, quando paremus concupiscentiis fomitis peccati. Ideò ait Apostolus in epistola ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in corpore vestro mortali, vt obediatis concupiscentiis eius.* Vbi per peccatum fomitem peccati intelligit, non quòd sit peccatum, priusquam voluntas cõsentiat, sed quòd incitet ad peccandum. D

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT LII.

1 Dominatores eius iniquè agunt.) *Pro iniquè agunt, est in Hebraico* יהֵילִלוּ *iehelilu à verbo* יָלַל *ialal, quod propriè significat vlulare & exclamare. Ideò poterat hoc rectè verti: Dominatores eius vlulare faciunt eũ. Et ita vertit Pagninus. Quasi dicat: Qui dominantur populi mei, faciunt eum clamare, & in blasphemias prorũpere. Nam statim subdit: Et iugiter tota die nomen meũ blasphematur. Vel faciunt eum præ dolore vlulare. Acsi diceret: Adeò sæuiunt in populum immanes Babylonij, vt eum faciant ob acerbas afflictiones querimundas voces emittere. Pro quo noster interpres Latinè reddit, & rectè quidem, inique agunt.*

---

[a]Vox speculatorum tuorum, leuauerunt vocem, [b]simul laudabunt: [c]quia oculo ad oculum videbunt, [1]cùm conuerterit Dominus Sion. Gaudete, & laudate simul deserta Ierusalem, quia cõ-
B solatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem, [d]Parauit [2]Dominus brachium sanctum
Psal. 97. a suum in oculis omnium Gentium. [e] Et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. [f] Rece- E
2. Cor. 6. d dite, recedite, exite inde. [g] Pollutum nolite tangere, exite de medio eius, [h] Mundamini, qui fertis vasa Domini. [i] Quoniam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis, præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Israel. [k] Ecce [4] intelliget seruus meus, [l]exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde. [m] Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum. [n] Iste asperget Gentes multas, [o]super ipsum
Rom. 15. c continebunt reges os suum. Quia quibus non est narratum de eo, viderunt: & qui non audierunt, contemplati sunt.

2 *Vox speculatorum tuorum.*) Subaudi audietur. Quasi dicat: Præsules tui, quorum officium est speculari, annuntiabunt Euangelium. Præsules vocat speculatores. Sic Deus Ezechieli 3. & 33. *Fili hominis*, inquit, *speculatorem dedi te domui Israel.* Et alio in loco, *Ille quidem*, inquit, *in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.* Vbi aspicis præsulum interesse concionari, speculari, subditis consulere, & eorum vulneribus mederi. Hoc attendant qui dediti ventri & somno non subditos curant, sed seipsos. Septuaginta habent: *Vox custodientium te exaltata est.*

b *Simul laudabunt.*) Subaudi Christum ob redemptionem, & peccatorum remissionem, cæteráque be-
C neficia in homines collata.

c *Quia oculo ad oculum videbunt.*) Hoc est, quia ipsi propriis oculis Christum aspicient in carne, cùm conuerterit Sionem, hoc est, cùm redemerit mundũ, & multos ad seipsum conuerterit. Vide quomodo Propheta à liberatione Babylonicæ captiuitatis se transferat ad mundi liberationem.

d *Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium.*) Præteritum pro futuro more Prophetico, hoc est, mittet pater filium suum, vt ab omnibus videatur. Appellatur filius brachium ob diuinam fortitudinem, vel quia *omnia per ipsum*, vt inquit diuus Ioannes c. 1. *facta sunt.* Appellari Christũ brachium Domini, indicat scriptura multis in locis.
Supra 51. Capite superiore ait Esaias: *Consurge consurge, induere fortitudinem brachium Domini.* Vbi per brachium Christus intelligitur, vt ibi annotauimus. Et in Psalmo 97. *Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.*

e *Et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri*) Appellari Christum salutare Dei aliis in locis explicuimus. Id quod hic in futuro prædicit Esaias, tanquam iam præteritum cecinit his verbis Dauid. Psa. 79. *Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu Gentium reuelauit iustitiam suam. Recordatus est misericordiæ suæ & veritatis suæ domui Israel. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.*

f *Recedite recedite, exite inde.*) Alloquitur eos qui, erant in Babylonica captiuitate, dicens, vt exeant inde, quoniam Deus est eos liberaturus. Sed eis in primis qui erant in peccati captiuitate dicit Deus, vt recedant ab ea, & exeant à Babylone, hoc est, à cõ-
F fusione mundi, & nolint se tactu rerum immundarum contaminare. Sic sup. cap. 48. *Egredimini*, inquit, *à Babylone, fugite à Chaldæis.* Et apud Ierem. 10. *Recedite de medio Babylonis, de terra Chaldæorum egredimini.* Multi detrahunt de mundo, illum maledictis & opprobriis insequuntur, sed eum non vulnerant, quia se ab illo non abducunt, neque separant. Vt enim qui funda vult lapides rotare, & proiicere, quibus aliquem feriat, opus est vt se ab eo seiungat, quẽ vult percutere, alioquin cum eo coniunctus nihil efficiet, sic qui voluerit dictis aut scriptis mundum ferire, recedat ab eo, nam amplectens funda suorum sermonum vulnerare non valebit: Si Dauid esset cũ Goliath vnitus, eum funda sua occidere nequaquam posset. Ideò diuus Hieronymus, & diuus Franciscus 1. Re. 17.
cæterique viri charitate ardentes, omnique virtute præstantes, mundi confusionem vulnerarunt, quia ab ea longè recesserunt.

g *Pollutum nolite tangere.*) Vt enim *qui tangit picẽ, inquinatur ab ea*, sic qui familiaritate sceleratorum vtitur, facilè deprauatur. Si prohibemur labiis attingere aquam contaminatam, quantò magis eam bibere? Discẽdamus igitur à mundo, ne eius pollutas aquas attingamus, si volumus non perire. Quamuis enim in principio claræ ac dulces videantur, tamen si earum finem respexerimus, videbimus eas contami-

minatas, & veneno infectas. Apud Scythas est fluuius nomine Hypanis, qui in principio purus ac dulcis apparet, sed posteà inficitur amaro fonte, & bibentibus perniciem parat. Talis est mundus, prima specie clarus & suauis, sed posteà turbulentus, pollutus, & venenosus. Fallit in principio spe magnarum rerum, quas promittit: videtur purus & suauis, sed posteà suam amaritudinem & immundiciciam ostendit. Detestemur igitur eius pollutas aquas; audiamus Prophetam dicentem: *Pollutum nolite tangere.*

simile.

h *Mundamini qui fertis vasa Domini.)* Exhortans Propheta omnes, qui in Babylonica captiuitate detinebantur ad exitum & egressum ab illa, & ad animi puritatem, inter omnes, eorum præsertim meminit, qui vasa Domini portabant. Rapuerat enim Nabuchodonosor vasa Domini templo Hierosolymæ ad cultum diuinum dedicata, & Babylonem asportauerat: quæ Iudæi posteà Hierosolymam retulerunt. Hortatur igitur diuinus vates eos, qui erāt rebus sacris, diuinóque cultui addicti, quibus erat cura vasa Domini portandi, vt puri sint, nullis immundiciis contaminati, ne manibus pollutis vasa Domini coinquinent. Vasa Domini sunt Christiani Deo dedicati, quorum vnus qui vas electionis appellatur, ita in epistola secunda ad Timotheum c. 2. scriptum reliquit: *Si quis emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum.* Qui portant vasa Domini sunt præsules, qui se vitiis dedunt, & iura peruertunt, nō solùm seipsos polluunt, sed alios suo exemplo contaminant. Vnde Deus dicebat Moysi, vt est in Exo. c. 28. literis mandatum: *Facies laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris, sanctum Domini, ligabisque eam vita hyacinthina: & erit super tiaram imminent fronti pontificis.* Considera hoc. Talis debet esse præsul, vt eum videntes statim cognoscant eum esse sanctum Domino. Multa mihi hoc in loco occurrebant ad dicendum, & multò plura ad plorandū quæ sunt silentio prętereunda.

Act. 9.

Exod. 28.

figura.

i *Quoniam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis.)* Subaudi quemadmodum in exitu de Aegypto. Nam nunc mittet vos Cyrus in patriam, & in pristinum statum restituet.

k *Ecce intelliget seruus meus.)* Dixerat Iudeos reuersuros esse in patriam suam in pace & tranquillitate, & Christum eos pręcessurum & congregaturū. Nunc ait deus pater: Ecce filius meus, quem secundum humanam carnem assumptam seruum meum appello, sapienter geret hanc rem. Ipse enim intelligit quemadmodum est vos liberaturus. Vide quomodo Propheta transeat à liberatione captiuitatis Babylonicæ ad humani generis redemptionem per Christum.

l *Exaltabitur & eleuabitur.)* Hoc est, Morietur cruci affixus. Christi mortem appellat exaltationem. Et ipse Christus apud Ioannē 12. ita ait: *Si exaltatus fuero à terra, omnia trahan ad me ipsum.* Id quod Iudęi putabant esse ignominiam, appellat Christus gloriam. Et alibi, Ioan. 3. & 12. *Sicut Moyses*, inquit, *exaltauit serpentem, ita exaltari oportet filium hominis.* Et alibi: *Venit hora vt clarificetur filius hominis.* Et in Cant. 7. *Ascendam*, inquit, *ad palmam.* Fuit igitur Christi mors exaltatio, quia per illam triumphauit de morte, de mundo, de diabolo. Quando videbatur abiectus & humiliatus, erat gloria sublimis: hæc est enim humilitatis natura. Eodem modo arca Dei in templo Dagonis cùm videbatur abiecta & victa, tunc erat eleuata & glorioſa, & de Dagone mirabiliter triumphabat. Ex quo sequitur, eos qui Christū imitantur, & pro eo indignis contumeliis afficiuntur, tunc maiori gloria fulgere, cùm magis abiecti esse videntur. Vocatur etiam mors Christi exaltatio quia pro nobis moriendo suam bonitatem, charitatem & iustitiam ostendit.

1. Reg. 5.

Infrà

m *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum.)* Id est, sicut multi Christi doctrinam & miracula admirabuntur, sic multi obtupescent videntes eius faciem vulneratam, alapis percussum, sputis cōmaculatam, & sanguina consperſam, & eius pulchritudinem in nigredinem mutatam. Stupuisse autem multos Christi miraculis & doctrina afferit multis in locis Euangelica historia. Quem enim non teneret stupidum & admirantem Christi virtus, eiúsque diuina potentia? Et si impij in eum irruerent, & in illum arderent eorum odia, quibus incensi eum occidere conabantur, tamen non poterant non admirari eum, quem videbant insanabiles ægritudines curantem, mortuos ad vitam reuocantem, & dæmones expellentem

Ose.

n *Iste asperget Gentes multas.)* Hoc est, multi dispergentur per orbem vniuersum ad prædicandam Christi glorioſam mortem, & eius sacratissima mysteria. Vel asperget multas Gentes sanguine suo. Quasi dicat: Patietur quidem Christus, & suo sanguine pro genere hominum fuso & sparso peccatorum maculas mundabit. Potest verti ex Hebraico: *Cum admiratione loqui faciet Gentes multas.* Acsi dicat. Tanta patietur, vt Gentes admirantes de eo loquantur.

o *Superipsum continebunt.)* Hoc est, tanta afficientur admiratione audita Christi morte, & visis Apostolorum miraculis eius nomine effectis, vt non possint pro dignitate laudare eius consilium, misericordiam, & charitatem: & tacebunt admirantes, diuinā eius magnificentiam exprimere, & oratione consequi non valentes. Et non solùm Iudæi, qui Messiā expectabant, sed Gentes quibus non fuerat narratū nec prædictum esse christum venturum, videbunt eius nomine multa effici miracula, & mysteria illis inaudita contemplabuntur.

ANNOTATIO.

1 Cùm conuerterit Dominus Sion.] *Pro conuertere in Hebraico est verbum* שוב *xuu, quod etiam significat residere, & quiescere. Ideò potest verti*: cùm Dominus residere vel quiescere fecerit Sionem. *Cum enim aliquis ad se conuertitur, quiescit, & in se residet, & secum ad.st. Nam antea nulla erat quies, & extra se vagabatur.*

2 Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium Gentium.] *Pro* parauit *est in Hebraico* חשף *chasaph, quod verbum significat discooperire, vt Esaiæ* 47. Discooperi humerum tuum. *Et quoniam qui rem detegit, eam notam facit, sumitur pro manifestare. Ideò poterat rectissime verti*: Manifestauit Dominus brachium suum in oculis omnium Gentium. *Quasi dicat: Manifestauit Dominus mundo filium suum. Id quod aliis verbis ita cecinit regius vates:* Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu Gentium reuelauit iustitiam suam. *Potest etiam hoc in loco brachium*

Psal. 97.

A *chium accipi pro fortitudine, vt sit sensus: Ostendit Deus fortitudinem suam coram Gentibus euertens superbam Babylonem, & liberans Hebræos ex eius captiuitate. Cui expositioni fauet versio Pagnini: qui pro, parare brachiũ, transtulit*: Nudauit Dominus brachium sanctum suum, *sumpta metaphora ab iis, qui volentes aliquid fortiter agere, virésque suas ostendere brachium nudant. Septuaginta habent*: Reuelabit Dominus brachium sanctum suum in conspectu cunctarum Gentium. *Quæ interpretatio quamuis huic secundæ expositioni fauere videatur, magis tamen cum prima cohærere videtur. Nam in sequenti capite quod aperte ab Euangelistis de Christo exponitur, dicit Propheta*: Et brachium Domini cui reuelatum est: *Significans Christum in principio Ecclesiæ esse notum paucis, vt ibi Deo volente explanabimus.*

Infrà 53.

3 Mundamini qui fertis vasa Domini.] *Septuaginta habent pro* mundamini Separamini. *Illi enim animam mundant, qui se à mundo separant, & in solitudinẽ recipiunt. Vnde Deus per alium prophetam*, Ducam, *inquit*, eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. *Hæc solitudo est seuocatio animi ab humanis ac turbulentis negotiis, & ad Deum aduocatio. Viri enim virtute & sapientia præstantes mentem à sensibus abducentes, & cogitationem à rebus visibilibus separantes, à terra se longissimè efferunt, & ad cœlestium contemplationem rapiuntur. Et hæc est meditatio mortis, quam Socrates vitam philosophorum esse existimabat. Quid enim aliud tũ agimus cùm animum à corpore abducimus, quam discere mori? Ea igitur animi à corpore separatio est altissima sapientia cum animi puritate coniuncta, de qua hoc in loco Esaias*, Separamini, *inquit*, qui fertis vasa Domini.

Osea. 2.

B

4 Ecce intelliget seruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde.] *Pro intelligit est in Hebraico* ישכיל iaskil, *quod verbum significat etiam prudenter agere. Ideò poterat hoc ita verti*: Ecce prudenter aget seruus meus. *Intelligere enim aliquando ad voluntatem & actionem potius quam ad intellectum refertur, vt in Psal.* 40. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. *Appellat Deus pater hoc in loco Messiam seruum suum ob verbi ministerium docendique munus: & quia quamuis secundum humanitatem æqualis sit Patri, est tamen minor eo secundum humanitatem. Ideò propter naturam assumptam seruus appellatur. Ita enim Zacharias ca.* 3. *propheta Patrem inducit loquentem*: Ecce ego adducam seruum meum Orientem, quia ecce lapis, &c. *Vbi pro Oriente in Hebraico est* צמח *tsemach, quod nomen germen etiam significat. Hoc nomine vocatur Messias apud Ieremiam ca.* 33. *& apud Esaiam ca.* 4. *Intelligi autem locum illum Zachariæ de Christo indicat Chaldæus paraphrastes ita vertens*: Ecce ego adduco seruum meum Messiam, & reuelabitur, &c. *Idem Deus pater à nostro hoc vate capite quadragesimo secundo ira loquens inducitur*: Ecce seruus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. *Est igitur perspicuum in hoc nostro capite loqui prophetam de Messia, quem hic hominem appellat, cum eum seruum vocat. Phil. ca.* 2. Exinaniuit enim semetipsum, *vt Paulinis vtar verbis*, formam serui accipiens. *Sed ne aliquis existimaret Messiam esse purũ hominem, subdidit propheta*: Exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde. *Pro quo Ionathan Chaldaicus vertit*: Ecce prosperabitur seruus meus Messias, *exaltabitur plusquam Abraham, eleuabitur plusquam Moyses, & sublimis erit valde plusquam angeli superiores. Hæc ille. Si Messias sublimiorem habet substantiam ipsis superioribus angelis in sua natura absque vlla contagione consistentibus, aperte ostenditur, diuinam habere naturam, secundum quam Deus est ex substantia Patris ante secula genitus, eique æqualis. Vnde ait Paulus Apostolus*: Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. *Nec diuinæ maiestati corporea Christi natiuitas aliquid abstulit, quia incommutabilis substantia minui nequaquam potest. Quòd enim* verbum caro factum est, *vt ait diuus Ioannes, c.* 1. *non significat fuisse naturam diuinam in carnem mutatam, sed fuisse à verbo in vnitatem personæ carnem susceptam. Probatur ex hoc loco Christum esse verum Deum & verum hominem, quod aliis in locis fusè ostendimus.*

D

Sup. 42.

E

Philip. 2.

Ioann. 1.

Argumentum capitis LIII.

Vaticinatur propheta de Christi morte eiúsque acerbissimis cruciatibus, & quemadmodum ferens iniquitates nostras se voluit in crucis ara pro nobis salutarem hostiam deuouere ac constituere.

CAPVT LIII.

C F

QVis [a] credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? [b] Et ascendet sicut virgultum coram eo, & [1] sicut radix de terra sitienti: [c] non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, [d] & desiderauimus eum. Despectum & nouissimum virorum, [e] virum dolorum [f] & scientem infirmitatem, [g] & quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde nec reputauimus eum. [h] Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: & [i] nos putauimus eum quasi leprosum, & [k] percussum à Deo, & humiliatum. [k] Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: [l] Disciplina pacis nostræ super eum, [m] & liuore eius sanati sumus. [n] Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. [o] Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ouis ad occisionem ducetur, [p] & quasi agnus coram tondente se obmutescet non aperiet os suum.

Ioan. 12. f
Rom. 10. d
Mar. 9. b
Mat. 8. e
Math. 8. e
1. Pet. 2. d
Isai. 15. a
Mat. 26. f
Act. 8. f

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

EXPLANATIO.

a *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est.)* Vtitur præteritis pro futuris, quẽadmodum multis aliis in locis, vt vaticinationis certitudinem ostendat. Superiore capite prædixit diuinus

Psal. 97.

A nus vates Apostolorum prædicationem: Sed quoniã animo intuebatur fore, vt pauci ex Iudæis Euangelium reciperent, & christum cognoscerent, eorum respectu qui erant in sua infidelitate permansuri, iuducit Apostolorum chorum in hunc modum cum Deo loquentem: *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est?* Quasi dicat: Nos Domine annuntiabimus Euangelium omnibus hominibus: at quis credet verbis nostris? Pauci erunt qui nobis fidem adhibeant. Et brachium Domini, hoc est, christus, cui reuelabitur? Quàm pauci intelligẽt christum esse verum Deum & verum hominem, summum generis humani conditorem & saluatorẽ, qui vt nos ex inextricabilibus erroribus, cæcisque tenebris in veritatam ac lucem vindicaret, & ad beatitudinem sempiternam tãdem adduceret, mortuus est in cruce, indignissimis contumeliis affectus, & immanissimè vulneratus. Quomodo igitur, illi, qui solùm iudicio humano nituntur, credent eum esse Deum, qui fuit inter homines despectus, cæsus, flagellatus & in crucem tandem occisus, nisi illis fuerit per Spiritum sanctum fides infusa? Superiore capite ostendimus christum appellari brachium Domini

B ob eius fortitudinem, & quia omnia per ipsum facta

Ioan. 1. sunt. Nunc verò alias rationes afferimus. Primò, appellatur brachium Domini ad eleuandum debiles, eósque congregandum. Ita de eo Esaias. *In brachio*, inquit, *suo congregabit agnos.* Secundò, ad conterendos eius inimicos, quemadmodum de eo dictum

Sup. 40. est in Psalmo: 88. *In brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.* Tertiò, ad protegendum viros pios & iu-

Sap. 5. stos. Ideò est libro Sapientiæ mandatum: *Dextera sua teget eos, & in brachio sancto suo defendet illos.* Et vltimò ad amplexandam animam sibi deuotam, quæ

Cant. 2. dicit in canticis: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Vnde quidam, quem christus

Rom. 8. amplexatum tenebat, *Quis nos*, inquit, *separabit à charitate Christi?* Ideò in cruce brachiis expansis emisit spiritum, vt omnes ad se venientes amplecteretur. Hoc brachium fuit velatum, quoniam in humanitate diuinitas latebat, nec omnibus reuelatur. Tunc enim dicitur reuelari alicui, cùm in illum credit. Diuus Ioannes ca. 12. de christo loquens citat hunc locum ita dicens: *Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Esaiæ impleretur, quem dixit Domine quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est?* Et diuus Paulus in epistola ad Romanos, ca. 10. *Non omnes*, inquit, *obediunt Euangelio. Esaias enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro?* Vbi vides apertissimè Apostolos hunc locum de

C christo, & Apostolorum prædicatione interpretari. Et cùm Esaias dicat: *Quis credidit auditui nostro*, addunt illi verbum, *Domine*, significantes prophetam induxisse Apostolos Deum ipsum alloquentes.

b *Et ascendet sicut virgultum coram eo.*) Hoc est, Et hoc brachium Domini erit coram eo, hoc est coram Domino, sicut virgultum ascendens, & sicut radix producta de terra arida & inaquosa. Comparat christum in passione virguko & radici ascendenti ex sitiente terra. Virgultum in hyeme est floribus ac frondibus nudatum, sed habet intus virtutem, quam ostendit in vere, tunc enim frondescit, & floret, & baccarum vbertate pulcherrimum apparet. Sic christus in passione fuit contemptus, squallidus, & incultus, sed adueniente vere, hoc est, in resurrectione sua florentissimus ac pulcherrimus apparuit. Comparatur etiam cum radice arboris, quia ex ea nutritur arbor, & sustentatur, & ex ea procedunt arboris folia, flores, & fructus. Radix nullam habet pulchritudinem, sed ex ea tota arbor producitur. Hæc arbor est Ecclesia, radix est christus in passione sua despectus, acerbissimis iniuriis & doloribus affectus D & in medio duorum latronum constitutus. Sed ille sustentat arborem, ille nutrit Ecclesiam, éstque eius radix, & validissimum fundamentum. Huic arbori potest accommodari id, quod est apud Danielẽ c. 4. scriptum: *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia, magna arbor & fortis, & proceritas eius contingens cœlum, aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea: Subter ea habitabant animalia & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cœli, & ex ea vescebatur omnis caro.* Dixerant in principio: *Quis credet auditui nostro?* Nunc reddunt eius quod dixerant rationem. Acsi dicat: Quis credet eum esse Deum cui nec est species nec decor.

c *Non est species ei neque decor, & vidimus eum, & nõ erat aspectus.*) Ille omnium pulcherrimus, de quo dicitur in Psalmo 44. *Speciosus forma præ filiis hominũ, diffusa est gratia in labiis tuis.* De quo in Canticis sponsa: *Dilectus*, inquit, *meus candidus & rubicundus, electus ex millibus, fuit pro nobis percussus flagellatus, vulneratus & conspurcatus, & vsque adeò deformatus, vt non haberet speciem neque decorem.* Voluit summus ille Deus, qui naturam vniuersam immensa virtute sua E coercet & continet, vt à nobis perniciem auerteret, indignissimas contumelias pati, inauditas ignominias accipere, crudelissimis flagellis percuti, durissimis clauis cruci affigi, spinea corona coronari, & in ligno tandem suspendi & mori, quod mortis genus erat tunc infame & ignominiosum. Et cùm spinea corona totum eius caput vndique transfigeret, currebat sanguis per eius faciem, quæ cùm esset alapis cæsa, & sputis coinquinata, & tota cruentata & percussa, nullum habebat penitus decorẽ. Quod intuẽs animi oculis propheta in hæc tristitia ac flebilia verba prorupit: *Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus*, Acsi diceret: Ego mentis oculis vidi christum in cruce pendentem adeò deformatum, vt non videretur homo. Hoc intuens Dauid faciebat ipsum christum in Psalm. 21. ita loquentem: *Sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Paulò ante duxerat christus tres è discipulis suis in montem excelsum, & transfiguratus est ante eos, *& resplenduit facies eius sicut Sol*, & modò in cruce pendens non habet speciẽ nec aspectum. Facies illa sacratissima, quam angeli aspicere desiderant, quæ fuerat in transfiguratione rutilans vt Sol, pulcherrima & splendidissima, modò de- F nigrata est, alapis & liuore faucia sputo, puluere, lachrimis, ac sanguine consperſa. Christe sancte quàm dissimilis est hæc tua transfiguratio ab illa, quæ fuit in monte, quem dicunt esse Thabor. Illa fuit in mõte herbis & arboribus consito, hæc in monte Caluariæ ossibus & fœtoribus repleto. Ibi eras tu Domine comitatus discipulis, quos elegeras, hîc ab illis derelictus, & à Petro paulò antè negatus. Voluerũt enim metu mortis vitam derelinquere. Ibi fuisti in medio duorum illustrium virorum collocatus, Moyse & Elia, hîc inter duos latrones constitutus. Ibi in monte eleuatus, hic cruci duris clauis affixus. Ibi exultans gloria, hic dolens, & lachrymas fundens. Ibi tangis tuos discipulos, hic dira lancea percuteris. Ibi eras splendidis vestibus indutus, hîc nudus, illisque immaniter spoliatus. Ibi audisti suauissimam Patris vocem te filium dilectum vocantem, hic audis improperia & iniurias, & perditorum hominum caterua te inauditis blasphemiis afficientem. O re dignam perpetuo gemitu, & perennium lachrymarum abundantia! Vtinã oculi mei vertantur in fontes. Vtinam exitus aquarum deducant oculi mei. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis diluuium

A uium lachrymarum? deficiant præ lachrymis oculi mei. Vtinam sint mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Quis mihi daret vt laborarem in gemitu, & lauarem per singulas noctes lectum meum, & possem lachrimis meis stratum meum iugiter rigare? Desine plorare Ieremia propheta sancte euersionem Hierosolymæ, ploremus Christi mortem, vimque lachrymarum fundamus. Vos omnes obsecro & obtestor Christiani viri vt ei demus lachrymas, qui pro nobis dedit suum sanguinem, vt totos nos illi dedamus, qui se totum pro nobis dedit. Lamentemur
Thren. 5. dicentes cum Ieremia: *Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster: cecidit corona capitis nostri. Væ nobis, quia peccauimus.* Passus est Deus noster acerbissimos cruciatus & mortuus est suspensus in patibulo. Nihil vnquam Sol vidit indignius. Quò me vertam? Vbi querar? Quos implorem? Cur pater cœlestis filium tuum sanctissimum tot tantisque cõtumeliis & cruciatibus transfixum mori permisisti? Et tu virgo glorioſa sancta Dei genitrix aduocata peccatorum, quæ peccatoribus subuenis, cur filium tuum sanctissimum tantis vulneribus confossum sinis ita mori, omnes malorum impetus suo corpore
B suscipientem, extremam ignominiam ferentem, inter duos latrones spirantem? Sed nescio quid dicam. Ignosce mihi Domine, ignosce mihi sacratissima virgo Maria. Sit mihi erranti medicina confessio. Quid enim fuit illustrius quàm pati Christum pro nobis? Quæ res vnquam fuit in mundo gesta maior? quæ glorioſior? quæ commodatior hominum memoriæ sempiternæ? Voluisti Domine tuam erga nos immensam charitatem ostendere, & docere in calamitatibus & afflictionibus nullam esse ignominiam, quin potius veram gloriam inanis gloriæ factura comparari. Voluisti sanguine tuo maculas nostras delere, & vulneribus tuis vulnera nostra curare. Quis vnquam talia cogitauit? Quò attigit tuus amor Domine Iesu? Multa memini, multa audiui, multa legi, nihil ex omnium seculorum memoria tale cognoui. Qui erunt homines tam inculti & inhumani, qui te Domine non cognoscant salutis authorem? Quæ erit tam immemor posteritas, quæ tam ingratę literæ reperientur, quæ tuæ passionis ac mortis memoriam non immortalibus laudibus prosequantur? Voluisti enim tua morte nobis vitam tribuere. Hic
Gen. 28. enim in monte Caluariæ est arbor vitæ plãtata. Hic est mystica illa atque glorioſa scala Iacob constituta. Hic finitus est tuus labor, & incœpit nostra re-
C quies. Hic te vidit spiritu Esaias, quando dixit: *Vidimus eum, & non erat aspectus*, vt nos te in cœlo pulcherrimum videremus.

d *Et desiderauimus.)* Etsi nulla erat illi species, tamen desiderauimus eum, quoniam sciebamus in eius vulneribus esse remedium animarum nostrarum. Vel sic: Videntes eum vulneratum desiderauimus videre eum in sua pulchritudine, vt anteà videbamus. Quidam ita vertunt: *Et vidimus eum, & non erat aspectus; vt desideraremus eum.*

e *Virum dolorum.)* Ostendunt hæc Christum esse verum hominem, & multis ac acerbis doloribus cru
Matt. 26. ciatum. Ipse enim de seipso ait: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Non enim in corpore solùm, sed in anima etiam dolores ferebat, & non solùm suos sed matris eius. Erat tristis mater iuxta crucem doloribus transfixa, & quot vulnera erant in corpore filij dispersa, tot erant in anima matris coniuncta, ita vt doloris gladius eius animam pertransiret, quemad-
Luc. 2. modum illi fuerat à Simeone prædictum. Gladius qui carnes occideret visus est sæpe, sed qui animam cruentaret & transfigeret, solus hic vsus est. Lancea, quæ latus filij aperuit, animam matris percussit, & omnes sanguinis fluuij, qui ex venis filij exibant, vi- D
scera matris penetrabant. Et quoniam Christus vtranque angustiam & suam & matris sentiebat, vir dolorum meritò appellatur. Sed illud est intelligendum, christum Deum nostrum non solùm dolere vulnera, quibus erat suum corpus confossum, sed etiam vlcera, quibus erat saucia anima peccatorum, non enim tantùm suos dolores, sed etiam nostros portabat. Et peccando scelerati homines illi dolores augebant: quemadmodum ipse dicit in Psalmo 68. *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Lege totam scripturam, neminem inuenies, quantùm memini, qui præter Christum vir dolorum appelletur. Solus christus vir dolorum appellatur. Fuit Abel afflictus à caino, Isaac ab Ismaele, Iacob ab Esau, Ioseph à propriis fratribus, Dauid à Saule, Elias à Iezabele, & fuerunt multi alij magnis doloribus pressi, & in acerbissimis calamitatibus versati. Sed *Hebr. 5.* inter omnes solus christus vir dolorum appellatur, *Hebr. 4:* quoniam illi suos dolores ferebant, Christus verò suos & omnium.

f *Et scientem infirmitatem.)* Experientia. Vnde Apostolus ad Hebræos scribens, *Et quidem*, inquit, *cùm esset filius Dei, didicit ex iis quæ passus est obedientiam.* Et alibi in eadem epistola: *Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia, pro similitudine absque peccato.* E

g *Et quasi absconditus vultus eius & despectus.)* Quẽadmodum vultus eius qui iniuriis & contumeliis afficitur. Vel *absconditus vultus eius*, hoc est, incognitus ab incredulis & impiis. Quibus ille apud Ioannẽ: *Ioan. 8.* *Nec me*, inquit, *scitis, nec patrem meum.* Diuinitas erat sub humanitate abscondita, sicut alio in loco dixit Esaias: *Verè tu es Deus absconditus Deus, Israel saluator.* Et Habacuc ca. 3. *Ibi*, subaudi in cruce, *abscondita est fortitudo eius.* *Suprà 45.*

h *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.)* Sensus est: Nullam culpam admiserat christus Deus noster, ob quam supplicium mereretur. At voluit pro nobis pati, vt à nobis debitam pestem arceret. *Languores nostros*, non suos, hoc est, peccata nostra ipse tulit, *& dolores nostros*, id est, supplicia, quæ pro sceleribus nostris merebamur, *ipse portauit.* Et hoc non fictè, non imaginariè, sed verè. Pro eo quod hìc ait Esaias: *Languores nostros ipse tulit*, ait diuus Petrus in prima sua epistola: *Peccata nostra ipse* *1 Pet. 2.* *pertulit in corpore suo super lignum.* Vbi vides peccata esse animi languores & infirmitates, quas christus pro nobis tulit. Infirmus est in cruce, & defuerunt, ei infirmorũ solatia. Pro domo habet caluariæ mõ- F
tem, pro lecto duram crucem, pro ceruicali coronã spineam, pro dapibus fel & acetum, pro musica blasphemias. Sitiuit in cruce, & non erat qui illi vrceũ aquæ porrigeret. Si virgo mater posset illum oculis contingere, illa eum viuis lachrymis satiaret, quibus illa suum dolorem instillabat. Cogita igitur Christiane Christum Deum tuum langores tuos ferentẽ, doloréſque tuos portantem. Caput habet inclinatũ ad te osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, manus perforatas ad largiendum, & totum denique corpus expositum ad te liberandum: vt sic eum figas in corde, qui pro te fixus fuit in cruce. Poteris hos languores, de quibus hic loquitur Esaias, de corporis ægritudinibus intelligere. De illis enim diuus Matth. cap. 8. euangelista hunc locum interpretatur. Hinc colliges apertissimè vnum eundémque locum sacræ scripturæ duos sensus literales habere. loquitur enim Esaias de peccatis nostris, vt litera ipsa demonstrat, & eam diuus Pe- *1. Pet. 2.*
trus interpretatur. Et tamen loquitur etiam de corporis morbis, de quibus euangelista eum literaliter expo-

A exponit.

i *Et nos putauimus eum quasi leprosum.*) Hoc dicit ob Christi vulnerum multitudinem. Et quia Christus passus est extra ciuitatem. Solebant enim leprosi extra ciuitatem proiici, vt in Leuitico c. 13. scriptura commemorat. Sed Christus voluit extra portam ciuitatis pati, quoniam animal cuius sanguis pro peccato in sancta per pontificem inferebatur, quod erat figura Christi extra castra secundum legẽ cremabatur, vt liber Leu. c. 16. apertissimè ostendit. Quod intuens diuus Paulus in epistola ad Hebræos cap. 14. has voces scripsit: *Propter quod & Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populũ, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra improperium eius portantes.*

k *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras.*) Id multis in locis est in diuinis literis scriptũ Vnde Apostolus in epistola prima ad Corinth. c. 15. *Christus*, inquit, *mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas.*

l *Disciplina pacis nostræ super eum.*) Accipitur disciplina pro flagello seu castigatione. Quasi dicat: Supplicium quod nos merebamur, ipse tulit propter pacem nostram. Luit pœnas nostrorum scelerum,

B vt nos patri reconciliaret. Nam vt ait diuus Paulus, *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Et alibi, *Quia in ipso*, inquit *placuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius.* Hunc locum Esaiæ in hunc modum transtulit ex Hebraico Pagninus: *Castigatio pro pace nostra super eum.* Quæ versio nostram indicat explanationem. Potest ita etiam verti: *Castigatio correctionis nostræ fuit ei imposita.*

Ephe. 2. Coloss.

m *Liuore eius sanati sumus.* Totum corpus ægrotat, & phlebotomia fit in capite. Nos laboramus morbo, & Christus pro nobis vulneratur. Scinditur vena nostræ salutis, vt durities nostri scindatur. Percutitur Christi latus, vt cor nostrum nidus vbi infinitæ vanitates & nefariæ cogitationes colliguntur, cuspide diuinæ charitatis vulneretur.

simile.

n *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.*) Aspicis hic Christũ esse eum pastorem, qui oues errantes super humeros adduxit, de quo ipse Christus loquitur apud Lucam, ca. 15. *qui omnia nostra peccata super se portauit.* Vnde ipse in Psalmo 118. *Supra dorsum meum inquit, fabricauerunt peccatores.* Cùm igitur homines essent veluti

C oues errantes lupis expositæ, declinauerunt non in viam Dei sed vnusquisque in viam suam. At venit Christus, qui est vera via, vt eos ad cælum perduceret. Vnde diuus Petrus in prima sua 2. epistola, *Eratis*, inquit, *sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & episcopum animarum vestrarum.*

o *Oblatus est quia ipse voluit.*) Ideò dicebat Christus apud Ioannem: ca. 10. *Nemo tollit animam meam à me sed ego ponam eam à me ipso, potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo, iterum sumendi eam.* Id

Habac. 3 voluit Habacuc propheta significare, quando de

Exod. 12. Christi cruce loquens dicebat: *Et cornua in manibus eius.* Quasi diceret: Non cornua crucis manus eius tenebant, sed manus eius tenebant crucem, & ipse Christus suis manibus cornua crucis sustentabat. Ipse enim voluit seipsum in crucis ara hostiam constituere. Ostendit hoc loco Esaias fuisse Christi mortem voluntariam.

p *Et quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.*) Christus in passione sua tacendo loquebatur, docebat enim patientiam, & rerum humanarum tolerantiam. Hic est agnus, cuius san-

Ierem. 11 guine Hebræi in Aegypto fuerunt seruati. Et qui occidebatur immolabatúrque in pascate: de quo ait D Apostolos ad 1. Corinthios ca. 5. scribens: *Etenim* *Gen. 22.* *pascha nostrum immolatus est Christus.* Hic est qui ait per Ieremiam ca. 11. *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victoriam.* Hic est aries loco Isaac in mõte occisus & immolatus. Hic est agnus ille, de quo aiebat Ioannes Baptista: ca. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* De eo ita Ioannes Euangelista in Apocalypsi ca. 13. scriptum reliquit: *Quorum non* *Gen. 3.* *sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi.* Ideò ait Christum occisum fuisse ab *Gen. 4.* origine mundi, quia cùm Adam & Eua in peccatum inciderunt, promisit Deus esse caput diaboli à Christo conterendum, quod erat morte eius futurũ. Vel hoc ait ob mortem Abel, qui innocens à fratre per inuidiam occisus Christum figurauit. Vide quot in locis veteris testamenti fuerit Christi mors sub innocentis agni nomine adumbrata & prædicta. Et vt huius diuini agni mansuetudinem & tolerantiam patiendíque voluntatem ostenderet diuinus noster vates, ait: *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ouis ad occisionem ducetur & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* O miram cælestis agni mansuetudinem & admirabilẽ erga homines charitatem! Hanc Christi patientiam & voluntariam passionem ostendit ipse, ita apud Psalmistam cap. 37. dicens: *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Apud hunc nostrum vatem capite quinquagesimo: *Ego autem non contradico: retrorsum non abij, corpus meum dedi percutientibus me.* Attende. Non solùm E non restitit, sed se obtulit: corpúsque suum dedit illud vulnerantibus & conspuẽtibus. Aspice quàm apertè indicet cruciatus suos voluntariè sustinuisse. Id iis verbis prædixerat in suis Lamenti Ieremias: *Thren. 3.* *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* *Mich. 5.* *Michæas, In virga*, inquit, *percutient maxillam iudicis* *Psal. 37.* *Israel.* Dauid in hunc modum facit Christum loquẽtem: *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutionem.* Hanc Christi mansuetudinem prædixerunt Sibyllæ, quarum quædam dixit Dabit autem ad verba omnino innocens dorsum: Et paulò pòst. Et colaphos accipiens tacebit. Et altera Hierosolymam alloquens ait: Stulta Deum tuũ non cognouisti medentem mortalium mentibus, sed & spinis coronasti corona. Hanc veritatem in veteri testamento prædictam scimus ex Euangelistis fuisse in Christo completã. Nisi enim eius passio & mors fuisset voluntaria, non dixisset Petro: *Conuerte gladium tuum in locum suum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò* *Matt. 26* *plusquàm duodecim legiones angelorum?* Quomodo ergo implebuntur scripturæ? Quia sic oportet fieri. Et diuus Matthæus, capite vigesimoseptimo. F *Cùm accusaretur*, inquit, *à principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? & non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer.* Vide vtriusque testamenti cohærentiam & concordantiam. Perpende quemadmodum vtrũque, Christum Deum nostrum voluntariè mortem *Deu. 28.* subiisse ostendat. Ipsam autem Christi mortem significauit Moyses, quando in hũc modum fuit Hebræos allocutus: *Erit vita tua quasi pendens ante te, timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.* Paraphrasis Chaldaica habet: *Et erit vita tua suspensa ante te.* Quę est hæc vita nisi Christus? Huius vitæ crucifixæ gẽssit imaginem serpens ille æneus in ligno suspensus, ad quem Hebræi in deserto percussi aspiciebant, vt sa- *Num. 21* lutem consequerentur: Quem de seipso apud Ioannem

A nem c. 3. Christus interpretatur. Eum enim impij Iudæi falsis criminibus ad crucis supplicium vocarunt iuxta id, quod diuinus Psaltes 92. præcinerat: *Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt.* Et apud Ieremiam c. 12. ipse Christus, *Reliqui*, inquit, *domum meam, dimisi hæreditatem meam: dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua. Dedit contra me vocem, ideo odiui eam.* Apud Psalmistã 21. *Quoniam circundederunt me canes multi, consilium malignãtium obsedit me. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerarunt omnia ossa mea.* Apud Zach. c. 13. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorũ, qui diligebant me.* Daniel c. 9. propheta, *Post hebdomadas*, inquit, *septuaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est.* In libro Sapientiæ, c. 2. quem teste Eusebio Irenæus Egesippus omniśq; antiquorum chorus Salomonis attribuerunt, inducuntur nefarij Iudæi in hunc modum loquentes: *Si est verus filius Dei, suscipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius & probemus patientiam illius.* B *Morte turpissima condemnemus eum. Erit enim ei respectus ex sermonibus illius. Hæc cogitauerunt & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei.* Hæc ibi. Hanc mortem prædixit Sibylla Christum subiturum trium dierum somno suscepto. Cuius testimonium cum aliis aliarum Sibyllarum citat Lactantius libro quarto diuinarum institutionum & Diuus Augustinus libro decimooctauo de ciuitate Dei. Nec solùm Christiani sed etiam nõnulli ex antiquis Hebræorum Rabbinis asserunt fuisse Messiam mortem subiturum: inter quos est R. Iuda filius Amon in commentariis in psalmos, vbi peccatum Adami ait Christo causam mortis præbuisse. Et R. Abba in Beresith raba capite decimonono ait D fuisse sibi reuelatum Messiam fuisse grauissimis cruciatibus opprimendum, & veluti ignotum morte mulctandum. Oportebat vt Christus nostra impia facinora suo sanguine expiaret, quod fuerat in lege adumbratum. Nam vetus tabernaculum fuit sanguine aspersum, &, vt verbis Paulinis vtar, *omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio.* Pontifex ille, qui solus semel in anno cum sanguine pro ignorantia ablato in secundum tabernaculum introibat, Christi Dei nostri imaginem gerebat, qui assistens pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, vt verba Apostoli scribam, id est, non huius creationis, nec per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Et quoniam animalia, quorum sanguis in sancta per pontificem inferebatur pro peccato, extra castra cremabantur, passus est Christus extra ciuitatem. Quod intuens Apostolus ad Hebræos scribens, hæc verba litteris mandauit: *Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra improperium eius portantes.* Hæc diuus Paulus. Aliam etiam reddit rationem diuus Ioannes Chrysostomus in sermone de passione, ita dicens: Voluit Dominus pati non sub tecto, nec in templo Iudaico, ne Iudæi subtraherent sacrificium salutare: ne putarent pro illo E tantùm populo oblatum: ideò fuit extra ciuitatem, extra muros, vt scias sacrificium esse commune pro mundo oblatum, communémque esse purificationem. Et quoniam Christus mortem pro nobis acerbissimam voluntariè tulit, ait hoc in loco noster Esaias: *Et quasi agnus coram tondente se obmutescet.*

Gen. 22. Gen. 3. Gen. 4. Matt. 26 Deu. 28. Num. 21 Thren. 3. Mich. 5. Psal. 37.

Exo. 24. Heb. 9. Heb. 9. Leui. 16. Num. 19 Heb. 13.

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT LIII.

C

1 Sicut radix de terra sitienti.] *Pro* sitienti *est in Hebraico* צִיָּה *tsiiah, quæ dictio significat rem sitientem, desertam & inuiam.* Pagninus vertit: Sicut radix de terra deserti. *Aquila*: Sicut radix de terra inuia. *Admirabilis profectò interpretatio: nam quæ est hæc terra absque via, per quam nemo vnquam ingressus est, ex qua hæc diuina radix exiuit, nisi virgo illa gloriosa Dei genitrix, ex qua natus est Christus Deus noster? Hanc appellat etiam alius propheta terram, dicens in psalmo quadragesimoquarto:* Benedixisti Domine terram tuam. *Et paulò post:* Veritas de terra orta est. *Et in alio psalmo sexagesimo sexto:* Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum. *De hac terra intelligitur id, quod suprà capite quarto dixit Esaias:* In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis. *Et alibi:* Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem. *Dixerat quarto capite futurum esse sublimen fructum terræ, & volens modò eum fructum explicare, ait, eum esse saluatorem. Vide qualem fructum* Supr. 45. *hæc inuia & gloriosa terra produxit, mundi saluatorem. Reperit in tempore eum, qui fecit tempora. Vna & eadem mater & semper virgo: ipsa & genitrix, & eius creatoris, quem genuit, creatura. Quis vnquam audiuit talia? Quis vnquam talia cogitauit. Intacta genuit, & pariens virgo permansit. Et quem peperit? Eum qui est Deus & homo. O admirabilis compago, ô sublime mysterium! Creator nascitur ex creatura, Deus factus est homo, incorporeus carne vestitur, inuisibilis videtur, immortalis occidetur, incomprehensibilis comprehenditur. Quis non admirabitur tam altum sacramentum, huiusq; virginis inauditum partum? Et volens Esaias eius virginitatem significare dixit, Messiam ex ea exiturum esse instar virgulti de* F *terra sitienti absque alterius arboris insertione pullulantis. Quid ad hæc respondebit blasphemus ille Heluidius, qui spiritu diabolico ductus voluit virginitatis sacratissimæ Dei genitricis splendorem maculare? Vt enim Herostratus homo scelerum maculis notatissimus flagrans fame cupiditate nocte quadam templum celeberrimum Dianæ à Gẽtibus idolorum cultricibus dedicatum incendio combusit, vt nominis claritatem, cuius cupiditate incredibiliter ardebat, sibi cõpararet, vt Valerius Maximus, Theopompus, & alij memoriæ prodiderunt, sic nefarius Heluidius, quoniam neque virtute neque rerum gestarum gloria famam, cuius desiderio tenebatur, consequi valebat, voluit quantum in se fuit non templum falsæ Dianæ, sed templum illud sacratissimũ diuinæ virginis Mariæ incendio suæ maledictæ hæresis comburere, eiusque virginitatem verbis pestilentibus maculare.* similitudo

2 Percussum à Deo.] *In Hebraico est:* מֻכֶּה אֱלֹהִים *mucceh elohim. Quæ verba, si Latina reddas, ita transferas:* percussum Deũ. *Inter* מֻכֶּה *mucceh, quæ dictio percussum significat, &* אֱלֹהִים *elohim, quæ significat Deum, nulla est præpositio. Voluit diuinus noster vates*

A *ostendere Christum esse verum Deũ & verum hominem. Dicens eum fuisse percussum eius humanitatem ostendit: dicens autem esse Deum, eius diuinitatem. Sed diuinitas erat in humanitate occultata. Id intuens Habacuc c. 3.* similitudo *aiebat: Ibi abscondita est fortitudo eius. & quemadmodum sol, vt diui Gregorij Nazianzeni vtar similitudine, cùm in nube tegitur, absconditur, non tamen amittitur, lumenque illud, quod toto orbe diffusum claro splendore cuncta illustrat, paruo nubis obstaculo includitur, nõ tamen aufertur, sic Christi deitas in humanitate illa, quam induit, fuit abscondita, non tamen à corpore neque ab anima separata. Habes in loco apertissimum absque dubio testimonium deitatis Christi, si volueris verba ipsa Hebraica, vt iacent, interpretari. Est admirabilis hic locus, in quo ostendit Esaias Deum esse illum, qui in cruce percussus erat. Deus quatenus Deus nec fuit mortuus neque percussus: est enim impassibilis & sempiternus. Sed cùm Christus sit Deus & homo, & quatenus homo fuerit percussus & mortuus, dicitur etiam Deus percussus & mortuus, quoniam Christus vna est persona, vnum* D *suppositum. Ideò verè dicimus manus Dei fuisse in cruce duris clauis transfixas; quoniam duę in Christo naturæ sunt in vno & eodem supposito, quod quidem est Christus, qui est verus Deus & verus homo, quem Esaias hoc in loco percussum Deum appellat. Si lapidem ignitum in* similitudo *medium fluminis proiicias, extinguetur ignis, lapis autem integer permanebit quoniam aquæ in ignem agere possunt, in lapidem verò nequaquam. Sic constitutus Chri-* Psal. a *stus in medio afflictionum, quæ per aquas intelliguntur, iuxta illud:* Intrauerunt aquæ vsque ad animam meã, *passus est quo ad humanitatem, in aquam afflictionum aquæ, hominúmque scelera & impietates agere poterant, diuinitas autem impassibilis permansit. Ideò rectè dicimus filium Dei vnigenitum in duabus naturis vniusque personæ singulariter passibilem, & impassibilem, mortalem & immortalem, crucifixum in infirmitate nostra, eundémque semper viuentem in virtute sua.*

---

1. Pet. 2. d
1. Ioan. 3. d

De [a] angustia [1] & de iudicio sublatus est: [b] generationem eius quis enarrabit? [c] Quia abscissus est de terra viuentium: [d] Propter scelus populi mei percussi eum. [e] Et dabit impios pro sepultura, [f] & diuitem pro morte sua, eò quòd iniquitatem nõ fecerit, neque dolus fuerit in ore eius. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: [g] Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & [h] voluntas Domini in manu eius dirigetur. [i] Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & saturabitur: [k] in scientia sua iustificauit ipse iustus seruos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit [l] Ideò dispertiam ei plurimos, [m] & fortium diuidet spolia, pro eo quòd

B E

Mat. 15. c
Luc. 22. d

tradidit in mortem animam suam, [n] & cùm sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, [o] & pro trangressoribus rogauit.

Mal. vlt. a *De angustia & de iudicio sublatus est.*) Hoc est, liberaturus est ex afflictione, & sceleratorũ iniusto iudicio, quoniam resurrexit, & victor atque glorioſus ad patrem ascendit. Ipse enim post resurrectionem suam discipulis suis apparens, & loquens, *Data est,* inquit, *mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Aequũ est vt mundũ iuste iudicet, qui à mũdo iniuste iudicatus est, sicut scriptũ est: *Causa tua quasi impij iudicata est, causam iudiciumque recipies.* Hanc Esaiæ vaticinationẽ prædixerat iis verbis Dauid: *de torrente in via bibit, propterea exaltauit caput.* Acsi diceret: Fuit Christus afflictus, cruciatus, & mortuus, & eã ob causam Deus extulit illum, quoniam resurrexit, & in corpore glorificato cũ magno triumpho ascendit ad cœlum. Id explanauit iis verbis diuus Paulus in epistola ad Philippenses c. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomẽ, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesu Christus in gloria est Dei patris.* Id voluit Esaias his paucis verbis significare dicens: *De angustia & de iudicio sublatus est.*

Iob. 36.

Psal. 109.

C

b *Generationem eius quis enarrabit,*) Sensus est: Cùm Christus sit verus homo afflictus & mortuus, quis enarrabit eum esse à patre æternaliter genitum, & ex consequenti verum Deum? Quasi dicat: Quis poterit tam altum & ineffabile mysterium verbis explicare? Vel sic: Quis poterit narrare Christi generationem non solùm æternã de patre sine matre: sed etiam humanã de matre sine patre? Hunc locum citans Diuus Leo papa in hęc verba prorumpit: In domino nostro Iesu Christo filio Dei non solùm ad diuinam, sed ad humanam pertinet naturam: *Generationẽ eius quis enarrabit?* Vtráque substantiam in vnam conuenisse personam nisi fides credat, sermo non explicat: modus incarnationis est ineffabilis. Hanc sententiam sequitur in tertia parte diuus Thomas, qui cùm fuerit omni sapientia & sanctitate præstanti, voluit semper sanctorum sententias sequi. Est quidem vtraq; Christi generatio inenarrabilis. Etsi diuus Matthæus c. 1. ita suũ Euangelium incœperit: *Liber generationis Iesu Christi,* non tamen explicat modum incarnationis. Sed quoniam dixerat: *De angustia & iudicio sublatus est.* (quibus verbis Christi resurrectionem prædixerat,) fortasse per generationem reditus ad vitam significatur. Vt sit sensus: Resurget quidem Christus, sed erit inenarrabile mysterium resurrectionis. Non poterit modus illius reditus ad vitam humanis verbis pro dignitate explanari. Accipi verò generationem pro resurrectione, indicat Psalmus secundus. Vbi cœlestis pater filium suum alloquens, *Ego,* inquit, *hodie genui te.* Quem locum diuus Paulus in Actis Apostolorum c. 13. de christi resurrectione apertè interpretatur. Et christus Deus noster apud diuũ Ioannẽ c. 16. loquens discipulis suis de resurrectione sua, *Mulier,* inquit, *cũ parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autẽ peperit puerum, iam nõ memini præsuræ propter gaudiũ, quia natus est homo in mundũ.* Vbi cõparat discipulorum dolorem in christi morte dolori mulieris parturientis: gaudium autem resurrectionis cõparat gaudio mulieris iam nato filio, ipsã autem resurrectionem christi comparat cũ pueri natiuitate & generatione. Poteris ita hoc intelligere. Quis poterit oratione consequi, & sermone explicare, quã peruersa sit illa Iudæorum generatio, qui christum falsis criminibus ad mortem & vastitatem vocarunt. Et ita capitur generatio pro illa Iudaica natione, siue pro seculo illo. Loquebatur de christi morte & intelligens Iudæorum malitiam & impietatem, inuehitur in eos, dicens: *Generationem* illam Iudaicam *quis enarrabit?* Quis eius prauitatem inaudi-

F

A auditam poterit exprimere? Vnde quidam vertunt: *Seculum eius quis enarrabit?* Omnes has explanationes recipit hic locus, quarum nullam existimo reiiciendam esse. Ego tamen putauerim generationem hocin loco accipi pro prole Christiana, quam Christus suo sanguine genuit, vt sit sensus: Quis poterit complecti sermone eorum multitudinem quos Christus suo sanguine genuit? Quis poterit numerare multiplicatam prolem credentium? Quasi dicat: Hic, qui talibus doloribus & afflictionibus premitur, qui cruci affixus sanguinem suum fundens, acerrimos cruciatus tulit, non sua sed nostra scelera luit, vt in vita spirituali nos suo sanguine gignat, & quoniam in spiritu video innumerabiles esse ita gignendos, has voces emitto: *Generationem eius quis enarrabit?* De hac generatione ait diuus Ioannes: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex*
Ioann. 1. *voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*
1. Ioan 5. Et in prima sua epistola: *Scimus*, inquit, *quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat: sed generatio Dei*
Iaco. 1. *conseruat eum.* Et Iacobus Apostolus in epistola sua de Christo loquens, *Voluntariè*, inquit, *genuit nos.* Et
figura. volens *Esaias* aliquo modo explicare id, quod dixerat, addit paulò pòst: *Si posuerit pro peccato anima suã,*
Exod. 1. Ioann. 12. *videbit semen longæuum.* Quasi dicat: Si quidem Christus passurus est mortem pro hominum peccato, videbit semen longæuum, hoc est, generationem suam maximè propagatam & æternam. Nunquam enim ecclesia peribit. Vt enim mortuo Ioseph creuerunt
B filij Israelis, ita mortuo Christo creuerũt Christiani, qui nisi christus moreretur, nequaquam crescerent.
figura. Id voluit christus apud Ioannem iis verbis significare: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum*
Iudic. 16. *fuerit, ipsum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Et quemadmodum christus morte sua fideles genuit, ita hostes suos interfecit. Vt enim Samson captus à Philistæis ob amorem, quo Dalilam Gentilem prosequebatur, multò plures ex hostibus interfecit moriens quàm viuens, vt in libro Iudicum scriptura testatur, sic christus amans gentilitatem, pro eáque captus plures hostes occidit morte sua, quàm viuens priusquàm moreretur. Ideò mortuus est vt mortem occideret, filiósque generaret. Aristoteles in libris ortus & interitus inquit generationem vnius esse corruptionem alterius: quam sententiam omnes posteà physici secuti sunt. Vt gene-
C rentur grana, corrumpitur granum. Eodem modo vt generaretur ecclesia, christus mortuus est. Destruitur vnum vt ædificetur alterum: secatur arbor, vt fiat schapha, moritur christus, vt ecclesiæ nauicula construatur: ad ædificationem domus Dei fuit christus destructus, hoc est vulneratus & mortuus. Ita scriptum reliquit in Psalmo 10. diuinus vates: *Quoniam quem perfeciſti destruxerunt, iustus autem quid fecit?* Quem locum diuus Hieronymus de christo interpretatur. Hæc christi proles, hæc christianorum generatio, & fidelium multitudo appellatur ab hoc nostro vate capite nono imperij christi multiplica-
Sup. 6. tio. Ita enim ait *Et vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, &c. Pro multiplicabitur eius imperium*, potest verti ex Hebræo: *Ad multiplicandum eius imperiũ*, vel *multiplicatio principatus eius.* Vbi Esaias pro multiplicatione posuit, le-marbeh cum litera, m, clausa, quæ nunquam nisi in fine dictionis inuenitur. Voluit enim diuinus vates significare hanc generationem & principatus propagationem esse morte christi futuram, quando littera illa magna, clausa, absque fine, retrogrederetur: quando ille, qui est immortalis, moreretur, & qui est immor- D
talis, moreretur, & qui est impassibilis, summos cruciatus pro nobis toleranter ferret, quando ille, qui est sine fine Deus, pro nobis factus homo, nos suo sanguine generaret. Quam generationem admiratus Esaias has voces emisit: Generationem eius quis enarrabit?

c *Quia abscissus est de terra viuentium.)* Hoc est, de hominum familiaritate, de hac vita. Eodem modo Ierem. 11.
apud Ieremiam aiunt Iudæi: *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium.* Acsi dicat: Mittamus crucem, vt hunc, qui panem cœlestem se esse asserit, in ea figamus, eúmque vita priuemus. Reddit rationem quare christus nos erat suo sanguine generaturus, nimirum quia erat auferendus ex hac vita, mortémque pro nobis subiturus. Qui hoc intelligunt de generatione æterna filij Dei, possunt per terram viuẽtium cœlestem gloriã intelligere, vt sit sensus: Quis poterit consequi oratione generationem Messiæ, cùm ipse sit Deus genitus à Patre ab æterno, & de terra viuentium, hoc est, de cœlo descenderit? Appellari autem cœlum terram viuentium indicat Psalmista c. 26. ita dicens: *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Qua de re alibi diffe-
ruimus.

d *Propter scelus populi mei percussi eum.)* Verba sunt Dei Patris, qui dicitur percussisse filium, quoniam eum percuti permisit. Ita intelligitur id, quod E
dicitur in Psal. 68. *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt.* Quem Psalmum Apostoli multis in locis de Christo interpretantur. Et id, quod est apud Zachariam c. 13. *Percute pastorem, & dispergentur oues*: aut, *Percutiam pastorem.* Ita enim diuus Matthæus hunc locum citat capite vigesimo sexto, vbi eum Christus de seipso interpretatur. Aspicis hoc in loco fuisse Deum percussum, vt scelera nostra deleret, & antiqui hostis tyrannidem extingueret. Offenderant homines Deum, erant illi debitores, non poterant per se soluere: venit Christus vt solueret pro illis, volens in redemptione nostra iustitiam suam ostendere. Id iudicauit Paulus Apostolus ita ad Romanos capite tertio scribẽs: *Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quẽ proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore. Hæc Apostolus.* Vbi vides voluisse Dei filium mortem pro nobis subire, E
vt nos redimendo suam iustitiam demonstraret, Nisi esset Deus, remedium non afferret, nisi esset homo, pro nobis non pateretur. Sed ita se ad humanitatis nostræ susceptionem inclinauit, vt manẽs quod erat, assumens quod non erat, formam serui Dei formæ vniret, tantóque fœdere vtramque consereret naturam, vt nec inferiorem consumeret glorificatio, neque superiorem minueret assumptio. Era- figura.
mus mortui, mortuus est Christus, vt nos viueremus. Hoc fuerat in Elisæo mortuo figuratum, Est enim in quarto libro Regum scriptum, quosdam spelientes quendam mortuum vidisse venientes latrones, quorum metu proiicientes cadauer in sepulchrum Elisæi, se in fugam coniecerunt. Cùm autem homo mortuus ossa viri sancti tetigisset, reuixit statim, & stetit super pedes suos. Quis est hic mortuus, nisi homo in peccato viuens? Quod cadauer est hoc, nisi hominum genus vitiis contaminatum? Qui sunt hi, qui illud sepeliunt, nisi depraui appetitus, falsæ voluptates, & nefariæ cogitationes? Hæ homi-
nem non solùm omnibus virtutum ornamẽtis spoliant, grauissimi'sque vulneribus saucium occidunt,

A sed etiam in ipsis peccatis speliunt, latronibus, hoc est, mundo, carni, & diaboli expositum relinquũt. At cœlestis ille Elisæus Christus Deus noster morte sua eum exuscitat, mortuus vitam tribuit, & sepultus resurrectionem operatur. Omnes mortui essemus, nisi tu Christe sancte nobis tua morte vitam tribueres, atque de morte ipsa gloriosè triumphares. Ita enim per Oseam c. 13. prophetam tuum ais: *Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero ô inferne.* Nos verò qui Christiano nomine gloriamur, intueamur mentis oculis Christum pro nobis acerbissimos cruciatus ferentem: respiciamus ad caput nostrum, nec velimus blandis voluptatibus non tradere, deliciisque affluere. Quæ proportio est, quæ congruentia, vt percussio capite, transfixo, & spinis coronato, membra lætitia gestiant? Tollamus igitur crucem nostram, Christúmque ducem nostrum sequamur, si volumus spirituali gaudio perfundi. Non enim possunt duo gaudia, Dei & mundi, in eodem animo simul cohærere. Nam, vt diuus ait Bernardus, errat omnino, qui cælestem illam dulcedinem huic cineri, B diuinum illud balsamum huic veneno misceri posse arbitratur.

e *Et dabit impios pro sepultura.*) Dixerat Deus pater: *Propter scelus populi mei percussi eum*: nunc explicat propheta non solùm in vita, sed etiam post mortem fuisse Christum, à patre percussum. Nam pro *sepultura*, inquit, *dabit ei impios*, hoc est impiorum locum. Quasi dicat: Morietur Christus in monte Caluariæ, ibíque prope crucem sepelietur, vbi impij solent suorum scelerum pœnas luere. Erat enim locus ille suppliciis damnatorum destinatus. Non desunt, qui dicant ideò appellari Caluariam montem illum, vbi vita nostra pependit, propter caput Adami ibi sepulti. At diuus Thomas potius inquit Caluariam vocari propter damnatorum capita, quæ ibi truncabantur, à quibus mons ille nomen accepit. Quæ opinio est satis consona rationi. Erat enim conueniens vt ibi esset defixa crux illa glorioſa, vbi peccata puniebantur, vt intelligeremus eam non solùm Adami peccato, sed etiam totius mundi scelerib̃ remedium attulisse.

f *Et diuitem pro morte sua.*) Hoc est, Dabit Deus pater filio suo Ioſephum ab Arimathæa, hominem C diuitem & honoratum, qui eum mortuum inuoluat in sindone munda, honorificéque in monumento suo sepeliat. Huic expositioni fauet Pagnini versio ita habens: *Et dedit cum impiis sepulturam eius, & cum diuite inter mortuos suos.* Possunt hæc verba ita verti: *Posuit apud impios sepulchrum eius, & cum diuite in morte sua.* Fuisse hæc omnia impleta Euangelica historia testatur.

Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

g *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.*) Hoc est, siquidem subiturus est mortem, vt mũdi peccata deleat, videbit infinitam prolis propagationem: videbit filios suos, quos sanguine suo genuerit, in immensum multiplicare. Accipitur hic anima pro vita, vt multis aliis in locis. Vult prophetæ fructum Christianorũ ostendere post Christi mortem. Vt enim post Isaac immolationem fuit à Deo promissa Abrahamo generis multiplicatio instar stellarum cœli & maris arenæ, & vt in eius semine omnes gentes benedicerentur, per quod semen diuus Paulus intelligit Christum, sic post Christi mortem fuerunt Christiani multiplicati, & populi multi in ecclesia spiritualiter geniti. In Psal. 86. vbi cõmunis editio habet: *Ecce alienigenitæ, & Tyrus populus Aethiopum, hi fuerunt illic.* Pro *hi fuerunt illic*, habet versio diui Hieronymi ex Hebræo: *Iste natus est ibi.* Quasi dicat: Populus harum gentium fuit in ecclesia per spiritualem generationem natus. De qua generatione dixit in loco capite paulò antè Esaias: *Generationem eius quis enarrabit?* Volẽs autem modò huius generationis propagationem ostendere ait: Quoniam se Christus est hostiam pro peccato in crucis ara immolaturus, videbit semen longæuum.

Gen. 22. figura Gal. 3.

h *Voluntas Domini in manu eius dirigetur.*) Hoc est, voluntas Patris, quæ est vt genus humanum redimatur, in manu Christi ordinabitur, eiúsque morte implebitur.

i *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit.*) Subaudi semen longæuum. *Et saturabitur*, subaudi eo cibo, de quo ipse ait apud Ionnem c. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.*

k *In scientia sua iustificauit ipse iustus seruos meos multos.*) Pro *iustificauit* habent nonnulli codices ad marginem, *iustificabit*, & alij etiam in textu. Et pro *seruos meos*, habent, *seruus meus*. Et rectè quidem, nam in E Hebraico est עבדי audhi in singulari: sed vitio typographorum existimo effectum fuisse vt pro, seruus meus, seruos meos scriberetur. Est igitur sensus: Ipse iustus, qui est Christus, quem ego pater seruum meum ratione humanitatis assumptę appello, in scie-tia sua iustificabit multos. Animaduerte. Nõ ait: Hic doctus concionator in scientia sua acquiret reditus, dignitates, episcopatus: sed *iustificabit multos.* Euangelicus concionator non debet scientia sua mundi diuitias quærere, sed animas.

l *Ideò dispertiam ei plurimos.*) Hoc est propterea dabo illi partem in multis. Verba sunt Dei patris aientis in Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Septuaginta habent: *Propterea ipse possidebit multos*, nimirum Christus.

m *Et fortium diuidet spolia.*) Homines, qui erãt dæmonis spolia, liberabit, eósque diuidet: nam alios faciet Apostolos, alios Euãgelistas, alios martyres, alios confessores, alios virgines, alios matrimonio copulatos, alios præsules, alios subditos. Et ita varij munera exercebunt. Si in naui omnes idem facerent, F obrueretur absque dubio. Vt enim opus est vt hic sedeat in puppi gubernaculum tenens, ille stet in prora longè perspiciens, quidã remis incumbant, quidã ad mali summitatem ascendant, alij velum teneant, alij sententiam exhauriant, alij alia munera exerceãt: sic in Ecclesia diuersa sunt munera, pro diuersis hominum qualitatibus gerenda: nec debent omnes in idem studiũ incumbere, nec ad eandẽ actionem properare. Si rex voluerit tota die contemplari, neque audiens subditos, nec illis cõsulens, & necessaria prouidens, malè quidem aget. Etsi enim cõtemplatio & mentis actio excellentissima, qua nulla est suauior, præstantior, & permanentior, non tamen conuenit regi, ita se illi dedere, vt regni sibi traditi gubernationẽ relinquat. Desinat his perpetuam contemplationem, qui se ab humanis negotiis separarunt, animũque à sensibus reuocauerunt. Contrà verò qui se totos Deo dedicarunt, nolint se mundi negotiis implicare, quin potius in diuinarum contemplationẽ toto pectore incumbant, atque in solitaria tranquillitate, animíque quiete, ad quam se tanquam ad portum receperunt, permaneant. Et ita vnusquisque suum honestum officium exerceat. Illud est præterea aduertendum, dæmones hoc in loco fortes appellari, à quibus Christus abstulit spolia, quæ, vt hic Esaias prædixit, diuisit. Id significauit Christus apud Lucam capite vndecimo, ita dicens: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet: si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.*

n Et

An *Et cum sceleratis reputatus est.*) Id est, inter duos latrones crucifixus. Hunc locum ipsemet Christus apud Lucam cap. 22. de seipso interpretatur. Diuus Marcus c. 15. etiam ita inquit: *Et cum eo crucifixerunt duos latrones, vnum à dextris, & alium à sinistris. Et impleta est scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est.* Sunt præterea in hoc capite multa loca, quæ Apostoli de Christo interpretantur.

Luc. 23. o *Et pro transgressoribus rogauit.*) Dixit enim in cruce. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Vide vltionem & iustitiam, quam postulat. Docuerat discipulos vt orarent pro persequentibus & calumniantibus eos, vt est apud Matthæum capite quinto: nunc ostendit exemplo id, quod verbis docuerat. Docet Christus præsules & concionatores, vt in eas virtutis actiones incumbant, ad quas fuerint alios exhortati. Sunt qui existiment sat esse, alios in viam dirigere, cùm ipsi nolint ab inuio vitiorum nemore exire, quam eorum opinionem magni errores consecuti sunt. Vide quàm apertè Christi saluatoris nostri passionem prædixerit hoc capite Esaias. Est-ne hoc vaticinium an Euangelium? Quid ad hæc Iudæi poterunt respondere? Totam summam passionis

B Christi hoc capite diuinus noster vates breuiter des- *similitudo*
cripsit. Vt enim qui vult orbem vniuersum in parua tabula describere, satis esse existimat præcipias mundi partes delineare, sub quibus multæ particulares regiones continentur: sic sanctus vates volēs omnes Christi cruciatus describere, sat esse duxit, in hoc capite tanquam in quadam tabella deliniare summam

Mat. 27. quandam, sub qua multa comprehenderetur, quæ Euangelistæ particulariter explicarunt. Sed aduerte obsecro. In domo Præsidis interrogatus Christus tacet, & in cruce non requisitus loquitur, atq; pro trāsgressoribus orat. Quid est hoc Domine Iesu? Ductus ad crucem obmutescis, vt modò aiebat Esaias: *Sicut ouis ad occisionem ductus, & quasi agnus coram tondente se obmutescet:* & coram Pilato & Herode, vbi agitur de vita tua, siles, in cruce verò, vbi agitur de salute nostra etiam non interrogatus voces emittis. Quid est hoc, nisi demonstrare tuam erga nos immensam charitatem, amorisque illius admirabilis in hominū genus quo summè flagrabas, celsitudinem & abundantiam? Pluris nostram salutem quàm vitam tuam faciebas, ideò pro trāsgressoribus exorabas. Quis audiuit vnquam talem amorem? Quis non admirabitur tam infinitam charitatis magnitudinem? Si eum, qui se pro patria telis hostium obiecit, ciues summè di-

C ligere tenentur: quanto ardentius tenemur nos te amare Domine Iesu, quàm incredibili singulariq; erga te amoris amplitudine exardescere, qui non pro vna patria tantùm, sed pro vniuerso mundo te salutarem hostiam deuouisti, crucisq; morti acerbissimæ obtulisti, vbi extrema propè verba ad veniam salutémque à Patre petendam pro iniquis & trāsgressoribus reseruasti? Discamus nos hinc charissimi mei pro hostibus & calumniantibus precationes ad Dominum fundere. Imitemur Christum cœlestem doctorem, qui non vltionem à patre hostium suorum, sed veniam postulauit. Hinc colliges quantum illis D
desit Christianæ charitatis, qui ad exitum vitæ vocati dimittere iniurias nolunt, quin potius interruptis iam ac morientibus vocibus vltionem se desiderare significant.

Totum hoc caput exponit de Messia R. Moyses Gerundiensis explicans id, quod est capite vigesimo quarto Geneseos scriptum: *Et introduxit eam Isaac.* Et R. Iesue Galilæus, & alij nonnulli Hebræorum Rabbini. Sed in hoc à nobis distant, quòd illi Messiam venturum expectant, nos verò eum venisse firmiter testamur. Sed quoniam ex illis nonnulli libros nostros legentes, historiásque veteres cum illis conferentes, vident planè hæc omnia, quæ Esaias huic capiti mandauit, & de Messia prædixit, Christo nostro conuenire, aiunt prophetam hoc in loco non de Messiæ, sed de populi Iudaici afflictione fuisse vaticinatum. Vt nobis possent respōdere, in suáque pertinacia perseuerare, hanc inuenerunt euasionē, stultam illam quidem, fragilem, falsam nulliúsque momenti. Huius opinionis inuentores fuerunt R. Salomon & R. Andreas fingentes hanc Esaiæ vaticinationem esse de Iudæorum miseriis & calamitatibus, de quibus propheta, acsi vnus homo esset in misera E
captiuitate constitutus, vaticinatur. Hanc falsam opinionem cōuincit non solùm antiquorum Hebrǫorum sententia, sed etiam paraphrasis Chaldaica, tantæ authoritatis apud eos, vt nullus eam vnquam negauerit. Præterea quomodo potest Iudæorum populo conuenire id, quod hic ait propheta: *Generationem eius quis enarrabit? cùm eius generatio in lege Moysi apertè demonstretur?* Item quî fieri potest, vt de illo hæc verba dicantur: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra,* cū constet non solùm ex veterum prophetarum oraculis, sed etiam ex ipsorum historiographo Iosepho, recentiúmque annalium memoria, eos ob sua incredibilia scelera fuisse patria pulsos, euersos, captiuos, atque in omni dedecore ignominiáque versatos? Deinde quomodo illis id poterit conuenire: *Oblatus est quia ipse voluit: sicut ouis ad occisionem ducetur, & illud. Et pro transgressoribus exorauit,* cùm ipsi inuiti fuerint capti & afflicti, & in suis synagogis cotidie in Christianos contumelias & maledicta iaciant? Po-

F stremò quis erit tam cæcus, qui non intelligat non posse ad Hebræorum populum referri id, quod hic ait diuinus vates: *Eò quòd iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore eius,* cùm non solùm Iudæi, sed etiā Christiani sæpe numerò incidant in peccata? Quid dicam de iniusto cùm de iusto dicat in Prouerbiis c. 24. Salomon: *Septies in die cadit iustus? Si dixerimus,* inquit diuus Ioannes, *quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Cùm igitur hæc non possint Iudæorum populo accommodari, imò Christo, ad quem ea Apostoli retulerunt, aper- *1. Ioan. 1.*
tissimè conueniant, necessariò concluditur falsam esse & commentitiam hanc Iudæorum opinionem, contrà verò veram esse & perspicuam Christianorū in huius capitis explanatione sententiam.

ANNOTATIO.

1 De angustia & de iudicio sublatus est.] *Pro de angustia est in Hebraico* מֵעֹצֶר *meotsar, quod nomen retentionem & carcerem significat. Ideò poterat hic locus ita verti:* A carcere & à sententia sublatus est de medio: *vt sit sensus: Statim post vincula & Pilati sententiam eum occiderunt. Explicat propheta Iudæorum in Christi cæde celeritatem: quæ fuerat etiam in festinatione illa figurata, qua Hebræi agnum paschalem comedebant: Ita enim ait scriptura Deum illis dixisse:* Comedetis festinantes. *Fuisse autem agnum illum Christi figuram, indicat apertè diuus Ioannes capite decimonono sui euangelij.* *Exo. 12.*

Argumentum capitis LIIII.

Vaticinatus fuit Esaias capite superiore de Christi morte. Et quoniam eum mentis oculis intuebatur suo sanguine pro nobis fuso esse multos filios geniturũ, ideò agit modò de vocatione Gentium, prædicens plures ex illis quàm ex Hebræis esse fidem recepturos. Et quamuis gentilitas esset sterilis absque fide, spe, & charitate, eam tamen consolatur, quòd breui plures filios habitura sit, quàm Hebræorum synagoga. Prædixit Dei misericordiam nunquam esse ab ecclesia separandam, neque fœdus pacis Dei cum ecclesia initum vnquam infringendum.

CAPVT LIIII.

Luc.23.d. Gal.4.d. LAuda[a] sterilis, quæ non paris: decanta laudem, [b] & hinni, quæ non pariebas: [c] quoniam multi filij desertæ magis quàm eius, quæ habebat virum: dicit Dominus. [d] Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne pereas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. Ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis: [e] & semen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit. Noli timere, quia non confunderis, nec erubesces, non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ obliuiscēris, & [f] opprobrij viduitatis tuæ nō recordaberis amplius. Quia dominabitur tui, qui fecit te Dominus exercituum nomen eius, & redemptor tuus sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur. [g] Quia vt mulierem derelictam & mœrentem Spiritu vocauit te Dominus, & vxorem ab adolescentia abiectam, dixit Deus tuus. [h] Ad punctum in modico dereliqui te, [i] & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus. Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui iuraui, ne inducerem aquas vltrà super terram, [k] sic iuraui, vt non irascar tibi, & non increpem te. [l] Montes enim commouebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur dixit miserator tuus Dominus, [m] Paupercula tempestate conuulsa, absque vlla consolatione. [n] Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. [o] Vniuersos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filiis tuis. Et in iustitia fundaberis: [p] recede procul à calumnia, quia non timebis: & à pauore, quia non appropinquabit tibi. [q] Ecce, accola veniet, qui nō erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi. [r] Ecce, ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum, & ego creaui interfectorem ad disperdendum. Omne vas quod fictum est contra te, non dirigetur, & omnem linguam resistentem tibi [s] in iudicio, iudicabis. [t] Hæc est hæreditas seruorum Domini, & iustitia eorum apud me, dicit Dominus.

Sup. 26. Gen.9.b.

Ioann.6.e.

EXPLANATIO.

a *Lauda sterilis.)* Primitiuam ecclesiam ex Gentibus & aliquibus Iudæis cōgregatam comparat propheta mulieri sterili, quoniā respectu synagogæ paucos habebat filios. Potest hoc referri ad ipsam Gentilitatem, quæ nullum habebat prophetam, nullum fidelem, quam hoc in loco Esaias consolatur, quoniā innumeros ac propè infinitos filios habitura esset, qui Christum reciperent. Quibus Christus *dedit potestatem filios dei fieri*, vt Diuus Ioannes c.1. testatur.

b *Hinni.)* Hoc est, exulta, & prorumpe in iubilum. Hinnire est propriè equorum, ad victoriam præ lætitia exultantium, sed ad homines etiam metaphoricè refertur.

c *Quoniam multi filij deserti magis quàm eius quæ habebat virum.)* Alludit ad Saram sterilem, & Agar fœcundam. Nam Sara peperit Isaac, qui fuit per repromissionem, & inde dimanauit proles infinita. Filius autem Agar secundum carnem natus est, qui erat filius ancillæ, Sara autē libera erat. Sed hæc sunt duo testamenta, vt ait in epist. ad Galatas c.4. Diuus Paulus. Per Agar ancillam & fœcundam intelligitur synagoga, & vetus testamentum, per Saram verò liberam & sterilem, quæ peperit per diuinā repromissionem, & infinitam propè multitudinem genuit, intelligitur testamentum nouum, & Christi ecclesia, quæ cùm prius esset sterilis Gētilitas, multò plures filios peperit, quàm synagoga. Et quoniā synagoga erat ob eius scelera reiicienda, voluit Deus vt Agar cū filio suo reiiceretur, Sara autē cū filio suo domi maneret, in figura earū rerū, quæ posteà erāt venturæ. Ideo D. Paul. in epist. ad Gal. hunc Esaiæ locū sub nomine Saræ de ecclesia, sub nomine vero Agar de synagoga interpretatur. De Ecclesia dixerat suprà Esaias: *Lætabitur deserta & inuia, exultabit solitudo.* De synagoga verò ait Ieremias c.15. *Infirmata est quæ peperit septem, defecit anima eius, occidit ei sol, cùm adhuc esset dies.* Per septem intelliguntur multi: ponitur enim numerus finitus pro infinito. Quemadmodum lib. 1. Regum ait Anna: *Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est.* vbi pro plurimis litera Hebraica habet septē. Hæc igitur sterilis est Ecclesia, de qua dicitur in Psalmo 112. Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem.

Gen.21.

Sup.35.

d *Dilata locum tentorij tui.)* Id est, Extende ô ecclesia tentorium tuum, nequaquam Iudaici tabernaculi imiteris angustiam, sed dilata cortinas & pelles tabernaculorum tuorum. Ostendit iis verbis multitudinem fidelium, & ecclesiæ per totum orbē terrarū propagationē. Sed animaduerte. Non tribuitur ecclesiæ domus, sed tentorium, in quo non est firma & perpetua permansio. Nō enim habemus hîc, vt verbis vtar Diui Pauli, *manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Qui habitant in tentoriis, non ibi commorantur, sed ad vlteriora festinant. Ita de Christianis dicitur: *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.*

Heb.13.

Psal.83.

e *Se-*

A e *Semen tuum gentes hæreditabit.)* Hoc est filij tui possidebunt nationes remotissimas,eásque ad fidem conuertent.Id vidimus & nostra & patrum nostrorũ memoria apertissimè impletum. Iussu enim Emanuelis Lusitanorum regis inuictissimi, eiúsque filij clarissimi Ioannis, qui non solùm regni, sed etiam pietatis patris,eiúsque religionis,& animi præstantiæ & magnitudinis, fuit hæres, lustrarunt Lusitani terras anteà ignotas,& abstrusas, aliósque terrarum orbes, quos Alexander magnus non posse consequi ægrè ferebat, penetrarunt, earúmque gentes barbaras & infideles superarunt,& ad fidẽ Christi conuerterunt. Has gentes possident modò Christianissimi Lusitaniæ reges,qui Orientis oras,& ditissimam Indiam,& suis & maximorum regum præsidiis, opibúsque munitam, vicerunt & in suam potestatem redegerunt, atque crucis trophæa in regionibus immenso spatio à Lusitania distantibus, è potentissimorum hostium faucibus ereptis,collocarũt. Hi Christianissimi principes & alij huiusmodi sunt semen atque filij Ecclesię,de quibus ait hoc in loco Esaias alloquens ipsam Ecclesiam:*Semen tuum gentes hæreditabit.*

f *Et opprobrij viduitatis tuæ.)* Gentilitas Deum de-
B reliquerat,& ideò vidua appellabatur. Sed cùm Euangelium recepit,& Christo adhæsit,non vidua,sed sponsa Christi appellatur. Synagoga verò est vidua, & à Deo derelicta,imò mortua & sepulta. Hos duos populos Gentium & Iudæorum significauit Deus apud Zachariam ca.11. per duas virgas,quarum vnam appellat Deus decorem,alteram funiculum.

g *Quia vt mulierem derelictam & mœrentem spiritu vocauit te Dominus,& vxorem ab adolescentia abiectã.)* Fuisti quondam veluti vxor Deo adhærens,& legem naturalem adimplens,sed ob delicta tua fuisti à Deo derelicta,& in adolescentia tua repudiata. Nunc verò vocat te idem Deus quasi dolentem spiritu ob tuum repudium & abiectionem.

h *Ad punctum in modico dereliqui te.)* Dereliquit Deus gentilitatem, sed posteà misertus eius eam in aduentu suo ad se vocauit, & adduxit. Et totum illud tempus,punctum appellat. Vbi vides totam hanc vitam comparatione æternitatis punctum esse, & tãquam nihil. Id voluit diuinus vates significare dicẽs in Psalmo 38. *Et substantia mea tanquam nihilum ante te.* Substantia enim hoc in loco accipitur pro subsistentia seu vita. Quod intelligens diuus Hieronymus vertit: *Et vita mea quasi non sit in conspectu tuo.* Id apertè sensit Seneca, qui in epistola quadragesimano
C na ad Lucillum, Punctum,inquit, est quod viuimus. Et Cicero ætatem volare affirmat in prima quæstione Tusculana, vbi etiam afferens ex Aristotele nasci quasdam bestiolas apud Hypanem fluuium, quæ vnum diem tantùm viuãt,inquit,hominum ætatem etiam longissimam cum æternitate collatam,eandem propemodum cum his bestiolis breuitatem habere. Contemnamus igitur mundi vanitates & ineptias, totámque vim bene viuendi in animi magnitudine, & rerum humanarum despicientia & tolerantia, & Christiana nobilitate, & in omni denique virtute ponamus. Poteris hoc ad animam referre, quam Deus permittit in calamitates & dolores incidere,vt laboris pondere pressa ad Christum suauissimum sponsũ conuertatur. Vide immensam Dei pietatem. Calamitas,qua fideles premit,est breuis, at gloria, quam illis ttibuit,est sempiterna. Id intelligens Apostolus in epistola secunda ad Corinthios cap.4. *Id enim,* inquit, *quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ,supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

i *Et in miserationibus magnis congregabo te.)* Homo absque Dei gratia est dispersus, ea verò est vnitus & congregatus. Aqua cadens ex alto si vnitur & con- D
gregatur,ascendit per fistulam aut canalem vsque ad *simile.*
altitudinem loci,ex quo descendit. Sed si fons ille clausus,in quo aqua colligitur, habeat infrà aliquod foramen,non ascendit aqua,sed tota diffunditur, aspergitur,& amittitur: sic anima si in se vnitur & cõgregatur,ascendit vsque ad cœlum dicens cum Paulo: *Nostra conuersatio in cœlis est,* si autem fuerit velu- *Philip. 3.*
ti in fundo perforata,si se in varias cogitationes inutiliter diffuderit, nequaquam ascendet, sed tota dispergetur,& dissipabitur. Ideò diabolus conatur animam nostram dispergere & diffundere. At officium Dei est eam in miserationibus magnis congregare. Qua de re fusè capite vndecimo & decimonono disseruimus.

k *Sic iuraui, vt non irascar tibi.)* Id est, Vt iuraui Noe, non me inducturum esse iterum diluuium, sic tibi ô Ecclesia mea iuro, me nunquam te esse derelicturum. Aspice Dei nostri admirabilem clementiam.

l *Montes enim commouebuntur.)* Verba sunt,quibus Deus Ecclesiam alloquitur,quorum sensus est: Hoc quod tibi iuraui, nempe nunquam te esse derelicturum,est absque dubio verissimum. Nam prius montes commouebuntur,& aliò se transferent, & colles contremiscent, quàm ego te deseram. Nunquam e- E
nim misericordia mea à te recedet,neque fœdus meũ tecum initum rumpetur. Aspicis quàm apertè Deus promittat Ecclesię suę nunquam eam esse derelicturum: Ait enim:*Montes commouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur.* Hæc non dicuntur synagogæ,quam videmus esse à Deo derelictam,sed Ecclesię, de qua diuus Paulus hoc caput in epistola ad Galatas c.4.interpretatur. Et ipse Christus Deus noster ex hoc capite deprompsit id, quod apud Ioannem c. 6. ait: *Et scriptum est in prophetis: Erunt omnes docibiles Dei.* Quibus verbis ostendit se esse Deum, qui venit,vt homines doceret, & Ecclesiam constitueret. Cùm igitur Deus hoc in loco manifestè promittat,nunquam misericordiam suam esse ab Ecclesia separandam,nec fœdus eius cum ea vnquam esse rumpendum,qui fieri potest,vt verum sit id,quod ait Lutherus, mille ab hinc annis & amplius non fuisse in Ecclesia fidem, & ipsum modò venisse, vt fidem, & veram doctrinam doceret, quibus anteà Ecclesia erat destituta? Si in Ecclesia non erat fides, nec vera *Heb. 11.*
doctrina,cùm *sine fide,* vt ait Paulus,*impossibile sit placere Deo*, profectò Ecclesia erat à Deo derelicta, & misericordia Dei ab ea separata, & ruptum pactum ac fœdus pacis & amoris Dei cum Ecclesia sua. Et F
ita falsum est id quod hoc in loco Deus Ecclesię suę promittit. O miserum Lutherum, ô hominem subuersum & furiosum! Quis non videt tam pestiferam blasphemiam? Vis Luthere vt omnes te veracem existimẽt,& tu facis Deũ mendacẽ? Dicis Ecclesiam fuisse à Deo mille annos & amplius derelictam, cùm Deus hìc iuret eam nunquam esse ab eo derelinquẽdam. Ais nulla sacramenta conferre gratiam, summum Pontificem non esse Catholicæ Ecclesiæ pastorẽ,nec caput,omnésq; Ecclesię doctores vitę sanctimonia & sapientia præstantes nihil dixisse solidi, nihil veritatis,omnes errasse in fide,& Ecclesiam hactenus fuisse in tenebris & erroribus versatam. Nam cùm Ecclesia semper tenuerit, sacramenta conferre gratiam, & summum pontificem esse Christi vicarium,Ecclesiæ pastorem & caput,& petram illam su- *Matt.16.*
per quam Christus ædificauit Ecclesiam, & ita asseueranter affirment omnes patres, & sancti doctores, & sit ita in vniuersalibus conciliis assertum & decretum, & literis ac perpetuis monimentis consignatũ,

A & tu modò dicas omnia hæc,& multa alia,quę Eccle sia firmiter tenet,& apertè confitetur, esse meras nugas, mera figmenta , & hęreses intolerabiles, apertè dicis Ecclesiam fuisse à Deo destitutam,& à veritate alienatam. Illam Christi Ecclesiam, pro qua ille acer bissimos cruciatus tulit,& sanguinem fudit, obediēs
1.Thi. 3. vsque ad mortem,mortem autem crucis,quam diuus Paulus appellat columnam & firmamentum veritatis, appellas tu scholam mendaciorum , errorum, et hęresum. Illam dicis versari in erroribus , quæ habet spiritum sanctum perpetuum magistrum et instructo
Mat. 28. rem. Et Christum ab Ecclesia tollere moliris , cùm
Luc. 22 ipse planè testatus sit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus*
Ioan. 14. *diebus vsque ad consummationem seculi.* Et Petro Apo stolorum principi,*Ego*,inquit,*rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Et Apostolos,qui tunc erant Ecclesia, alloquens,*Ego*,inquit,*rogabo patrem,& alium paracletum dabit vobis,vt maneat vobiscum in æternum , spiritum veritatis.* Aspicis hic Luthere Christum dicentē semper cum Ecclesia esse,et fidem Petri, quæ est Ecclesiæ fides, nunquam defecturam , et Spiritum sanctum , qui est consolator , et spiritus veritatis, nunquam discedere ab Ecclesia, sed semper eam consolari et docere. Si Christus semper est cum Ecclesia sua,si fides Ecclesiæ nunquam defuit, nec deficiet, si Ecclesia habet Spiritum sanctum perpetuum doctorem,et magistrum,et consolatorom,quomodo audes
B tu tam impudenter asserere Ecclesiam esse à Deo destitutam,et nec esse in ea fidem,nec Spiritum sanctū, sed superstitiones,nugas,mendacia,errores, et hæreses pestilentes? Si Deus synagogam minus dilectam septuaginta duntaxat annos in Babylonica corporeá que captiuitate reliquit, quí fieri poterat , vt Ecclesiam suam dilectissimam sponsam mille & ducentos annos in Babylonica spiritualique captiuitate relinqueret ? Sed hoc ideò ais , quia cùm ab ipsa Ecclesia exieris & apostataueris, eam vis conuiciis vulnerare. Contemnis sanctos eius patres , irrides vniuersalia concilia ritè congregata, totius Ecclesiæ tot retro seculis confirmatam consuetudinem pro nihilo ducis, truncas diuinas scripturas, quarum alias penitus negas,alias deprauas & contorques:& ad id superbiæ & amentiæ venisti , vt ipsam Dei Ecclesiam maculare contendas, asserens eam esse obscuram Deóque inimicam vsque adhuc,& sine fide , & veritate, cùm illi dicat in Canticis ca.2. Christus : *Surge propera amica mea,columba mea,formosa mea.* Ad hanc misit Christus sponsus eius Spiritum sanctum,qui eam omnem veritatem doceret,& apud eam maneret in æternum,vt
C fœdus Dei cum illa semper duraret,quod hoc in loco ipse Deus per Esaiam promittit. Quid poteris respondere Luthere ad tam aperta loca sacrarum scripturarum,quæ contra te pugnant , imò te ipsum expugnant,& hæreses tuas penitus euertunt ? Sed cùm iam subuersus sis,& tuo proprio iudicio condemnatus,quod diuus Paulus in epistola ad Titum c.3.de omni hæretico tibi simili affirmat,post secundam correptionem in sua hæresi permanente , non miror te non resipiscere. Sed miror, doleo, & ægrè fero esse tot homines,qui tuis diabolicis fraudibus obtemperent , & tuas pestilentissimas hæreses amplectantur. O cæci , stupidi, ac insensibiles Lutherani , qui tam crassas & palpabiles tenebras non sentitis ! Nónne videtis vestrum Lutherum Deum facere mendacem? Dicit Deus nunquam Ecclesiam suam derelicturum in æternum,& ipse asserit eam fuisse mille & tot annos à Deo derelictam,sine fide,sine veritate. Potéstne aliquid dici absurdius ? Quod fuit vnquam figmentum tam falsum,tam ineptum,tam ab omni, nó solùm ratione, sed etiam rationis simulatione abhorrens,& penitus alienatum ? O cæcitatem & crassitiē admirabilem,& insaniam deplorandam! Christe sanD cte qui pro hominum genere sanguinem tuum precioſum in crucis ara immolatus fudisti,ne permittas tot homines perire : aperi eorum oculos aliquando, vt suos errores videant & plorent , & ad Ecclesiam tuam redeant,atque ad te ipsum conuertantur.

m *Paupercula tempestate conuulsa.*) Alloquitur nūc Deus Ecclesiam suam, priusquam crederet ,tunc enim cùm esset Gentilitas,sine virtutum diuitiis,pauper erat,& tempestate conuulsa,hoc est, instabilis sine fundamento , inter varios idolorum errores fluctuans & versans , & ab omni diuina consolatione destituta. Septuaginta pro *tempestate conuulsa* verterunt *instabilem.*

n *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos.*) Ego te Ecclesia ædificabo tanquam vrbem regiam ex lapidibus preciosis,fundatam in sapphiris. Propugnacula tua erūt ex iaspide,& portæ tuæ ex lapidibus sculptis,& fines tui ex lapidibus expetibilibus & excellentibus. Quasi dicat: Reddam te similem preciosissimo,excellentissimo,& pulcherrimo ædificio. Describit propheta magnificentiam , firmitudinem , & fœlicitatem Ecclesiæ. Lapides huius ciuitatis sunt E viri fideles sapientia ornati,& virtutibus muniti. Fūdamentum verò primarium est Christus,vt asserit diuus Paulus in epistola prima ad Corinth. ca.3. Sed cùm Beatus Petrus sit Christi vicarius , eúmque ipse Christus Petrum appellauerit,cùm anteà Simon appellaretur , est sine dubio ipse Petrus Ecclesiæ fundamentum. Idcò enim nomen ab ipso Christo deriuatum accepit. Christus enim: vt diuus Paulus asse-
1.Cor.10. rit,petra est. Aequum enim fuit , vt Christi nomen
Ioan. 21. acciperet ille,cui Christus vices suas commisit,& cui
Math.26 dixit,vt agnos suos ac oues suas pasceret, quem denique Apostolorum principem constituit. Hic est ille,cui Christus dixit : *Tu es Petrus , & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vbi vides esse Ecclesiam super Petrum ædificatam. Ita hunc locum explanat diuus Hieronymus in commentariis in Matthæum. Et diuus Augustinus libro contra epistolam Donati,& inter sermones de tempore sermone xvj. & de sanctis sermone xxvj. Et diuus Ambrosius sermone xlvij.de fide Petri. Et diuus Gregorius libro sexto Epistola 37. ad Eulogium. Et diuus Ioannes Chrysostomus Homilia 55. in Matthæum. Et diuus Basilius aduersus Eunomium. Et omnes denique patres tam Latini,quàm Græci super Petrum esse Ecclesiam Christi ędificatam asseueranter contestantur. F Quanquam Lutherus id neget articulo vigesimoquinto suarum hæresum. Sed dicat ipse quid velit, nos habemus contra eum omnes patres & sanctos doctores, concilia, pontificum decreta , Ecclesiæ antiquissimam consuetudinem, & ipsas sacras scripturas eum confundentes,& suas pestilentes hæreses apertissimè damnantes. Illud est aduertendum non dixisse Deum:Ego sternam lapides tuos: sed, *Ego sternam per ordinem lapides tuos* : vt intelligas in Ecclesia omnia esse ordinata.

o *Vniuersos filios tuos doctos à Domino.*) Christus Deus noster apud Ioannem c.6. *Scriptum est*, inquit, in Prophetis: *Erunt omnes docibiles Dei.* Vbi ex hoc loco Esaiæ,& aliis,ostendit se esse Deum,qui docet veritatem in Ecclesia sua. Vbi hunc locum de Ecclesia interpretatur. Quod paulò antè dicebam.

q *Recede procul à calumnia , quia non timebis.*) Id est,tam tuta eris à calumnia,vt eam non timeas. Vel sic: Si vis hostes non timere, recede ab iniquitate.

q *Ecce,accola veniet,qui non erat mecum.)* Id est, Ad te ô Ecclesia venient illi,qui mecum nō erant, quoniam idola colebant. Id prædixit etiam Deus his verbis per Oseā c.2. prophetam: *Et dicam non populo*

meo

A *meo, populus meus es tu: & ipse dicet: Deus meus es tu.* Ita illum locum diuus Peulus in epistola ad Rom. c. 9. Rom. 9 1 Pet. 1. interpretatur. Et diuus Petrus in 1. sua epistola ad hunc locum alludit.

r *Ecce ego creaui fabrum.)* Per fabrum prunas incendentem, & instrumenta aduersus Ecclesiam conflantem, diabolus intelligitur, cum omnibus hæreticis. Instrumenta bellica, quibus Ecclesia oppugnatur, sunt hæreses. Alloquitur igitur Deus Ecclesiam suam in hunc modum: Vt ego creaui fabrum, qui aduersus te arma conflet, sic creabo protectores, qui te defendant, & arma diabolica confringant, & hæreticos confundant & euertant. Hi hæreticorum interfectores sunt doctores Catholici, pro fide Christi pugnantes quemadmodum nostris temporibus præter multos alios fuit sanctus ille sapiénsq; Ioannes Rofensis decus Angliæ, nostręque memorię clarissimum lumen, qui non solùm aduersus hæreticos libros eruditissimos scripsit, sed pro fide Christi se immanissimi tyranni telis obiecit, atque erecto inuictòque animo mortem acerbissimam tulit. D

s *In iudicio iudicabis.)* Hoc est, cunctos hęreticos tuo iudicio condemnabis. Habes hîc euidentem locum in quo Deus asserit Ecclesiam habere potestatẽ iudicandi hęreticos, eósque suo iudicio condemnãdi. Cùm igitur vos ô Lutherani sitis ab Ecclesia iudicati & damnati, cur non resipiscitis, & misericordiam petitis? Si enim ab hæresibus desiteritis, ipsa Ecclesia pia mater vos recipiet, & cum Catholicis coniunget.

t *Hæc est hæreditas seruorum Domini, & iustitia eorũ apud me.)* Sensus est, Hæc Ecclesia Catholica erit domus & receptaculum fidelium, extra quam nulla est fides, nulla iustitia. Iustitia autem seruorum Domini est apud ipsum Dominum, qui eam videt, vt pro ea viris iustis gloriam tribuat immortalem.

ANNOTATIONES
ex Hebræo in
CAPVT LIIII.

1 Lauda sterilis.] *In Hebraico est* לֹא רֹנִי *roni, à verbo* רָנַן *quod significat inter alia lætari. Vnde Septuaginta ver-* B *terunt*: Lætare sterilis. *Et ita diuus Paulus hunc locum citat in epistola ad Galatas. ca. 4. Hanc rationem secuti quidam vertunt*: Exulta sterilis.

2 Et in miserationibus magnis congregabo te.] *Pro* cõgregabo te, *est in Hebræo verbum* צָבַק *Kauats, quod significat congregare & colligere. At Septuaginta verterunt*: Et in miserationibus magnis miserebor tui. *Cum verbum hoc talem significationem non habeat. Sed quoniam eius miseretur Deus, quem congregat, ideò pro congregare, misereri posuerunt. Intellexerunt enim in idem ferè coincidere misereri & congregare. Hac ratione* E *etiam illud Psalmi 30. vbi litera Hebraica habet*: Dominus autem congregauit me, *verterunt ipsi*, Dominus autem assumpsit me. *Ille qui est dispersus, & in diuersas mũdi curas diffusus & distractus, est à Deo demissus, iuxta id quod ille dicit in Psalmo*: Dimisi eos secundũ desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. *At cum Deus eum congregat, & in vnum colligit, & adunat, eum assumit, eiúsque miseretur.*

Argumentum capitis LV.

Exhortatur Propheta, & inuitat ad animæ salutem eos, qui eius desiderio tenentur. Hanc autem animæ salutem appellat aquas, per quas intelligitur Euangelium, & gratia, & omnis animæ refectio. Arguit eos, qui vera doctrina contempta in res inanes & inutiles studium & operam conferunt. Indicat Christum esse nostrum ducem & præceptorem. Hortatur peccatores ad quærendum Deum, & ad scelera omnia derelinquenda. Et tandem prædicit infidelium ad fidem conuersionem.

C

CAPVT LV. F

OMnes [a] sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, [b] properate, [c] emite & comedite: venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione [d] vinum & lac. [e] Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in satu- Ecc. 51. d ritatem? [f] Audite audientes me, [g] & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, & venite ad me: [h] audite, & viuet anima vestra, [i] & feriam [l] vobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fidélis. [k] Ecce testem populus dedi eum, [l] ducem ac præceptorem gentibus. [m] Ecce gentem quam nescièbas, voca- Act. 13. c bis: & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current propter Dominum Deum tuum, & sanctum Israel: quia glorificabit te. [n] Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est. [o] Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, [p] quoniam multus est ad ignoscendum.

EXPLANATIO.

a *Omnes sitientes venite ad aquas.)* Vaticinatus fuerat propheta capite superiore de gentium vocatione ad fidem. Et quoniam id futurum erat verbi Dei prædicatione, ideò nunc ad eam audiendam omnes desiderantes inuitat & exhortatur. Acsi dicat: Venite omnes sitientes ad Euangelium, ad diuina verba audien-

1. Cor. 10. Ioan. 21. Math. 26

A dienda,ad eas pleniſſimas & ſaluberrimas aquas gratiæ potandas,quarum hauſtu & potu conceptam viſceribus ſitim extinguatis,& ardorem ſedetis. Mundi aquæ ſunt turbidæ & amare, non ſolùm ſitim nõ ſedantes,ſed etiam augentes at aquæ diuinæ ſunt claræ atque dulces, quæ ſumptæ explent,& ſitim reſtinguunt. De hac aqua ait apud Ioannem c.4.Chriſtus: *Qui biberit ex aqua,quam ego dabo ei,non ſitiet in æternum:ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Et alibi,*Si quis*,inquit,*ſitit,* *Ioan.7.* *veniat ad me,& bibat.* Tunc impleta fuit hæc Eſaiæ prophetia. Sed aduerte.Non dicit, Venite omnes ad aquas:ſed,Omnes ſitientes venite ad aquas.Vbi aſpicis promitti gratiam ſitientibus, & venientibus ad Chriſtum. Non dicit: Aquæ ibunt ad vos: ſed, vos venite ad aquas: Hoc eſt, Diſponite vos ipſos ad gratiam,facite quod in vobis fuerit,quia ego vobis venientibus,& ad gratiam vos ipſos præparantibus, eam non negabo. Harum aquarum meminit propheta Ioel ca. 3. ita dicens: *Per omnes riuos Iuda ibunt aquæ,& fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum.* Riui Iuda ſunt mentes fidelium aquis gratiæ rigatæ,torrens autem ſpinarum
B eſt caro,in quam ſe etiam extendit gratiæ operatio, eam ſpiritui ſubiiciens. Has aquas vidit in ſpiritu regius vates dicens in Pſal.24.*Super aquas refectionis educauit me,animam meam conuertit.* Et Eccleſiaſtic. ca.15.*Et aqua*,inquit, *ſapientiæ ſalutaris potabit illum.* Nos verò qui hactenus ſedimus ſuper flumina Babylonis,ſurgamus, & properemus ad aquas Hieroſolymæ, ad aquas vitæ. Sitiamus cum Propheta ad Deum fontem viuum,& mortiferas mundi aquas re- *Pſal. 41.* linquamus.

b *Properate.)* Sunt multi qui proponunt interdum mundum contemnere, & Chriſto ſe totos tradere. *ſimile.* Sed differunt hoc propoſitum, & ſenectutem expectant,& ita priuſquam impleant id, quod decreuerant,pereunt morte præuenti,& in obſcuras æternáſque tenebras miſeri relegantur. Hi ſunt veluti naues pictæ velis expaſſis,quæ ſoluunt,& iam ex littore egrediuntur,ſed cùm ſint pictæ, non mouentur. Hos exhortatur iis verbis diuina ſcriptura in Eccleſiaſtico: cap.5.*Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Et Apoſtolus,*Feſtinemus*,inquit,*ingredi in illam requiem.* Non igitur ſenec- *Heb. 4.* tutem expectemus,non veſperum, ſed ſtatim manè *Exod.16* Deum toto animo quæramus. Manna manè colligebatur,non veſperi,ſic nos ſtatim panem illum cæle-
C ſtem Chriſtum Deum noſtrum quæramus, nec in aliud tempus bonas cogitationes differamus,& vſque ad noctem,quando operari non poſſimus,dilatemus. Sed animaduerte. Non dicit: Properate vos diuites, qui argenti copia abundantis,ſed: *Qui non habetis argentum properate.* Vult Deus iis verbis ſignificare,eos non bene currere,qui ſunt argenti pondere onerati. In Geneſi,ca.13. vbi noſtra verſio habet: *Erat autem Abraham dives valde in poſſeßione auri & argenti*, habet litera Hebraica: *Erat autem grauis valde ſiue vehementer.* Et ita habet verſio Græca diui Hieronymi, βαρὺς σφόδρα, hoc eſt grauis vehementer. Abraham enim Aegypti opum pondere grauabatur. Nam etſi diuitiæ videantur, tamen quia Aegyptiæ ſunt, viro ſancto graues ſunt. Eam ob cauſam dicebant Apo- *Matt.19.* ſtoli:*Ecce nos reliquimus omnia.* Currere enim & properare volentes pondus omne relinquunt.

c *Emite & comedite.)* Duæ hic dubitationes occurrunt:quarum hæc eſt prima:Si Deus inuitat pauperes ad has aquas potandas: ſi modò dixit: *Qui non habetis argentum properate*, quomodo ait modò, *emite*? Ita enim ait: *Qui non habetis argentum properate, emite, & comedite.* Et paulò poſt: *Emite abſque ar-* D *gento, & aſque vlla commutatione.* Si hæ aquæ gratis dantur, quare dicuntur emi, & non potius donari? Altera dubitatio eſt hæc: Si ſunt aquæ, quomodo manducantur, & non potius bibuntur? Non enim dicit: *Emite, & bibite*, ſed *emite, & comedite.* Quis vnquam aquas comedit? Soluamus primam quæſtionem, & poſteà reſpondebimus ad ſecundam. Ad emendas mundi poſſeſſiones opus eſt auro & argento,ad emendum verò regnum cœlorum nullis talibus diuitiis opus eſt. Matthæus cap. 3. *Beati enim pauperes ſpiritu*, ait Chriſtus, Luc cap. 10. & Act.ca. 3. *quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Imò diſcipulis ſuis, vt cœlum compararent, dicebat, ne vellent ſacculum portare nec peram. Et hæc admirabilis Apoſtolorum paupertas vicit mundum. Petenti claudo eleemoſynam reſpondit diuus Petrus: *Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, tibi do: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula.* Et ſanus factus eſt ſtatim: & ſtupuerunt Iudei, ex quibus multi crediderunt, vt in Actis Apoſtolorum ſacra hiſtoria teſtatur. Emerunt quidem Chriſti diſcipulis has aquas nullo auro & argento, ſed precio proprię voluntatis. Simoni autem eas auro emere E volenti reſpondit Petrus, vt Lucas in Actis capite octauo commemorat: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poßideri.* Nos igitur ſumus precium, quo hæ ſalutares aquæ emuntur. Diſponamus nos ipſos ad eas,tribuamus nos ipſos Deo,& Deus eas nobis donabit. Sed quoniam diuites,auro,argento, & mundi opibus affluentes, ſolent eſſe potius diuitiarum, quàm ſui, & potius ipſi poſſidenterà diuitiis, quàm ab ipſis diuitię, ideò conſultum eſt ad perfectionem aſpirantibus, diuitias relinquere, vt ita magis ſui ſint, & liberi remaneant. Cùm autem ſui atque liberi extiterint, opus eſt ſeipſos dare pro Chriſto. Non enim eum poſſidebimus, niſi nos ipſos pro eo dederimus: non autem nos ipſos dare poterimus, niſi noſtri ſimus: noſtri autem non erimus, ſi nos diuitiæ poſſideant,quoniam plerunque quandiu illis abundamus, magis ſui quàm noſtri ſumus.Igitur non ſumus prorſus liberi, niſi impedimenta omnia pro noſtra liberatione relinquamus. Relictis autem rebus noſtris, pro earum precio nos ipſos accipimus, qui talibus implicari noſtri omnino non eramus, vt rurſus nos ipſos pro Chriſto demus, non quòd tanti valeamus, ſed quòd plus dare non poſ- F ſimus. Et hoc eſt precium, quod Deus præcipuè exigit à nobis. Eſt enim Chriſtus theſaurus abſconditus, pro quo homo debet vendere vniuerſa, quæ habet, de quo loquitur Chriſtus apud Matthęum. capite 13. Vendere autem omnia eſt pro Chriſto omnia relinquere, vt nos ipſos illi tradamus. Non enim ſat eſt omnia relinquere, ſed opus eſt nos ipſos illi tradere, eum ipſum ſequendo. Ideò dicebat Petrus: Matth. cap.19. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Acſi diceret: Omnia dimiſimus,vt noſtri maneremus, vt cùm noſtri eſſemus, tibi nos ipſos traderemus, teipſum ſequentes, tuíſque conſiliis obtemperantes. Bonum eſt eleemoſynas tribuere, & diuitias pauperibus largiri: ſed niſi nos ipſos Deo tradiderimus, non ſumus perfectionem aſſecuti, nos enim ſumus precium,quod Deus exigit à nobis, quo ſumus has ſalutares aquas, de quibus hic agit Eſaias,conſecuturi. Et ita manet:,ni fallor, abſoluta quæſtio prima: nunc breuiter veniamus ad ſecundam. Hæ aquæ non ſolùm ſedant ſitim, ſed etiam famem, intelligitur enim per eas gratia,quæ eſt animæ pabulum,& panis ille ſaluberrimus,quem petimus dicentes: *Panẽ noſtrũ quotidianũ*

A *da nobis hodie.* Et quoniam in ſpirituali animæ refectione comedere & bibere non differunt, quoniam gratia & panis appellatur, & aqua, ideò hoc in loco ait Deus, vt hãc aquam comedamus, cùm dicat apud Ioannem ca. 7. vt eam bibamus. *Si quis ſitit*, inquiẽs, *veniat ad me, & bibat.* Dicens autem vt aquam comedamus, vult oſtendere, non de terrenis aquis loqui, ſed cœleſtibus. Nihil autem aliud eſt has aquas comedere & bibere, quàm ſpiritum Dei eiúſque gratiam accipere, & donis eius gaudere, ad quas aquas vocat Deus omnes qui ſitiunt, & cœleſtis beatitudinis deſiderio tenentur.

d *Vinum & lac.)* Gratia Chriſti non ſolùm comparatur hoc in loco aquæ abluenti, ſitim extinguenti, & refrigeranti, ſed etiam vino ob nutritionem, & fortitudinem, & lacti ob ſuauitatem, & candorem.

e *Quare appenditis argentum non in panibus.)* Id eſt, Quare conſumitis pecunias in rebus inutilibus, & nó in panibus, hoc eſt, in rebus neceſſariis? Sequitur: *Et laborem veſtrum non in ſaturitate?* Id eſt, Quare cõſumitis laborem in rebus inanibus, quæ vobis nullã poſſunt afferre ſaturitatem? Inuehitur propheta in eos, qui contempta vera doctrina, quæ ſatiare animã
B poteſt, dant operam artibus inanibus & ſuperuacaneis, quæ nullum afferunt commodum, nullam ſaturitatem. Denique eos arguit, qui relictis contemptíſque rebus diuinis dant operam humanis.

f *Audite audientes me.)* Id eſt, Qui verba mea auribus corporis auditis, audite etiam auribus mentis.

g *Et comedite bonum.)* Id quod paulò antè vocauit aquas, vocat modò bonum. Sequitur: *Et delectabitur in craſſitudine anima veſtra.* Aduerte: Non dicit, *Delectabitur in craſſitudine corpus veſtrum*, ſed *anima veſtra.* De pabulo enim loquitur non corporis, ſed animæ. Hæc enim verbo Dei & diuina gratia reficitur & ſuſtentatur. Vt enim anima eſt vita corporis, ſic gratia eſt animæ vita.

h *Audite, & viuet anima veſtra.)* Vitam animę noſtræ quærit, quæ in Chriſti verbis habetur. Ait enim: *Audite, & viuet anima veſtra.* Ipſe Chriſtus apud Ioãnem. ca. 6. *Verba*, inquit, *quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Et diuus Petrus, *Domine*, inquit, *ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Ideò dicebat Chriſtus: *Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem nõ videbit in æternum.* Viuit igitur eius anima, qui verbum Dei audit non ſolùm auribus, ſed mente, & ita audit, vt obſeruet.

i *Et feriam vobiſcum pactum ſempiternum.)* Id dixe-
C rat capite ſuperiori his verbis: *Miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur.* Alloquitur Deus Eccleſiam ſuam. Et explicans hoc pactum ſempiternum, ait: *Miſericordias Dauid fideles*, hoc eſt, immobiles & infallibiles. Acſi diceret: Nunquam recedent à vobis miſericordiæ certiſſimę Ieſu Chriſti, qui nomine Dauidis ſignificatur. Significari autem Chriſtum per Dauidem indicat locus Ezechielis, c. 34. apud quem Deus pater, *Suſcitabo*, inquit, *ſuper eas paſtorem vnum, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid. Ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem.* Qui locus de illo paſtore intelligitur, qui apud Ioãnẽ, *Ego*, inquit, *ſum paſtor bonus.* Nam de Dauide nequaquam poteſt intelligi, qui multis retro annis è vi-
Pſal. 131. ta migrauerat. Vel ſic: Quemadmodum promiſi Dauidi, vt ſemen ſuũ maneret, & ex eo naſceretur Chriſtus, dicens illi: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedẽ tuam*, qui quidem Chriſtus eſſet in Eccleſia inæternũ regnaturus, ita illud ô Eccleſia complebo.

k *Ecce teſtem populis dedi eum.)* Verba ſunt Dei patris, qui ita mundum dilexit, vt filium ſuum vnigenitum daret illi in teſtificationem ſuæ erga homines charitatis. Quod poterat eſſe maius amoris ſignum, quàm dare nobis filium ſuum vnigenitum? Ita ait ipſe Dei filius apud Ioannem c. 3. *Sic Deus dilexit mũdum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et Paulus Apoſtolus, *Qui etiam*, inquit, *proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? Fuit Chriſti præſentia quædam Epiſtola, quoddam Chirographum, quo Deus ſuum erga homines amorem teſtificatur. Rom. 8.

l *Ducem ac præceptorem Gentibus.)* Si Chriſtus eſt noſter dux, cur eius vexillum non ſequimur? cur ſub eius cruce non militamus? Si noſter præceptor eſt, cur eius doctrinam relinquimus? Hic eſt dux ille, de quo loquitur propheta Michæas, c. 5. cuius verba diuus Matthæus c. 2. à Principibus ſacerdotum & Scribis prolata in hunc modum ſcribit: *Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.* Et hic eſt præceptor ille, quẽ nobis Deus pater præcepit vt audiremus. Audita eſt enim in Chriſti trãsfiguratio nevox patris cęleſtis dicẽtis: *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipſum audite*: vt ſcribit diuus Matthæus, ca. 17. & beatus Petrus qui eam audiuit, in epiſtola ſua 2. ca. 1. aperte conteſtatur. Eum appellat Ioel ca. 2. doctorem iuſtitiæ, & Baruch cap. 3. eum adinueniſſe omnem viam diſciplinæ affir- E
mat. D

m *Ecce gentem, quam neſciebas, vocabis.)* Hoc eſt, idolorum cultores, quorum actiones non approbabas, vocabis ad fidem, qui venient, & ſeruient tibi. Id voluit Deus in Pſal. 17. ſignificare dicens: *Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.*

n *Quærite Dominum, dum inueniri poteſt.)* Hoc eſt, dum eſtis in corpore, dum habetis tempus pœnitentiæ. Quærite eum non loco, quia vbique eſt, ſed mẽte toto corde, ſi eum vultis inuenire. In libro ſapiẽtiæ ca. 1. ita ait ſcriptura: *In ſimplicitate cordis quærite Dominum, quia inuenitur ab his, qui non tentant illũ, apparet autem eis, qui fidem habent in illum.* Et libro ſecundo Paralipomenon, ca. 15. *Si quæſieritis*, inquit, *eum inuenietis: ſi autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Et in Pſal. 68. *Quærite Dominum, & viuet anima veſtra.* Eſt autem Deus toto animo quærendus, quẽadmodum ipſe ait apud Ieremiam: ca. 29. *Cùm quæſieritis me in toto corde veſtro, inueniar à vobis.* Hinc colligitur ideò nos Deum non inuenire, quia quanuis eum quæramus, non tamen toto animo quærimus. F
Ideò dicebat Chriſtus apud Ioannem: cap. 7. *Quærctis me, & non inuenietis.*

o *Derelinquat impius viam ſuam.)* Dixerat: *Quærite Dominum dum inueniri poteſt*, nunc docet quomodo quærendus eſt Deus. Fieri enim non poteſt, vt quis viam Dei percurrat, niſi viam ſuam ducentem ad perniciem derelinquat. Duplex eſt via, altera iuſtorum, altera verò impiorum. Via iuſtorum eſt Chriſtus, via verò impiorum mundus. Hanc iubet Deus vt tanquam ducentem ad æternam damnationem de relinquamus, & vanas atque peſtilentes cogitationes declinemus. Ait enim: *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius.* Quaſi dicat. Relinquite mundum, & conuertimini ad me, & ego miſerebor veſtri. O cæcitatem noſtram deplorandam, qui Deũ pium & miſericordem relinquimus, & mundum impium & crudelem ſectamur, amplectimur malum, & relinquimus ſummum bonũ. Mundus eſt Iahel, quæ *Iudith. 4.*
Siſaram hoſpicio accepit, eúmque blanditiis dilinuit, & lacte refecit, ſed dormientem immaniter occidit. Quid ſperas à mundo, qui non dicam Siſaram

ſed

A sed Dominum suum Christum Deum nostrum tam crudeliter tractauit? Sed dices: Si mundum reliquero, fortasse amittam substantiam: imò eam consequeris. Habebis Deum, qui est summum bonum, infinita atque sempiterna substantia. Pro humanis diuitiis cœlestes consequeris. Ioseph vt peccatum declinaret, reliquit pallium in manu dominæ eum ad crimen nefarium inuitantis, & fugit, & egressus est foras. Tu etiam mundum fuge, egredere foras, melius est enim pallium amittere quàm Deum. Habebas annulum preciosissima gemma adornatum, amisisti gemmam, nónne dabis pro ea facilè annulum? Quis dubitat? Annulus est vita, gemma verò preciosissima Christus. Amisisti Christum, da pro eo non solùm substãtiam, sed vitam, da annulum vilem, pro excellentissima gemma. Et si annulum amittas, tamẽ diues manebis, si gemmam retinueris. Derelinque igitur mundum, & ad Dominum conuertere, & misericordiam consequeris.]

Genes. 39

simile.

p *Quoniam multus est ad ignoscendum.*) Ita Ioel propheta, *Conuertimini*, inquit, *ad Deum vestrum, quia benignus, & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ.*

ANNOTATIONES ex Hebræo in

CAPVT LV.

1 Et feriam vobiscum pactum sempiternum.] *Pro pacto est in Hebraico* ברית *berith, pro quo Septuaginta habent* Testamentum. *Ita enim verterunt*: Constituã vobis testamentum æternum. *Quod quidem existimo esse de nouo testamento intelligendum. Et illa verba, quæ sunt apud Ieremiam ca.* 31. Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cũ patribus vestris: *vertit in hunc modum diuus Paulus in epistola ad Hebræos: ca.* 8. Ecce dies veniet, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda, Testamentum nouum, non secundum testamentum quod feci patribus eorum. *Vbi vides per fœdus & pactum intelligi testamentum. Explicãs autem propheta quod sit hoc testamentum, indicat esse legem Dei in cordibus & visceribus scriptam, quam diuus Paulus in eadem epistola dicit esse Christi Euangelium. Hoc nouum Testamentum appellat hoc in loco Esaias sempiternum, quoniam lex vetus fuit antiquata & abrogata, nouum autem Testamentum est semper duraturum. Nam in legis veteris confirmatione fuit sanguis pecudũ mortuorum fusus: at Christus Deus viuus nouam legem confirmaturus, calicem ostendit, in quo fuit proprius eius sanguis, pro hominum salute fundendus. Ideò in verbis consecrationis Testamentum Christi nouum & æternum appellatur. Est igitur hoc pactum sempiternum Euangelium Christi suo sanguine confirmatum, quod appellatur hoc in loco* ברית, *quod nomen significat fœdus, pactum, legem, & Testamentum.*

Non enim[a] cogitationes meæ, cogitationes vestræ, nec viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. [b] Et quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. [c] Quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini: montes & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu. [d] Pro saliuncula [1] ascendet abies, & pro vrtica crescet myrtus. [e] Et erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.

C

a *Non enim cogitationes meæ.*) Derelinquite vestras cogitationes & vias, quia à meis longissimè distant. Vel sic: Exhortatus fuit impios, vt prauas consuetudines & cogitationes derelinquerent, & ad eum cõuerterentur, quoniam ipse eos piè reciperet. Et ne mirarentur quomodo Deus statim eos reciperet, qui ab eo recesserant, eúmque grauiter offenderant, cùm inter homines longè aliter fiat, non esse mirandum inquit, cùm cogitationes suæ longè differant ab hominum cogitationibus.

b *Et quomodo descendit imber.*) Sensus est: Nulla vos teneat dubitatio, audientes esse gentes meo verbo conuertendas. Nam verbum meum est veluti imber & nix. Quemadmodum enim pluuia descendit de aëre, & non reuertitur inanis, sed irrigat terram, & germinare facit, sic prædicatio Euangelica non erit inanis, sed terram, hoc est, homines rigabit, vt vberrimos virtutum fructus producant. Cõparatur prædicatio Euangelica pluuiæ de nubibus egredienti. *Infrà 60.* Nubes hæ sunt Apostoli, & apostolici concionatores, quos alio in loco Esaias nubibus volantibus cõparauit. In Deuteronomio cap. 32. ait Moyses, imò per ipsum Moysem Deus noster: *Audiat terra verba oris mei. Crescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum.* Et Ecclesiasticus, cap. 39. *Et ipse*, inquit, *tanquam imbres mittes eloquia sapientiæ suæ.*

c *Quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini: montes & colles cantabunt coram.*) Nempe de peccato, de morte, de tenebris, & de mundo: & in spirituali pace ad Christũ deducemini. Et tã admirabili gaudio perfundemini, vt montes & colles vobis congratulari, & coram vobis cantare videantur.

d *Pro saliuncula ascendet abies, & pro vrtica crescet myrtus.*) Infructuosæ plantę vertentur in frugiferas, & peccatores fient iusti: pro iniquitate erit iustitia, pro temeritate fortitudo, pro stultitia prudentia, pro libidine temperantia, pro idolorum cultu vera Dei religio. Matthæus ex publicano fiet Apostolus & Euangelista. Magdalena ex peccatrice fiet sanctissima, & amorem mundi in Christi amorem conuertet. Paulus ex Christianorum hoste & persecutore fiet admirabile vas electionis. Et alij denique innumerabiles, vitiis relictis, ad Christum conuertentur. Saliuncula arbor est inutilis & sterilis. Vrtica herba est pungens

satis

A satis nota. Abies est arbor longissima, & vt Plinius ait, ad pondus in ædificiis sustinendum aptissima. Myrtus planta est medicinalis, salutares baccas producens, semper virens, odore excellenti fragrans, lætificis pampinis suo tempore pubescens.

e *Et erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.*) Hoc est, Ob eã causam Deus magnis laudibus efferetur. Nominabunt eum homines appellantes eum Deum misericordem, quòd ex impiis effecerit iustos, eúmque hoc nomine ac perpetuo monumento appellabunt. D

ANNOTATIO.

1 Pro saliuncula ascendet abies.] *In Hebraico est* התה חנ עצוג יע לה ברוש *tachath hănaatsuts iaaleh verox. Nomen hoc* נצג, *pro quo diuus Hieronymus vertit saliunculam, quam dicit esse plantam vilem, amaram, odorísque pessimi, significat etiam spinam quandam nascentem in deserto, vt ait R. D. Pagninus vertit* spinã albam. *Nomen* ברוש, *pro quo diuus Hieronymus vertit abietem, significat etiam cupressum. Ionathas in translatione Chaldaica non verba, sed sensum interpretans ita vertit:* Pro iniquitate erigetur iustitia. *Eum secutus R. Salomon dicit:* Potestas auferetur ab impiis, & dabitur iustis. *Verus autem sensus est hic: Ex infidelibus & iniustis multi ad Christũ conuertentur, quos Deus fideles ac iustos efficiet. Nonnulli ex Iudæis verba capiunt vt iacent. Ob cæcati enim obstinatione & perfidia tropos prophetarum, diuinæque scripturæ intellectum nequaquam percipiunt. Quorsum in aduentu Messiæ quædam arbores erant in alias mutandæ? Non igitur hoc in loco Esaias de arboribus loquitur, sed de hominibus cum illis comparatis.*

Argumentum capitis LVI.

Prædicit Christum citò venturum, & interdum exhortatur Iudæos ad iudicium & iustitiam, & legis obseruationem, quæ erat vsque ad Christum duratura. Indicat apud Deum non esse personarum acceptionem, cùm omnes tam gentes quàm Iudæos recipiat, eósque in fide & charitate è vita migrantes ad cælestem patriam perducat. Inuehitur in pastores iniquos, qui falsi honoris specie decepti, in ignominia & scelere volutantur.

B

CAPVT LVI. E

HÆc[a] dicit Dominus Deus: Custodite iudicium, & facite iustitiam: quia iuxta est salus mea, vt veniat, & iustitia mea vt reueletur. Beatus vir qui facit hoc, & filius hominis qui apprehendet istud:[b] custodiens sabbatũ, ne polluat illud, custodiens manus suas, ne faciat omne malum. Et non dicat filius aduenæ qui adhæret Domino, dicẽs: Separatione diuidet me Dominus à populo suo.[c] Et non dicat eunuchus:[d] Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum:[e] dabo eis in domo mea, & in muris meis locũ,[e] & nomen melius à filiis & filiabus:[f] nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Et in filios aduenæ qui adhærent Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, vt sint ei in seruos: omnem custodientem sabbatum ne polluat illud, & tenentem fœdus meum,[g] adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ:[h] holocausta eorum & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo,[i] quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis, ait Dominus Deus,[k] qui congregat dispersos Israel.[l] Adhuc congregabo ad eum congregatos eius.

Sap. 11.a
Mat. 21.b
Mar. 15.c
Luc. 11.g

EXPLANATIO.

C 2 *Hæc dicit Dominus: Custodite iudicium.*) Dixerat Propheta in fine capitis præcedentis fore, vt in Christi aduentu pro saliuncula ascenderet abies, & pro vrtica cresceret myrtus, hoc est esse infideles & impios conuertendos ad finem, & pietatem, ac veram religionem culturos. Et multa in toto capite prædixit de aduentu Christi. Nunc alloquitur homines sui temporis, vt sperent Christum venturum, & interea custodiant iudicium, & faciant iustitiam. Tunc iudicium custodimus, cùm nos peccatores iudicamus, & iustitiam, quando in virtutis actiones incumbimus. Vel custodire iudicium est rem deliberare, facere autem iustitiam est honestum atque rectum eligere & exercere. Non enim sat est deliberare, nam sæpe pugnare videntur inter sese virtus & vitium, & cùm vitium apparentem vtilitatem & voluptatem præ se ferat, vult hominem ad se rapere: contrà verò virtus sua pulchritudine vult hominem trahere ad verã honestatem, & ad verum decus reuocare. Ex quo efficitur, vt distrahatur in deliberando animus, afferátque ancipitem curam cogitandi. Et tunc necessarium est, vt ratio eligat, volũtas rationi assentiatur, homo honestatem amplectatur, & in virtutis actiones studium conferat, & opeãr. Itaque non sat est deliberare & iudicare quid sit melius et honestius, sed necessariũ est illud melius et honestius eligere, et exercere. Id intelligens Dauid dicebat in Psal. 71. *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis.* Non solùm à Deo iudicium ad deliberandum petit, sed iustitiam ad iusta exercendum. F

b *Custodiens sabbatum.*) Exhortatur ad legis obseruantiam, quandiu esset duratura. Per sabbati obseruationem intellige nõ solùm illius diei quietem, sed etiam diuinum cultum et religionem. Hæc autem sabbati sanctificatio moralis est, quãtùm attinet ad cessationem laborum, et cultum diuinum, sed erat cerimonialis quantùm ad temporis determinationẽ. Iudæis fuit cõstitutus dies septimus ob opus creationis, quoniam in eo Deus requieuit: nullus enim dies dignior præcesserat. Nos autem obseruamus diem octauum ob resurrectionis mysterium. Creauit Deus mundum in principio, et septima die requieuit ab Genes. 2.

A vniuerſo opere, quod patrauerat: compleuit enim die ſeptimo opus, quod fecerat, & præcepit, vt hic dies ſeptimus ſanctificaretur. Sed corrupto mundo, fecis Deus alterum mundum, mortuus eſt pro peccatoribus, genuit nos ſuos ſanguine, & octaua die requieuit, & reſurrexit, & compleuit opus ſuum, & ideò hic dies meritò obſeruatur. Vt enim obſeruabatur in lege veteri dies, in quo Deus compleuit creationem, ſic in noua lege obſeruatur dies in quo ipſe Deus compleuit redemptionem. Mutauit igitur Eccleſia Spiritu ſancto gubernata præceptum de ſabbati obſeruatione, quatenus erat ceremoniale: ſed quatenus eſt morale, integrum reliquit.

c *Et non dicat filius aduenæ.*) Conſolatur iis verbis Propheta eos, qui ex Gentibus ad Iudæos veniebãt, qui proſelyti dicuntur, ne timore debilitati diffiderent, quòd non eſſent ex ſemine Abrahami, ſe eſſe ſalutem conſecuturos. Nam quicunque fide & charitate munitus perſeuerauerit vſque ad finem, ſaluus erit. Vt enim verbis vtar diui Pauli in epiſtola ad Romanos c. 10. *Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci, nã*
B *idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum.* Eodem modo conſolatur eunuchos exiſtimantes, ſe eſſe maledicto legis obnoxios dicẽtis in Deuteronomio c. 7. *Non erit apud te ſterilis vtriuſq; ſexus.* Oſtendit Propheta tam poſſe beatitudinem conſequi eunuchos quàm viros. Imò eunuchus reginæ Candacis, cuius meminit Lucas in Actis c. 8. vir eo in loco appellatur. Qui cùm in via otioſus non eſſet, & legens Eſaiam eum non intelligeret, inuenit Philippum, qui ei aperuit locum, & oſtendit Chriſtum, qui in litera clauſus occultabatur.

d *Ecce lignum aridum.*) Id eſt, impotens ad generandum.

e *Et nomen melius à filiis & filiabus.*) Hoc eſt, Dabo eis melius nomen quàm id, quo gloriantur Iudæi, qui legem meam non cuſtodientes, & Abrahami opera non ſectantes, filij Abrahami vocantur. Hoc ideò ait Deus, quia quicunque Chriſtum receperũt, *dedit eis poteſtatem*, vt ait diuus Ioannes cap. 1. *filios Dei fieri.* Et in prima epiſtola ſua ait idem Ioannes c. tertio: *videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt*
C *filij Dei nominemur & ſimus.* Hoc eſt nomen de quo Deus hic loquitur. Et vide quemadmodum diuinus Propheta à lege ſe transferat ad Euangelium, & à proſelytis ad eos, quos ſpiritu videbat eſſe Chriſtum recepturos, & ob id filios Dei vocandos. Quis enim non videt eſſe multò illuſtrius & præſtantius filios Dei quàm filios Abrahami appellari.

f *Nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.*) Hoc eſt, appellabo eos Chriſtianos. Quod nomen nullo vnquam hominum interitu obruetur, nulla poſteritatis obliuione obſcurabitur. Vel capitur hic nomẽ pro gloria, & ornamento virtutis, in luce & hominum celebritate conſtituto, de quo in Prouerbiis c. 22. Salomon, *Melius*, inquit, *eſt nomen bonum quàm diuitiæ multæ.* De illuſtrium & iuſtorũ nomine ait Eccleſiaſticus c. 41. *Bonum nomen permanebit in æuum.* De impiorum contrà, *nomen*, inquit, *impiorum delebitur.* Et in Prouerbiis c. 10. ait Salomon: *Nomen impiorum putreſcet.* Promittit hic Deus ſuis daturum illis præclaram famam, de qua nulla quidem ætas conticeſcat, cui nulla hominum obliuio ſit finem allatura. Eſt enim in gloriæ promiſſione magna vis ad homines amore pietatis inflammandos. Velim tamen exiſtimes, me non de illa gloria loqui, quæ eſt falſa & inanis, & in populi temeritate conſtituta, ſed de ea, quæ in virtute conſiſtit, eſtque ipſius virtutis ornamentum & decus, qua viri pietate præſtantes, etiam mouentur ad gratias Deo agendas, eiúſque laudes cœleſti quadam harmonia decantandas. Ex quo colligitur eos in errore verſari qui gloriam D
damnant, inanis, atque furioſæ, & falſæ gloriæ vitia ad veram gloriam transferentes. Vt enim ſi quis tenens manu ligneam ſphæram, eius fragilitatem colligens, & in veram ac cœleſtem ſphæram conferens, vellet oſtendere cœlos eſſe ligneos, caducos, paruos, palpabiles, nullos æquabiles motus conſtanter ſeruantes, grauiter erraret, ſic qui inanis gloriæ imperitæ multitudinis errorem captantis, laudémque populi vanè appetentis, flagitia coniungens, & gloriæ tribuens, vellet gloriam maculare, aſſerens eam eſſe leuem, inanem, turbulentam, ambicioſam, & vitiorum laudatricem in errore grauiſſimo verſaretur. Inanis enim & falſa gloria tantùm abeſt à gloria, quàm ſphæra quædam lignea ab ſphæra cœleſti, & ſidera picta ab illis admirabilibus ſtellis, quæ excellenti pulchritudine ornatæ, immutabili conſtantia celeritatéque mirabili circulos ſuos orbéſque conficiunt, quarum decorem & claritatẽ ad- E
miramur. Qua de re grauiter et eleganter diſſeruit in ſuis dialogis de gloria Oſorius ille Luſitanus, alter Xenophon inter Græcos, cuius voce Muſas quaſi locutas ferunt, alter Cicero inter Latinos, qui non ſolùm eloquentes ſuæ ætatis, ſed antiquitatis etiam memoriam eloquentia ſuperauit.

g *Adducam eos in montem ſanctum meum.*) Id eſt, in Sionem. *Et lætificabo eos in domo orationis meæ*, Id eſt, in templo Hieroſolymæ. Poteris per montem Chriſtum intelligere, quem Eſaias ſecundo capite, et Michæas quarto montem appellant. At ego exiſtimo per montem intelligi Eccleſiam, quam ſtatim domũ orationis appellat. Vocatur autem Eccleſia mons ob fidei, doctrinæ, altiſſimorúmque myſteriorum celſitudinem.

h *Holocauſta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi.*) Iudei pecora Deo immolabant, Chriſtiani verò ſeipſos, vt ſpirituales hoſtias offerunt, de quibus exiſtimo eſſe in primis hunc locum intelligendum.

i *Quia domus mea.*) Hunc locum citauit Chriſtus, vt Euangeliſtæ teſtãtur. Cùm enim intraſſet templũ, F
et eiiceret ementes et vendentes in eo, et menſas nũmulariorum cathedráſque vendentiũ euerteret, dicit eis: *Scriptum eſt: Domus mea domus orationis vocabi-* Matt. 21. Mar. 11. Luc. 19.
tur, vos autẽ feciſtis illã ſpeluncam latronum. Qui locus etſi de illo tẽplo intelligitur, tamen ad Eccleſiã Catholicã refertur, cuius templum illud imaginẽ gerebat. Et aduerte. Non dixit: *Domus mea* domus hircorũ et vitulorum eſt, ſed *domus orationis.* Nec dixit ſolùm Iudæis, ſed cunctis populis, non in vno Hieroſolymæ loco, ſed in toto terrarum orbe collocatis. In Eccleſia Catholica ſunt veræ præces, nã extra eã ſunt hæreſes, et blaſphemiæ, nõ autẽ veræ precationes. Vide quid dicat Deus: *Domus mea domus oratio-* ſimile
nis vocabitur. Oratio hæreticorum non eſt oratio dicenda. Comparat Dionyſius orationem catenæ aureę de cœlo vſque ad terrã demiſſæ, quam ſi quis apprehẽdat, vt aſcendat per illam, is videtur catenam ad ſe trahere, ſed ipſa potius cũ ad cœlum vehit. Cùm autem hæretici ad cœlum nullo modo vehantur, ſed ad imas ac cæcas tenebras precipitentur, clariſſimè colligitur eos eſſe non ſolùm fide et gratia, ſed etiam vera ratione deſtitutos. Et perpende quanta modeſtia et obſeruãtia in templo requiratur, ex quo Deus ementes et vendentes eiecit eos latrones appellans. De Simeone ſcribit ita diuus Lucas cap. 2. *Reſponſum acceperat ab Spiritu ſancto non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini. Et venit in ſpiritu in templum.* Si in ſpiritu iremus ad templum, eſſemus veluti Simeon diuina conſolatione refecti. Cùm igitur templum fuerimus ingreſſi, omnes mundi

curas

A curas & cogitationes ante oſtium relinquamus, ne nos Deus à templo reiiciat. Conſidera obſecro. Si illa puritas requirebatur in templo, vbi hirci & arietes immolabantur, quid tibi videtur debere eſſe in templo, vbi ipſe Chriſtus verus Deus eſt hoſtia & ſacrificium, & in ſacramento euchariſtiæ realiter continetur? Si Deus hodie omnes ementes & vendentes, & mundi negotiatores ex templo eiiceret, heu quàm pauci in templo remanerent! D

k *Qui congregat diſperſos Iſrael.*) Officium Dei eſt congregare, vt aliàs annotauimus.

l *Adhuc congregabo ad eum.*) Hoc eſt, Non ſolùm congregabo Iſraelem, ſed etiam ad eum, id eſt, præter eum, congregabo gentes, quæ ſunt cum eo coniungendæ. Quaſi dicat: Erit Eccleſia mea non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex Gentibus congregata.

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT LVI.

1 Dabo eis in domo mea & in muris meis locum.] *Poteſt etiam verti:* Dabo eis in domo mea & in arci-
Matt.23. bus meis conſilium ſiue virtutem. *Eccleſiam Catholicam appellat domum & arcem ſuam, aduerſus quã portæ inferi nullis vnquam hæreſum machinis poterunt prã-*
B *ualere. Pro loco eſt in Hebraico* יד *iadh, quod nomen lo-cum ſignificat, & conſilium, & virtutem, ſeu potentiam. Soli illi, qui in Eccleſia continentur, habent conſilium, & virtutem, & ex conſequenti omnes hæretici ſunt his rebus deſtituti.* Non eſt enim conſilium contra Dominum, *vt ait in Prouerbiis Salomon.* Nec eſt virtus iis, qui ſe libenter & ignauè hoſtibus tradunt. *Significat etiam hoc nomen propriè manum: ideò poteſt hic locus ita verti,* Ego habitantibus in domo mea & in turribus meis porrigam manum. *Hac ratione: adductus verti interpres Latinus 2. Regum cap.* 18. Et appellatur manus Abſalom vſque ad hanc diem. *Quod poteſt rectiſſimè verti:* Et appellatur locus Abſalom vſque ad hanc diem. יד *iadh, enim locum ſignificat.* E

---

[a] Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum, vniuerſæ beſtiæ ſaltus: [b] Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi: [c] canes muti non valentes latrare, [d] videntes vana, dormientes & amantes ſomnia. Et [e] canes impudentiſsimi neſcierunt ſaturitatem: [f] ipſi paſtores ignorauerunt
Ier. 6. c. intelligentiam. [f] Omnes in viam ſuam declinauerunt [g] vnuſquiſque ad auaritiam ſuam à ſummo vſque ad nouiſsimum. Venite [h] ſummamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit ſicut hodie, ſic
Sop. 2. b. & cras, & multò amplius.

a *Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum.*) Dixerat multos ex Gentibus & Iudæis eſſe in Eccleſia congregandos. Sed quoniam ſpiritu vidit ignauiam, amentiam, & impietatem multorum præſulum, qui futuri erant, inuehitur in eos, vocans omnes feras nemorum & ſaltuum ad eos deuorandos. Vide ſanctam iram Prophetæ, non ab odio ſed à charitate productam. Non in homines excandeſcit, quatenus homines, ſed quatenus ſunt ſcelerati, & non ſolùm corrupti, ſed etiam aliorum corruptores. Videbat enim, quæ mala ex præſulum deprauatione proueniant. Forraſſe iis verbis vaticinatur de Iudæorum excidio & vaſtitate per Romanos infideles, quos beſtiarum nomine intelligit. Et ſi hoc ita eſt, tunc ea
C verba præcedentia: *Adhuc congregabo ad eum congregatos eius,* poſſunt habere hunc ſenſum: Congregabo contra eum, nimirum contra populum Iudaicum, Romanos, qui congregati Hieroſolymam euertant, & durum ac pertinacem populum incredibilibus afflictionibus & calamitatibus vſque adeò opprimant, vt eius nomini interitum moliri videantur.

b *Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi.*) Inuehitur in præſules ignorantes & cæcos, quorum eſt videre, & tanquam ex ſpecula longè proſpicere, & prouidere, ideò ſpeculatores multis in locis appellantur. Sed ſi ſpeculator ſit cæcus, dux claudus, præco mutus, quis non videt magnam inde oriri perniciem & confuſionem? Sed hac de re aliis in locis ſatis diſſeruimus.

c *Canes muti non valentes latrare.*) Hi quibus regẽdi gregem Domini cura committitur, debent latrare, & lupos abigere, arguere, obſecrare, increpare, in omni patientia & doctrina. Videant Dominum apud
Eze. b. 3. Ezechielem in hunc modum loquentem. *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael, & audies de ore meo verbum & annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium: Morte morieris: non annuntiaueris ei, nec locutus fueris vt auertatur à via ſua impia, & viuat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram.* Videant hæc paſtores, & contremiſcant. Debent quidem plura ora habere quàm ea, quæ fingunt habuiſſe hydram: & pluribus oculis videre illis, quibus antiqui Argum abundaſſe fictis fabulis prodiderunt. Euſebius in libro de præparatione Euangelica refert Diodorum Siculum dicentem Solem fuiſſe ab Aegyptiis vocatum Oſirim, hoc eſt, multos oculos habentem, cui princeps ſiue præſul
F comparatur.

d *Videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia.*) Per ſomnia rerum humanarũ gloriam inanem, & ſomnio ſimilem intelligit. Reprehendit præſules vanitati deditos, qui ſuas dignitates nõ ad populi vtilitatem referuntur, ſed ad ſuam vanitatẽ & arrogantiã. Vę illis, vę illis, quoniã dignitates ad ſuam propriã perniciẽ quæſierunt. Vt enim vermiculus ſericarius admirabili labore & induſtria conficit ſericum, et neſciẽs conſtruit caſulam, in qua conſtructa commoritur, et ſuum proprium ſepulchrum condit, ſic qui dominãdi cupiditate et ambitione inflãmati falſos honores, et inanem mundi gloriam variis modis et artificiis quærunt, et ad muniendam viam ad eas dignitates tetra ſcelera moliuntur, ſibiipſis neſcientes infamem æternámque perniciem machinantur. *ſimile.*

e *Neſcierunt ſaturitatem.*) Hoc eſt, ob inexplebilem voracitatem nunquam ſaturantur.

f *Omnes in viam ſuam declinauerunt.*) Non Dei viam quæſierunt, ſed ſuam.

g *Vnuſquiſque ad auaritiam ſuam à ſummo vſque ad nouiſsimum.*) Ita Ieremias, *A minore quippe*, inquit, *vſq; ad maiorẽ omnes auaritiæ ſtudent.* Parui et anguſti animi eſt amare diuitias, et auaritia torqueri. Et tamẽ videbis multos pecuniæ ſeruos. Nihil nominant niſi pecuniam, ſuper ore pecuniam habentes. Sunt ſimiles piſci illi habenti ſtaterem in ore, quem diuus *Ierem. 6.* *ſimile.*

A Petrus assumpsit. De quo loquitur diuus Matthæus cap. 17. Vtinam veniat aliquis diuus Petrus, qui ex eorum ore & corde pecuniam auferat.

h *Sumamus vinum & ampleamur ebrietate.)* Verba sunt malorum præsulum, quorũ Deus venter est: qui D præsentibus voluptatibus non satiati parant futuras, multò maiores præsentibus. Hi populum ad compotationes non ad concionis inuitant.

ANNOTATIO.

1 Canes impudentissimi nescierunt saturitatem.) *Septuaginta habent:* Animæ ignorauerũt saturitatem. *Acsi dicerent: Quærunt corporis voluptates, quibus satient voluntatem suam, animæ verò refectionem & saturitatem non curant.*

2 Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiã.) *In Hebraico est in hunc modum* ויעים לא ירעו חביז וחמרח *vehemmah roim lo iadheu hauin. Potest totum hoc ita verti:* Et ipsi pascunt, nempe seipsos, & nesciunt intelligentiam. *Acsi dicat Propheta: Ipsi illecebris & blanditiis seipsos deliniunt, suum corpus accuratè & splẽdidè curantes, ea autem, quæ ad populi gubernationem attinent, penitus ignorant. Septuaginta verterunt.* Et sunt mali nescientes intelligentiam. *Vbi nostra versio habet:* Ipsi pastores, habent illi: Et sunt mali. *Dictio enim Hebraica* רעים *roim, quæ quatuor literis scribitur, potest esse à verbo* רעע *roaa, quod significat malum esse, quam rationem Septuaginta fuerunt secuti, & potest esse à verbo* רעה *raah, quod significat pascere. Et hanc significationem secutus est noster interpres.*

Argumentum capitis LVII.

Quæritur Propheta tantam esse hominum oblivionem, vt ea, quæ ante oculos habent, non considerent. Reprehendit eos, qui viros virtutum ornamentis exultos irridẽt, eorúmque nomen & decus ab excellenti virtutis præstantia productum maculare conantur. Inuehitur in Iudæos, qui vero Deo relicto falsos atque commentitios deos coluerunt, séque turpissimis superstitionibus contaminarunt. Ostendit Dei pietatem erga homines, & hominum erga Deum impietatem.

B

CAPVT LVII.

E 1

IVstus [a] perit, & non est qui recogitet in corde suo: [b] & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat, [c] à facie [1] enim malitiæ collectus est iustus. [d] Veniat pax, requiescat in cubiculi suo, qui ambulauit in directione sua. [e] Vos autem accedite huc filij auguratricis, [f] semen adulteri & fornicariæ. [g] Super quem lusistis? super quẽ dilatastis os, & eiecistis linguam? [h] Nunquid non vos filij scelesti, [i] semen mendax? [k] Qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum, [l] immolantes paruulos in torrentibus subter eminentes petras? In partibus torrentis pars, tua hæc est sors tua, & ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium. Nunquid super his non indignabor? Super montem excelsum & sublimem posuisti cubile tuum, & illuc ascendisti, immolares hostias. [m] Et post [2] ostium & retro postẽ posuisti memoriale tuum, quia iuxta me discooperuisti, & suscepisti adulterum: [n] dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis fœdus, dilexisti stratum eorum manu aperta. Et ornasti te regio vnguento, & multiplicasti pigmenta tua. [o] Misisti legatos tuos procul, & humiliata es vsque ad inferos. [p] In mul titudine viæ tuæ laborasti: [3] non dixisti: Quiescam, [q] vitam manus tuæ inuenisti, propterea non rogasti. [r] Pro quo solicita timuisti? Quia mentita es, & mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens, & quasi non videns, & mei oblita es.

C F

EXPLANATIO.

a *Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo.)* Hoc est, Moriuntur viri iusti, & nemo est qui consideret, quare moriantur boni, manentibus malis. Tolluntur è medio viri & misericordia & pietate præstantes, & tanta est hominum cæcitas & obliuio, vt nemo hoc perpendat, & in animo versẽt. Quæritur Propheta quare regnantibus impiis, quos in fine superioris capitis speculatores cæcos, & mutos, deditos ventri & somno appellauit, & decedentibus è vita viris piis & maximarum virtutum gloria cumulatis, nemo aduertat, & huius rei causam inquirat.

b *Viri misericordiæ colliguntur.)* Hoc est, viri misericordes moriuntur. Mortui enim ad patres defunctos congregantur. Existimant nonnulli Esaiam hoc dixisse ob multos viros insigni pietate & iustitia, quos rex Manasses impius & tyrannus occidit, qui eos, quos ne verbo quidem vulnerare deberet, ferro trucidebat. Hic nostrum Esaiam serra interfecit, vt antiqui memoriæ prodiderunt de quo aiunt intelligit illud Pauli ad Hebræos c. 11. sanctorum tormenta scribentis: *Secti sunt*, pro quo quidem vertunt: *Serrati sunt.* Accipi autem *colligi* pro mori est in diuinis literis vsitatissimum.

c *A facie malitiæ collectus est iustus.)* Reddit causam, quare moriatur iustus manentibus impiis, quippe ne videat futuram vltionem, moritur enim & discedit à facie malitiæ, hoc est, à præsentia supplicij imminentis. Volens Deus euertere aliquod regnum aui ciuitatem, tollit prius è medio iustos, quorum precibus & virtutibus terra illa sustentabatur. Ex Sodoma segregauit Lot, vt Sodomitas incendio cõsumeret: Noë ex hominum familiaritate, vt mundum aquarum diluuio obrueret: Hebræos ex Aegypto, vt Aegyptios in mari subuerteret. Ex quo colliges esse Deum iratum regno, à quo aufert viros sapientes, iustitia exultos, omniúmque virtutum pulchritudine adornatos. Volens Deus euertere Hierosoly-

A ſolymam ob Iudæorum ſcelera, prius voluit vt Ioſias pius & iuſtus rex ex hac vita migraret. Et enumeratis pij regis virtutibus ait illi, vt in quarto libro Regum diuinæ literæ commemorant: *Idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus ſum ſuper locum iſtum.* Fuit mors Ioſiæ ſignum vltionis, quam Deus de Iuda voluit ſumere. Quî enim fieri poſſet, vt ædificium permaneret, ſi eius columna auferebatur? Erat quippe iuſtus rex columna, cui regnum innixum ſeipſum ſuſtentabat. Vt igitur Deus puniat mundum, tollit de medio eius viros præcellentes, virtutúmque di-
Hebr.11. uitiis abundantes, *quibus*, vt ait Apoſtolus, *dignus non eſt mundus.* Aſpice obſecro quanto honore habendus & ſuſpiciendus ſit vir bonus. Naaman Syrus aſportauit ſecum ex Samaria terram, in qua ſanctus
4Reg.12. Eliſæus habitabat. Exiſtimauit enim etiam vtilem eſſe & dignam honore terram, vbi vir ſanctus pedes figebat. At mundus iuſtos, quorum beneficio ſuſtentatur, affligit, & odio proſequitur, & è ſua familia-
Ioan.16. ritate longius pellit. Ideò Chriſtus Deus noſter dicebat Apoſtolis ſuis: *Abſque ſynagogis facient vos: ſed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* O mundi cæcitatem & malitiam. Poteſt etiam hoc ita intelligi. Colligitur iuſtus à facie malitiæ, hoc eſt, ne videat iniquorum
B ſcelera, eáque imitans pereat cum illis. Ita enim de iuſto in libro Sapientiæ c.4. ſcriptum legimus: *Placens Deo factus dilectus, & viuens inter peccatores, trãſlatus eſt, raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Vbi aſpicis iuſtorum mortem eſſe Dei beneficium in illos collatum.

d *Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulauit in directione ſua.*) Hoc eſt, veniat mors, vt iuſtus requieſcat, & ad pacem tandem perueniat æternam. Mortem iuſtorum vocat pacem, quoniam à mundi pugna liberati cœleſtem pacem conſequuntur. O præclarum illum diem, cùm viri ſancti ex hac turba & colluuione diſcedunt, & ad illas beatiſſimas cœlitum ſedes proficiſcuntur, ſempiternam gloriam conſecuturi.

e *Vos autem accedite huc filij auguratricis.*) Iudæos appellat filios auguratricis, hoc eſt, Iudææ, vbi pro diuino cultu regnabat veneficium, & auguriũ, & idololatria. Suprà c.2. de Iudæis loquens dixerat: *Augures habuerunt vt Philiſtiim.*

C f *Semen adulteri & fornicariæ.*) Adulterum vocat populum Iudaicum antiquum patrem Iudæorũ, qui tunc exiſtebant, quoniam Deo relicto idola coluit. Et fornicariam Hieroſolymam, quam eadem ratione appellauit meretricem, dicens primo capite: *Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis?*

g *Super quem luſiſtis?*) Id eſt, Quare prophetas irriſiſtis? Hoc ideò ait, quia impij Iudæi prophetas eorum ſcelera redarguentes illudebant, & maledictis vulnerabant. Ideò ſequitur: *Super quem dilataſtis os, & eieciſtis linguam?* Omnia hæc à principio capitis vſque ad hunc locum poſſunt referri ad Chriſti mortem. Ille enim eſt iuſtus ille, qui pro nobis mortuus eſt, de quo dixit in principio: *Iuſtus perit, & nõ eſt qui recogitet in corde ſuo.* Nolunt enim Iudæi conſiderare & intelligere, ſe ob Chriſti cædem eſſe afflictos & ærumnoſos, per totum mundum diſperſos. Hi ſunt qui eundem Chriſtum irriſerunt & blaſphemarunt. Quam ob cauſam Eſaias ait: *Super quem luſiſtis, ſuper quem dilataſtis os, & eieciſtis linguam?*

h *Nunquid non vos filij ſceleſti?*) Cùm ſitis ſcelerum maculis notati, cur viros ſanctos verbis & maledictis laceratis? Docet hic locus omni vitio carere debere eum, qui in alios paratus eſt dicere. D

i *Semen mendax.*) Ducebant Iudæi originem ab Abrahamo, ſed eius opera imitari nolebant, ideò eos appellat ſemen mendax, hoc eſt, degeneres, ſui progenitoris veſtigia nequaquam ſequentes.

k *Qui conſolamini in diis ſubter omne lignum frondoſum.*) Id eſt, qui in nemoribus idola colitis, vbi eorum fœdo amore delectamini.

l *Immolantes paruulos in torrentibus ſubter eminentes petras.*) In tantam cæcitatem inciderunt Iudæi vt Deum derelinquerent, & idola colerent, & in eorũm honorem ſuos proprios filios occiderent. Adorabãt lapides eminentes in torrentibus conſtitutos, & ad pedes lapidum filios ſuos immolabant. Si latè videre volueris idololatrias & abominationes Iudæorum, lege capite 16.17. libri quarti Regum, & capite 28. libri ſecundi Paralipomenon, & Pſalmum 105. cuius hæc ſunt verba: *Immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis, & effuderunt ſanguinem innocentem.*

m *Et poſt oſtium & retro poteſt poſuiſti memoriale tuum.*) Ponebant Iudæi idolum ſuum poſt fores domorum, vt egredientes & ingredientes illud ſalutarent, & memoria tenerẽt: ſimulachrum dæmonis appellabant memoriale ſuum.

n *Dilataſti cubile tuum.*) Hoc eſt, multa idola coluiſti.

o *Miſiſti legatos tuos procul.*) Nempe ad reges idolorum cultores, ad quos Deo tuo contempto confugiſti, & te illis ſubieciſti, & à tuæ antiquæ dignitatis gradu præcipitaſti. Illud, *humiliata es vſque ad inferos*, poteſt habere hunc ſenſum: Quoniam Deum dereliquiſti, & ad Gentes ſuperſtitionibus deditas obedientiam miſiſti, ad ima tartara & æternos cruciatus deſcendes. E

p *In multitudine viæ tuæ laboraſti. Non dixiſti: Quieſcam.*) Iuiſti ad regem Aſſyriorum cum muneribus, & longitudine itineris fatigatus es, ſed tanto deſiderio tenebaris accedendi ad regem, vt nolles in via requieſcere. Non enim dixiſti: Quieſcam. Vel ſic: *In multitudine viæ tuæ*, hoc eſt, in varietate & multitudine tuorum ſcelerum laboraſti, ſed à tuis depranatis moribus noluiſti deſiſtere. Nihil moleſtius quàm admittere peccata. Ideò ſcriptura in libro Sapientiæ c. 5. facit impios in hunc modum loquentes: *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles.* Et Ieremias c.9. *Vt iniquè*, inquit, *ageret, laborauerunt.*

q *Vitam manus tuæ inueniſti, propterea non rogaſti.*) Id eſt inueniſti vitam, quam deſiderabas, ideò nullas ad me preces fudiſti. Inueniſti vitam ita tuæ voluntati F
aptam, acſi tu eam tibi tuis manibus feciſſes. Et eam ob cauſam ad me ſupplex accedere noluiſti. Aſpicis Pſal.88.
quantùm nobis noceat proſperitas, cùm nos Dei oblitos efficiat. Contrà verò afflictio nobis Deum ad memoriam reuocat. Cùm Dauid maximis calamitatibus premeretur, in media rerum aduerſarum acerbitate has voces emiſit, *Miſericordias Domini in æternum cantabo.*

r *Pro quo ſolicita timuiſti?*) Quaſi dicat: neminem. Vel ſic: Túne ſolicita timuiſti me? Quaſi dicat: non quidem. Et reddens huius rei cauſam, ait: *Quia mentita es*, hoc eſt, quoniam à me defeciſti: & quia excidit ex animo tuo memoria mei, & quia ego tacebam, & acſi ſcelera tua non vidiſſem, diſſimulabam. Vide flagitioſorum hominum deprauationem. Deus non eos ſtatim puniebat, ſed ob miſericordiam ſuam eorum vitia diſſimulabat: at illi hac diuina miſericordia abutentes Deum non timebant. Vt enim æger intemperanter abutens ſalutari potione, conuercit eam in perniciem: ſic impij diuinam miſericordiam contemnentes, ſpem impunitatis in illecebram gra-

A uius delinquendi conuertunt. Sed dices: Cur igitur Deus tanta patientia & longanimitate vtitur erga peccatores, si nonnulli ex illis inde sumunt occasionem tetriora facinora committendi? Dicam: Deus vtitur hac benignitate, vt peccatores ad pœnitentiã adducat, & multi gratiam & gloriam consequuntur. Sinautem nonnulli inde volunt sui excidij sumere occasionem, nulla est Deo culpa tribuenda, qui vtitur misericordia, vt omnes vitam consequantur. Si
simile. tu in quodam periculoso fluuio validum & excellẽtem pontem construeres, quos omnes possent secure tranſire, quis tibi vitio tribueret, si nonnulli se ex D illo præcipitarent? Sic diuina misericordia pons est firmus & admirabilis, quo ex hac vita ad aliam transimus, nec est in Deum culpa vlla reiicienda, si nonnulli illa malè abutantur. Hos reprehendit in epistola ad Romanos c. 2. his verbis diuus Paulus: *Ignoras quoniam benignitas ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duriciam tuam, & impenitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.*

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT LVII.

B 1 A facie enim malitiæ collectus est iustus.] *Pagninus magis sensum quàm verba vertens trãstulit.* Propter malum mundo vẽturum congregatur iustus ad patres suos. *Quæ versio sensum, quem in explanatione secuti sumus, illucidat.*

2 Et post ostium, & retro postem posuisti memoriale tuum.] *Pro memoriali tuo est in Hebraico* זִכָּרוֹנֵךְ *zichronec, quod nomen memoriale siue monumentum significat, vt Exodi trigesimonono capite.* In monumentum filiorum Israel. *Est enim à verbo* זָכַר *zachar, quod significat meminisse & recordari. Sed quoniam significat etiam suffimigare, & odorificare, potest verti:* Et post ostium & retro postem posuisti suffimentum tuum. E *Solebant enim Gentes in idolorum honorem odoriferas confectiones cremare. Vnde illud Esaię cap. 66.* Qui recordatur thuris, *potest verti:* Qui odorificat thus. *Huic interpretationi fauet Pagninus qui vertit:* Et post ostium: & postem posuisti suffitum tuum.

3 Nec dixisti, quiescam.] *Pro* quiescam *in Hebraico est* נִרְאָשׁ *noax. Et potest verti:* Desperatum est. *Vt sit sensus: Et si longa erat via, nunquam tamen diffidisti, nec intra te dixisti, nullam esse spem. Septuaginta tamen coincidunt cum nostra versione vulgata. Ita enim habent:* Et non dixisti, desinam.

Ego [a] annuntiabo iustitiã tuam, & opera tua non proderunt tibi. [b] Cùm clamaueris, liberent te congregati tui, [c] & omnes eos auferet ventus, tollet aura. Qui autem fiduciam habet mei, [d] hæreditabit terram, & [e] possidebit mõtem sanctum meum. [f] Et dicã: Viam facite, præbete ite, declinate de semita, auferte offendicula de via populi mei. Quia hæc dicit excelsus, & sublimis habitans æternitate, & sanctũ nomen eius in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu: vt viuificet spiritum humilium & viuificet cor contritorum. [h] Non enim in sempiternũ litigabo, nec vsque ad finem irascar, [i] quia spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciã. [k] Pro- F pter iniquitatem auaritiæ eius iratus sum, & percussi eum, [l] abscondi à te faciem meam, & indignatus sum: [m] & abiit vagus in via cordis sui. Vias eius vidi, & sanaui eum, & reduxi eum, & reddidi consolationes ipsi, & lugentibus eius. [n] Creaui fructum labiorũ pacem, [o] pacem ei qui lõgè est, C & qui propè, dixit Dominus, & sanaui eum. [p] Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere nõ potest, & redundãt fluctus eius in cõculcationẽ & lutũ. [q] Nõ est pax impiis, dixit Dominus Deus.

a *Ego annuntiabo iustitiam tuam.)* Scelera synagogę iustitiam appellat ironicè.

Sup. 48 b *Cùm clamaueris liberent te congregati tui.)* Hoc est, milites, quos ex Gentibus congregasti. Quasi dicat: Quoniam hominibus fidis, me autem contemnis, ipsi te in afflictionibus clamantem eripiant, quoniam ego te non sum liberaturus. Ita per Ieremiam capite secundo *Vbi sunt*, inquit Deus,, *dij tui, quos fecisti tibi? Surgant & liberent te in die afflictionis tuæ.*

c *Et omnes eos auferet vẽtus, tollet aura.)* Hi in quibus spem tuæ salutis collocas non solùm te, sed nec ipsos poterunt liberare, omnes enim velut fauillæ à vento rapientur. Vide quemadmodum Deus homines velit excitare vt ad seipsum, non ad homines confugiant.

d *Hæreditabit terram.)* Nempe, promissionis.

e *Possidebit montem sanctum meum.)* Hoc est, Sionẽ. Poteris per terram & montẽ Dei cœlum intelligere.

f *Et dicã: viã facite, præbete iter, &c.)* Hoc est, honorificè & amantissimè eos ad patriam suam reducam.

g *In excelso & in sancto habitans.)* Hoc est, cum cõtrito & humili spiritu. Explicans enim quis sit excelsus & sanctus subdit: *Et cum contrito & humili spiritu.* Aspicis hîc virum humilem & abiectum esse magnũ & excelsum. Ille manus est qui se paruum facit: contrà verò qui se eleuat, infimus est & abiectissimus. Vera celsitudo inanis celsitudinis contemptu & iactura compatur, inanisq; celsitudinis auiditate amittitur. Ille nanq; est magnus, qui magna intuetur, ad eáque ardenter aspirat, & ideò se parui facit, quia se cum magnis, quæ suspicit, confert, magnum enim & paruum sine comparatione intelligi non possunt. At superbus se ideò magni facit, quia se cum paruis, quę intuetur, comparat. Ex quibus colligitur superbum esse pusillanimũ, quoniam in paruis semper versatur, humilẽ verò magnanimũ, qui sibi res magnas & arduas semper proponit. Quî enim fieri potest, vt magnanimus nõ sit ille, qui cœlestem illam ac gloriosam ciuitatem intuetur, in eáq; in terra adhuc positus iam versatur? Ita enim quidã humilis dicebat: *Cõuersatio nostra in cœlis est.* Imò ipse humilis in diuinis literis cœlum appellatur. Ait enim Deus per Esaiã: *Cœlum mihi sedes est.* Et paulò pòst explicans quid esset hoc cœlum, *Ad quem autem*, inquit, *respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?*

Non

A h *Non enim in sempiternum litigabo, nec vsque ad finem irascar.*) Sensus est: Ego, inquit Deus, irascor, & hominibus succenseo, non quòd sit meum proprium opus, nec vt animas perdam, quas creaui. Sed cùm homines studeant auaritiæ, & meipsum contemnant, irascor illis, vt relictis vitiis ad me conuertantur. Illis autem conuersis & verum iter sequentibus non irascor, nec litem intendo.

i *Quia spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam.*) Id est, Quia à me creantur Spiritus & animæ, & ego eas facio. Vel sic: Non semper irascar populo meo: nã à me exibit fauor, & ego eos prosperè faciã nauigare. Et ita spiritus capitur pro vento, quemadmodum & flatus. Metaphora sumpta à nauigantibus, qui flantem ventum semper appetunt. Quasi dicat: Etsi populus meus aliquando reflantibus ventis nauiget, ego tamen ei dabo prosperum ventum, vt expassis velis, omnibúsque ad voluntatem fluentibus, ad portum fœliciter vehatur.

k *Propter iniquitatem auaritiæ eius iratus sum.*) Vide Dei misericordiam, ideò nobis irascitur, vt seruet. In media ira vtitur misericordia. Ita ait ipse in Psalmo: 88. *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, Misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Et in alio Psalmo 98. ait Dauid: *Deus tu propitius fuisti eis, & vltor in omnes adinuentiones eorum,* Vbi vides Deum tunc nobis esse propitiũ, cùm de nostris inuentionibus contra eum admissis

B vltionum sumit, Punit igitur nos, vt nostri misereatur, est enim misericordia opus suum. Vnde id quod dicitur in Psalmo: 89. *Respice in seruos tuos, & in opera tua*: potest verti ex Hebræo, *Appareat apud seruos tuos opus tuum.* Quasi dicat, Miserere seruorum tuorum. Opus enim Dei est eius misericordia. Ita hunc locum vertit ex Hebræo diuus Hieronymus. Esse autem misericordiam proprium Dei opus, latè explicuimus capite 28.

Psal. 79. l *Ascendi à te faciem meam.*) Nempe, vt me desiderares, & diceres. Ostende faciem tuam, & salui erimus.

m *Et abijt vagus in via cordis sui.*) Hoc est in via sui appetitus. Quasi dicat: Ego populum meum vnire & coadunare volebam, & per viam meam adducere, ille autem vagus & errans vitam suæ voluntatis elegit, meam autem dereliquit. Caino dixit Deus: *Vagus &*

Gen. 4. *profugus eris super terram.* Ex peccato procedit vagatio & inconstantia. Ideò Ieremias in Thre-

C nis ca. 1. *Peccatum*, inquit, *peccauit Hierusalẽ, propterea instabilis facta est.* Quandiu anima est cum Deo coniuncta, est firma & constans, quoniam Deus cui adhæret, non mutatur. Ait enim: *Ego Deus & non mutor.* D Si vis firmus esse & immobilis, adhære Deo. Sed si ab eo recesseris, eris vagus & profugus, nullam habens firmitudinem, nullam constantiam.

n *Creaui fructum labiorum pacem.*) Pro creabo, more prophetico. Sensus est: Ego, inquit Deus, mutabo in pacem verba populi huius, qui in ore semper fert bellum & discordiam. Promittit his verbis missurum filium suum, qui, vt ait Apostolus, Ephes. ca. 2. *est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.*

o *Pacem ei qui longè est, & qui propè.*) Hoc est, Gentibus & Iudæis. Gentes erant à Deo remotissimæ, Iudæi verò viciniores. At Gentibus ait diuus Paulus: Ephes. c. 2. *Vos qui aliquando eratis longè: facti estis propè in sanguine Christi:* Et paulò post: *Et veniens,* nẽpe Christus, *Euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis: & pacem his qui propè.*

p *Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest.*) Pij in tranquillitate viuunt, impij verò similes sunt feruenti & inquieto mari. Vide aptissimã Prophetæ similitudinem. Quid commodatius & similius mari, quàm vir impius? Ille enim est amarus contentionibus, tumidus superbia, liuidus inuidia, spumidus libidine, mutabilis inconstantia, crescens & decrescens Luna, sequens humanarum rerum varietatem & inconstantiam, turbulentus, fluctuosus, E aliarúmque maris qualitatum imitator. Vt enim mare propellit in littus limum, spumas, & alias spurcitias, & vt se purget, littus coinquinat, sic impius vt se laudet, alios vituperat, vt se defendat, aliis vitiorũ notam inurit, eorúmque splendorem maculare contendit. Sed quemadmodum maris fluctus magni, & fremitu suo mare & terram perterrentes, cùm terram attingunt, franguntur, & in littore in lutum conuersi pedibus transeuntium conculcantur, sic tyranni & impij principes sua superbia & potentia mundum perterrent: cùm autem sepulchrum attingunt, contemnuntur, & pro nihilo putantur. Et hoc est, quod voluit iis verbis Esaias significare: *Et redundant fluctus eius in conculcationem & lutum.* Et aduerte: Non dixit, Impij autem quasi mare: est enim aliquibus in partibus mare aliquando quietum, sed, *impij autem quasi mare feruens.* Quemadmodum est Euripus in Eubœa, vbi aqua fluit, & refluit, & sursum deorsúmque iactatur, cui Socrates & Epicharmus Pythagoricus libidinosum animum compararunt.

q *Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.*) Huncver- F sum inuenies apud eundem Esaiam capite 48. vbi eũ explicuimus.

ANNOTATIO.

r Vitam manus tuæ inuenisti.) *In Hebraico est ita:* חיית ידך מצאת *chaiath iadhec matsah. Nomen* חיה *significat vitam, quam significationem secutus est noster interpres. Significat etiam victum & quietem:* יד *verò manum significat, & vires, & multa alia. Ex quo efficitur: vt præter communem versionem possit hic locus ita verti:* Victum manus tuæ inuenisti, *hoc est, reperisti alimenta manu tua quæsita. Vel sic:* Requiem tuarum virium inuenisti, *hoc est, non inuenisti tuas vires fatigatas. Vel sic:* Vitam virium tuarum inuenisti, *hoc est, inuenisti vires tuas viuas & integras.*

Argumentum capitis LVIII.

Præcipit Deus Esaiæ concionatori illius temporis vt clamet constanter, & populi scelera redarguat. Describit verum ieiunium. Et tandem iis, qui in actiones virtutum incubuerint pollicetur ea bona daturum, quæ animum amplificent, & illustrent, eósque ad eas beatissimas sedes ducturum, vbi pelcherrimis ornamentis magnificentissimè decorati, cœlesti gloria, honorúmque omnium copia cumulentur.

A D

CAPVT LVIII.

[1]Lama,[a]ne ceſſes,quaſi tuba exalta vocem tuam,& annuntiá populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.[b] Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt, quaſi gens quæ iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei ſui non dereliquerit: rogant me iudicia iuſtitiæ, & oppropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus,& non aſpexiſti?[c] humiliauimus animas noſtras,& neſciſti?[d] Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra,[e]& omnes [2] debitores veſtros repetitis.Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè.[f]Nolite ieiunare ſicut vſque ad hanc diem,[g] vt audiatur in excelſo clamor veſter.Nunquid tale eſt ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam?[h] Nunquid contorquere quaſi circulum caput ſuum,& ſaccum & cinerem ſternere? Nũquid iſtud vocaui ieiunium,&diem acceptabilem Domino?Nónne hoc eſt magis ieiunium,quod elegi?[i]Diſſolue colligationes impietatis,ſolue faſciculos deprimentes,[k]dimitte eos qui confracti ſunt liberos,& omne onus dirumpe.[l] Frange eſurienti panem tuum,[m] egenos vagóſque induc in domum tuam.[n]Cùm videris nudum,operi eum,& carnem tuam ne deſpexeris,[o] Tunc erumpet quaſi manè lumen tuum,& ſanitas tua citius orietur,[p] & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te.

Zach.7.b. Exe.18.b Mat.15.b

B E

EXPLANATIO.

a *Clama ne ceſſes,quaſi tuba exalta vocem tuam,& annuntia populo meo ſcelera eorum.)*
Dixerat in fine ſuperioris capitis impios inſtar feruentis maris æſtuare, nullâque tranquillitate gaudere. Nunc præcipit Deus Eſaiæ concionatori illius temporis, vt eos increpet nullis minis perterritus, ſed clamet ſemper,& populi ſcelera redarguat. Hinc diſcant concionatores veritatem intrepidè nuntiare.
ſimile, Eſt tamen magnopere aduertendum, ne ita dicatur veritas,vt potius offendat quàm proſit. Vt enim perdix eſt optimus cibus,ſed non comeditur cruda,nullus eſt enim ſtomachus,qui eam poſſit digerere,ſic veritas eſt excellentiſſimum pabulum, ſed non eſt proponenda cruda, ſed aſſa aut cocta, & ſale prudentiæ temperata. Nullus eſt ſtomachus,qui velit crudam veritatem recipere. Quemadmodum dicenda eſt veritas docet diuus Paulus ad Timotheum ita ſcribens: *Prædica verbum,inſta oportunè importunè,argue,obſecra,increpa, in omni patientia & doctrina.* Aſpicis diuũ Paulum docentem eſſe cum veritate patiẽtiam & doctri-
C nam coniungendam. Et animaduerte. Non dicit: Loquere,ſed *clama*.acſi dicat: Nó ſatis eſt veritatem dicere,ſed neceſſe eſt vocem eleuare. Ad tantam peccatorum ſurditatem,ad tam profundum & arctum ſomnum,opus eſt magnis clamoribus. Nec dicit: Clama,
ſimile & ſtatim ceſſa,ſed *clama, ne ceſſes*. Nam vt qui pinum vult ſecare,etſi nec primo ictu,nec ſecundo, nec tertio,illam præcidat, non tamen à ſectione deſiſtit: ſic etſi concionator nec primo ſermone, nec ſecundo, nec tertio,moueat & perſuadeat, non debet tamen à concionibus deſiſtere. Ita ait Deus apud Eſaiã alio in loco: *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die & tota noctè in perpetuum non tacebunt.* Perpende etiam. Non ſolùm dixit: *Clama, ne ceſſes*, ſed addidit:
Oſee.8. *Quaſi tuba exalta vocem tuam.* Ita Oſeæ dicebat Deus: *In gutture tuo ſit tuba.* Vbi vides verã prædicationem cum tuba comparari. Vt enim in ſine mundi ad ſonitũ tubæ,vt ait in epiſtola prima ad Corinthios. c.15.
Math.24 Apoſtolus, & apud Matthæum ipſa Veritas, mortui audita concione reſurgunt. Et cõparans Deus Eſaiæ concionem tubæ ſonanti, voluit ſignificare Iudæos eſſe mortuos,quos volebat tuba excitari,& ad vitam animæ redire. Comparat etiam Deus concionẽ cum tuba,quoniam,vt tuba ad bellum vocat & excitat, ſic concio ſuadet ad fortiter cum mundo, carne & diabolo pugnandum. Præterea ſolet tuba in ſolennitatibus tonare ad gaudium nuntiandum. Ita dicitur in Pſalmo: 80. *Buccinate in neomenia tuba,in inſigni die ſolennitatis veſtræ:* ſic concionator debet excitare ad laborem in præſenti,& ad gaudium in futuro. Hîc eſt locus vincendi,ibi triumphandi: hîc breuis laboris, illic ſempiternæ quietis:hîc pœnę trãſeuntis,ibi gloriæ permanẽtis. His rationibus & aliis exiſtimo concionem tubæ comparari. Nam & alio loco apud hunc noſtrum prophetam dixit Deus: *In montem excelſum aſcende, qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam,qui euangelizas Ieruſalem: exalta noli timere.* Hoc autem in loco poſtquam dixit: *Quaſi tuba exalta vocem tuam*, addidit: *Annuntia populo meo ſcelera eorũ.* Vbi vides concionatoris officium eſſe ſcelera reprehendere. Hoc docuit apud Ioannem c. 16. Chriſtus, ita apoſtolis dicens: *Cùm venerit Spiritus ſanctus, ille* F *arguet mũdum de peccato,&c.* Quaſi diceret: Vos pleni Spiritu ſancto mundum arguetis,eiúſque ſcelera nũtiabitis, & timore depulſo reprehendendi habebitis libertatem. Nullum eſt mare, in quo poſſit libertas boni Spiritus obrui,quin veritatem annuntiet. Diuus Hieronymus tuba illa diuina ita in quodam loco ait: Licet hydra ſibilet,victórque Simon incendia iactet, nunquam meum adiuuante Chriſto ſilebit eloquium: etiam præciſa lingua balbutiet. Hæc glorioſus ille Hieronymus. In Eccleſiaſte ita ſcriptum legimus: *Verba ſapientium quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi.* Non enim debent palpare,ſed pungere. Nónne verba diui Ioannis erant ſtimuli & claui, cùm regem Herodem audacter argueret,& Phariſæos genimina viperarum appellaret? Lege concionem diui Stephani ad Iudæos, & videbis ſtimulos & clauos pungentes, ipſóſque Iudæos duriter cruciantes. Ex quibus colligitur non debere euangelicos concionatores manifeſta ſcelera ſilentio tranſire, quod Deus per Eſaiam alio in loco his verbis ſignificauit: *His qui lætantur ſuper muros cocti lateris loquimini plagas ſuas.* Et hîc *Annuntia populo meo ſcelera eorũ.* Sed quoniam

Supr. 40. *Eccl. 12.* *Matt. 3. Act.7.*

omni

A omni vitio debet carere, qui in alterum paratus est dicere, debet concionator operibus bonis concionem
similitudo suam sustentare. Vt tuba dum sonitum emittit, manibus tenetur, sic concio manibus, hoc est, concionatoris operibus sustentatur. Voces enim & actiones simul iunctæ harmoniam & concentum excellentem efficiunt. Opus est, vt & tuba sonet, & manus sint ad eam tenendam eleuatæ. Id voluit aliis verbis scriptura in libro Iudicũ c. 7. significare, vbi ait, eos qui erãt
figura. cum Gedeone aduersus Madianitas pugnaturi in manibus lampades cum igne, & tubas sonantes portare. Tubæ sonantes sunt verba, lampades verò in manibus sunt præclaræ virtutum actiones & exempla, iuxta id quod ait Christus: *Sint lumbi vestri præcincti, &*
Luc. 12. *lucernæ ardentes in manibus vestris.*

b *Me etenim de die in diem quærunt.*) Ita nunc multi
simile. de die in diem proponunt se à vitiis ad Deum conuersuros, at nunquam conuertuntur, similes nautis in portu qui cotidie proponũt egredi, & dare vela ventis, & nunquam soluunt, donec præterito nauigandi tempore, nauis in portu putrescat & cõsumatur. Prętereunt quadragesimæ & quadragesimæ, & nunquam à vitiis abducũtur, quotidie se ab illis abducere proponentes. O ignauiam deplorandam! Eleuate anchoras: præcidite earum funes, quia amittitis tempus, &
Matt. 7. æstum, & ventum prosperè atque mirabiliter flantem, Iudæi de die in diem Deum quærebant, sed eum
B non inueniebant, quia se à vitiis non separabant. Si verè eum quærerent inuenirent: ait enim Christus:
Num. 11. *Qui quærit inuenit.* Sed sunt multi, qui Deum corpore quærere videntur, cùm animo ab eo longius fugiant. Filij Israel in deserto pergebant corpore ad terram promissionis, animo autem in Aegyptum reuertebantur, eius allia, porros, & cucumeres desiderantes: ideò ad terram promissionis non accesserunt. Sic multi Deum non inueniunt, quia interius non quærunt: quem exterius quærere videntur: Potest hoc ita intelligi: A me quotidie veritatem quærunt. Nam sequitur statim: Et scire vias meas volunt, quasi gens, quæ iustitiam fecerit.

c *Humiliauimus animas nostras, & nescisti.*) Hoc est, non approbasti. Vel sic: ienunauimus, & abiecimus nos ipsos, & non respexisti nos.

d *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur volũtas vestra.*) Verba sunt Dei respondentis hominibus iniquis, interrogantibus cur Deus ad eorum ieiunia non aduerteret. Quia, inquit, quando ieiunatis, non meam voluntatem facitis, sed vestram. Aspicis quid secum nobis afferat incommodi voluptas nostra. Oportet igitur eam abnegare, & appetitum rationi obedien-
C tem præbere, si volumus, vt Deus ad nostra ieiunia, & alia bona opera respiciat. Potius enim Deus ad volũtatem nostram respicit, quàm ad opus. Et ita ait
Gen. 4. scriptura: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Prius dicitur ad ipsum, quàm ad eius munera respexisse. Et quoniam Iudæi scelere & maleficio pascebantur, quamuis se à cibis abstinerent, non approbabat Deus eorum ieiunia, quoniam parum prodesse stomachum ab escis vacuum, si anima plena est sce-
Mat. 4. leribus. Bonum est ieiunium, nec Deus illud reprobat, imò maximè approbat, ipse enim quadraginta dies & quadraginta noctes ieiunauit. Sed reprobat ieiunium ob malum finem, ab illis factum, qui mortiferis sceleribus implicantur. Sed de ieiunio aliàs differuimus.

e *Et omnes debitores vestros requiritis.*) Nempe ad eos opprimendos & vexandos. Arguit Iudæorum auaritiam, & in pauperes debitores suos immanitatem exigebant enim ab illis debitum absque vlla misericordia.

f *Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem.*) Non damnat ieiunium quod maximè approbat, sed docet D non esse in mortiferis peccatis faciendum, nec ad ostentationem.

g *Vt audiatur in excelso clamor vester.*) Sensus est: Si vultis, vt ego audiam clamorem & preces vestras in cœlo, ieiunare multò aliter, quàm hucusque ieiunastis. Vel sic: Non ita ieiunetis, vt audiantur in excelso laudes, quibus vos ipsos ob ieiunia vestra affertis. Non ieiunetis ad gloriam inanem captandem. Vel loquitur de clamore oppressorum.

h *Nunquid contorquere quasi circulum caput suum.*) Hoc ideò dicit, quia solebant vani Iudæi ad mundi gloriam comparandam caput curuare, & ambulare gibbose instar circuli, & sacco indui, & cinere aspergi, vt fictam sanctimoniam ostenderent. Tales sunt hypocritæ, qui volunt potius orichalcum, quia splédidi auri colorem habet, quàm, purificatum argentum, quia talem non habet splendorem. Fortasse circundabant Iudæi caput fune in modum circuli, vt hoc signo, pœnitentiæ alios fallerent, & religionem fingerent. Sed Deus tales fictiones non vult, Salutare est ieiunium & necessarium, similiter & pœnitentia, sed debent interiora exterioribus respondere.

i *Dissolue colligationes impietatis.*) Hoc est, codices, E in quibus debitores nomina faciunt, & fœneratores expensum ferunt. Quasi dicat: Rescinde chirographa, quibus impiè obligas debitores tuos ad vsuras tibi soluendas. Solebant enim Iudæi miseris pauperibus pecunias ad vsuram accommodare & statuto solutionis tempore eos immaniter opprimere. Hæc chirographa appellat statim fasciculos deprimentes, hoc est, codicillos quibus debitores opprimebant. Ita hunc locum intellexerunt Septuaginta illum in hunc modum vertentes. *Dissolue obligationes violentarum cautionem. Dimittere fractos in remissionem, & omnem scripturam iniquam concide.* Non prohibet Deus iustum debitum exigere, sed iniustum, & extra tempus & absque misericordia.

k *Dimitte eos, qui confracti sunt, liberos.*) Dimitte liberos eos, qui oppressi sunt paupertate, qui tibi soluere nullo modo valent.

l *Frange esurienti panem tuum.*) Id quod tribuis pauperi, Deo tribuis, ille enim ait: Matth. c. 25. *Quod vni ex his minimis feciſtis, mihi feciſtis,* Si Deo non tribuis buccellam panis, quo animo petis ab eo regnũ? Petit à te pauper eleemosynam, non eam petit gratis, sed maiori precio, quàm quod possit in mundo excogitari, nempe amore Dei. Audis amorem Dei, F audis tam incompãrabile precium, & adhuc non moueris! O duriciem insignem! Si amas diuitias, custodi eas in cœlo, & illic eas inuenies cum fœnore reseruatas. Pauperes enim eas tibi securè in cœlum asportabunt. Ait enim Salomon in Prouerbiis cap. 19. & 21. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* Et alibi: *Facere misericordiam & iudicium magis placet Deo, quàm victimæ.* Et paulò post: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis ipse clamabit, & non audietur.* Et Iacobus Apostolus in 2. epistola sua. *Iudicium enim, inquit, sine mi* Ioel 2.
sericordia illi, qui non facit misericordiam. Contrà verò de eleemosyna ait Tobias ca. 4. *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Ideò ait Ecclesiasticus cap. 29. *Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, & proderit tibi, magis quam aurum.* Et alibi Ecclesiastic. capite. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.*

m *Et egenos vagósque induc in domum tuam.*) Vnde diuus Paulus ad Hebræos cap. 13. scribens, *Nolite,* inquit, *hospitalitatem obliuisci, per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio receptis.* Hoc enim de Abra-

hamo

A hamo & Lot ſcriptura commemorat. Vt enim piſca-
Gen. 18. tores, iactis in mare retibus ad piſces attrahendos,
Genes. 19 attrahunt aliquando precioſas margaritas, ſic hi ca-
ſimile. ptantes homines piſcati ſunt angelos. Imò qui pere-
grinos propter Chriſtum recipiunt, ipſum Chriſtum
Matth. 10. recipiunt. Ita aſſerit idem Deus apud Matthæum 10.
Luc. 10. & Lucam 10. etiam dicens: *Qui recipit vos, me recipit: & qui recipit me, recipit eum qui me miſit.*

n *Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.)* Hoc commemorat ſcriptura multis in locis. Sed heu quàm male hoc obſeruatur. Videmus multos precioſis ac ſuperuacaneis veſtibus abũdare, & ad eorũ ianuas nudos pauperes frigore perire. Operiunt parietes magnificis aulæis, eóſque picturatis & ſpectabilibus pannis obtendunt, Chriſti autem pauperes nudos relinquunt. Id quod ait: *Et carnem tuam ne deſpexeris*, hunc habet ſenſum: Ne contemnas pau D peres, quoniam eiuſdem tecum naturæ ſunt. Vel refertur ad conſanguineos. Sunt enim nonnulli qui cũ diuitiis affluant, conſanguineos pauperes deſpiciunt. Huic interpretationi fauet verſio Septuagintã ita habens: *Et domeſticos ſeminis tui ne deſpexeris.*

o *Tunc erumpet quaſi manè lumen tuum.)* Si hoc feceris, eris à Deo illuminatus, & veluti manè oritur Sol præcedentibus tenebris, ſic te Sol iuſtitiæ illuſtrabit. Vel ſic: Tunc eris felix, & omnia tibi ad voluntatem fluent. Et hoc modo capitur lumen pro proſperitate.

p *Et anteibit faciem tuam iuſtitia tua.)* Si feceris hoc, iuſtitia tua te ducet in æternam beatitudinem, vbi cũ patribus ſanctis congregaberis.

ANNOTATIONES
ex Hebræo in
CAPVT LVIII.

1 Clama ne ceſſes.] *In Hebraico eſt*, אל־תחשׂך קרא בגרון *Kera vegaron altachxoc. Quæ verba ita poſ-*
b *ſunt verti*: Clama in gutture, ne retineas. *Dictio enim garon guttur ſignificat, quæ in Hebraico ſcribitur, & fuit ab interprete noſtro prætermiſſa. Pagninus vertit:* Clama in gutture, ne prohibeas clamorem. *Sed in Hebraico non eſt dictio, clamor, quam Pagninus addidit. Voluit Deus iis verbis ſignificare verba concionatorum mundi ſcelera debitè increpantia non eſſe concionatorum ſed Dei.* Ideò, *inquit*, Clama, ne prohibeas clamorem. *Quaſi dicat: Clamor, quo hominum flagitia redarguuntur, non eſt tuus. Deus eſt qui loquitur, & mundum arguit, ideò noli talem clamorem prohibere. Eam ob cauſam dicebat Chriſtus apud Ioannem ca. 16. concionatores ſuos allo-* E *quens:* Cùm venerit Spiritus ſanctus, ille arguet mundum de peccato. *Concionatores loquebantur, ſed Deus erat qui per illos loquebatur, mundique ſcelera reprehendebat.*

2 Et omnes debitores veſtros repetitis.] *In Hebraico pro debitoribus veſtris eſt* מכל־עצבכם *atſabechem. Nomẽ eſt* עצב *eſeu, quòd ſignificat præter alia ſubſtantiam, ſiue diuitias, & idolum. Ideò poteſt verti.* Et omnes pecunias veſtras repetitis. *Vel*, Et omnia idola veſtra exigitis. *Diuitiæ enim idola ſunt. Vnde diuus Paulus a-* Epheſ. 5
uaritiam idolorum appellat ſeruitutem.

Tunc [a] inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adſum. [b] Si abſtuleris 1 de medio tui catenam, [c] & deſieris extendere digitum, & loqui quod non prodeſt. [d] Cùm effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, [e] orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus Deus ſemper, & [f] implebit 2 ſplendoribus animam tuam, [g] & oſſa tua liberabit: & eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. [h] Et ædificabũntur in te deſerta ſeculorum 3 fundamenta generationis
C & generationis ſuſcitabis: & vocaberis ædificator ſepium, auertens ſemitas in quietem. [k] Si auer- F
teris à ſabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo, [l] & vocaueris ſabbatum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum, & glorificaueris eum, dum non facis vias tuas, & non inuenietur voluntas tua, 3 vt loquaris ſermonem. Tunc delectaberis ſuper Domino, [m] & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui: os enim Domini locutum eſt.

a *Tunc inuocabis.)* Si hæc feceris, audiet Dominus preces tuas.

b *Si abſtuleris de medio tui catenam.)* Nomine catenæ intelligitur omnis vſuraria & impia obligatio, & tyrannicum iugum.

c *Et deſieris extendere digitum.)* Hoc eſt, aliis pœnas minari, & ſuperbè loqui. Solent enim homines irati manus atque digitos extollere, & extendere, & verba ferocia & amarulenta dicere, acſi & digitis & verbis velint aliorum oculos auferre. Vel, ſi deſieris extendere digitum ad rem alienam. Vel, ſi deſieris eligere indignum magiſtratum. Solebant enim veteres digitis dare ſuffragia. Septuaginta habent: *Si abſtuleris à te colligationem & ordinationem.* Fortaſſe per ordinationem intelligunt magiſtratuum creationem. Pagninus vertit: *Vt non mittas digitum in rem alienam.*

d *Cùm effuderis eſurienti animam tuam.)* Hoc eſt, cùm pauperum ita miſertus fueris, vt in illos animam tuam effundere videaris. Vel capitur anima pro vita, quam pro animæ ſalute proximorum fundere debemus.

e *Tunc orietur in tenebris.)* Hoc eſt, calamitates tuæ in gaudium conuertentur. Vel ſic: Ablatis peccati tenebris eris gratia illuminatus.

f *Implebit ſplendoribus animam tuam.)* Vt impij anima eſt tenebris & caligine peccatorum obuoluta, ſic iuſti anima eſt gratiæ ſplendore illuſtrata. Id voluit ſacra ſcriptura in Exodo ca. 10. ſignificare, vbi ait, Aegyptiis tenebris circunfuſus, Hebræos in luce fuiſſe verſatos.

g *Et oſſa tua liberabit.)* Id eſt, non ſolùm animam à malis interioribus, ſed etiam corpus à malis exterioribus literabit. Sunt qui per oſſa maiores animæ

partes

A partes intelligant.

h *Ædificabuntur in te deserta seculorum.*) Hoc est, mundi vastitatem restaurabis & vrbes euersas tua virtute restitues. Quasi dicat: Virtutes quæ quondã viguerunt,& posteà ruerunt, suscitabis. Vigebit innocentia Abel, obedientia Abrahami, continentia Ioseph,mansuetudo Dauidis,aliorúmque sanctorum virtutes reflorebunt. Præbebis exemplum, quod nulla vnquam deleat obliuio.

i *Fundamenta generationis & generationis suscitabis.*) Hoc est,reparabis fundamenta à multis annis interrupta & imperfecta. Et vocaberis ædificator sepium, hoc est,ruinarum restitutor, atque laboris semitas in vias quietis spiritualis conuertes. Acsi dicat: Dabis operam vt homines in vera pace,animíque tranquillitate vitam degant.

k *Si auerteris à sabbato pedem tuum.*) Id est, Si non ambulaueris in die sabbati. Loquitur de Sabbati obseruatione. Sequitur: *Facere voluntatem tuam in die sancto meo.* subaudi si auerteris. Quasi dicat: Si non feceris voluntatem tuam in die sabbati, sed meam. Si ratio teneat & coerceat appetitus, ne modum transeuntes,& obedientiam abiicientes, animũ perturbent,eiúsque constantiam à sua sede & statu deiiciant.

l *Et vocaueris sabbatum delicatum,& sanctum Domini glorioſum.*) Hoc est,Si vocaueris sabbatum delicias tuas,& diem sanctificatum Domino. Si ita diem festum suspexeris & obseruaueris, vt vias tuas derelin quas,effrænatæ voluntati tuæ obsistas, & ne verbum quidem, quod pias aures offendat, loquaris. Vide quoties Deus nos exhortatur ad propriam nostram voluntatem fugiendam. Oportet enim eam à nobis reiicere,& in eius loco diuinam voluntatem constituere,pereunt enim omnes,qui suam propriam, non Dei voluntatem ducem sequuntur. Irruunt in eos hostes animæ,& quasi procella iactatos, fractos animo,suam perniciem amplectentes,cõturbant,& quò volunt vehunt,donec eos obruant, & ad ima tartara præcipitent. Ideò dicebat Christus Deus noster: *Qui vult venire post me,abneget semetipsum, & tollat crucẽ suã,& sequatur me.* Quid est negare seipsum, nisi propriam voluntatem reiicere, deprauatúmque appetitum à se penitus alienare? *Matt.16.*

m *Et sustollam te super altitudines terræ.*) Hoc est, faciam te celebrem & glorioſum, atque laudem illustrissimam consequeris. Vel sic: Ducam te ad cœlestem beatitudinem, quæ est hæreditas illa & vera promissionis patria, quam promisi patriarchæ Iacob.

B

ANNOTATIO.

1 Si abstuleris de medio tui catenam.] *Pro catena est in Hebraico* מוטה *motah, quod significat etiam iugum, impietatem, declinationem. R. D. exponit*: Si remoueris è medio tui opera mala. *Thargum* declinationem. *Quasi dicat: Si à recta via non declinaueris. Declinare a recta via est catenam construere, qua nos ipsos ligamus,& in dæmonis carcerem conijcimus:& est ipsius dæmonis iugum suscipere.*

2 Et implebit splendoribus animam tuam.] *Potest verti*: Implebit in siccitatibus animam tuam. *Quasi dicat: Pereuntibus aliis siccitate & inopia,te implebit Deus,& saturabit: Et ita vertit Pagninus*: Et saturare faciet in siccitatibus animam tuam. *Nam in Hebraico est* בצחצחות *betsachtsachoth, Quæ dictio & splendores & siccitates significare potest.*

3 Vt loquaris sermonem.] *Septuaginta habent.* Neque loqueris verbum in ira de ore tuo.

Argumentum capitis LIX.

Ostendit Propheta flagitia nostra nos à Deo separare. Et connumeratis Iudæorum sceleribus queritur apud eos pacem,iudicium, & institiam,veritatẽ, & æquitatem corruisse,& esse velut in exilium pulsas,& è terris exterminatas. Dolet reipublicæ casum, quoniam quanto quis est aut innocentia, aut probitate præstantior,tanto acerbius ab impiis aliquando affligitur,sed ostendit Deum esse suorum acerrimum defensorem.

C F

CAPVT LIX.

Nu.11.a Sup.50.a

ECce a non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius,vt non exaudiat. Sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum,& peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret. b Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate: labia vestra locuta sunt mendacium & lingua vestra iniquitatem fatur. c Non est qui inuocet iustitiam, d neque est qui iudicet verè: e sed confidunt in nihili,& loquuntur vanitates. f Conceperunt g laborem, & pepererunt iniquitatem. g Oua aspidum ruperunt, h & telas araneæ texuerunt: qui comederit de ouis eorum morietur,& quod confotum est erumpet in regulum. Telæ eorum non erunt in vestimẽtum,neque operientur operibus suis: opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. Pedes eorum ad malum currunt,& festinant vt effundant sanguinem innocentem: cogitationes eorum cogitationes inutiles: vastitas & contritio in viis eorum. Viam pacis nescierunt, & non est iudicium in gressibus eorum, i semitæ eorum incuruatæ sunt eis, k omnis qui calcat, in eis, ignorat pacem. l Propter hoc elongatum est iudicium à vobis, & non apprehendet vos iustitia: expectauimus lucem,& ecce tenebræ splendorem, & in tenebris ambulauimus. Palpauimus sicut cæci parientem, & quasi absque oculis attrectauimus, impegimus meridie quasi in tenebris m in caligino sis quasi mortui. n Rugiemus quasi vrsi omnes, & quasi columba meditantes gememus. Expectauimus iudicium,& non est: salutem, & elongata est à nobis.

Sup.1.d. Isa.15.b Prou.1.b Rom.3.e.

EXPLA

A D

EXPLANATIO.

a *Ecce non est abbreuiata manus Domini.*) Connectũ tur hæc verba ad finem capitis præcedentis: Dixerat Deus daturum se viris iustis magna bona, sed quia poterat aliquis dicere: Si Deus est omnipotens cur nos non eripit à calamitatibus, in quibus miserè versamur? respondet Propheta huic tacitæ obiectioni, id esse non ob Dei imbecillitatem, sed ob eorum scelera. *Non est enim*, inquit, *abbreuiata manus Domini*, hoc est, non est nunc minor potentia diuina, quàm olim, quando vos ab Aegyptiis mirabiliter eripuit. Est enim Deus semper omnipotens, qui vniuersam naturam immensa virtute coercet & continet. Neque ægritudine aliqua auriũ laborat, vt vos nequeat exaudire. Sed impia vestra facinora vos à Deo segregarunt, eúmque à vobis auerterunt. Accipitur hic manus pro potentia, quemadmodum aliis in locis. Aspicis hoc in loco peccatum esse murum nos à Deo diuidentem. Et quemadmodum mortiferum pecca- *simile.*
B tum nos à Deo diuidit, sic charitas nos cum eo coniungit & consolidat. Vt enim diuisa æra igne solidantur, sic opus est igne charitatis, vt possimus esse cũ Deo coniuncti. Nec solùm à Deo, sed nos etiam à nobisipsis peccatum diuidit, éstque gladius acutus diuidens animam à vita, & à nobis Dei faciem & aures auertens. Considera quantam nobis peccatum afferat incommoda. Ieremias appellat illud nubem nostras preces impedientem, & Esaias hoc in loco murum nos à Deo separantem. Quomodo autem Deus
Thren. 3. non exaudiat peccatores, capite primo explanauimus.

b *Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine.*) Obiicit Iudæis mortem prophetarum, multorúmque virorũ illustrium, quos ipsi falsis criminibus ad excidiũ vocarunt, & impiè occiderunt. Perpende obsecro, & altè considera Dei erga viros iustos charitatem. Dereliquerant Iudæi Deum suum, & idola Gentium turpiter coluerant, & non illis obiicit hanc iniuriam in seipsum iactam, sed cædem virorum sanctorum. Vbi vides quanti Deus ipsos faciat & æstimet. Fuisse autem Iudæos prophetarum homicidas, indicat iis verbis diuus Stephanus in oratione illa vehementi, quam apud eos habuit, quam diuus Lucas inter Apo-
Act. 7. stolorum acta literis mandauit. *Quem prophetarũ non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænũ-*
C *tiabant de aduentu iusti, cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuistis.* Hic iustus Christus est, de cuius aduentu Prophetæ fuerunt vaticinati. Sed quid cito Stephanum? Ipse Christus Deus noster apud Matthæũ hoc ipsum capite vigesimotertio multis verbis ostẽdit. Vbi in fine capitis, *Ierusalem*, inquit, *Ierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, &c.* Et quamuis hæc expositio sit apta & perspicua, ego tamen existimo hunc sanguinem esse eum, quem Iudæi super se acceperunt, dicentes *sanguis eius super*
Mat. 27. *nos, & super filios nostros.* Petierunt sanguinem Christi, eúmque in cruce pro nobis immolatum immaniss simè occiderunt.

c *Non est qui inuocet iustitiam.*) Hoc est, qui iusta loquatur. Ita Septuaginta hunc locum transtulerunt.
1. Cor. 1. Vel, *non est qui clamet debere fieri iustitiam.* Vel, *non est qui inuocet Christum.* Ipse enim, vt ait diuus Paulus, *factus est nobis sapientia & iustitia.* De qua iustitia potest intelligi id, quod ipse Christus ait: *Quærite primũ*
Matt. 6. *regnum Dei & iustitiam eius.*

d *Nec est qui iudicet verè.*) Potest hoc huic nostro tempori rectè accommddari. Est enim nunc iustitia *simile.* veluti statera, quæ illi parti inclinatur, cui maius põdus apponitur, illi fauet non qui iustum exigit, sed qui plus muneris iudici offert. Scio tamen multos esse iudices iustitia præstantes. Sed ego de iniustis tãtùm loquor.

e *Sed confidunt in nihili.*) Mundi potentiam & opes nihil appellat. Ita Ieremias, *Aspexi*, inquit, *terram, & ecce vacua erat nihil.*

f *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.*) Hoc est decreuerunt peccare, & quæsierunt quomodo deprauatam cogitationem in effectum producerent, inuentóque modo tetrum facinus commiserũt. Propositum peccandi appellat dolorem. Nemo est enim tantis vitiis coinquinatus, qui virtutis altitudinem, & rationis præstantiam non iudicet esse magnopere colendam. Ex quo efficitur, vt peccando dolore quodam afficiatur. Vel conceperunt dolo- E
rem, quo erant alios affecturi, & postea se scelerum ministros præbuerunt, & fratres suos immaniter vexarunt.

g *Oua aspidum ruperunt.*) Hoc est, iniqui aperuerũt cogitationes suas malas, eas in effectum producentes, & qui fuerit earum particeps, & tam tetra & pestilentia consilia fuerit secutus, peribit. Ex talibus enim cogitationibus & consiliis nihil nisi venenum producitur. Comparat iniquorum nefarias cogitationes & consilia ouis aspidum quæ tunc rumpũtur, cùm operibus perpetrantur. Ex illis dicuntur comedere ij, qui ea approbant, & sequuntur. Id quod in illis confouetur, & ex illis nascitur est regulus pestilens animal, quod etiam basiliscus appellatur: idem enim est βασιλεὺς quod rex, & βασιλίσκος quod regu- *similia.*
lus. Appellatur autem ita, quod habeat in capite circulum quendam album instar diadematis. Intuere elegantem Prophetæ similitudinem. Oua aspidum foris sunt alba, oculis grata, & pulchra, intus autem veneno plena: sic flagitiosorum hominum consilia licet prima specie appareant vtilia, sunt tamen pernicioſa, fallaci vtilitatis aut voluptatis imagine pestilentem malitiam tegentia. Et quemadmodum qui F
aspidum ouа frangunt, seipsos occidunt, quoniam ex ipsis ouis erumpit venenum fractores inficiens & necans, sic qui flagitiosas cogitationes & tetra consilia in effectum producunt, sibi ipsis perniciem machinãtur. Aspis est paruus serpens veneno occidens, somniculosus appellatus, quod somnum letiferum percussus emittat.

h *Et telas araneæ texuerunt.*) Admirabili artificio & subtilitate conficit aranea telam suam, sed in aere. Ex quo efficitur vt ipsa tela simul cum aranea facilè frangatur & pereat: Sic sceleratorum hominum cogitationes & consilia licet ingeniosa & subtilia videantur, vana tamen sunt, & in aere constituta. Vnde euenit, vt dum alios irretire volunt, ipsi irretiti capiantur. Vide quàm fragili rei hominum vanorũ cogitationes atque consilia comparet. Cor humanũ est textrina, vbi hæ telæ struuntur. Sed homo orditur telam, Deus verò eam scindit, & fila tenuissima lon- *simile.*
gissimè extensa facillimè resecat. Vanum est cor hominis superbi & impij, & omnia eius consilia euanescunt, & omnis mundi potentia, opes, & diuitiæ, quas concipit & appetit, vanæ sunt, & inutiles, simúlque cum ipso corde, vbi sunt sculptæ & descriptæ, labefactantur, & penitus consumuntur, anima autem in

inis

A imis tenebris suarum vanitatum pœnas luit. Videbis in papyro defixa in pariete pictas turres, vrbes, alta mœnia, maria terras, & vniuersum denique orbem terrarum descriptum: cadit aquæ gutta, & papyrum cum tota mundi descriptione corrumpit, & penitus absumit, & perdit. Videbatur mundus, & erat papyrus & attramentum: papyrus rumpitur, & attramentum deletur. Quid est superbi ac vani hominis cor, nisi quædam mappa mundi, quædam orbis descriptio in papyro depicta? At puncto temporis omnia illa prætereunt & euanescunt, & instar fragilis papyri absumuntur. Id voluit fortasse significare Orontius insignis Mathematicus, qui orbis descriptionem in corde quodam depicto in papyro collocauit. Nos verò non pictas opes & diuitias quæramus, nec animum, in quo est veræ nobilitatis domicilium, talibus vanitatibus deformemus, sed illas quæramus opes, ex quibus intellexerimus posse veram dignitatem efflorescere & redundare, quas nec casus possit eripere, nec inuidia labefactare, neque vetustas vlla consumere. Ne nobis dicatur id, quod ait hoc in
B loco Esaias: *Et telas araneæ texuerunt.* Et paulò pòst: *Cogitationes eorum cogitationes inutiles, vastitas & contritio in viis eorum.* Quasi dicat: non solùm sunt vani sed impij. Nam ad hoc tendunt viæ suæ, vt alios vastent & conterant, vt aliis depressis, ipsi eleuentur, & falsos honores, in quibus beatitudinem constituunt, consequantur. Sed *beatus vir*, inquit Prophe-
Psal. 39. ta, *cuius est Dominus spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas.*

similc.

i *Semitæ eorum incuruatæ sunt eis.*) Ambulant per vias obliquas & inæquales.

k *Omnis qui calcat in eis, ignorat pacem.*) Id est, Omnis qui iniquorum hominum inæquabiles vias & deprauatos mores sequitur, est omnino à pace alienatus. Viæ inæquales inimicæ sunt pacis. Aspicis hic inæqualitatem matrem esse discordiæ, quod alio in loco annotauimus. D

l *Propter hoc elongatum est iudicium à nobis.*) Aspicis hîc peccata esse causam alienationis iudicij. Potest hoc de iudicio fori intelligi, vt sit sensus: Ob vestra scelera permittit Deus, vt opprimamini, & non sit iudicium nec iustitia, quæ iniurias in vos iactas vlciscatur. Annumerat se sanctus Propheta cum populo scelerato, cùm nullis mortiferis peccatis esset astrictus. Quidam codices habent: *Propter hoc elongatum est iudicium à vobis.*

m *Incaliginosis quasi mortui.*) Versamur in locis obscuris, acsi essemus mortui, & in sepulchris iaceremus. Quasi dicat: premimur summis calamitatibus & E
afflictionibus. Afflicti & ærumnosis homines etsi in vrbibus florentissimis, & maxima rerum omnium affluentia vitam degant, tamen in tenebris ob ærumnarum angustias, quibus premuntur, esse videntur. Potest hoc referri ad obscuritatem intellectus peccatorum à sceleribus productam, qui etiam in luce meridiana adeò sunt tenebris circunfusi, vt dies vertatur illis in noctem, quemadmodum iustis contra nox vertitur in diem. iuxta id, quod quidam dicebat: Psal. 138.
Nox illuminatio mea in deliciis meis, quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur.

n *Rugiemus quasi vrsi omnes.*) Clamabimus, nostram miseriam deplorantes.

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT LIX.

1 Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.] *Pro iniquitate est in Hebraico* אוֶן *auen. Quo nomine vsus est Esaias capite trigesimosecundo, vbi etiam noster interpres vertit iniquitatem, dicens:* Et cor eius faciet iniquitatem. *Pro quo Septuaginta transtulerunt:*
C Vana intelliget. *Significat etiam* אוֶן *vanitatem, & luctum. Omnis enim iniquitas est vanitas & luctus. Quid potest esse vanius quàm pro rebus humanis amittere diuinas? Quid insipientius quàm pro paruis, vilibus, & fluxis, magna, preciosa & æterna commutare, dare cœlum pro terra, animam pro corpore, vitam pro morte, Deum pro mundo? Prudentes mercatores volentes ad extraneum aliquod regnum proficisci, ea emunt, quæ in suo regno vili precio venduntur: in altero autem, quo tendunt, magni æstimantur. Nos contrà ex hac vita ad aliam profecturi, ea hîc emimus, quæ maximi pendimus, & in alia vita nihil valent. Violamus iura diuina & humana ad comparandam inanem famam, vitiorum plerunque laudatricem, ad acquirendas opes, & pestiferas voluptates. Et pro illis,* F
quæ in altera vita nihil prosunt, res summas & preciosissimas commutamus. Vnde rectissimè iniquitas nostra vanitas appellatur. Et illud Psal. 74. vbi nos habemus: Dixit iniquis, Nolite iniquè agere, *vertit Fœlix:* Dixi insipientibus, nolite insanire. *Esse autem iniquitatem luctum apertè indicat vermis conscientiæ. Vnde illud Psal. 138.* Et vide si via iniquitatis in me est, *vertit Fœlix:* Et vide si via afflictionis in me est. *Diuus Hieronymus vertit* viam doli. *Omnis enim iniquitas affligit spiritũ, & est dolus & fallacia. Cùm enim iniquè agimus, aut alios fallimus, aut nos ipsos decipimus.*

Multiplicatæ[a] sunt enim iniquitates nostræ corã te,[b] & peccata[1] nostra respõderunt nobis, quia scelera nostra nobiscũ, & iniquitates nostras cognouimus, peccare & mentiri contra Dominũ,[c] & auersi sumus ne iremus post tergum Dei nostri: vt loqueremur calũniam & transgressionem: cõcepimus & locuti sumus de corde verba mendacij.[d] Et conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longè stetit:[e] quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in obliuionem:[f] & qui recessit à malo, prædæ patuit: & vidit Dominus, & malũ apparuit in oculis
Ephes. 6. e 1 Thes. 5. b eius, quia non est iudiciũ,[g] & vidit Deus quia non est vir:[2] & aporiatus est,[h] quia nõ est qui occurrat:[i] & saluauit sibi brachium suũ, & iustitia eius ipsa confirmauit eum:[k] Indutus est iustitia vt lorica, & galea salutis in capite eius. Indutus est vestimentis vltionis, & opertus est quasi pallio zeli. Sicut ad vindictã quasi ad retributionẽ indignationi hostibus suis, & vicissitudinẽ inimicis suis.
Rom. 11. d [l]Insulis vicem reddet. Et timebunt qui ab Occidente nomen Domini, & qui ab ortu solis, gloriã eius,[m] cũ 3 venerit quasi fluuius violentus quem Spiritus Domini cogit,[n] & venerit[4] Sion redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus, Hoc fœdus meũ cum eis dicit Dominus:[o] Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedunt de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, à modo & vsque in sempiternum.

A a *Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te.*) Ideò dicit *coram te*, quia multi coram Deo sunt nefariis sceleribus contaminati, qui ab hominibus iusti censentur. Contrà verò multi ab hominibus scelerati iudicantur, qui coram Deo iusti sunt.

b *Peccata nostra responderunt nobis.*) Id est, nos ipsos condemnauerunt. Nostra scelera aduersus nos ipsos tulerunt sententiam.

c *Auersi sumus, ne iremus post tergum Dei nostri.*) Hoc est, Recessimus à Deo.

d *Conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia de lõge stetit.*) Ob nostra nefaria facinora permittit Deus vt affligamur, nec tamen sit ordo iudicij, nec qui iustitiam exerceat, & de afflictionibus nobis illatis vltionem sumat. Hoc ideò dicit Esaias quia suo tempore regnante Manasse impio tyranno leges nihil valebant, iudicia iacebãt, mos patrius occiderat. Potest hoc intelligi de iudicio & intellectu humano. Est enim perspicuum ob scelera deprauari iudicium, iuxta id quod in libro Sapientiæ c. 2. scriptum legimus: *Excæcauit eos malitia eorum.*

e *Quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.*) Ideò non est iudicium neque iustitia, quia non est veritas nec æquitas. Ex quo colliges sine veritate & æquitate iustitiam non posse consistere. Et animaduertere quemadmodũ propheta exaggeret veritatis casum & ruinam. Si consideret in domo aliqua priuata, in aliquo viculo aut angiportu, non esset ita mirandum, sed *corruit*, inquit, *in platea*, vbi fuit ab hominibus conculcata: cecidit in hominum cœtu & frequentia, & videns se iniuriis affectã aufugit. Aequitas autem videns veritatem oppressam non potuit ingredi. Hoc deplorabat iis verbis Oseas c. 4. *Non est veritas, & non est misericordia, & nõ est scientia Dei in terra.* Hesiodus dicebat iustitia hominum flagitiis offensam mundum deseruisse, & in cœlum euolasse. Saltem id videmus nunc impletum, quod ait Apostolus ad 2. Timot. c. 4. scribens: *Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacernabunt sibi magistros pruritantes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.*

f *Et qui recessit, à malo prædæ patuit.*) Impij regnant, & potentia atque authoritate valent: qui autem studet virtuti, & iustitiam colit, direptioni committitur. Quidam ab eo eripit opes, alius famem, hic eum spoliat quiete, ille infert ei contumelias. Itaque eum illi acerbissimè cruciant & opprimunt, cuius beneficio sustentantur. Mundus eos, quos suos nõ esse cognoscit, grauiter affligit. Ita enim ait Chri-

C stus discipulis suis apud Ioãnem capite 15. *Quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Et in libro Sapientiæ capite secundo dicunt impij: *Circumueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris.* Exod. 34. Postquam Moyses locutus est cum Deo in monte Sinai, posuit velamen super faciem suam, & populus eam videre non poterat. Eodem modo mundus eum videre non potest, qui in altitudine virtutum collocatus cum Deo communicat, & ad illum ardenter aspirat, sed illum odit, & contendit pellere, falsisque criminibus in inuidiam vocare. Camelus priusquam bibat, fontem obturbat, vt aiunt, ne in aqua clara & lucida suam aspiciat deformitatem, tollit atque claritatem, quia est suæ fœditatis speculum. Sic homines scelerati viros virtutum claritate conspicuos student è medio tollere, ne in illis suam deformitatem videant. Est enim vir clarus & iustus speculum, in quo flagitiosi suas notas & tetras maculas intuentur: conferentes enim se cum iustis vident sua scelera virtutibus aliorum opposita clarius eminere: ideò eos affligunt, & fere non possunt. *Qui enim*, vt verbis vtar Pauli, *piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur.* 2. Tim. 3. D
Quid plura? Vide quomodo iniqui Christum tractauerunt. Dicebant verba vitæ, & illi dicebant: *Durus est hic sermo.* Ioann. 6. Inueniebat humana malitia, quid in virtute diuina, & in verbis ipsius veritatis reprehenderet. Faciebat miracula, & dicebant: *In principe Beelzebub dæmonia eiicit.* Matt. 12. Luc. 11. Calumniabatur hominum malitia opera ipsius Dei, donec eum falsis criminibus ad cædem vocauit, & acerbissimis cruciatibus sanciũ immanissimè occidit. Si mundus Christi verba, opera, & vitam, calumniatus est, quid existimas eum ipsius Dei amicis esse facturum? certè qui recedit à malo, & Christum sequitur, prædæ patet, vt hìc ait Esaias.

g *Et vidit Deus quia non est vir.*) In magna ciuitate, in hominum cœtu & frequẽtia nemo erat, qui verè vir appellari mereretur. Ablata enim ratione homo comparatur iumentis insipientibus, & *similis*, vt dicitur in Psalmo, *factus est illis.* Eodem modo dixerat suprà Esaias c. 50. *Veni, & non erat vir.*

h *Quia non est qui occurrat.*) Nempe viro iusto, cùm affligitur. Vel non erat vir iustus qui occurreret Deo irato, séque ipsi opponeret, eum deprecans, & pro hominum salute intercedens. Vbi vides quanti ponderis sint apud Deum iusti viri preces. Oranti Moysi pro duro populo respondit Deus: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.* Exod. 32. Vbi aspicis preces viri iusti Deo se opponere, & eum quasi tenere. Aliàs nõ diceret Deus: *Dimitte me.*

i *Et saluauit sibi brachium suum.*) Hoc est: Videns Deus virum iustum afflictum, nec habentem defen- E
sorem, ipse eum eripuit brachio suo. Poterat hoc ita clarius verti: *Et saluauit eum brachio suo.* Vel: *Et salutem præstitit ei brachium eius.*

k *Indutus est iustitia vt lorica, & galea salutis in capite eius.*) His armis dicitur Deus armatus ad iustos de manu impiorum defendendos. Et iis debemus nos ipsos munire, vt possimus tentationibus resistere & de animæ nostræ hostibus victoriam reportare. Ita enim ait Apostolus in epistola ad Ephesios capite sexto: *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros veritate, & induti loricam iustitiæ, &c.* Diem malum appellat tempus tentationem, quando nos diabolus, mundus, & caro oppugnant superbia, aut inuidia, aut voluptate, aut aliis tentationibus, quas scriptura diuina pericula inferni appellat. In Psalmo 14. vbi communis editio habet: *Pericula inferni inuenerunt me*: habet versio diui Hieronymi pro periculis inferni *munitiones inferni.* Quid enim sunt F
tentationes, nisi munitiones, machinæ, & arma, quibus nos infernus per satellites suos diabolum, mundum, et carnem oppugnat? Ideò ne inermes reperiamur, *induamur armatura Dei*, Quoniam ipse Deus ea ad suorum defensionem dicitur indutus, non solùm hic ab Esaia, sed etiam in libro Sapientiæ.

l *Insulis vicem reddet.*) Hoc est, vlciscetur inimicos suos etiam insulares, et longè remotissimos. Vel per insulares Iudæos Hierosolymæ cultores intelligit. Quemadmodum capite 20. per habitatorem insulæ Iudæos significauit. Appellat autem Hierosolymam insulam, quoniam erat à Babyloniis et postea à Romanis veluti fluctibus cingenda et exagitanda. Videtur Deus his verbis Hierosolymæ euersionem prædicere.

m *Cùm venerit quasi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cogit.*) Id est, cùm Deus venerit euersum Iudæos iratus et omnia vastans, veluti magnus fluuius, vehemens et violentus, procelloso vento ingentíque tempestate coactus. Accipitur spiritus pro vento:

& ad

A & ad ostendendum esse magnum, eum appellat Dei. Ea enim quæ magna sunt, Dei appellantur, vt montes Dei, hoc est alti & excelsi. Vnde illud Geneseos c. 6. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, de vento magno exponit Hieronymus ab Oleastro vir eruditissimus. Septuaginta hunc Esaiæ locum ita verterunt: *Veniet enim quasi fluuius violentus ira Dei, veniet cum furore.* Quæ verba nostram expositionem dilucidant.

n *Et venerit Sion redemptor, & eis qui redeũt ab iniquitate in Iacob.*) Poterunt hæc verba distinctius ita collocari. Et cùm mundi redemptor venerit Sioni, & eis qui relictis superstitionibus idolorũ se ad eccle- D siam contulerint. Quibus verbis Christi in mundum aduentus, & generis humani redemptio significatur.

o *Spiritus meus qui est in te.*) Docet hic locus in ecclesia esse Spiritum sanctum, & verba quæ & Christus, & eius Apostoli docuerunt, nunquam esse ab ecclesia separanda. Id enim quod modò tenet Romana & vniuersalis ecclesia, & quod semper tenuit, fuit, & ab Spiritu sancto inspirantum. Vnde qui ab ea recedit, est planè hæreticus & Spiritu sancto aduersarius.

ANNOTATIO.

y Et peccata nostra responderunt nobis.] *Septuaginta habent: Et peccata nostra restituerunt nobis.*

z Et aporiatus est, quia non erat qui occurrat.] *Pro & aporiatus est, est in Hebraico,* וישתומם *vaiixtomem, à verbo* שׁשׁם, *xamam, quod significat præter alia* B *obstupescere, vt Ieremiæ capite secundo:* Obstupescite cœli super hoc. *Vnde Pagninus vertit:* & admiratus est quia non erat, qui oraret. *Nempe pro afflictis. Septuaginta habent:* Et considerauit, & non erat, qui defenderet. *Occurrere alicui, pro eo intercedere, eum defendere, pro eodem à diuersis interpretibus sumuntur. Afflictis hoc in loco velle Deum, vt eum pro afflictis oremus. Cæterùm dicens propheta, Deum aporiatum aut admiratum esse, loquitur de Deo humano more, vt eum intelligere possimus. Si Deus viuorum precationes pro aliis fusas exaudit, si vult vt viui pro proximis afflictis eum obsecrent, vt eis optata concedat, quanto magis sanctos, qui eo in æterna beatitudine fruuntur, pro viuis intercedentes exaudiet? At negant hæretici diuorum inuocationem, dicentes eos nullas ad Deum fundere precationes: cùm dicat Baruch capite 3. Propheta:* Domine omnipotens Deus Israel audi nunc orationem mortuorum Israel. *Et apud Zachariam capite primo orat Angelus pro populo Iudaico. Sed hac de re aliàs disseruimus.*

3 Cùm venerit quasi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cogit.] *Hoc de ira Dei in explanatione interpretati sumus, sequentes & litera contextum, & versionem Septuaginta, vt ibi ostendimus. Pagninus tamen,* C *& alij, hoc intelligunt de hoste virum plum oppugnante. Ita enim vertunt:* Cùm venerit veluti fluuius hostis. *Et pro eo quod nos habemus,* quem Spiritus Domini cogit, *vertit Pagninus:* Spiritus Domini fugabit eũ. *Vt sit sensus: Deus proteget suos fideles ab hostibus eorum, ipsosque hostes longius fugabit. In Hebraico ita est:* יהוה נוסס בו רוח צרורה *ciiano chamahar tsar ruach iehouah nosasah bo. Pro cogere est in Hebraico, vt vides, verbum* נסס, *quod significare eleuare, ideò poterat verti:* Quem Spiritus Domini leuauit. *Sed quoniam quando exercitus & obsidio leuatur, discendunt ipsi hostes, qui vrbem oppugnabant, ideò pro fugare accipitur, quam rationem secutus est Pagninus. Theodotion vertit:* Signatus est in eo. *Aquila,* Signaculum eius. *Potest verti,* instigauit. *Vt hoc intelligatur de exercitu Romanorum, quem Spiritus Dei inuestigauit, vt Iudæos infideles & ingratos euerteret, totamque Hierosolymam ad vastitatem vocaret. Ex iis tot & tam variis interpretationibus poteris eã amplecti, quæ tibi magis placuerit. Mihi certè clarior, & literæ accommodatior ea videtur, quam in explanatione sum secutus, quæ est etiam authoritatè Septuaginta corroborata.*

4 Et venerit Sion redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob.] *Septuaginta habent:* Et veniet de Sione qui liberet, & auertat impietates à Iacob. *Quod apertè de Christo intelligitur, qui de cælesti Sione venit in mundum, vt homines expiaret, eorumque scelera sanguine suo deleret. At non omnes consecuti sunt salutẽ,* F *quia eam noluerunt, sed solùm Iacob, hoc est, soli fideles fuerunt ab impietatibus liberati, & æternam beatitudinem consecuti.*

Argumentum capitis LX.

Vaticinatur Propheta de Christi aduentu, & de eius Ecclesiæ gloria & dignitate, in qua sola asserit esse & fidei & charitatis lucem, cùm infideles omnes in tenebris versentur. Prædicit Gentium multitudinem ad fidem conuertendam. Et de Ecclesia militante transfert sermonem ad triumphantem, & ad gloriam illam sempiternam, quam viri omnes charitate præstantes consequuntur.

CAPVT LX.

1 Vrge[a] illuminare Ierusalem: qui venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. [b] Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos. Super te autem orietur Dominus & gloria eius in te videbitur. [c] Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. [d] Leua in circuitu oculos tuos, & vide: [e] omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. [f] Filij tui de longè venient, [g] & filiæ tuæ de latere
Supr. 48. surgent. [b] Tunc [z] videbis, & affluës, [i] & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te [k] multitudo maris, [l] fortitudo Gentium venerit tibi. [m] Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, [n] & laudem Domino annuntiantes. Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi: offerentur super placabili altari meo, & domum maiestatis meæ glorificabo. [o] Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? [p] Me enim insulę expectabũt, & naues maris in principio, vt adducam filios tuos de longè: argentum eorum, & aurum eorum cum eis nomini Domini Dei tui, [r] & sancto Israel, quia glorificauit te. [s] Et ædificabunt filij peregrinorum mu-

A ros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi: in indignatione enim mea percussi te, & in reconci- D
liatione mea misertus sum tui.

EXPLANATIO.

a *Surge illuminare Ierusalem.*) Alloquitur Prophe ta primitiuam Ecclesiam ex Iudæis & Gentilibus congregatam, qui priusquam in Christum crederẽt, iacebant in peccatis, tenebris circunfusi, ideò eos hortatur, vt à peccatis surgant, & fide atque gratia illustrentur. Non quòd quis per se possit à peccato surgere, & gratiæ splendore illuminari, sed quòd *facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* Ipse enim per Zachariam, c. 1. *Conuertimini*, inquit, *ad me, & ego conuertar ad vos.* Et per Ieremiam: cap. 15. *Si conuerteris conuertam te, & ante faciem meam stabis.* 1 Et per Malach. c. 1. *Reuertimini ad me, & reuertar ad vos.* Est igitur sensus: Tu ô Hierosolyma da operã, vt surgas, & illumineris, dispone te ad gratiã, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Hoc lumen Christus est, quem Sanctus Simeon *lumen ad reuelationem gentium* appellat. Qui de seipso ait: *Ego sum lux mundi.* Qui venit, vt ait Zacharias, *illuminatum eos qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant, & rectum pedes nostros in viam pacis.* Poteris per lumen Euangeliũ intelligere. Gloria Domini est ipse Christus, qui in Iudæa ortus est.

B b *Quia ecce tenebræ perient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus.*) Hoc est, mundi nationibus in tenebris versantibus tu sola ô Ecclesia eris illuminata, qui super te orietur Christus sol iustitiæ. Vbi aspicis in sola Ecclesia esse fidei, & gratiæ splendorem. Væ illis, qui Ecclesia Catholica relicta se votifragi Lutheri synagogæ tradiderunt.

c *Et ambulabunt Gentes in lumine tuo.*) Gentes relicto idolorum cultu ad te venient, & Euangelij lumine illustrabuntur. Prædicit diuinus vates Euangelij prædicationem esse etiam ad Gentes propagandam, & ex consequenti abrogandam esse legem Moysi, quæ solùm erat vsque ad Euangelium duratura, de qua aliis in locis fusè disserui.

d *Leua in circuitu oculos tuos, & vide.*) Hoc est, Respice ô Ecclesia primitiua ad omnes mũdi partes, & videbis ad te venientem innumerabilem
C Gentium multitudinem.

e *Omnes isti congregati sunt.*) Non vno loco, sed vna fide.

f *Filij tui de longè venient.*) Hoc est, ab vltimis mũ di regionibus, & terris remotissimis. Vel à longè, hoc est, à peccato, qui homines à Deo diuidit, & longè separat.

g *Et filiæ tuæ de latere surgent.*) Hoc est, à regionibus propinquis, quæ sunt à latere Hierosolymę. Poteris per has filias animas intelligere, quæ relicta & repudiata mundi familiaritate Christo adhæserunt, & surgentes à lateribus parentum suorum Deum sequebantur. Id fuerat iam Dauid hortatus dicens in Psal. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurẽ tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Septuaginta habent: *Et filiæ tuæ super humeros portabuntur.* Pagninus: *Et filiæ tuæ iuxta latus nutrientur.*

h *Tunc videbis.*) Nimirum ad te venientium multitudinem. Et affluues, nempe lætitia & oblectatione.

i *Et mirabitur, & dilatabitur cor tuum.*) Nempe præ ingenti gaudio. Vt enim dolor cor arctat & constringit, sic lætitia illud amplificat & dilatat. Vnde dilatare cor est gaudio afficere, quemadmodũ in Psal. 4. *Cùm inuocarem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi*, subaudi cor. Acsi diceret: Cùm essem in afflictione constitutus, ad te Domine voces precésque fudi, tu me exaudisti, animúm que meum spirituali voluptate oblectasti.

k *Multitudo.*) Id est, oppida maritima, & nautæ. Vel hominum multitudo magno mari comparata.

l *Fortitudo Gentium.*) Hoc est, Gentes fortitudine præstantes.

m *Inundatio camelorum operiet.*) Id est, Tanta erit tunc camelorum abundantia, quibus ex variis mundi regionibus ad te munera afferentur, vt terram operiant. Hoc dicit, quia diuites & potentes, qui ad Christi fidẽ conuertebantur, facultates suas ad Ecclesiam adiuuandam, & pauperes refocillandos secũ asportabant. Et tunc assignat aliquas regiones, nempe Madian, Epha, Saba, Cedar, Nabaioth, ex quibus venturas opes ad Ecclsiam prædicit. Ex Madian & Epha dromedarios opibus onustos, ex Saba aurum & thus, ex Cedar & Nabaioth arietes & alia pecora vẽtura prædicit. Per has regiones Gentium barbararũ, E
iotius orbis terrarum ad fidẽ conuersio significatur. Dromedarius est animal velox à currendi celeritate dictum, enim Latinè dicitur cursus. Aiunt idẽ esse dromedarium & camelum, sed solùm illum camelum dici dromedarium, qui velociter currit. Offerenda fuisse hæc munera, vaticinatus fuerat Dauid, dicens in Psal. 71. *Reges Tharsis & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent.* Quod vaticiniũ incœpit impleri, quando Magi ab Oriente venerunt. Hierosolymam cum muneribus, quæ Christo obtulerunt, procidentes, eúmque verum Deum firmiter adorantes.

n *Qui sunt isti qui vt nubes volant?*) Hoc est, qui sunt hi ô Ecclesia, qui ad te veniunt tanta celeritate, vt nubibus volantibus comparentur? Ostendit desiderium & velocitatem eorum, qui erant ad Ecclesiam confluxuri, eóque non immeritò cum nubibus confert, quæ à terra eleuatæ eam irrigant, & frugiferam reddunt. Cõparat eos etiam columbis ob cursus celeritatem, præsertim cùm fenestras columbarij repetunt, & ob ingentem erga pullos suos amorem. Qua in re charitas fidelium significatur. Sunt qui per nubes & colũbas solum Apostolos intelligant: sed melius videtur, vt hic locus ad alios etiã pios ac iustos fideles extendatur. Cui expositioni fauet versio Pagnini, quæ habet: *Quæ sunt congregationes istæ, quæ vt nubes volant.* F

o *Me enim insulæ expectabunt.*) Significat Deus iis verbis adducturum se esse ad Ecclesiam homines ex remotissimis insulis, & naues maris in principio, hoc est, & nautas in principio, subaudi Ecclesiæ primitiuæ.

p *Et sancto Israel.*) Hoc est, Deo, qui sanctimoniam tribuit Israeli.

q *Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos.*) Hoc est, Gentes te ô Ecclesia virtutibus & sapientia munient, & tanquam muris circũdabunt. Nónne Hieronymus, Augustinus, cæteríque viri sancti, & sapiẽtia exculti, originem à Gentilibus ducentes virtutis & sapientiæ muros ædificarunt? Gentiles ante fidẽ receptã appellat peregrinos, quos iã fideles factos diuus Apostolus in hũc modũ alloquitur: *Iã nõ estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sãctorũ, & domestici Dei.*

In

A 1 *In indignatione mea percussi te.*) Permisi vt in principio esses à tyrannis afflicta, sed in hoc etiam tui miserebar, quoniam te per varias calamitates ad meipsum trahebam. Non nego posse hoc referri ad populum Iudaicum, quem Deus permisit capi, & Babylonem adduci, & postea eum ad patriam reduxit, & in D pristinam dignitatem reuocauit. Sed erat hæc liberatio figura & imago humanæ redemptionis. Et sunt multa in hoc capite, quæ nullo modo terrenæ Hierosolymæ, sed Ecclesiæ Christi conueniunt.

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT LX.

1 Surge illuminare Ierusalem.] *In Hebraico non est Ierusalem, sed existimo fuisse hanc dictionem sumptam ex Septuaginta interpretum translatione. Inuenitur etiam in interpretatione Chaldaica Ionathæ. In Hebraico est in hunc modum:* עורי אורי *humi ori.* Surge illuminare. *Verbum enim* אור *significat lucere & illuminare. Vnde nomen* אור *or, quod ponitur in eodem versu, lumen &* B *lucem significat. Hinc* אור *vt ignem significat, & lustrationem ignis, quã Chaldæi suis idolis offerebant. Lustrare enim illuminare est, vt apud Virgilium:* Postera Phœbea lustrabat lampade terra. *Ab hoc idolorum cultu, & Chaldæorum idololatria præseruauit Deus Abrahamũ. Et id est, quod scriptura in Genesi voluit significare, vbi*
Gen. 15. Gen. 11. *ait Deus.* Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum. *Sed verisimilius est Vr esse oppidum in Chaldæa, hoc nomine vocatum, de quo ita scriptum legimus:* Et mortuus est Aran ante Tharah patrem suum in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum.

2 Tunc videbis & affluues.] *Pro* & affluues *est in Hebraico* ונהרת *venahart à verbo* נהר *nahar, quod significat affluere, confluere, & illuminare. In Psalmo* 133. *vbi nostra versio habet:* Accedite ad eum, & illuminamini, *habet diuus Hieronymus:* Respicite ad eum, & confluite. *Acsi diceret: Considerate Dei bonitatem, & statim ad eum simul currite. Ideò potest hic locus Esaiæ ita rectissimè verti:* Tunc videbis, & illuminaberis. *Quasi dicat: Nunc ô gentilitas cæcitate laboras, sed cùm fueris ad Christum conuersa, aperies mentis oculos, & diuino splendore illustraberis. Potest etiã verti:* Tunc videbis, & eris splendida, *hoc est, alacri vultu. Vt enim mœsti dicuntur obscuri, ita læti splendidi. Hac ratione ducti verterũt Septuaginta:* Tunc videbis & gaudebis. E

3 Et laudem Domino annuntiantes.] *In Hebraico est* והתהלרה *vthehilloth, Pro quo rectè interpres noster vertit:* Et laudem. *At Septuaginta intelligentes hoc esse ad Christi tẽpus referendum verterunt:* Et salutare Domini annuntiabunt. *Est enim perspicuum Christum salutare Domini appellari, vt aliàs explicuimus.*

Et[a] aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, [b] vt afferatur ad te fortitudo
Apoc. 21. g Gentium, & reges earum adducantur.[c] Gens enim & regnum quod non seruierit tibi, peribit, & Gentes solitudine vastabuntur.[d] Gloria Libani ad te veniet, abies & buxus & pinus simul ad ornandum locum sanctificationis tuæ, & locum pedum meorum glorificabo.[e] Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini Sion sancti Israel. Pro eo quod fuisti derelicta & odio habita, & non erat qui per te transiret,[f] ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem & generationem.[g] Et suges lac Gentium, & mamilla regum lactaberis, & scies quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus [h] fortis Iacob:[i] Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum:[k] & ponam [l] visitationem tuam pacẽ, & præpositos tuos iustitiam. Non [l] audietur vltrà iniquitas in terra vastitas & contritio in termi-
nis tuis,[m] & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiter-
Ap. 21. g. & 22 a. nam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltrà Sol tuus, & Luna tua non minuetur, F
C quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam,[n] & complebuntur dies luctus tui.[o] Populus autem tuus omnes iusti [p] in perpetuum hæreditabunt terram,[q] germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.[r] Minimus erit in mille, & paruulus in Gentem fortissimam:[s] ego Dominus in tempore eius subitò faciam istud.

a *Et aperientur portæ tuæ iugiter.*) Quando ciuitas obsessa est, clausæ sunt portæ: cùm verò quieta & tranquilla, aperiuntur. Significauit iis verbis, fore vt Christi Ecclesia spirituali pace, & Euangelica securitate gauderet, & per fores apertas voluit etiam ostendere, fore vt ad Ecclesiam aditus omnibus pateret. Eam ob causam eam apud Lucam c. 10. stabulo siue diuersorio Christo comparauit, ad quam Samaritanus eum, qui descenderat Hierosolyma, in Iericho adduxit, vt ibi plenè curaretur.

b *Vt afferatur ad te fortitudo Gentiũ.*) Id est, vt cõfluãt ad te Gentes fortissimæ. Hoc impletum fuit quando Romani, cæteríq; Gentiles bellicosi, strenui, & fortitudine præstantes in Christum crediderunt.

c *Gens enim & regnum quod non seruierit tibi, peribit.*) Aspicis non posse hoc ad Hierosolymam terrenam referri, sed ad Ecclesiam Catholicam. Omnes enim, qui sanctæ et vniuersali Ecclesiæ Romanæ non parent, sed ab ea sunt separati, pereunt, et in æternas tenebras relegantur.

d *Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus.*) Hoc est, post reditum à captiuitate Babylonis ad te ô Hierosolyma afferentur ligna pulchra et magna ex omni genere arborũ Libani, ad ornandum templum, quod reædificabitur, et locus sanctificationis meæ. Verba sunt Dei promittentis Iudæis liberationem à Babylonica captiuitate, et Hierosolymæ ac templi ædificationem. Sed quis non videt esse hoc ad spiritualem Hierosolymam, hoc est, ad Ecclesiam Dei referendum, ad quam dicit venturos esse ex omnibus mundi nationibus homines, tam nobiles quàm obscuro loco natos, quos nomine arborum significat.

A Vt enim multæ arbores non solùm sunt fructibus vtiles, sed etiam foliis, sic multi fideles non solùm actionibus prosunt, sed etiam verbis. Opera fructibus, folia verbis comparantur. Appellat autem Christus Ecclesiam suam locum suæ sanctificationis, & locum pedum suorum, quoniam in ea ipse colitur, & homines sanctificat, & ipse eam gubernat & protegit. *simile.*

e *Et venient ad te curui filij eorum qui humiliauerunt te.*) Prædicit cõuersionem ad fidem Constantini Imperatoris, & illius innumerabilis multitudinis, quæ tempore diui Syluestri pontificis maximi recepit Euangelium. Tunc enim filij tyrannorum, & eorum, qui Ecclesiam vexabant, conuersi sunt ad Christum, ad eúmque humiles ac supplices accesserunt. Nam magnus ipse Constantinus illustrissimus orbis imperator templum Romæ in honorem beati Petri Apostolorum principis à fundamentis excitauit, & pulcherrimis ac preciosissimis ornamentis muniuit, & ipse suis manibus iecit fundamenta, ex quibus suis propriis humeris duodecim corbulas terræ in honorem duodecim Apostolorum asportauit. Tunc quieuerunt Christiani, & cessarunt eorum afflictiones & cruciatus, quibus ab infidelibus torquebantur. Vt enim Laban persecutus est Iacob in terram promissionis reuertentem, & Deum verũm adorantem, sic scelerati homines iustos ac fideles affligunt, eósque B ad cœlestem patriã veram promissionis terram aspirantes ad excidium vocant. Nec est mirandum, cùm etiam Esau eius frater de eius cæde cogitaret. Diuus Paulus in Epistola ad Galatas c. 4. loquens de Isaac & Ismaele, *Quomodo*, inquit, *tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum*, & ita nunc. Quid voluit scriptura in Exodo capite primo significare, quando dixit: *Oderuntque filios Israel Aegyptij*, nisi impios & flagitiosos odio prosequi viros pios, virtute ac gestarum rerum gloria præstantes? Aiunt coruum pullos suos in nido existentes in pricipio non cognoscere, cùm eos videat plumis albis indutos, ideò eos abiicere, & contemnere: at videns eos posteà nigris pennis coopertos, eos nutrit, & reficit, & vt filios sustentat. Sic mundus eos, quos videt innocentia & virtutis candore conspicuos, irridet & contemnit, iis tamen fauens qui tetris sceleribus conteguntur. At quantò acerbius impij viros pios affligunt, tantò amplius illis prosunt, & seruiunt. Pugnantibus in vtero Rebecæ Iacob & Esau, dixit Deus eorum matri: *Duæ Gentes sunt in vtero tuo, & duo populi in vtero duo diuidentur, populusque populum superabit, & maior seruiet minori.* Hi duo populi sunt boni & mali per Iacob & Esau intellecti. Mali autem seruiunt bonis non obediendo sed vexando. Ita Augustinus hunc locum in- C terpretatur, quamuis alias etiam expositiones assignet. Vt enim, vt ipse ait, palex in aurificis fornace seruiunt auro, illud purificando, & cùm videantur ipsum comburere, illustrius reddunt, ipsæ autem cõburuntur, sic mali cùm videantur bonis perniciem moliri, eos splendidiores reddunt, sibi autem ipsis excidium machinantur. Occidebant tyranni vnum martyrem, & eius sanguine rigabatur Ecclesia, eiúsque miraculis multi conuertebantur. Volentes tyranni iusti famam obscurare, eam amplius illustrabant, & volentes Ecclesiam extinguere, eam amplius extendebant & propagabant. Quemadmodum in Exodo capite primo referunt diuinæ literæ Hebræos tantò magis fuisse multiplicatos, quantò durius ab Aegyptiis opprimebantur. Vide diuinam potentiam & pietatem. Hi, qui Ecclesiam affligebant, erántque tyrannorum filij, ad ipsam Ecclesiam posteà supplites accesserunt. Quod intuens animo Esaias, ipsam Ecclesiam in iis verbis alloquitur: *Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te.* D

Gen. 31. figura.

Gen. 27.

simile.

Gen. 25. figura.

simile.

f *Ponam te in superbiam seculorum.*) Id est, in magnam dignitatis altitudinem. Sumitur hoc in loco superbia in bonam partem, quemadmodum capite sequenti Pagninus vertit: *Ponam te in gloriam perpetuam.*

g *Et sûges lac Gentium, & mamillam regum lactaberis.*) Hoc est, potieris bonis Gentium, & regnum earum.

h *Fortis Iacob.*) Iacob casus est genitiui. Dicitur autem Deus fortis Iacob, quia Iudæis fortitudinem suam ostendit, eos ex magnis periculis liberando.

i *Pro ære afferam aurum.*) Deus est qui Ecclesiã alloquitur, acsi dicat: Affluës ô Ecclesia diuitiis & fœlicitate. Post inopiã eris diues, post aduersitatẽ fœlix.

k *Et ponam visitationem tuam pacem.*) Hoc est, Cõstituam tibi visitatores pacis studiosos. Sed quoniam fieri non potest vt sit pax, vbi non est iustitia, ait: *Et præpositos tuos iustitiam.* Quasi dicat: Efficiam vt gubernatores tui sint præditi iustitia & æquitate. Aspicis hic necessariam esse iustitiam ad pacis conseruationem. *Iustitia enim & pax*, vt dicitur in Psalmo 84. *osculatæ sunt.*

l *Nõ audietur vltrà iniquitas in terra tua.*) Ab Ecclesia militanti se transfert Propheta ad triumphantẽ.

m *Occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio.*) Tempore belli & obsidionis in muris ciuitatis non est quies, nec salus, neque in portis auditur canticum laudis & lætitiæ, sed hostium oppugnantium vox. At tu ô Ecclesia nunc militans postquam fueris in cœlum translata, summa pace & tranquillitate frueris, iam enim non eris militans, sed triumphans. Hanc cœlestem Hierosolymam & triumphantẽ Ecclesiã describit multis verbis diuus Ioannes in Apocalypsi capite vigesimoprimo, vbi inter alia ait eam esse in quadro positam, longitudine & latitudine æqualem, cùm templum Salomonis, vt diuinæ literæ in libro Regum tertio testantur, esset multò longius quàm latum. Erat enim templum illud multis in rebus Ecclesiæ militantis figura, in qua quidem sunt pauperes, quidam diuites, hi lætitia exultant, illi verò dolore premuntur. Eam ob causam templum non erat æquale, sed longum propter patientiam & longanimitatem, & strictum propter afflictionem & calamitatis angustiam. At in cœlesti Hierosolyma nulla est paupertas, nulla calamitas, sed summa bonorũ omnium abundantia. Hic nulla est vera quies, nullum verum gaudium, sed strenuè hîc pugnantibus F hæc in illa æterna ciuitate reseruantur. O cœlestem ciuitatem gloriosam Hierosolymam, in qua homines charitate præstantes constituti, nullo dolore premuntur, nulla macula contaminantur, sed summo & immortali gaudio redundantes, & admirabili splendore ac diuina luce micãtes, magnificentissimè triũphant, & Deo ipsõ in sempiternum fruuntur. O beatissimas oras, diuina ac splendidissima domicilia, vbi nulla est nox, vbi Deus est ipse Sol, vbi sanctorum laus obrui non potest, quorum nomen nulla vnquam delebit obliuio. Hæc est ciuitas illa glorioſa, de qua hîc ait Esaias. *Occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio.*

figura.

n *Complebuntur dies luctus tui.*) Hoc est, finientur ô Ecclesia labores & dolores tui, cùm fueris ad cœlum translata. Id multis verbis explicuit diuus Ioannes in Apocalypsi capite vigesimoprimo & idem noster Esaias capite vigesimonono trigesimosecundo & 35. 45. 51. 66.

o *Populus tuus omnes iusti.*) Ita diuus Ioannes, *Non intrabit*, inquit, *in eam aliquod coinquinatum.* Hîc in Ecclesia militanti sunt boni simul & mali, ideò Christus eam sagenæ missæ in mare ex omni genere pis- E

Apoc. 21.

Matt. 13.

A piſcium congreganti comparauit, eiúſque diſcretionem aſſeruit eſſe in iudicio futuram, vbi ſeparati mali de medio iuſtorum in ignem æternum mittentur. *Matt. 25.* Et eam ob cauſam eam decem virginibus comparauit, quarum quinque erant prudentes, quinque verò fatuæ. Ex quibus colliges id, quod hic ait Eſaias, non eſſe de Eccleſia hac catholica militante, quatenus militans eſt, intelligendum, ſed de triumphante. Eccleſia enim non eſt ſocietas ſanctorum in gratia exiſtentium, nam cùm neſciamus qui ſint in gratia, non poſſemus ſcire quæ, aut vbi eſſet Eccleſia. Eccleſia verò eſt cœtus Chriſti fidelium, ſiue boni illi ſint, ſiue mali, dummodò catholici & obedientes. Nam fideles membra ſunt Chriſti, licet peccatores, atque illi coniuncti, quia ſunt de Eccleſia, quæ eſt fidelium congretio, & ſub Chriſto capite militat, vt fuit in concilio Conſtantienſi contra Vuitclefum explicatum. Id intelligens Apoſtolus ſcribens ad 1. Corint. c. 12. inter quos eſſe ſciebat aliquos ſcelere contaminatos, vt ex eadem Epiſtola apertè colligitur, *Vos*, inquit, *Matt. 13.* *eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* *Matt. 25.* Hic aſpicis clariſſimè Eccleſiam non eſſe tantùm ſocietatem ſanctorum, vt hæretici noſtri temporis affirmant. Quomodo enim eam Chriſtus ſagenæ ex omni genere piſcium bonorum & malorum congreganti compararet, & decem virginibus, quarum quinque ſunt pru-

B dentes, quinque fatuæ, ſi in ea ſolùm ſancti inueniren tur? Quomodo diuus Paulus Corinthios, quorum *Epheſ. 2.* nonnulli flagitio erant aſtricti, membra Chriſti appellat, & totam Eccleſiam dicit eſſe corpus, cuius Chriſtus caput eſt? Si ſolùm iuſti ſunt de Eccleſia, quomodo Apoſtolus fideles Corinthios Eccleſiæ membra vocat? O inſipientes Lutheranos? Sed quid mirum eſt, eos quid ſit Eccleſia ignorare, cùm ſint ęci, & ab ipſa Eccleſia ſeparati, & in ſynagoga Satanæ conſtituti? Eſt igitur firmiter tenendum fideles omnes eſſe de Eccleſia. Et quamuis illi, qui mortifero peccato aſtringuntur, à Chriſto capite non recipiant D gratiam, recipiunt tamen fidem. Sed hæc fides niſi ad eam ſpes accedat & charitas, nec vnit perfectè cũ Chriſto, nec corporis eius viuum membrum efficit, nihilominus tamen ſunt peccatores membra Chriſti licet non viua ob charitatis abſentiam, quam diuus Paulus in Epiſtola ad Coloſienſes ca 3. vinculo perfectionis appellat, quod nos perfectè vniat cũ Chriſto, eiúſque corporis viua membra efficiat. Hæretici autem quoniam ab Eccleſia receſſerunt, neque eius membra ſunt, nec fidem neque charitatem habent.

p *In perpetuum hæreditabũt terram.)* Hoc eſt, cœleſtem patriam: Hæc autem terra, vbi nunc ſumus, à nullo homine in perpetuum poſſidetur. Ita hunc locum antiqui Hebræi explanarunt.

q *Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.)* Hoc eſt, filij mei, quos ego genui & plantaui, qui ſunt opus manus meæ, me in gloria æternis laudibus efferent, & glorificabunt.

r *Minimus erit in mille, & paulus in Gentem fortiſſimam.)* Hoc eſt, Pauci erunt fideles in principio Eccleſiæ, ſed multiplicabuntur in multa millia, & in populum fortiſſimum: In principio capitis locutus eſt propheta de Eccleſia militanti, poſtea conuertit ſe ad E triumphantem, cùm ſeparatis à ſagena malis piſcibus ſoli ſancti in cœleſti gloria quieſcent, modò ad militantem reuertitur, vnde fluxerat oratio, quoniam qui in triumphante regnant, membra huius militantis fuerunt.

s *Ego Dominus.)* Nẽpe vt multiplicentur fideles. Et hęc nõ ſtatim, ſed ſuo tempore fient. Hoc ideò dicit, quoniam Eſaias multò ante aduentum Chriſti vaticinatus eſt. ferunt inter Eſaiam & Chriſtum ſexcentos annos interfluxiſſe. Septuaginta habent: *Ego Dominus in tempore congregabo eos.* Fuerunt enim ex variis ritibus & ſectis in vna fide & religione veritatis atque pietatis pleniſſima congregati.

ANNOTATIO.

1 Ponam viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuos iuſtitiam.] *Septuaginta habent:* Et dabo principes tuos in pace, & epiſcopos tuos in iuſtitia. *Beata reſpublica, cui Deus dat principes & Epiſcopos pacificè & iuſtè gubernantes. Animaduerte. Non dicit:* Principes tui & Epiſcopi tui ipſi per ſe ambitu conſequentur magiſtratus; *Sed*, ego dabo eos.

F

C

Argumentum capitis LXI.

1 *Inducit Propheta Chriſtum dicentem ſe eſſe cœleſtem doctorem in terram miſſum ad veritatem docendam, noſtris vulneribus medendum, nóſque è tenebris ad veram lucem vindicandum.* 2 *Oſtendit ſe eſſe noſtrum conſolatorem & remuneratorem.* 3 *Deſcribit Apoſtolicos turbulentis cupiditatibus obſtentes, atque in dictis & factis modum & ordinem conſeruantes. Hos appellat fortes iuſtitiæ, ob eorum fortitudinem iuſtitiæ cuſtodem & propugnatricem, & mundi reſtauratores ab eorum doctrinam & ardentem charitatem.* 4 *Tandem ipſe propheta conuertit ſe ad Dei miſericordiæ contemplationem, pro qua illi gratias agit, cúmque laudibus effert.*

CAPVT LXI.

Luc. 4. c. SPiritus[a] Domini ſuper me, eò quòd vnxerit me: [b] ad annuntiandum[t] manſuetis miſit me, [c] vt mederer[z] contritis corde, [d] & prædicarem captiuis indulgentiam, [e] & clauſis [y] aperti onem, [f] vt prædicarem annum placabilem Domino, [g] & diem vltionis Deo noſtro: vt conſolarer omnes lugentes: [h] vt ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris. [i] Et vocabuntur in ea fortes iuſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. [k] Et ædificabũt deſerta à ſeculo, & ruinas antiquas erigent, & inſtaurabunt ciuitates deſertas, diſſipatas in generationem. [l] Et ſtabunt alieni, & paſcent pecora veſtra, & filij peregrinorum, [m] agricolæ & vinitores veſtri erunt. [n] Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini, miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis. [o] Fortitudinem Gentium comedetis, [p] & in [q] gloria eorum ſuperbietis. Pro [r] confuſione veſtra duplici & rubore

A bore laudabunt partem eorum, propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna D
erit eis. Quia ego Dominus diligens iudicium, q & odio habens rapinam in holocaustum, r & dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis. s Et scietur in Gentibus semen eorũ, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. t Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, v quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circundedit me, x quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. y Sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam & laudem coram vniuersis Gentibus.

Deut. 34. Iosue 4. figura.

EXPLANATIO.

a *Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me.)* Ille, qui in fine superioris capitis dixit: Ego Dominus, in tempore eius subitò faciam illud, prosequitur dicens: *Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me.* Esse autem eum Christum seruatorem nostrum asserit ipse Christus apud Lucam capite quarto, vbi hũc
B locum de seipso apertissimè interpretatur. Intelligitur autem hoc iuxta carnis assumptæ dispensationẽ, quemadmodum id, quod dixit Esaias capite vndecimo: *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Fuit autem saluator noster vnctus non oleo, quo Deus præcepit Moysi, vt vngeret tabernaculum testimonij, & arcam Testamenti, mensámque cum vasis suis, neque eo, quo ipse Moyses vnxit Dei iussu Aaronem, & filios eius, neque eo, quo Samuel vnxit Saulem & Dauidẽ: sed oleo gratiæ & lætitiæ. Ita enim regius vates Christum alloquens prædixerat in Psalmo 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quibus verbis voluit propheta Christi diuinitatem & humanitatem ostendere. Nam illa dictio, *Deus*, quæ primò ponitur, est vocandi casus, secunda autem nominandi. Vbi vides Christum esse à propheta Deum vocatum. Dicens autem propheta esse illum à Deo vnctũ gratia & exultatione super omnes homines eius con-
C sortes & participes, apertè eius humanitatem significat. Intelligi autem hunc Psalmum de Christo Deo nostro, asserit in Epistola ad Hebræos diuus Paulus. Constituerat Deus vt apud Hebræos, reges & sacerdotes oleo sacro vngerentur. Cùm autem Christus sit rex & sacerdos, æquum erat, vt prisrina consuetudine oleo sancto atque cœlesti vngeretur. Hoc intelligentes fideles, dicebant, vt in Actis refert diuus Lucas, Deum alloquentes: *Domine tu es qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, qui Spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Conuenerunt enim verè in ciuitate ista aduersus sanctum* puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum Gentibus & populis Israel. Et in Actis capite decimo in hunc modum diuus Petrus auditores alloquitur: *Vos scitis quòd factum est verbum per vniuersam Iudæam, incipiens enim à Galilæa post baptismum quod prædicauit Ioannes, Iesum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute.* Aspicis itaque seruatorem nostrum vnctum esse à Deo, non oleo humano sed diuino, nimirum Spiritu sancto & virtute, quod Dauid oleum lætitiæ appellauit. Christus enim idem est quod vnctus: Græcè dicitur χριστὸς, à verbo χρίω, quod est vngo, & Hebraicè מְשִׁיחַ à verbo מָשַׁח maxach, quod significat vngere. Vnde tria hæc nomina, Christus, Messias, Vnctus, idem significat: &

in Psalmo, 1. vbi nostra versio habet: *Aduersus Christum eius*, est in Hebraico *aduersus Messiam eius.* Et perpende: Post vnctionem Spiritus sancti sequitur annuntiatio. Ait enim, *Ad annuntiandum mansuetis misit me.* Prius enim concionator: debet gratia vngi, quàm munus accipiat concionandi.

b *Ad annuntiandum mansuetis misit me.)* Fuit Chri- E.
stus missus non cum externa, & mundi pompa, & gloria, sed in humilitate & mansuetudine, vt humilibus & mitibus viam veritatis ostenderet, & Euangelium annuntiaret.

c *Vt mederer contritis corde.)* Aspicis hic Christum esse medicum nostrum. Ad hoc enim venit, vt suis vulneribus nostra vulnera curaret. Si medicus aliquis tuæ ægritudini gratis mederetur, colores memoriam tanti beneficij beneuolentia perpetua. Cùm igitur Christus medicus noster nos non solùm gratis curauerit, sed etiam pro salute nostra suum sanguinem & vitam perfuderit, quæ erit memoria, quæ vis ingenij quæ magnitudo religionis, quæ possit tam admirabili beneficio respondere? Ipse Christus fatetur apud Marcum c. 2. se esse medicum. Cùm enim Scribæ & Pharisæi de illo detraherent, quòd cum publicanis manducaret, respondit: *Non necesse habent sani medico sed qui malè habent: non enim veni vocare iustos, sed peccatores: Et Ecclesiastic.* 32. ait à Deo esse medelam omnem. Si Christus venit vt mederetur nobis, ergo ægroti eramus. Nos sumus ille saucius & spoliatus, qui descenderat de Ierusalem in Iericho, quem Samaritanus ille cœlestis medicus curauit. Trãsierat sacerdos F
& Leuita, sed videntes eum, præterierunt. Venit lex Moysaica, & præteriuit, quoniam non iustificabat. Ita enim in Epistola ad Romanos cap. 8. ait Apostolus: *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus.* Et in Epistola ad Galatas, c. 3. *Quoniã* inquit, *in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est, quia iustus ex fide viuit. lex autem non ex fide: sed qui fecerit ea, viuet in illis. Christus non redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, &c.* Et paulò post, *Si enim*, inquit, *data esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia, sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Et in eadem Epistola capite secundo, *Si enim*, inquit, *per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Et paulò antè, *Scientes autem*, inquit, *quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Et diuus Ioannes c. 1. ait legem per Moysem datam esse, gratiam autem & veritatem per Iesum Christum factam. Fuerunt quidam in lege veteri multi viri iusti, & gratia induti, sed non per legem, sed per fidem, &, vt fuit in concilio Florentino assertum, antiquæ

A tiquæ legis sacramenta non causabant gratiam, sed eã solùm per passionem Christi dandam esse figurabãt. Et præterea qui tunc in gratia decedebant, non cęlũ penetrabant, sed in inferis vsque ad Christi mortẽ reseruabantur. Vt enim Moyses non potuit intromittere filios Israelis in terram promissionis, sed necessarium fuit venire Iosue, qui eos ad illam perduceret, sic lex vetus non potuit iustificare, & suos in cœlestem patriam adducere, sed venit Iosue ille cœlestis, qui nos ad vitam æternam perduceret, suóque sanguine cœlum aperiret. Hic est Samaritanus ille, qui nos amplissimis Dei beneficiis ob scelera nostra spoliatos, ex amplâ Hierosolyma & altissimo dignitatis gradu præcipitatos, grauissimísque vulneribus percussos curauit, & in diuersorio vniuersalis Ecclesię constituit, vt inde ad immortalem beatitudinem tãdem perduceret. Samaritanus enim idem est quod custos, de quo dicitur in Psal. 126. *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Hic est qui homines curauit, qui ait hoc in loco: *Ad annũtiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde.* Perpende: Non dicit omnibus mederi, sed contritis corde, quandiu enim cor est durum, & in sceleribus obstinatum, nullam habet salutem, ideò oportet vt corda nostra lachrymis molliamus, nósque ad gratiã Dei præparemus, *ipse enim*, vt dicitur in Psal. 146. *sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Et vt dicitur in alio Psal. 50. *Cor contritum & humiliatum non despicit.*

Deut. 34. Iosue 4. figura.

B

d *Et prædicarem captiuis indulgentiam.*) Apicis hîc peccatores captiuos appellari. Qua de re alias nonnulla diximus.

e *Et clausis apertionem.*) Hoc est, cæcis visum. Quod de vtraque cæcitate & mentis & corporis intelligitur. Vel clausis, hoc est, in dæmonis carcerem conjectis, libertatem. Solent enim custodes portas aperire illis, qui liberè de carcere egrediuntur. Vel loquitur de iis, qui cerimoniis Mosaicis detinebãtur, quos Christus vocauit ad libertatem Euangelicam, non illam quam hæretici nostri temporis amplectuntur, qui dissolutionem & vitæ deprauationem libertatẽ vocant. Sed eam, quam, Romana & vniuersalis Ecclesia docet, quæ est, vt ait Apostolus, *columna & firmamentum veritatis.* Lege cap. 42. & videbis missum fuisse Christum vt oculos cæcorũ aperiret. Ita enim eum Deus pater alloquitur: *Dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum de domo carceris.* Vbi aspicis flagitiosos cæcos esse mentisque lumine priuatos.

1. Tim. 3. Sup. 42.

f *Vt prædicarem annum placabilem Domino.*) Id est tempus gratiæ, de quo ait Paulus: *Ecce nũc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Fortasse annum placabilem appellat, quia Deum patrem placauit, nósque morte sua cum eo reconciliauit, séque pro nobis hostiam placationis constituit.

2. Cor. 6.

C

g *Diem vltionis.*) Hoc est, diem extremi iudicij. Vel tempus euersionis Hierosolymæ per Titum.

h *Vt consolarer omnes lugentes.*) Munus est Christi lugentes consolari. Ipse enim ait: *Beati qui lugent, quoniam ipse consolabuntur.* Pro lacrymis debitè emissis tribuit Deus & hic internam consolationem, & in cœlo æternam beatitudinem: sunt enim lacrymæ semẽ gloriæ. Id intelligens Dauid dicebat in Psal. 125. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metẽt.* Loquor de lacrymis pœnitentiæ, & de illis, quæ ob pias iustásque causas funduntur. Ideò sequitur: *Vt ponerem fortitudinem lugentibus Sion.* Non promittit Deus cõsolaturum lugentes Babylonem, sed *Sion.* Non illi sunt gratę lacrymæ fusæ ob mundi voluptates amissas, sed eæ, quæ ob amissionem Sionis emittuntur. Plorabãt filij Israelis, nec poterant etinere lacrymas ob Hierosolymę suę recordationem, sedentes captiui iuxta flumine Babylonis, & dicentes: *Illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Nos ob cœlestis Sionis desiderio in hoc exilio oculos nostros fontes viuarum aquarum faciemus. Lugere Sion est Ecclesiæ afflictiones deplorare, vel peccata in Sione admissa, vel præ desiderio cœlestis Sionis lacrymas profundere. Huiusmodi lugentes Deus mirabiliter consolatur. Narrat Ezech. c. 9. dixisse Deum cuidam viro: *Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, & signa tau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.* Et statim iussit illi, vt his seruatis cæteros interficeret. Eos seruat Deus, illisque vitam tribuit immortalem, qui mundi scelera deplorant, & finem rerum intuentur, atque nouissima contemplantur. Litera enim tau, quæ in Hebraico Alphabeto vltima est, finẽ rerũ significat, quã debemus semper in memoria tenere & ea veluti in fronte signari. Quemadmodum omega apud Græcos qui in fine sit alphabeti finẽ significat, sic tau apud Hebræos. Multi plorant mũdi flagitia, sed nolũt à mundo ipso discedere, nec finẽ animo intueri. At necesse est inuidi peccata lugere, sed ipsũ mundum relinquere. Mortuus est Iacob in Aegypto, sed noluit ibi sepeliri, sed in terra promissionis: & portantes eum mortuum filij sui egressi ab Aegypto venerunt ad aream Arad, quæ sita est trans Iordanẽ, vbi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi impleuerunt septem dies, & vocatum est nomen loci illius: planctus Aegypti. Fortasse sciebat Iacob multos esse cum Christo Hierosolymæ resurrecturos, ideo voluit illuc asportari, vt eius corpus cũ Christo resurgeret. Ait enim Matth. c. 27. multa corpora sanctorum resurrexisse. Sed ad huius historiæ spiritualem sensum veniamus. Per mortem in Aegypto peccatum significatur. Malum est mori in Aegypto, sed sepeliri ibi, est maximè execrabile. Mortuo Iacob in Aegypto exierunt filij eius ab Aegypto, vbi septem dies plorauerunt. Ploremus mortem Aegypti ploremus mundi impietates & tetra facinora, ploremus peccata mundi, sed extra mundum. Relinquamus Aegyptum, & pro Aegypti sceleribus vim lachrymarum fundamus. Non vno die tãtùm, sed septem diebus, hoc est toto tempore vitæ nostræ ita lugeamus, vt dicatur vita nostra planctus Aegypti. Quid significabat mare illud æneum in templo Salomonis, & luteres aquarum, nisi lachrymarum abundantiam, quibus deberemus animas nostras lauare? Est enim hoc admirabile in lachrymis, quòd foris exeuntes intus lauant, & deorsum cadentes ascendunt sursum, & cùm sint aquæ, de medio ignis egrediuntur, & ignis illis ardentius inflammatur. Nónne cor Magdalenæ erat Aetna mons altissimus, diuini amoris incendio inflammatus? Erat quidem. Et tamen in medio illius ardentissimæ flammæ erat quidam Nilus lachrymarum. Ex amore fluebant ardentes lachrymæ, & lachrymæ augebant sanctum amorem. Si odoriferas aquas magnificimus ex rosis, aliísque floribus distillatas, quia externum odorem, & paruam fragrantiam emittunt, quanti æstimandæ sunt lachymæ, quæ animas intus abluunt? Eos qui tales lachrymas fundunt, consolatur Christus, vt ipse hoc in loco apud nostrum Esaiam testatur.

D

Matth. 5.

Gen. 49. Gen. 5. figura.

E

figura. 3. Reg. 7.

F

simil ij

h *Et vocabuntur in ea.*) Id est, Et qui in Ecclesia fuerint fortes in iustitia, & constantes, appellabuntur plantatio Domini, hoc est, arbores plantatæ à Deo, ad ipsum Deum glorificandum.

Et

A i *Et ædificabunt deserta à seculo & ruinas antiquas erigent.*) Hoc est, Apostoli & viri Apostolici instituēt ad fidem Gentes incultas, & à religione desertas. Et eos, qui iam à multis annis defecerant, restaurabunt.

k *Et stabunt, & pascent pecora vestra.*) Multi venient ad Ecclesiam, qui cùm anteà essent alieni à fide, tamē recepto Euangelio non in peccatis iacebunt, sed stabunt erecti, & erunt præsules & concionatores, non
Ioan. 21. seipsos pascentes, sed gregem & populum. Non dicit: *pascent seipsos*, sed *pecora*. Nec dicit. Occident pecora, sed *pascent*: Ita dicebat Christus diuo Petro: *Pasce oues meas, pasce agnos meos.* Et ter illum interrogauit, vtrum eum amaret, non quòd ipse Christus hoc ignoraret, sed vt nobis ostenderet quantam curā & cogitationem in eligendo præsule figere deberemus, nec esse aptum ad pascendas oues, nisi qui Deū amet, aliisque in amore præcellat. Ideò Christus dixit: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Oportet esse præsulem charitate præstantem, alioquin non oues, sed seipsum curabit. At Deus per Ezechielem, cap. 34. *Væ*, inquit, *pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. nónne greges à pastoribus pascuntur?* Legant pastores caput illud, vbi multa inuenient pulcherrima, & notatu digniſſima.

l *Agricolæ & vinitores vestri erunt.*) Hoc est, colent duram cordium terram ad vberrimos fructus ferendos, & vineam, hoc est, Ecclesiam Christi sanguine rigatam custodient.

m *Vos autē sacerdotes Domini vocabimini.*) Alloqui-
B tur Apostolos & sacerdotes Christianos, qui non sacerdotes Aegypti neque idolorum, sed Dei sacerdotes vocantur. At Lutherus asserit omnes Christianos esse sacerdotes, & æqualiter posse absoluere & consecrare, deceptus verbis illis diui Petri peruersè intellectis: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium,*
1 Pet. 3. *gens sancta.* Quid ais Luthere? vbi dicit hic Apostolus omnes Christianos esse sacerdotes? Aliud est appellare Christianos sacerdotium regale, aliud dicere, omnes vos Christiani estis sacerdotes. Etsi diceret, Vos estis sacerdotes, non tamen inferretur omnes sacerdotes esse: non enim dicit: vos omnes vniuersaliter, sed vos indefinitè. Nam iuxta Aristotelis doctrinam indefinita enuntiatio in contingentibus non vniuersali, sed particulari æquipollet. Præterea non ait Apostolus: estis sacerdotes, sed *sacerdotiū regale.* Cùm enim christus sit rex & sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec, æquum est, vt
C qui illi vniuntur, regale sacerdotium appellentur. Sed sacerdotes. Imò ipse Petrus Apostolorum princeps, quem pro te citas, in eadem epistola capite vltimo separat sacerdotes à laicis, non aliter quàm pastores à grege. Ait enim illis: *Piscite qui est in vobis gregem Dei.* Nónne vides ipsam diui Petri epistolam, quam pro te affers, tuam hæresim damnare? Quæ maior posset esse confusio, quàm omnes tam pueros quā senes esse sacerdotes? Sed ais non omnes posse vti munere sacerdotali, nisi ex consensu plebis, quamquam omnes ex æquo sint vari sacerdotes. Quæro abs te, quæ plebs diuum Paulum sacerdotem constituit? nónne ipse ita ad Galat. c. 1. scribit: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum patrem, qui suscitauit eum à mortuis:* Imò ipse Paulus Titum & Timotheū constituit sacerdotes, vt ex epistolis ad eos scriptis apertissimè colligitur. Et Tito, c. 1. *Huius rei*, inquit, *gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quę desunt corrigas, & constituas per ciuitas presbyteros, sicut & ego dispositi tibi.* Multi erant in ciuitatibus illis christiani, sed ex illis Titus eos presbyteros constituebat, qui illi apti tanto muneri videbantur. Vbi vides non omnes christianos esse sacerdotes, nec omnes sacerdotes à plebe constitui, & falsam esse vtramque tuam opinionem, & hæresim detestabilem. Sunt ad- D
uersus te omnes catholici doctores tam antiqui quàm recentiores, tam Græci quàm Latini, pugnant contra te vniuersalia concilia, & Ecclesiæ consuetudo ab ipsis Apostolis vsque ad nostra tempora firmiter conseruata. Sed quoniam omnia hæc irrides & pro nihilo putas, cur te non pudet tam aperta sacrarum literarum testimonia contemnere? Tu qui intellectu diuinæ scripturæ gloriaris, eúmque tibi soli sumis & arrogas, quomodo tam euidentes locos non vides? Dicis omnes esse æqualiter sacerdotes, sed eos munere sacerdotali vti, qui à plebe vocātur. At diuus Paulus, iuquit, in Epistola ad Hebræos: c. 5. *Nec quisquam sumat sibi honorē sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Vbi legisti Luthere Aaronem fuisse à plebe sacerdotem constitutum? Nónne asserunt diuinæ literæ in veteri Testamento Deum illi sacerdotium tribuisse, & diuus Paulus asseuerâter affirmat eum fuisse à Deo vocatum? Si hanc dignitatem hebebant sacerdotes Synagogæ, quantò magis Ecclesiæ, pro qua christus sanguinem suum profudit, quo eam mirabiliter rigauit? Quare non poteris colligere ex hoc loco Esaiæ omnes christianos esse æqualiter sacerdotes. Solum enim diuinus noster vates Apostolos, & nouæ legis sacerdotes alloquitur, quos Domini sacerdotes appellat, vt eos à dæmoniorum sacerdotibus diuidat: Non paulò antè eodem capite ipsos sacerdotes diui- E
dit ac separat à plebe dicens: *Et pascent pecora vestra.* Vbi vides sacerdotes esse pastores, & plebem verò & subditos, oues appellari.

n *Fortitudinem Gentium comedetis.*) Hoc est, potiemini opibus, quas Gentes ad Ecclesiam afferent. Refert diuus Lucas in actis c. 4. eos, qui ad fidem conuertebantur, opes suas afferre, & ad pedes Apostolorum proiicere. Vel per fortitudinē Gentiū intelligitur christianorum fides, martyrium, & constantia. Et quoniam epulæ sacerdotum sunt christianorum virtutes, quibus tanquam dapibus delectantur, ideò ait: *Fortitudinem Gentium comeditis*, quasi diceret: Fortitudine eorum, qui ad christum fuerint cōuersi, oble- *similitudo*
ctabimini. Vt enim agricolæ lætantur videntes terrę, quam coluerunt, herbescentem viriditatem, eámque fruges vberrimas largiri, vites lætificis pampinis pubescere, remósque beccarum ac fructuum copia incuruari, sic & multò amplius oblectantur præsules & concionatores, intuentes populū ab illis instructū, admirabiles virtutum fructus producere. Contrà ve- *similitudo*
rò vt insignis pictor videns imaginem quam pul- F
chram depinxit, in qua voluit suum ingenium & artificium exprimere, maculatam & deformatam, summo dolore premitur, nec potest tantum mœrorem æquo animo tolerare, sic præsules, & pij sacerdotes, & concionatores videntes corruptos & sceleribus contaminatos eos, quos solicitè variisque doctrinarum coloribus instruxerunt, incredibili mœrore cruciantur. Versio tamen Pagnini fauet priori expositioni: Ita enim habet: *Opes Gentium comedetis.*

o *Et in gloria eorum superbietis.*) Capitur superbire pro exulta, & gaudio efferri. Quasi dicat: Vos præsules gloria fidelium delectabimini. Vnde Paulus Apostolus Philipp. c. 4. alloquens, *Itaque*, inquit, *fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea.*

p *Pro confusione vestra duplici & rubore.*) Hæc duplex confusio & molestia est afflictio, qua duo populi infideles nempe Gentium & Iudæorum Apostolos, cæterósque viros sanctos vexabant. Vel ideò appellatur duplex, quia & verbis & factis viri sancti affligebantur. Sed quò magis, qui se ad fidem conuertebant, premebantur, eò magis gaudebant, & partem atque sortem suam laudabant. Ideò ait: *Pro confusione vestra*

A *vestra duplici & rubore laudabunt partem eorum*, seu vt ex Hebraico potest verti, *partem suam*. Poteris per *partem suam* Deum intelligere, iuxta id, quod dicitur in Psalmo 71. *Pars mea Dominus*. Quasi dicat: in omni afflictione Deo gratias agent. Ego existimo hanc particulam, *duplici*, accipi hoc in loco pro multiplici, quemadmodum mos est scripturæ finitum pro indefinito accipere. Et eodem modo in sequenti versu: *Propter hoc in terra sua duplicia possidebunt*. Est igitur sensus: Pro multis ac variis calamitatibus æquo & alacri animo toleratis, magna gaudia in cœlesti patria consequentur.

q *Et odio habens rapinam in holocaustum.*) Id est, execrans sacrificia ex rebus raptis. Plus diligit Deus iustorum paupertatem, quàm diuitum ex rebus malè acquisitis munera. Dicitur enim in Prouerbiis ca. 3. *Honora Dominum de tua substantia*. Et Tobias cap. 4. *Ex substantia*, inquit, *tua fac eleemosynam*. Et apud Matthæum cap. 5. ait Christus Deus noster: *Si ergo offers munus tuum ad altare, &c.* Semper pronomen *tuum* apponitur. Id autem quod est rapina comparatum, non est tuum sed alienum.

r *Et dabo opus eorum in veritate.*) Id est, Et retribuam
B eis iuxta opus eorum absque vllo dubio.

s *Et scietur in Gentibus semen eorum.*) Hoc est, Cognoscetur inter Gentes semen Apostolorum. Quasi dicat: fideles, quos Apostoli verbo & exemplo genuerunt, erunt inter omnes homines cogniti. Diuus Paulus 1. Corinthios cap. 4. scribens, *Per Euangelium*, inquit, *ego vos genui*. Et in Psalmo 21. ait Christus: D *Semen meum seruiet ipsi*. Hoc est, fideles mei seruient Domino. Si Christus eiúsque Apostoli eos genuerint quos conuerterunt ad fidem, & à vitiis separarunt, ergo anteà non erant, dum sceleribus implicabantur. Ex quo colliges impiorum vitam esse potius mortẽ dicendam, quàm vitam. Aspicis præterea docere esse gignere, & doctores patres posse appellari.

t *Gaudens gaudebo in Domino.*) Verba sunt Ecclesiæ, quam Propheta facit loquentem, gaudium suum proferentem, & beneficia à Christo accepta prædicãtem. Animaduerte: Non dicit: Gaudebo in mundo, sed *in Domino*. Ita Dauid, *Redde mihi*, inquit, *lætitiam salutaris tui*. Et Apostolus Philippensibus, *Gaudete*, inquit, *in Domino semper*. Poteris hoc referre ad ipsum Esaiam, vt ipse sit, qui has voces emittat.

u *Quia induit me vestimentis salutis.*) Hoc est, iustitia & charitate. Id quod sequitur: *Et indumento iustitiæ circundedit me*, est idem sed aliis verbis.

x *Quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.*) Hoc est, ita me Christus virtutum ornamentis induit, acsi ego essem sponsus in die nuptiarum splendidis vestibus coopertus, & corona decoratus: & sponsa pulcherrimis ornamentis E
induta.

y *Sicut enim terra profert germen suum.*) Prædicta Ecclesiæ exultatione concludit Propheta dicens, magnam fore iustitiam & laudem, non solùm coram Iudæis, sed etiam coram cunctis gentibus.

ANNOTATIONES ex Hebræo in

CAPVT LXI.

1 Ad annuntiandum mansuetis misit me.] *In Hebraico est in hunc modum* לבשר ענוים שלחני *leuasser anauin xelachani. Dictio* ענו *anau significat mitem, mansuetum, benignum, humilem. Vnde id, quod habetur Numerorum ca. 12.* Erat enim Moses vir mitissimus super omnes homines, *interpretatur R. Salomon* humilis & toleras super omnes homines. *Hac ratione adC ducti Septuaginta verterunt*: Euangelizare pauperibus misit me. *Solent enim humiles pauperes appellari.*
Matt. 5. Luc. 4. *Vnde id, quod ait Christus*: Beati pauperes Spiritu, *graues authores non de inopia, sed de humilitate explanant. Diuus Lucas hanc autoritatem ex versione Septuaginta capite quarto sui Euangelij citauit. Poteris etiam pauperes accipere in sua propria significatione pro egentibus & inopibus. Vbi vides apud Christum diuites & potentes non præferri pauperibus & humilibus. Homines sæpe volunt potius diuitibus quàm pauperibus Euangelium prædicare: at Christus pauperes elegit, venit enim mundi vanitatem euersum. Regnum mundi incipit à magnatibus & potentibus, regnum verò Christi à pauperibus. Reges & principes mundi respiciunt diuites, Christus autem intuetur pauperes. De illo enim dicitur in Psalmo decimo*: Oculi eius in pauperem respiciunt. *Imò apud regem Herodem ab eo miraculum factum videre desiderantem siluit, nec verba, nec miracula faciens: contrà verò apud*
Simile. *pauperes & loquebatur, & miracula faciebat. Vt enim prudens mercator non vult otiosis, & vanè curiosis merces suas ostendere, sed iis, quos intelligit esse illas empturos, sic Christus apud eos concionabatur, & euidentia atque mirabilia signa efficiebat, quos videbat esse ex his vtilitatem accepturos. Et volens apud Matthæum cap. 11. discipulis Ioannis interrogantibus*: Es tu qui venturus es, an alium expectamus: *ostendere se esse Christum in lege promissum, respondit rerum gestarum testimonio. Factis enim coram illis magnis miraculis*, Dicite, *inquit*, Ioanni quæ vidistis & audistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. *Hoc est, Euangelium illis prædicatum recipiunt. Quasi diceret: Ego sum ille, quem Propheta vaticinati sunt esse hac opera facturum. Inter quæ miracula, vt vides, citat id quod hic ait:* Euangelizare pauperibus misit me. *ciebat enim venturum esse tempus, vt pro miraculo haberetur Euangelium pauperibus gratis annuntiare.*

2 Vt mederer contritis corde.] *In Hebraico est* לחבש לנשברי לב *lachauox lenixbere leu. Verbum* חבש *chauax significat propriè alligare, vt apud Esaiam ca. 30.* In die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui. *Ideo Pagninus vertit*: Vt alligarem contritos corde. F *Metaphora sumpta à chirurgis vulnera fasciolis ligantibus. Vnde noster interpres rectè vertit*: Vt mederer. *Diuus Lucas habet*, Sanare contritos corde. *Quod est idẽ. Potest verti*: Vt curarem confractos animo. *Hoc est, animum vulneribus confossum & saucium habentes. Pro quo Theodotio vertit*: Ad alliganda vulnera peccatorum. *Sunt enim peccatorum vulnera lethalia, mortémque ipsam non multò posteà, sed statim gignentia, iuxta id quod ait diuus Iacobus Apostolus ca. 1.* Peccatum, cùm consummatum fuerit, generat mortem.

3 Et clausis apertionem.] *In Hebraico est* פקח־קוח לאסורים *Velaasurim pekach koach. Nomen* אסור *asur vinctum significat, vt Genesis 39.* Tradidit Ioseph in carcerem, vbi vincti regis custodiebantur. *Verbum Pakach significat velamen removere & aperire, vt Gen. 3.* Aperientur oculi vestri. *Vnde nomen* פקח *apertionem & visum significat. Quapropter verterunt Septuaginta*: Et cæcis vt videant. *Quos secutus diuus Lucas cap. 4. transtulit*: Et cæcis visum. *Potest verti*: Et vinctis apertionem carceris. *Ita enim transtulit Pagninus. Nam dictio* פקח *carcerem significat iuxta sententiam R. Ioseph. Nonnulli tamen existimant hæc duas dictiones* פקח קוח *esse vnam geminatam, & significare visum, &*
apertio-

A *apertionem.*

4 Vt ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis corònam pro cinere.] *Versio, cui diuus Hieronymus adiecit commentaria, non habet fortitudinem, nec est hæc dictio in translatione Septuaginta, nec Pagnini, nec in textu Hebraico. Quare potest ita verti:* Vt ponerem lugentibus Sion, & darem illis gloriam pro cinere. *Quasi diceret: Vt ponerem ac darem piè ac debitè plorantibus gaudium pro lachrymis. Vel sic,* Vt lugentibus *ante oculos ponerem cælestem Sionem, vt intelligerent, esse pro sanctis lachrymis æternam illam gloriam cõsecuturos.*

5 Vt vocabuntur in ea fortes iustitiæ.] *Pro fortibus iustitiæ est in Hebraico* אלה צדק *eleha tsedek. Si prima dictio venit ab* אל *dicendum est fortes, nam* אל *fortem significat & Deum. Et hanc rationem secutus est noster interpres. Si autem est* אלה *dicendum est, arbores,* אלה *enim arborem significat, quam Latinus interpres Iosue vltimo quercum interpretatur. Ideò Pagninus vertit.* Et vocabuntur arbores iustitiæ. *Apostoli enim, cæteríque viri maximarum virtutum fructibus cumulati arbores fuerunt, & palmæ fructiferæ: semper virentes,* D *in Ecclesia veluti in terreno paradiso plantatæ. Eam ob causam cecinit Dauid Psal.1. & 91.* Iustus vt palma florebit. *Et hæc fortasse est arbor, cui in primo Psalmo iustus comparatur. Ait enim:* Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructũ suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet. *Palma enim varios fructus & mirificos producit, & nunquam foliis nudatur. Et inter alias qualitates põderi resistit, & aduersus illud insurgit, in quo inuicti animi fortitudo eorum, qui palmæ comparantur, clarissimè demonstratur.*

6 In gloria eorum superbietis.] *Potest verti ex Hebraico:* Eorum gloria oblectabimini: *vel vt Pagninus reddidit Latinè:* In gloria eorum exultabimini. *Aquila transtulit:* ἐν δόξῃ ἀυτῶν πορφύρᾳ ἐνδύσεσθε. *Hoc est, In gloria eorum purpura vestiemini. Quasi dicat: Nulla inuidia ob eorum fœlicitatem cruciabimini, sed etiam pretiosis vestibus & ornamentis gaudium, quo ob eorum gloriam perfundemini, ostendetis.*

B

Argumentum capitis LXII. E

Promittit diuinus vates fore vt nunquam taceat, & à concionibus desistat. Vaticinatur de primo Christi in mundum aduentu, & de Ecclesiæ prosperitate.

CAPVT LXII.

PRopter a Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, b donec egrediatur vt splendor iustus eius, c & saluator eius vt lampas accendatur. d Et videbunt Gentes iustum tuum, & cuncti reges inclytum tuum, e & vocabitur tibi nomẽ nouum quod os Domini nominauit. f Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltrà derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata, g sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitabitur, quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur. h Habitabit enim iuuenis cum virgine, i & habitabunt in te filij tui. k Et gaudebit sponsus super l ponsam, gaudebit super te Deus tuus. m Super muros tuos Hierusalem constitui custodes: tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt. n Qui reminiscimini Domini ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Hierusalem laudẽ in terra. Iurauit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ. o Si dedero triticum tuum vltra cibum inimicis tuis, & si biberint filij alieni vinum tuum in quo laborasti. Quia qui congregabunt illud, comedent, & laudabunt Dominum, & qui comportãt illud, bibent in atriis sanctis meis. p Transite, q transite per portas, q præparate viam populo. Planùm facite iter, & r eligite F lapides, s & eleuate signum ad populos. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ. t Dicite filiæ Sion: Ecce saluator tuus venit, u ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo. x Et vocabunt eos populus sanctus, redempti à Domino. y Tu autem vocaberis quæsita ciuitas, & non derelicta.

C

Isai. 21. Zach. 8 b

EXPLANATIO.

a *Propter Sion non tacebo.*) Cùm Esaias Christi aduentum prædiceret, & omnes ad virtutem verámque Dei religionem amplectendam hortaretur, ab impiis contemnebatur, sed tamen à concionibus suis non desistebat. Non enim erant apud eum tanti momenti scelleratorum hominum iniuriæ, vt eius animum frangerent & debilitarent. Nam viri iusti & constantiam muniti nullis rerum aduersarum fulminibus terrentur, nullis impiorum hominum oppugnationibus perturbantur, nullis minarum fluctibus obruuntur. Quin potius quò acerbius oppugnari se sentiunt, eò liberius & erectione animo clamant, quando opus est, & ratio præscribit, nolentes veritatem necessario dicendam silentio præterire. Scribis & principibus sacerdotum præcipientibus Petro & Ioanni Apostolis, ne Christum annuntiarent, respondêrunt ipsi: *Non possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui*, ita tradit Lucas in Actis Apostolorum capite quarto. Et sequenti capite tradit eos iterum respondisse: *Obedire oportet Deos magis quàm hominibus*, & nec contumeliis nec flagellis cæsos voluisse à prædicatione desistere. Et diuus Paulus in epistola prima ad Corinthios, ca. 9. *Væ enim*, inquit, *mihi est, si non euangelizauero.* Et Esaias, *Væ*, inquit, *mihi quia taceo.* Eam ob causam nunc ait se propter Sionem, hoc est, propter pios clamaturum esse, nec ab incœpto cessaturum. Vel propter Sionem, hoc est, quia ita opus est ciuitati Hierosolymæ.

b *Donec egrediatur vt splẽdor iustus eius.*) Hoc est, donec veniat Christus. Acsi diceret: Si vsque ad Christũ viuerem,

A viuerem, semper eius aduentum prædicarem, & homines ad virtutem exhortarer. Christum appellat iustum Sionis, hoc est, à quo omnis Sionis iustitia dimanat. Et Ierem. 13. *Hoc est*, inquit, *nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Et Stephanus in Actis, cap. 7. *Occiderunt*, inquit, *eos, qui prænuntiabant de aduentu iusti.* Vbi per iustum Christus intelligitur.

c *Et saluator eius vt lampas accendatur.*) Quem iustum vocauit, nunc saluatorem appellat. Iesus enim idem est quod saluator.

d *Et videbunt omnes gentes iustum tuum.*) Non solùm tu Hierosolyma, sed omnes etiam Gentes Chri-
1. Cor. 13 stum videbũt, licet non oculis, tamen fide. Videmus nunc, ait Apostolus, *per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Et Dauid, *Viderunt*, inquit, *omnes*
Psal. 79. *termini terræ salutare Dei nostri.* Perspicuum est Galatas c. 3. Christum corporeis oculis non vidisse, nihilominus tamen ad eos ita Diuus Paulus scribit: *Quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus?*

e *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.*) Hoc est, appellaberis Ecclesia super Petram fundata, ita enim te Christus appellabit. Diuus Matthæus capite 16. inquit dixisse Christum Petro:
B *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

f *Et eris corona gloriæ in manu Domini.*) Si corona solet esse in capite, non autẽ in manu, quomodo inquit Propheta Ecclesiam esse coronam gloriæ in manu Domini? Ego existimo eum voluisse ostendere nunquam defecturam esse fidem Ecclesiæ quoniam eam Deus manu sua tenet apprehensam. Quî fieri potest, vt diabolus spoliet fide Ecclesiam, quam Deus habet sua manu custoditam? Ideò portæ inferi aduersus eam nunquam prævalebunt, vt ipsa veritas asseruit apud Matthæũ, c. 16. Et apud Lucam, c. 22. *Ego*, inquit, *orani pro te, vt non deficiat fides tua.* capitur autem corona hoc in loco pro regno, quemadmodum & diadema regni. Acsi diceret: Eris ô Ecclesia regnum glorioſum, non externum sub rege aliquo humano, qui tui in æternum dominetur, sed eris regnum in manu Domini ab ipso nũquam derelictum. Vel sic: Eris glorioſa & inclyta, & à Deo dilecta. Vel, eris corona gloriæ in manu Domini, hoc est, propter te glorificabitur Dominus. Hac exornatione orationis vtitur Diuus Paulus in epistola ad Philippenses c. 4. ita dicens: *Itaque fratres mei charissimi & desideratissimi gaudium meum & corona mea: & Salomon in*
C Prouerbiis c. 12. *Mulier diligens corona est viro suo.*

g *Sed vocaberis voluntas mea in ea.*) Solet aliquando scriptura nomina rebus ex euentu imponere, quẽ
Supr. 8. admodum suprà fuit Christus vocatus, *Accelera, spolia detrahe*, festina prædari à celeritate, qua dæmonem spoliauit, & genus humanum ab eius faucibus eripuit.

h *Habitabit enim iuuenis cum virgine.*) Hoc est, tanta erit pudicitia inter sanctos Christi fideles, vt virgines puellæ etiam inter iuuenes habitent securę & intactę.

i *Et habitabunt in te filij tui.*) Nullus Ecclesię filius extra eam est: at infideles sunt ab ea alienati. Hęretici non appellantur Ecclesię filij, sed synagogę diaboli.

k *Et gaudebit sponsus super sponsam.*) Quis sit hic sponsus & hęc sponsa, explicat statim, dicens: *Et gaudebit super te Deus tuus.* Vbi vides Ecclesiam esse dei sponsam. Hęc est ea quam Salomon in Canticis c. 1.
Ephes. 5. facit cum sponso suo Christo loquentem, de qua ait Apostolus: *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.*

l *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes.*) Hoc est, Apostolos, præsules, & doctores, quorum in- D
tereſt vigilare, speculari, custodire, & docere. Ita Diuus Paulus 2. Timoth. c. 4. dicebat, *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, &c.*

m *Qui reminiscimini Domini ne taceatis.*) Sensus est: Vos qui Dei recordamini, orate Dominum pro Ecclesiæ laude, & pace, nec à precibus vnquàm desistatis, quandiu eam afflictam videritis.

n *Si dedero.*) Id est, Non dabo. Ponitur, Si, pro nõ, vt in Psalmo 94. *Ipsi verò non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam*, Id est, quòd non introibunt. Promittit Deus nunquàm Ecclesiam suam derelicturum. Poteris per triticum & vinum virtutes intelligere, quæ sunt animarum dapes. Has promittit Deus nunquam esse ab Ecclesia auferendas, sed illis prodesse, qui in illas incumbunt.

o *In atriis sanctis meis.*) Id est, in sancta Ecclesia mea.

p *Transite transite per portas.*) Egredimini de Babylone vos ô Iudæi, transite per portas eius, quas vobis cyrus aperiet, & referte vos in patriam vestram. Alloquitur populum Hebræorum in Babylonica ca E
ptiuitate detentum, de eius liberatione vaticinans. Sed per Babylonem mundus intelligitur, eiúsque confusio, à qua hortatur Propheta, vt omnes egrediantur.

q *Præparate viam populo.*) Vos magnates, sapientes, & præsules ducite populum è mundi confusione ad veritatem, ostendite illi iter ad cœlestem Hierosolymam. Eligite ex via lapides, eósque remouete, vt populus possit sine impedimento transire. Doctores qui ad virtutes hortantur, sed sunt tetris vitiis implicati, viam quidem veritatis ostendunt, sed nec eam præparant, nec lapides cæteráque impedimenta volunt ab ea remouere. Nam quantò apertius eam ostendunt verbis tantò pernicioſius eam impediunt *simile.*
factis. Quid est deprauata vita præsulis & concionatoris nisi quidam ingens in via lapis? Oportet concionatorem & præsulem esse doctrina excultum, & *simile.*
virtute præditum. Vt enim calx sine arena parum & imbecillo quodam modo lapides conglutinat, arena autem sine calce nihil penitus efficit, at calx cum arena fortiter & mirabiliter vnit & astringit: sic virtus sine doctrina aliis non multùm prodest, doctrina verò sine virtute non solùm non coadunat, sed etiam sæpe diuidit & destruit. At virtus cum doctrina coniuncta mirabiliter ædificat, & diuisos ac discordes lapides astrictissimè conglitinat. Virtus est calx, F
verba sunt arenæ, virtus verbis ornata est, calx cum arena aptè atque temperatè commista.

r *Et eleuate signum ad populos.*) Conuocate ad Ecclesiam omnes Gentes. Hortamini omnes ab egressu Babylonis, & ad Hierosolymæ ingressum. Solent enim duces eleuare vexillum ad milites congregandos. Hoc vexillum est crux illa sacratissima gloriosissimum signum nostrarum victoriarum, sub qua omnes militare debemus. Ecce enim Deus auditam fecit cruce m suam vniuersis mundi nationibus.

s *Dicite filiæ Sion: Ecce saluator.*) Filia Sion & Sion idem est, capitur autem pro Ecclesia, vt aliàs ostendimus. Est igitur sensus: Prædicate & annuntiate in Ecclesia, christi Iesu in mundum aduentum..

t *Ecce merces eius cum eo.*) Id est, ipse Deus est merces, quam suis electis tribuit. Ita ipse Dominus di- *Gen. 15.*
xit Abrahamo: *Noli timere Abram, Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Quasi diceret: Non solùm sum tuus protector, sed etiam tua merces amplissima. Et ita potest intelligi id, quod dicitur in Psalmo, c. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes*

A cation s tuas in æternum propter retributionẽ. Hoc eſt, propter teipſum, qui es electorum tuorum merces & retributio. Et poteſt ita verti ex Hebraico: *Inclinaui cor meum ad facienda præcepta tua propter æternam retributionem.* Eſt igitur ſenſus: Annuntiate Sioni Chriſti ſaluatoris aduentum, qui tam miſericors & benignus eſt, vt ſeipſum amicis ſuis tribuat in mercedẽ, non ſolùm illis ſua, ſed ſeipſum dabit. Nam ſemper coram illo eſt opus ſuum, hoc eſt, miſericordia ſua. Eſſe autem miſericordiam proprium Dei opus alibi oſtendimus. Vel ita: Merces electi cum Deo eſt, eáque Deus in promptu habet, non eam petens aliunde, & opus electi bonum & meritorium coram ipſo Deo eſt, qui omnes virtutum actiones videt, vt eas remuniret.

v *Et vocabunt eos populus ſanctus redempti à Domino.*) Fideles Dei electi & iuſti vocabuntur ſancti, à Chriſto redempti. Flagitioſi appellantur ſemen nequam, filij ſcelerati, & aliis huiuſmodi nominibus, vt primo capite oſtendimus: at viri iuſti & pij honeſtis ac glorioſis nominibus vocantur. Poteſt ita explanari: Et redempti à Domino, hoc eſt, illi, qui ſunt à dæmonis poteſtate liberati, & in gratia cõſtituti, vocabunt bonos populum ſanctum. Nã ſcelerati homines & flagitiis cooperti in viros excellentes, in quibus vident ſingulare quoddam virtutis lumen elucere, irruunt, eóſq; maledictis vulnerant, & falſis criminibus ad inuidiam vocant. Eorum virtutes ſilentio prætereunt: ſin autem in eis aliquam deprehendunt culpam, licet leuẽ, omnia clamoribus implent. Vt enim vultures ad cadauera odore feruntur, viuorum autem corporum nullo odore mouẽtur, ſic deprauati homines indomitis cupiditatibus inflammati, tetríſq; ſceleribus imbuti, leues ac veniales lapſus virorum iuſtorum, ſine quibus humana vita tranſigi non poteſt, ſtatim olfaciunt, eóſque inexpiabilibus vitiis tribuunt, eorũ autem virtutis nequaquã intuẽtur. Eſt enim ſceleratorum proprium omnes viros virtute præſtantes odio habere eorúmque ſplendorem falſis criminibus maculare, & omnem denique virtutis florem velle confringere. *ſimile.*

x *Tu autem vocaberis quæſita ciuitas.*) Tu ô Eccleſia vocaberis ciuitas, quam Chriſtus quæſiuit. Si Chriſtus nos quæſiuit, ergo anteà perditi eramus. Sumus enim ouis illa, quæ perierat, quam Chriſtus quæſiuit, & ſuis humeris aſportauit. *Luc. 15.*

D

Pſal. 23.

B

E

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT LXII.

1 Tranſite tranſite.] *In Hebraico eſt* עברי עברי *iuru iuru. Quod poteſt verti*, Procedit ante eos, procedite ante eos. *Id, quod habetur Gene. 33.* Et ipſe progrediens adorauit, *poteſt verti*: Et ipſe procedens ante eos adorauit. *Alloquitur hoc in loco Eſaias principes & præſules, quorum intereſt non ſolùm viam veritatis & virtutis aliis oſtendere, ſed etiam anteire. Vt enim teda ſiue fax non retro manet, ſed præit, ſic principes & præſules debent alios virtute & exemplo anteire, eóſque non ſolum verbis, ſed etiam vitæ ſplendore illuminare. Ideò eos Chriſtus lucem appellat*, Vos, *inquiens*, eſtis lux mundi. *ſimile.* *Matt. 5.*

2 Eligite lapides.] *In Hebraico eſt:* סקלו סקלי מסלה *ſakkelu meſſuen. Quod poteſt rectiſſimè verti:* Proiicite lapides. *Et ita verterunt Septuaginta. Pagninus:* Lapides remouete. *Quod eſt idem. Proiicere ex via lapides, eamque complanare eſt tollere ſcandala & impedimenta, quibus poſſunt alij lædi, & à via virtutis retardari.*

Argumentum capitis LXIII.

1 *Vaticinatur Propheta de Chriſti in cœlum aſcenſione, quem inſtar victoris triumphantis & hoſtium ſanguine cruentati deſcribit. 2 Commemorat Dei in Iſraelem beneficia, eúſque in Deum ingratitudinem & impietatem. 3 Poſtea inducit populum Iudaicum querentem ſe eſſe à Deo derelictum, & in maximis ærumnis verſatum.*

CAPVT LXIII.

F

C

1 Vis *a* eſt hic qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? *b* Iſte formoſus in ſtola ſua, 2 gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ? *c* Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluãdum. Quare ergo rubrũ eſt indumentũ tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantiũ in torculari? *d* Torcular calcaui ſolus, & de Gentibus nõ eſt vir mecũ: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. *e* Dies enim vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit. *f* Circũſpexi, & non erat auxiliator: quæſiui, & non fuit qui adiuuaret, *g* & ſaluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi. Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea, 3 & detraxi in terrã virtutem eorũ: *h* Miſerationũ Domini recordabor laudem Domini ſuper omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudinem bonorum domui Iſrael, quæ largitus eſt eis ſecundum indulgentiã ſuam, & ſecundũ multitudinẽ miſericordiarum ſuarum. *i* Et dixit: Veruntamen populus meus eſt, filij non negantes, & factus eſt eis ſaluator. *k* In + omni tribulatione eorum non eſt tribulatus, *l* & angelus faciei eius ſaluauit eos: in dilectione ſua, & in indulgẽtia ſua ipſe redemit eos, & portauit eos, *m* & eleuauit eos cũctis diebus ſeculi. *n* Ipſi autẽ ad iracundiã prouocauerunt, *o* & afflixerunt Spiritũ ſancti eius, & conuerſus eſt eis in inimicum, & ipſe debellauit eos. *p* Et recordatus eſt dierum ſeculi Moyſi, & populi ſui. *Ap. 19. 6.*

EXPLANATIO.

a *Quis eſt iſte qui venit de Edom.*) Poſtquam Propheta vaticinatus eſt de Chriſti paſſione, & in capite præ-

A præcedenti multa de eius Ecclesiæ constitutione prædixit, nunc de eius in cœlum ascensione vaticinatur. Et quemadmodum rex Dauid facit angelos ita dicentes: *Psal. 23.* *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ*, quoniã cœlites Christum in superas sedes ascendentem comitantes mente præuidebat, eodem modo Esaias inducit cœlestes spiritus interrogantes quisnam ille esset quoniam animo intuebatur, eos tanto mysterio & rei nouitate veluti admiratos. Sunt qui dubitent cuiusnam chori sint hi Spiritus, qui hoc interrogant, sed Dionysius ille admirabili sanctimonia & sapientia excultus capite septimo cœlestis suæ Hierarchiæ ait hanc quęstionẽ esse supremorũ angelorum à Deo immediatè illuminationes accipientium. Est autem ad horum verborum intelligẽtiam sciendum, Edom esse quandam prouinciam, Bosra autem eiusdem prouinciæ ciuitatem. Edom significat terrenum, cuius nomine mundus intelligitur. Bosra significat munitam & euersam, cuius nomine Hierosolyma significatur fortissimis muris munita, sed quæ ob eius scelera & in Christum ingratitudinem & impietatẽ fuit funditus euersa. Est igitur sensus: Quis est hic, qui venit de mundo, & de ciuitate Hierosolyma, habens vestes tinctas, sanguinéque rubricatas? Describit diB uinus noster vastes Christum in cœlum ascendentem instar ducis victoris, hostium suorum sanguine cruẽtati, & de illis gloriosè triumphantis. Vicit enim diabolum, mundum, mortem, & peccatum. Non quòd hæc omnia sanguinem habeant, sed est hoc tropologicè intelligendum. Vult enim his verbis propheta significare fructum mortis Christi & gloriosam victoriam, quam de hostibus suis reportauit.

b *Iste formosus in stola sua gradiẽs in multitudine fortitudinis suæ?*) Verba sunt etiam angelorum interrogantium. Vbi vides prophetam describere Christum non solùm triumphantem, sed pulchrum, & virili gradu incedentem. De eo dicitur in Psalm. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Et in Canticis c. 5. ait sponsa: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Candidus ob summam pulchritudinem eius, quem diuus Paulus in epistola ad Hebræos c. 1. gloriæ splendorem appellat, Rubicundus ob hostium sanguinem, de quibus illustrissimam victoriam reportauit.

ç *Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.*) Hæc est, Christi responsio. Habet principiũ huius capitis dialogi speciem. Sensus est: Ego sum ille, qui homines veram iustitiam docuit, qui, vt eos saluos facerem, cum hostibus animarum eorum pugnaui. Huc spectat id, quod de Christo ait diuus Ioãnes in Apoc. c. 19. vbi eum ita describit: *Vidi cælum* C *apertum, & ecce equus albus: & qui sedebat super eum vocabatur fidelis & verax, & cũ iustitia iudicat, & pugnat.* Et paulò post: *Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen eius, verbum Dei.* Ea autem iustitia de qua Esaias loquitur hoc in loco, intelligitur de distributiua. Docuit enim Christus dãdum esse vnicuique quod suum est, præterea impios esse damnandos, iustos verò à Deo æternis præmiis afficiendos. Potest etiam de iustificatione intelligi, quã Christus docuit, non in operibus sine fide consistere, sed in fide charitate formata, quæ, vt ait apostolus, *per charitatem operatur.* *Gal. 5*

d *Torcular calcaui solus.*) Respondet Christus se esse tinctum sanguine hostium generis humani, quos ipse solus vicit, & de quibus sine hominum ope triũphauit. Et quoniam hanc victoriam perfecit Christus in cruce, colligitur eam esse torcular, in quo hostes nostri veluti vuæ fuerunt conculcati. Cùm ergo crucem aspicimus, quid aliud facimus quàm admirabilis victoriæ monimentum, cæcorum lumen, & cœlestẽ D splendorem, firmissimum nostræ salutis præsidium, & certissimum iter ad splendidissimas illas ac beatissimas oras, & summa ac sempiterna gaudia intueri? Considera Christi Dei nostri mansuetudinem, qui cùm gloriosè triumphans ascenderet, non dedignatur interrogãtibus rationem reddere, ille quem cœlestis pater extulit, *cui dedit nomen, quod est super omne*, vt ait diuus Paulus, *vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Videant hoc superbi, qui cùm sint in aliqua dignitate constituti, suis subditis respondere, suarúmque rerum rationem reddere dedignantur. *Philip. 2.*

e *Dies enim vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit.*) Nonnulli codices habent: *Annus redemptionis meæ venit.* Sed non multum refert. Nam retributio pro redemptione accipitur. Appellatur tempus illud vltionis, quòd Christus de dæmone, morte, & peccato pœnas sumpserit: redẽptionis verò, quòd nos sanguine suo redemerit. Vel vltionis, propter euersionem Hierosolymæ, infideliúmque Iudæorum vastitatem: redemptionis verò seu retributionis, propter beneficia in viros fideles à Deo collata. Sed animaduerte. Loquens de infidelium vltione ponit diem, & de fidelium retributione annum, vt suam diuinã clementiam & immensam pietatem significaret

f *Circunspexi, & non erat auxiliator.*) Ita in Psal. 68. *Et sustinui qui simul contristaretur: & non fuit, & qui* E *consolaretur, & non inueni.* Omnes enim eo relicto fugerunt. Ideò dixit paulò antè: *Torcular calcaui solus, & de Gentibus non est vir mecum.* Notanter dicit, *Non est vir*, vt nõ excluderet virginem Mariam, quæ eum fuit vsque ad mortem comitata, gladio doloris trãsfixa.

g *Et saluauit mihi brachium meum.*) Subaudi eos. Quasi dicat: Brachium meum eripuit homines à manu dæmonis, vt mihi seruirent, eósque saluos fecit. Septuaginta habent: *Et emit eos brachium meum.* Quod idem ferè est. Id autem quod sequitur: *Et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi*, est superioris repetitio. Capitur enim indignatio pro fortitudine, quẽadmodum brachium paulò antè pro fortitudine accipiebatur.

h *Miserationũ Domini recordabor.*) Verba sunt Prophetæ, suam erga Dominum gratitudinem ostendẽtis. Sequitur: *Et laudem Domino*, subaudi, narrabo. Quasi dicat: Nullum erit tempus, quo Dei in me beneficiorum memoria moriatur: imò omnis mihi erit *Exod. 14.* ætas ad ea recolenda atque prædicanda. Sciebat propheta quàm detestabilis sit ingratitudo, ob quam permisit Deus, vt Aegyptij in mari Rubro obruerentur, & tantæ ingratitudinis perpetuam memoriã F *Exod. 1.* relinquerent. Cùm enim essent à Ioseph mirabiliter conseruati, eum obliti sunt, eiúsque filios & cognatos incredibilibus afflictionibus & calamitatibus oppresserunt. Nutriuit Dauid filium suum Absalom, eúmq; extulit & amplificauit: at ille aduersus patrẽ suum insurrexit, eúmq; de ciuitate fugauit. Sed ob *2. Reg. 15.* hanc ingratitudinẽ fuit miserè interfectus, & tribus *2 Reg. 18* hastis transfixus. Quod potest esse maius scelus, quã eum, à quo acceperis beneficia, affligere, & in inuidiam vocare? Vt enim hedera per se stare non potest, *simile.* sed arboris, eiúsque ramorum adiumento alta petit, & ipsam arborem adeò amplexu astringit, vt arefaciat, & absumat, sic multi, qui in obscuritate iacebãt, aliorum potentia & fauore mundi honoris gradum assecuti, eis, quorum præsidio ascenderunt, fuerunt perniciem machinati. Similes illis, qui imbrem & *simile.* procellam declinantes, ad opacam arborem confugiunt, sed transacto & finito nimbo arborem, quæ eos protexerat, secant, & infringunt. Quid potest esse

A in terra ingratitudine tetrius? quid odio maiori dignis? Quid iuri humanæ ſocietatis peſtilẽtius? Cum autem tam execrandum facinus ſit hominis erga hominem ingratitudo, quid erit erga Deum illum optimum & maximum, qui nos creauit, qui noſtram humanitatem induit, qui noſtra impia facinora ſuo sẽguine luit? Nullum eſt tam affluens ingenium, nulla tam illuſtris orationis copia & facultas, quæ poſſit huius deteſtabilis vitij deformitatem & grauitatem explicare. Hoc intelligens diuinus noſter vates, has voces emiſit: *Miſerationum Domini recordabor.* Et ea, quæ ſequuntur.

i *Et dixit.*) Subauditur Deus. Ea autem, quæ paulò poſt ſequuntur: *Et factus eſt eis ſaluator*, verba ſunt prophetæ.

k *In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus.*) Id eſt, Cùm Hebræi ab Aegyptiis affligerentur, Deus liberauit eos. Qui amicos oppreſſos eripere non poteſt, affligitur. Non autem dicitur affligi ille, qui poteſt eos eripere, & eripit, quando vult. Et quoniam
[B Deus poterat Hebræos liberare, & reuera quando illi placuit, eripuit, ait Propheta eum non fuiſſe in illorum tribulatione tribulatum.

l *Et angelus faciei eius ſaluauit eos.*) Alludit ad hiſtoriam, quæ eſt in Exodo cap. 12. literis mandata, de angelo, qui primogenitos Aegyptiorum occidebat, Hebræos autem ſeruabat. Vocatur autem angelus faciei eius, hoc eſt, angelus ſtans coram eo. Ait enim Chriſtus apud Matthæum c. 18. *Dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt.*

m *Eleuauit eos cunctis diebus ſeculi.*) Hoc eſt, euexit Hebræos ad honorem, de quo nulla vnquã ætas contieſcet. Vult propheta ſignificare tam inſigne fuiſſe beneficium illud Dei in Hebræos, quãdo eos ab Aegyptiis mirabiliter eripuit, vt nulla vnquam obliuione poſteritatis extinguatur.

n *Ipſi autem ad iracundiam prouocauerunt.*) Oſtenſa Dei bonitate & in Hebræos magnificentia, oſtendit eorum nefariam ingratitudinem. D

o *Et afflixerunt Spiritum ſancti eius.*) Id eſt, ſanctitatis eius. Vel vt alij codices habent, *Spiritum Sanctũ eius.* Quam ob rem ait Apoſtolus: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei.* Fortaſſe per *Spiritum ſancti eius*, intelligit ſpiritum Moyſi, qui fuit Sanctus Dei, de quo dicitur in Pſalmo 105. *Vexatus eſt Moyſes propter eos, quia exacerbauerunt Spiritum eius.* Eſt enim proprium optimorum præſulum affligi ſpiritu, cùm ſubditorum ſcelera intuentur. Vnde diuus Paulus, *Quis*, inquit, *infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Vt enim ſartago aliis præparat cibum, ipſa autem igni applicata incenditur, & flammis comburitur, ſic præſules pij & charitate præſtantes alios pabulo doctrinæ & exemplo nutriunt, ipſi autem viſis aliorum flagitiis dolore premuntur, & feruentis charitatis ardore inflammantur. Eam ob cauſam fortaſſe Deus apud Ezechielem capite quarto charitatem ferreæ ſartagini comparauit. Ita enim ait: *Et tu ſume tibi ſartaginem ferream, & pones eam in murum ferreum inter te & inter ciuitatem.* Et E
hæc eſt cauſa, ob quam Chriſtus Apoſtolos ſuos ſalem vocauit. *Vos*, inquiens, *eſtis ſal terræ.* Perſpicuum eſt enim ſalem, vt ollam condiat, ſeipſum exinanire & attenuare. Quemadmodum lucerna, quæ vt alios illuminet, ſe ipſam abſumit, & liquefacit. Ideò eos etiam Chriſtus cũ luce comparauit, *Vos*, inquiens, *eſtis lux mundi.* Quæ autẽ ſit hæc lux, indicat alio in loco, cum de Ioanne Baptiſta capite quinto, loquens, *Ille*, inquit, *erat lucerna ardens & lucens.* Prius eſt ardere charitate, quàm illuminare verbo & exemplo.

p *Et recordatus eſt dierum ſeculi Moyſi, & populi ſui.*) Subauditur populus Iſraeliticus. Verba ſunt Eſaiæ dicentis ſuo tempore recordatum fuiſſe populum Iudaicum illius antiquæ fœlicitatis, quando Deus Moyſem cum populo ſuo mirabilibus ſignis ab Aegyptiorum ſeruitute liberauit.

Epheſ. 4.

2. Cor. 11 ſimile.

Matt. 5.

Matt. 5.

ANNOTATIONES EX Hebræo in

C

CAPVT LXIII.

1 Quix eſt iſte, qui venit de Edom?] *Pro de Edom eſt in Hebræo* מאדום *me Edhon: quæ dictio* חמוץ *hoc eſt, rubedinem ſonat. Ideò potèſt hoc in loco pro Iudæorum ſynagoga accipi, quæ non ſolùm prophetarum, ſed etiam Chriſti ſanguine ſe polluit, & rubicundam atque ſanguinolentam reddidit.*

2 Gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ.] *Pro* gradiens *eſt in Hebraico* צעה *tſoah, à verbo* צעה *tſaah, quod ſignificat gradi, migrare, & diſcurrere. Vnde R. Dauid in libro radicum, ita hunc locum interpretatur*: Demigrare faciens in multitudine fortitudinis ſuæ Iſraelem ex omnibus locis captiuitatis ſuæ. *Quæ de Deo abſque dubio intelliguntur.*

3 Et detraxi in terram virtutem eorum.] *Pro virtute eorum in Hebraico eſt,* נצחם *nitſcham. Nomen eſt,* נצח *natſach, quod ſignificat fortitudinem, ſanguinem, & perpetuitatem, quòd in ſanguine ſit hominis fortitudo, & quoniam id, quod fortitudine valet, promittat perpetuitatem. Significat etiam finem, victoriam, & victorem. Vnde id, quod eſt in Ieremiæ Threnis capite tertio:* Periit finis meus, *potèſt rectè verti:* Periit victoria mea. *Hæc dictio præfigitur ſæpe Pſalmis in hunc modum, Lamnatſtſach, pro qua Septuaginta habent* εἰς τὸ τέλος, *hoc eſt, in finem: quos ſecutus eſt Latinus interpres. Diuus Hieronymus in ſua verſione ex Hebræo transfert*: Victori Fœlix, Vincenti, vel effundenti ſanguinem, *vel* danti æternitatem. F
Quæ omnia Chriſti Deo noſtro verè conueniunt: ille enim eſt finis legis. iuxta id quod ait Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Romanos capite decimo. Finis legis Chriſtus, *Diuus Ioannes in Apocalypſi capite primo Deum in hunc modum inducit loquentem*: Ego ſum alpha & o mega principium & finis. *Quid multis? Chriſtus eſt finis ille, ad quem debemus omnia noſtra opera dirigere & referre, & ſignum ad quod omnes noſtrarum cogitationum ſagittæ debent tendere & ordinari, iuxta id quod ipſe ait in Canticis c.* 8. Pone me vt ſignaculũ ſuper cor tuũ. *Ipſe eſt victor, qui apud Ioan. c.* 16. Ego, *inquit*, vici mundum: *de quo idẽ Ioannes in Apoc. c.* 5. Vicit, *inquit*, leo de tribu Iuda. *Ipſe eſt, qui pro nobis ſanguinẽ fudit iuxta id, quod ipſe Apoſtolis in cœna dixerat*: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamẽti, qui pro multis effundetur in remiſſionẽ peccatorum. *Vnde Ioannes in Apocalypſi*: Quoniã, *inquit*, occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo. *Hic ſanguis pro nobis fuſus fuerat in lege in agni ſanguine aliorũque animalium figuratus: nã vt verbis vtar Pauli Apoſtoli*, omnia penè in sãguine ſecundum legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. *Chriſtus eſt, qui nobis æternitatem tribuit, iuxta id quod ipſe ait*: Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternã. *Quod de fide charitate formata intelligitur. Et in alibi*: Si quis ſermonem meũ ſeruauerit, non guſtabit mortẽ in æternum.

Matt. 26. Apoc. 5.

Heb. 9.

Ioann. 6. Ioann. 8.

num. *Considera altaq; mente intuere quemadmodũ omnia hæc Christo accommodẽtur, & quàm sublimia mysteria hac dictione comprehendantur. Ideò hunc Esaiæ locũ ita poteris vertere*: Et detraxit in terram sanguinem eorum, vel fortitudinem *vel* victoriam eorum.

4 In omni tribulatione eorum non est tribulatus.] *In Hebræo est in hũc modum* בכל־צרתם לא צר *bechal tsaratham lo tsar. Hæc particula* לא *significat non, sed si ita scribatur,* לו, *est datiuus huius pronominis* הוא, *hoc est, ille. Sed aliquãdo ponitur vna particula pro altera. Ex quo effectum est, vt interpretum varietas hunc locum anceps redderet. Pagninus vertit*: In omni angustia eorum ei fuit angustia. *Alij vertunt*: In omni tribulatione eorũ ipse est tribulatus. *Quod idẽ est, licet diuersis verbis. Nec est malus hic sensus. Nam hoc dicitur de Christo, qui, vt verbis vtar nostri Esaiæ,* verè languores nostros tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et nos reputauimus eũ quasi leprosum & percussum à Deo: *aut, vt est in Hebraico, Percussum Deũ. Vel dicit propheta Deũ suorũ afflictione esse afflictum, vt eius erga suos summã charitatẽ ostendat. Ita R. Dauid hunc locum explanauit. Quomodo autẽ intelligatur nostra cõmunis versio in explanatione, ostendimus. Diuus Hieronymus in cõmentariis neutram harum versionum reprobat: imò aliam tertiã ponit. Ait enim posse ita verti*: In omni tribulatione eorum nequaquam tribulauit eos. *Quoniam cùm affligerentur, ipse eos afflictione leuabat. Septuaginta habent*: Non legatus, nec angelus, sed ipse saluauit eos. *Acsi dicerent: Cùm genus humanum turbulentis negotiis implicatum, tetrísque flagitiis coopertum in tenebris & erroribus intolerabilibus versãretur, venit in mundũ summus ille Deus sempiterni patris vnigenitus filius, vt sceleraa nostra sua sanguine lueret, omnem caliginem dispelleret, vir tutum splendore & ornamentis nos decorare, & suis humeris asportatos cœlestis claritatis gloria redundãtes, ad æternas sedes immortalis gaudij plenissimas tandem perduceret. Noluit summus ille Deus ad negotium redemptionis humanæ mittere legatum, nec angelum, nec curam tam admirabilis reparationis alicui demandare. Sed ipse voluit venire, & negotium gerere, atque nobis suo sanguine cœlestis claritatis ianuam aperire. Hoc volẽtes Septuaginta significare trãstulerunt: Non legatus, nec angelus, sed ipse saluauit eos. Verbum hoc,* רצ, *quod hîc ponitur significat affligere, & corroborare, & iuxta Septuagita significat etiam saluos facere. Nec mirum est vnum & idem verbum significare affligere, & corroborare: Nã vt palma aduersus pondus consurgit, & robustior efficitur, sic vir iustus afflictionibus & calamitatibus roboratur. Et quemadmodum arbores ad septentrionalem partem satas frigidis ventis assuetas, dicunt esse validiores, sic qui variis ærumnis concuti & agitati consueuerũt, obdurescunt ipsis afflictionibus, & fortiores efficiunt. Vnde potest verti*: In omni tribulatione eorum roborauit eum, *subaudi Israeliticum populum. Et quamuis omnes hæ interpretationes huic loco conueniant, ea tamen, quam Septuaginta reddiderũt, mihi mirabilior cæteris videtur, quæ humanam redemptionem per Christi aduentum diuinitus aperit. Opus enim erat vt nec per angelum nec per alium legatum eã perageret, sed ipse veniret. Vnde dicebat in Canticis sponsa*, Osculetur me osculo oris *sui, nequaquam per alios sed ipse in mea carne appareat, & verbum caro fiat, vt sit Emanuel, hoc est, nobiscum Deus.*

Exo. 14. c Vbi [a] est qui eduxit eos de mari [b] cum pastoribus gregis sui: [c] Vbi est qui posuit in medio eius Spiritum sancti sui? [d] Qui [e] eduxit ad dexteram Moysem brachio maiestatis suæ, qui scidit aquas ante eos, vt facerent sibi nomen sempiternum. Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem. Quasi animal in campo descendens, [e] Spiritus Domini ductor eius fuit. Sic adduxisti populum tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ. [f] Attende de Deu. 26. d Baruch. 2 cœlo, & vide de habitaculo sancto tuo, & solio gloriæ suæ. [g] Vbi est zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum? Super me continuerunt se. Tu enim pater noster, [h] & Abraham nescivit nos, & Israel ignorauit nos: tu Domine pater noster, redemptor noster, à seculo nomen tuum. [i] Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis, induraſti cor nostrum ne timeremus te: [k] Conuertere propter seruos tuos tribus hæreditatis tuæ. [l] Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum, hostes nostri [m] conculcauerunt sanctificationem tuam. Facti sumus quasi in principio, cùm non dominareris nostri, nec inuocaretur nomen tuum super nos.

C a *Vbi est qui eduxit eos de mari?*) Nempe Rubro. Verba sunt populi Iudæorum tempore Esaiæ, quem populum ipse propheta inducit loquentem, pristinæ fœlicitatis suæ recordatum.

b *Cum pastoribus gregis sui.*) Hoc dicit, quia multi ex Hebræis pastores erant, vt constat ex capite quadragesimosexto Geneſis, & ex aliis multis locis. Ego tamen existimo hoc intelligi de Moyse, & Aarone, & principibus tribuum, quos pastores gregis appellat. Eodem modo de principibus intelligitur id, quod ait Deus per Ieremiam c. 3. *Introducam vos in Sion, & dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.* Illis constituit Deus pastores excellentes, qui non Babylonis, non mundi confusionis cultores sunt, sed Sionis, hoc est, speculæ, qui se Deo dedicarunt, rerũmque altissimarum contemplationi dediderunt. Lege diuinas literas, & inuenies, passim reges & principes pastores appellari. Nec solùm illæ, sed etiam libri Gentilium hoc nomen illi tribuerunt. Homerus enim antiquissimus author qui fuit pater bonorũ ingeniũor appellatus, reges pastores appellat. Et vt pastor nõ est suus, sed ouiũ, sic princeps totũ se debet curæ subditorũ dedicare. Quã ob causam dicebat Plato ille, quem Panętius Homerum philosophorum vocauit; neminem debere minorem partem habere in principe, quàm ipsum principem, qui debet totum populi pondus sustinere. Et ob eã causam Græce appellatur βασιλεὺς, quasi populum sustentans. Quantò enim quis altius præponitur, tanto humilius pondere laborũ grauatur. Ideo diuus Gregorius præsules basibus domus Salomonis cõparauit. Vt enim tectum alios tegit, ipsum autem imbres omnes in se recipit, sic princeps vt alios protegat, & rectè gubernet, & tuatur, debet labores omnes tolerare, & veluti firmissima basis & validissimum fundamentum totum populi ædificium sustinere. Et quoniam nullum est munus laboriosius officio pastorum, ideò optimo iure reges, principes, & præsules, pastores appellantur. Sed vtinam ipsi hoc cognoscerent, & mentis oculis intuerentur.

A c *Vbi est qui posuit in medio eius spiritum sancti tui.)* Hoc est, in medio Moysi. Vel in medio eius, nempe populi Iudaici. Cum hac posteriori expositione conuenit interpretatio Septuaginta ita habentium: *Vbi est, qui posuit in eis Spiritum sanctum?*

d *Qui eduxit ad dexteram Moysem brachio maiestatis suæ.)* Hoc est, qui in mari Rubro eduxit Moysem per virgam, quam dextera tenebat. Præpositio, ad, potest verti per propositionem, per. Vel sic, & melius meo iudicio: Qui Deus Moysem ab Aegypto honorificè eduxit. solent principes eos, quos vnicè diligunt, & ad summum honorem amplissimámque dignitatem euehere desiderant, ad dexteram habere.

e *Spiritus Domini ductor eius fuit.)* Poteris per Spiritum Domini Spiritum sanctum intelligere, vel
Heb.1. Angelum. Angeli enim Spiritus sunt, iuxta illud Psal. 103. *Qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos ignem vrentem.* Et quoniam Angeli sunt Dei ministri, ideò Spiritus Domini appellantur. Ita ait Paulus Apostolus de Angelis loquens: *Nónne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?* Id etiam quod est à diuo Luca in Actis Apostolorum scriptum: *Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum eunuchus* potest rectè de Dei Angelo explanari: Angelus etiam apprehendit Habacuc prophetam, eúmque
B capillo capitis portauit, donec eũ lacu, in quem pius Dan. ca. 14. fuerat iniustè coniectus, collocauit.

f *Attende de cœlo.)* Precatio est ad Deum populi fidelis Hebræorum.

g *Vbi est zelus tuus.)* Hoc est, amor, quos nos anteà prosequebaris. Ita in Psalmo 88. *Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine?*

h *Et Abraham neciuit nos, & Israel ignorauit nos.)* Id est, nec Abraham neque Iacob nos ex Aegypto eripuerunt: multò enim anteà migrauerant è vita. Tu Domine solus tanquam optimus pater nos nutriuisti, extulisti, & in promissa terra mirabiliter collocasti. Quà igitur eos derelinquis?

i *Quare errare nos fecisti Domine de vitis tuis indurasti cor nostrum, ne timeremus te?)* Hoc est, cur Domine permisisti, vt viam veritatis derelinqueremus, essemúsque ita duro & obstinato animo, vt nullo timore tui teneremur? Cur ita nos indurari permisisti? Hic est vnus, ex locis ex quibus hæretici nostri temporis probare contendunt nullum esse in homine liberum arbitrium. Aiũt enim hic peccatores suorum flagitio
C rum causam Deo tribuere, eúmque illorum authorem facere. Quod est planè falsum & impium: Deus enim nec facit peccatum, nec eius author vnquam fuit. Sed dicitur Deus indurare cor aliquorum, quando ab eorum scelera illis gratiam non tributi, qua neque illi eam volunt, nec petunt, nec ad eam se parare & disponere student. Et ita hoc in loco, *Induraſti cor nostrum*, idem est quod indurari permisisti. Hæc est phrasis scripturæ iuxta communem catholicorum doctorum explanationem. Impius Manichæus secutus stupidum Empedoclem negauit quandam arbitrij libertatem, qua in re fuit damnatus, & ab omnibus viris doctis non solùm Theologis, sed etiam Philosophis irrisus. Et cùm hæc hæresis ab omni hominum memoria penitus euulsa, fuit nostris hac in re infœlicibus temporibus à Luthero renouata & asserta. Ait enim omnia de necessitate absoluta euenire. Et quoniam duobus in locis hanc impietatem refutaui, studebo hoc loco breuitati, ea solum scribens, quæ aliis prætermisi. Geneseos capite quarto in hunc modum Deus inuidum Cain fuit alloquutus? *Nónne si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*, Quę verba Thargum Hierosolymitanũ ita vertit: *Nónne si emendaueris opera tua in hoc seculo, condonabitur & remittetur tibi in seculo futuro? Quòd si non emendaueris opera tua in seculo hoc, ad diem iudicij magni peccatum tuum reseruabitur, & ad ostium cordis quiescit: veruntamen in manum tuam tradidi potestatem concupiscentiæ malæ, & tu dominare eius siue ad bonum, siue ad malum.* Hæc Thargum. Aspicis apertissimè Lutheri impietatem. Creator facit, nostrum arbitrium liberum, ille autem in creatoris ignominiam illud seruum efficere conatur, in oratione, quam iustus Iosue habuit apud Hebræos vltimo capiti mandata hæc ad literam sunt verba: *Nunc ergo timete Dominũ, & seruite ei perfecto corde atque verissimo, & auferte Deos quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia & in Aegypto, ac seruite Domino. Sin autem malum vobis videtur, vt domino seruiatis, optio vobis datur. Eligite hodie quod placet, cui seruire potissimum debeatis, &c.* Vide quàm perspicuè scriptura nostram optionem, arbritriique libertatem ostendat. In Ecclesiastico ita ait scriptura: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus: & facere mala, & non facit.* Et in libro Sapientiæ, c. 16. *Ad quod quisque volebat, conuertebatur*, Et in Psal. 118. *Anima mea in manibus meis semper.* In prima epistola ad Corinthios, c. 7. *Qui statuit*, inquit Apostolus, *in corde suo, non habens necessitatem, potestatem habens suæ voluntatis.* Quid plura Christus Deus noster ita apud Marcũ ca. 14. discipulos alloquitur: *Semper enim pauperes habebitis vobiscum, & cùm volueritis potestis illis benefacere.* Christus asserit in nostra potestate esse pauperibus benefacere, Lutherus negat, cui credemus? Si omnia existimabas Luthere fato ineuitabili euenire, quorsum tot libros scribebas, tot ad populũ cõciões habebas, tot cõciliatoties incalcabos Quis nõ videt esse oĩa hæc superuacenea, si nihil est in nostra potestate, sed omnia sunt necessariò ventura? Tu tiipsi repugnas. Possem aduersus te citare Gregorium Nissenum in libro illo, infallibilem necessitatem refutat, arbritriique libertatem & actiuitatem clarissimè demonstrat, sanctum martyrem Cyprianum, libro primo epistola tertia Beatum Ambrosium libro primo de Gentium vocatione, glorioſum Hieronymum, diuum Augustinum, innumerabiléſque alios excellentes authores, sed cùm eos non admittas, satis esse existimo te vtriusque testamenti testimoniis conuincere, quæ nec fingo, nec deprauo, sed vt iacent, in medium profero. Est quidem Deus prima causa, omnes tam naturales quàm voluntarias causas absque dubio mouens, quod non solùm fateor sed etiam profiteor, & à Deo esse omne bonum iuxta
id quod ait diuus Iacobus Apostolus: *Omne datum optimo, & donum perfectum de sursum descendens à patre luminum.* Et iuxta id quod ait diuus Paulus: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Sed non ob id tollitur liberum arbitrium, quod bonas Dei inspirationes acceptat, & concurrit actiuè ad merita, atque gratiæ cooperatur. Ait enim Deus in Apocalypsi diui Ioannis Apo-
Apoc.3. stoli: *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cenabo cum eo, & ipse mecum.* Vides quemadmodum Deus cor nostrum pulset, sed non necessariò cogat, essèque electiones ipsas in nobis suppositio tamen diuino auxilio: Dei est nos gratia præueniente trahere, sed huic tractioni acquiescere, vel non acquiescere est in arbitrij nostri potestate constitutum. Non igitur Deus corda nostra ipse per se arbitriũ à nobis abstrahendo, vt tu existimas, & ex hoc Esaiæ loco probare contendis: imò nos ipsi nos induramus: alioquin non diceret Deus: *Hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra, sicut in irritatione secun-*
Psal 94. *dum*

1.Cor. 4

A *dum diem tentationis in deserto.*

k *Conuertere propter seruos tuos.*) Fatemur, inquiunt, nos esse sceleribus coinquinatos, nihilque boni mereri. At proper Abrahamum, Isaac, & Iacob cæteróſque viros seruos tuos fide obedientia, & charitate præstantes conuerte ad nos faciem tuam, illóſque tuæ misericordiæ oculos ne velis à nobis amplius auertere. Hîc aspicis quanti æsti, mandi sunt viri iusti, siquidem propter eos Deus multa mala à peccatoribus auertit. Salomoni ob nimirum mulierum deprauato dixit Deus: *Sciendam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo veruntamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum.* Et apud Esaiam, *Sic faciam*, inquit, *propter seruos meos, vt non disperdam totum.* Hoc voluit scriptura in libro Geneseos c. 15. significare, cùm ait abegisse Abrahamum volucres super immolata cadauera descendentes. Laceraſſent & deuoraſſent volucres animalia illa mortua, nisi eas sanctus ille pater longè separasset. Quid per volucres in cadauera irruentes eáque dilaniare & vorare desiderantes intelligitur, nisi tyrannorũ, potentium populorum, cæterúmque hominum immanium impius conatus & studium irruendi in filios Israelis, eósque ad vastitatem vocandi? Quid autem per Abrahamum volucres ab immolatis animalibus arcentem, nisi sanctorum patrum merita & suffragia? Ostendit diuina historia Aegyptos, Amorrhęos, Babylonios, cæteróſque infideles fuisse Israelem penitus euersuros & consumpturos, nisi Abrahami aliorúmque sanctorum virorum merita piæque precationes interceſſiſſent. D

l *Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum.*) Sensus est: Babylonij possederunt Domine Hebræorum populum, quasi nihil possiderent: populum tuũ penitus contempserunt acsi, & viliſſimus esset: pro nihilo putarunt.

m *Conculcauerunt sanctificationem tuam.*) Hoc est, templum Salomonis, vbi tuum nomen sanctificabatur, euerterunt, & pedibus conculcarunt: nósque in Babylonicam captiuitatem conieçerunt, vbi fuimus templo sacrificiíſque destituti, quemadmodum in principio priusquam te coleremus.

B E

ANNOTATIO.

1 Qui eduxit ad dexteram Moysem brachio maiestatis suæ.] *Septuaginta habent*: Qui eduxit dextera Moysem brachium gloriæ suæ. *Pagninus vertit*: Qui ambulare fecit ad dexteram Moseh brachium gloriæ suæ. *Quod idem ferè est. Vbi vides Moysem fuisse brachium, quo Deus miracula efficiebat. Nullus sanctorum suo nomine & virtute miracula efficit, sed sunt veluti brachia, quibus Deus operatur. Solus Christus suo nomine & virtute ægritudines insanabiles curabat, mortuos ad vitam reuocabat, & dæmones expellebat, & alia faciebat miracula euidentia, suámque diuinitatem significantia. Vt Protogenes ex sola vna linea cognouit Apellem, vt humani historiographi memoriæ prodiderunt, quoniam intellexit neminem esse qui tam rectam, subtilem & admirabilem lineam describeret, præter vnum Apellem: sic ex vno Christi miraculo poteris diuinam eius potentiam intelligere. Alij miracula efficiebant, sed non ita illustria, nec sua potentia, quemadmodum ea, quæ Christus faciebat. Dicebat enim Pharisæis de seipso, quod paralytico peccata dimitteret malè cogitantibus. Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralitico*, Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. *Quod ita statim fuit mirabiliter affectum. Quis non credet hoc miraculum esse Dei, qui virtute sua, & in testimonium sui numinis illud effecit? Vnde ait diuus Lucas, c. 6.* Virtus de illo exibat, & senabat omnes. *Virtus qua viri sancti miracula efficiũt, nõ exit ex illis, vt sua propria, sed ex Deo. At Christi virtus ex illo quidem exibat, quoniã ipse verus est Deus, sancti verò eius brachia, vt hîc de Moyse testatur Esaias.*

Argumentum capitis LXIIII.

Iudæos quos diuinus vates preuidebat esse in Babylonicam captiuitatem ob eorum impia scelera coniiciendos, inducit loquentes, & tanquam iam in illo misero statu constitutos, suam liberationem à Deo expectantes. Ostendunt magna esse & explicatu difficilima ea bona, quæ Deus suis dilectis in splendißimis illis ac æternis sedibus præparauit. Fatentur sua flagitia, & fugiunt ad portum diuinæ misericordiæ. C F

CAPVT LXIIII.

VTinam [a] dirumperes cœlos, & descenderes, [b] à facie tua montes defluerent, [1] exustio ignis tabescerent, aquæ ardent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis: à facie tua gentes turbarentes. [c] Cùm [2] feceris mirabilia non sustinebimus, descendisti, & à facie tua montes defluxerunt. [d] A seculo non audierunt, neque auribus percepe-runt: oculos non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. [e] Occurristi lætanti, & facienti, iustitiam, in viis tuis recordabuntur tui. Ecce tu iratus es, & peccauimus, in ipsis fuimus semper, & saluabimur. / Et facti sumus vt immundi omnes nos, & [3] quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Et [g] cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te. [h] Abscondisti faciem tuam à nobis, [i] & allisisti nos in manus iniquitatis nostræ. [k] Et nunc Domine pater noster es tu, nos verò lutum, & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris Domine satis, & ne vltrà memineris iniquitatis nostræ. Ecce respice, populus tuus omnes nos. [l] Ciuitas sancti tui facta est deserta: Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est. [m] Domus sanctificationis nostræ, gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. [n] Nunquid super his continebis te Domine, tacebis, & affliges nos vehementer.

A D

EXPLANATIO.

a *Vtinam dirumperes cœlos.)* Omnia hæc verba in textu Hebraico sunt capitis superioris. Et incipitur hoc caput ab illis verbis, *Sicut exustio ignis.* Sed Latini codices, quotquot vidi, incipiunt caput à particula, *Vtinam:* ideò nos etiam ab ea incipiemus. Sunt verba Hebræorum, qui in Babylonica captiuitate detinebantur: facit propheta eos Deum vehementibus desideriis deprecantes, vt veniat ad liberandum eos, & acerbissimis ærumnis, in quibus versabantur, eripiendum. Sed ego existimo diuinum nostrum vatẽ, cùm hæc mandaret monimentis, ad Christi in mundum aduentum mentis oculos leuasse. Ideò facit fideles suspirantes, & humanam redemptionem per Christum inflammatis verbis eximo pectore eductis petentes. Vt autem ardens eorum desiderium ostenderet propheta non inquit. Vtinam iam venires, sed, *Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes.* Quasi dicerent: Vtinam tam cito venires, tam feruenti voluntate, & tam inflammato impetu, vt non quæreres ostium, sed subitò cœlos rumperes, & descenderes. Non quòd necesse esset Deum cœlos infringere, vt veniret, sed loquitur propheta more humano, vt feruorem desiderij, quo antiqui patres aduentus Christi
B tenebantur; demonstraret. Eodem modo Dauid, *Domine,* inquit, *inclina cœlos tuos, & descende.* Vide ingẽs illustrissimi prophetæ desiderium, Ne Deus in aperiendis cœli foribus moram faceret, petit propheta, vt cœlum inclinet & descendat. Quid aliud voluit hic clarissimus rex significare, quando incredibili aquæ Bethlehem desiderio flagrans dicebat: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethlehem, nisi Christum in carne videre?* Ita hunc locum Eucherius interpretatur author antiquus & doctus: Nasciturum in Bethlehem sitiebat. Hic est illa cœlestis aqua de cœlo in terram missa ad tetras nostrorum scelerum maculas abluendas, quæ diuina aqua nata est in Bethlehem, iuxta Michææ c. 5. vaticinum. De qua ait apud Ezechielem cœlestis pater: *effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et vt significaret Dauid non terrenam il-
C lam aquam Bethlehem, sed eam cœlestem quam per illam intelligebat, desiderare, cùm tres viri ad eum aquam de cisterna Bethleem afferrent, noluit eam habere, vt in libro secundo Reg. c. 23. diuinæ literæ testantur, non enim voluit aquam periculo comparatam bibere, quoniam sitiebat fontem æternum, quem sciebat mundum à periculis erepturum. Hoc desiderio flagrabant fideles, & antiqui patres, quos capite quadragesimo quinto noster vates in hunc modum inducit loquentes: *Rorate cœli desuper, & nubes pluãt iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem.* Vbi poteris ea videre, quæ hac de re ibi annotauimus.

b *A facie tua montes defluerent: sicut exustio ignis tabescerent.)* Videtur alludere ad descensionem Dei in mõtem Sinai. Ait enim scriptura cœpisse micare fulgura, & nubem densissimam operire montem, qui fumabat, quòd descendisset Deus super eum in igne. Est igitur sensus: Vtinam Domine venires ad liberãdum nos, quemadmodum veniisti in montem Sinai. Vtinam venires ad dandum euangelium, quemadmodum veniisti ad dandam legem. At si hoc volueris altè spectare, videbis hos montes, qui ob Christi aduentum fluxerunt, fuerúntque instar ceræ liquefactis fuisse mundi reges & principes, qui cùm essent nimis superbia elati, se ecclesiæ subiecerunt, & recepta fide supplices ad Christum accesserunt, & vanos ac falso, Deos repudiarunt. Hi sicut exustio ignis tabescebãt, de quo igne dicitur in Psal. 96. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Significat ignis amorem, quo Deus eos, qui anteà eranteius inimici, incendit, & studio æternitatis inflammauit.

c *Cùm feceris mirabilia, non sustinebimus.)* Veni Domine nunc, nam posteà cùm veneris, & feceris miracula, non ea feremus. Tanta erit tunc Iudæorum malitia & impietas, vt tua signa & miracula damnent.

d *A seculo non audierunt.)* Dixerat. *Descendisti, & à facie tua montes defluxerunt.* Acsi diceret: Venisti in mundum, & multi ex principibus euanuerunt, te ipsum non cognoscentes. Nunc confirmat hoc dicens: Nam nunquam audierunt, nec viderunt ea, quæ tu Deus in futurum sanctis tuis præparasti. Esse hũc huius loci sensum explicat diuus Paulus in epistola prima ad Corinthios, vbi citans hunc locum ita ait: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriã nostrã, quã*
E *nemo principũ huius seculi cognouit: si enim cognouissent, nũquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sicut scriptũ est: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum. Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum.* Vbi vides diuum Paulum dicere mundi principes euanuisse, & Christum non cognouisse, quia absque diuino auxilio nemo cognoscit ipsum Deum: nec ea, quæ suis dilectis præparauit. Potest esse sensus Apostoli: Principes mundi non cognouerunt Christum. At nos non solùm eum cognoscimus, sed ea, quæ ille præparauit diligẽtib. se, quæ sine ipso Deo nemo potest cognoscere: Sunt enim admirabilia, & humanũ intellectum transcendentia. Vnde hic potest esse huius loci Esaiæ sensus: Si tu Deus tot ac tanta beneficia in tuos dilectos confers in hac vita, quid erit in altera? Tanta enim ibi est gloria, tam excellens gaudium, vt nec auris illud percipiat, nec oculus videat, nec animus possit illud cogitatione complecti, absque te Deus, Hoc est, nisi tu illud demonstraueris.

e *Occurristi lætanti.)* Subaudi in te. Licet nobis lætari, & gaudere, sed in Domino. Ideò canebat. Dauid: *Lætamini in Domino, & exultare iusti, & gloriamini omnes recti corde.* Et diuus Paulus: *Gaudete,* F
inquit, *in Domino semper, iterum dico gaudete.* Et igitur sensus Esaiæ: Tu Domine liberasti & seruasti eum, qui in te lætebatur, & opera bona iusta & sancta faciebat, & illis fauisti, qui à tuis viis non declinantes, te memoria tenebant. Sed boni, quos tu eripiebas, & quorum precibus alios seruabas, migrarunt ex hac vita, & mansimus nos peccatores, quibus tu Domine meritò irasceris, quia peccauimus, & in peccatis permansimus: sed solebamus liberari per viros iustos, qui iam è vita decesserunt. At mortuis illis, manemus nos peccatis imbuti. Vbi nostra versio habet. *Tu iratus es, & peccauimus,* habet Pagninus: *Ecce iratus es, postquam peccauimus.* Et id, quod nos habemur: *In ipsis fuimus semper, & saluabimur,* vertit ipse: *Propter ipsos iustos in seculum salui fuimus.* Quæ omnia nostram illucidant expositionem.

f *Et facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersa iustitia nostræ.)* Sensus est: Mortui sunt viri iusti, & charitate præstantes, & mãsimus nos, qui factis sumus vt coinquinati, & oẽs nostrę iustitiæ

sunt

A sunt similes panno infecto sanguine mulieris menstruum patientis. Hæc verba sunt Iudæorum iniustorum in Babylonica captiuitate commorantium. Hos enim facit Esaias loquentes, & miseriam suam significantes. Lege totum caput, & videbis hæc verba non pertinere ad omnes homines, sed solùm ea dicebant captiui Iudæi de seipsis, vt ex præcedentibus & consequentibus patet. Nam paulò anteà dicebant fuisse inter Hebræos viros iustos, quibus Deus in votis & periculis occurrebat, sed eos decessisse, & esse ab iniquis separatos: se autem esse iniustos, & ideò in duram captiuitatem coniectos. Vnde paulò post has voces emittunt: *Ciuitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Ierusalèm desolata est. Domus sanctificationis nostræ & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionẽ ignis.* Vbi vides eos, qui hæc dicebant, captiuos esse in Babylone, & Hierosolymæ ruinam per Babylonios, atque templi euersionem & incendium deplorare. Et quoniam illi erant sceleribus implicati, & vitiis contaminati & imbuti, & si quando aliqua faciebant mortaliter bona, ea malo fine deprauabant, ideò dicunt: *Et facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iusti-*
B *tiæ nostræ.* Est igitur verissimum, nostrum prophetam inducere hoc in loco loquentes eos Iudæos, qui in captiuitate Babylonica erant detenti, & in prauitatibus versati, & hoc ad flagitiosos illos solùm pertinere, & non ad omnes homines in vniuersali. Et si aliquis erat iustus eo tempore, ad quod hæc referuntur, in Babylonica captiuitate, de eo non loquitur Esaias, sed de illis qui in vtraque captiuitate & corporis & animę detinebãtur, qui etsi anteà in aliquas virtutũ actiones incubuissent, & in gratia stetissent, ceciderunt tamen, & grauia atque impia facinora admiserunt. Quapropter Deus illis iratus eos permisit à Babylonis capi, & acerbis iniuriis afflictionibúsque vexari. Hoc indicant illa verba: *Tu iratus es, & peccauimus.* Quæ possunt verti de Hebraico: *Tu iratus es, postquam peccauimus.* Et ita vertit Pagninus. Vnde antea quàm Deus illis iratus esset, non erant talibus sceleribus contaminati. Nã paulò pòst dicunt: *Cecidimus*
C *quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos: non est qui inuocet nomen tuum.* Qui dicunt se cecidisse, fatentur se stetisse aliquando. Possunt enim viri iusti gratiam amittere, & ab illo dignitatis gradu præcipitari. Vnde ait apostolus: prima Corinthios capite decimo: *Qui stat, videat ne*
1.Cor.10 *cadat.* Intelligi autem hoc de illis, & non de omnibus apertè ostendit, id quod sequitur: *Non est, qui inuocet nomen tuum.* Nam multi sunt, qui nomen Domini inuocant: & literæ diuinæ contestantur multos nomẽ Domini inuocasse. De Enos scriptum est in quarto capite, Geneſis. *Iste cœpit inuocare nomen Domini:* Et
Gen. 13. de Abrahamo: *Reuersus est per iter quo venerat à meridie in Bethel, vsque ad locum, vbi prius fixerat tabernaculum inter Bethel & Hai, in loco altaris quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomen Domini:* Et Dauid in Psalmo centesimoquartodecimo, *Et nomen*, inquit, *Domini inuocaui. Et Psalmo* 115. *sequenti: Calicem, salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Et Ieremias c. 14. *Tu autem*, inquit, *in nobis es Domine, & nomen tuum innocatum est super nos.* Si igitur multi nomen domini inuocarunt & inuocant, qui fieri potest, vt hæc verba, *Non est qui inuocet nomen tuum*, de omnibus hominibus vniuersaliter intelligantur? Constat igitur eos in errore intolerabili versari, qui ex hoc loco Esaiæ volunt colligere omnes homines quantumuis iustos in omni opere peccare. Hoc dico propter Lutherum, qui articulo trigesimoprimo hãc propositionem asserit: In omni opere bono iustus peccat. Et probat eã ex hoc loco Esaiæ. Et existimat se esse victoriam con- D secutum, & gloriosè triumphasse, cùm cõstet apertissimè hunc locum nihil facere pro eo, cùm de solis iniquis illius temporis captiuitatis Babylonicæ intelligatur. Imò militat aduersus illum, quoniam indicat fuisse iustos inter eos, quorum precibus Deus eos aliquando sustentauerat, quorum iustitia non erat panno menstruatæ comparata. Citat etiam pro se Lutherus alia loca, sed quæ nihil illi opitulantur, nec est meum ea hoc in loco refutare, eorúmque verum sensum ostendere. cùm nemo sit tam stupidus, qui nõ videat ea nihil contra nos efficere. Quis potest esse in diuinis literis locus, qui dicat, omnem virum iustum peccare in omni opere quantumuis bono? Quis audiuit vnquam enuntiationem tuam falsam, tam ab omni iudicio, & ratione alienatam, tam omni scripturę repugnantem? Cùm Iob c. 1. calamitate oppressus multa verba feciſſet ait ſcriptura: *In omnibus his non peccauit Iob cap. 17. labiis suis, nec stultum quid contra Deum locutus est.* Et alio in loco ait de seipse Iob: *Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* Quid ais Luthere? quid ad hoc respondens? Nonne E vides labefactatum esse articulum tuum? Tu dicis omnem virum iustum in omni opere etiam bono peccare, at scriptura sancta asserit Iob in hoc opere non peccauisse. Cui dabimus fidem, tibi, an scripturę sanctæ? Eligat lectos an diuinis literis an Luthero potius credendum putet. Cùm Christus Deus noster hominem, quem sanauerat, in templo postea inue- Ioann. 5.
niſſet, ait illi: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare.* Et Ioann 8.
mulieri in adulterio deprehensæ: *Vade*, inquit, *& iam amplius noli peccare.* Si impossibile est dari opus, in quo homo non peccet, quî fieri potest vt Deus præciperet illis, ne peccarent? Deus enim neminem obligat ad impossibile, nec impossibilia præcipit, alioquin non esset iustus. Diuus Paulus in epistola prima ad Corinthios cap. 7. ita ait: *Et si nupserit virgo*
1.Cor.15 *non peccauit.* Quid potest contra Lutherum apertius dici? Et rursum in eadem epistola. *Euigilate*, inquit, *iusti, & nolite peccare.* Et diuus Petrus in Epistola sua secunda: *Quapropter fratres*, inquit, *magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Et diuus Ioannes c. 3. in epistola prima, *Omnis*, inquit, *qui in eo manet non peccat.* Et paulò pòst: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* Nonne vides Luthere hanc nubem testium? Si omnis homo in omni opere peccat, vt tu asseris, ergo tu, F quando hanc tuam hæresim scribebas, peccabas. Si te peccare sciebas, cur scribebas, cur peccata peccatis cumulabas? Quem fructum afferre possunt eius assertiones, qui in illis scribendis & docendis se peccare sciebat? Respondete mihi obsecro Lutherani, Vbi legistis Deum pro peccatis tribuere vitam æternam? Nusquam sine dubio. Ait Christus apud Matthæum ca. 25. *Tunc dicet rex his, qui à dexteris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurini enim, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me, nudus, & operuistis me.* Et paulò post: *Quandiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Si omnia hæc opera sunt peccata, quomodo pro illis Deus iustus iudex vitam reddit sempiternam? Quid potest absurdius excogitari? Non solùm bona opera facta in gratia non sunt peccata, sed etiam vitam æternam merentur. Quod indicauit Apostolus quando numeratis suis actionibus dixit: secunda Timoth. capite quarto. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex, non solùm autem mihi sed & his,*

qui

A *qui diligunt aduentum eius.* Aduerte: Non dixit: quã dabit mihi, sed *quam reddet mihi.* Ita apud Matthæum ca. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Si merces, ergo meritum. Si homo in omni opere peccat, non potest esse vnquam sine peccato. Quomodo igitur ait Deus per Esaiam: *Lauamini, mundi estote.* Et paulò post. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur?* Conscientia tetris maculis infecta non est instar niuis dealbata. Si verum est, quod tu dicis ô Luthere, sequitur apertissimè diuum Ioannem Baptistam in ventre diuæ matris sanctificatum in omnibus operibus suis peccauisse, & ipsam semper virginem sacratissimam Dei genitricem fuisse infinitis peccatis maculatam. Quis talia vnquã audiuit? Quæ sunt aures, quæ possint tam impiam hæresim tolerare? In epistola ad Romanos cap. 8. ait diuus Paulus ipsum spiritum postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Si homo in omni opere peccat, ergo etiam peccat quando Deum orat gemitibus inenarrabilibus, at illæ preces sunt ab spiritu sancto, ille enim postulat pro nobis, vt ait Apostolus, ergo illa oratio in qua spiritus postulat pro nobis est mala, & cum peccato. Exhorresçit animus talia audiens. O pestilen-
B tissimam hæresim in officina Satanæ conflatam. Væ tibi Luthere, qui tam diabolico figmento tot animas perdidisti. Væ vobis Lutherani, quàm acerbi cruciatus vobis in æterno igne, in illis tetris tenebris reseruantur.

g *Cecidimus quasi folium.*) Comparant se peccatores folio, quod cecidit, & iniquitatem suam vento rapido, asserentes non esse inter eos, qui consurgat, & Deum teneat precibus & orationibus ne eos ipsos euertat. Nam solent viri iusti Deum tenere, suisque orationibus populũ sustentare. Id significauit Deus, quando Moysi pro populo deprecanti respondit: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.*

h *Abscondisti faciem tuam à nobis.*) Hoc est, Nõ nobis faues. Magnum malum est, quando Deus à nobis faciem suam abscondit. In Deuteron. c. 31. scriptum legimus dixisse Deum Moysi: *Irascetur furor meus contra populum hunc in die illo, & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo, & erit in deuorationem.* Et in Psalmo 79. dicitur: *Deus conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.*

i *Et allisisti nos in manu iniquitatis nostræ.*) Cùm esse-
C mus in manu nostræ malitiæ, cùm non ratione sed clauo deprauati appetitus duceremur, tu nos veluti nauem horribili scelerum nostrorum procella iactatam, in scopulos afflictionum allisisti. Vexasti nos ob impia facinora nostra. Nam voluntas nostra paruit peruerso appetitui, corruit virtus, fuit dignitas ablata, & omnia honestatis ornamenta ceciderunt.

k *Et nunc Domine pater noster es.*) Acsi dicant, Ne respicias scelera nostra, sed clemẽtiam tuam. Non postulamus iustitiam, sed confugimus ad portum misericordiæ: Pater noster es, miserere nostri. D

l *Ciuitas sancti tui.*) Hoc est Hierosolyma vrbs tuæ sanctitatis. Id, quod sequitur, est superioris repetitio.

m *Domus sanctificationis nostræ.*) Hoc est, templum Salomonis, in quo te colore, sanctificare, & laudare solebamus, fuit à Babyloniis combustum, & incẽdio deuastante deletum. Sed cur Deus Iudæos, qui eum in templo sancto suo colebãt, permisit capi, & in Babylonem transferri, & in tam acerbas calamitates incidere? Ratio est, quia etsi Deum ore laudarent, animo tamen se ab eo separabant. Hoc enim abiicit illis Deus alio in loco apud hunc nostrum prophetam: *Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem eius longè est à me.* Erant Iudæi illi tetris desideriis incensis, impiis sceleribus imbuti, & in summa deprauatione versati, & vt omnium sermone celerebrarentur, detestanda facinora sua frõte occultabant, fictèque virtutis specie tegebant. At Deus talem extrinsecam speciem non vult. Ideò præcipiebat in Leuitico c. 1. vt animal de tracta pelle immolaretur, & membra igne flagrarent. Pellis est exterior virtutis simulatio; ignis autem, quo interiora comburebantur, est amoris & charitatis flamma, qua E debemus flagrare. Ideò ait: *Fili præbe mihi cor tuum.* Ea differentia, quæ est inter naturam & artem, est inter veram & falsam virturem. Vt enim natura in hominis generatione incipit à corde, & posteà ad exteriora se confert, sic vera virtus incipit ab animo, eúmque exornat & illustrat, & posteà in exterioribus splendet. Contrà verò vt ars in humano quodam vultu fingendo & formando, nec cor, nec interiora curat, sed tota in exterioribus & apparentibus occupatur, sic hypocrisis, falsæq; virtutes humanæ laudis appetentes, solam externam claritatem quærunt, de animi splendore nequaquam cogitantes. Et quoniam Iudæi non naturam, sed artem sequebantur, Deúmque labiis & cerimoniis, non autem animo, & factis colebant, permisit meritò Deus, vt essent capti, & in miseram Babilonis captiuitatem coniecti, vt hæc cr̃inarum acerbitatem ad Deum se toto animo conuerterent, suam ingratitudinem intelligerent, & seipsos tandem cognoscerent. Est enim afflictiocos, in qua intellectus habetudo acuitur, & animi ferrugo deletur.

n *Nunquid super his cõtinebis te Domine?*) Cùm Babylonij ciuitatem tuam Domine & templum tuum euerterint, nósque acerbissimè afflixerint, cur hæc F toleras & pateris? Nunquid continebis te, ne iis rebus irascaris? Nunquid tacebis, non respondens impiis hostium tuorum blasphemiis? Nunquid nos semper tantis calamitatibus vexabis? Acsi dicant: sume de Babyloniis vltionem Domine, nos autem ne sinas in iis ærumnis amplius versari.

ANNOTATIONES ex Hebræo in

CAPVT LXIIII.

1 Sicut exustio ignis tabescerent.] In Hebraico est כְּקֹוּת אֵשׁ תְּמֹסְסִים *cikdhecha exhamasim. Quæ verba possunt ita verti*: Sicut exurit ignis liquefactionum, *hoc est, ignis vehemens.* תְּמֹסְסִים *hamas enim liquefactionem & dissolutionem significat.*

2 Cùm feceris mirabilia, non sustinebimus.] *Pro non sustinebimus est in Hebraico* לֹא בָקוֹה *lo necaueh. verbũ est* יעה, *quod significat inter alia expectare, quã significationẽ sequitur in præsenti Pagninus. Et põt ita Latine reddi*: Cũ feceris mirabilia, non te expectabimus, nullã in te spẽ ponemus. *Nec est mirũ: nã de Christo dixerat Iacob*: Ipse erit expectatio Gentiũ. *No dixit Iudæorũ, sed Gentium. Et ex hoc verbo deriuatur dictio illa* יִקְהַת *iikkehath, quæ ponitur in illa prophetia Iacob, pro qua noster interpres rectè vertit* expectatio. *R.* alamõ, cõgregatio. *Alij* auscultatio & obedientia. *Quibus fauet Chaldaica trãslatio Onceli, qui ita hẽt*: Et ei auscultabũt populi siue gẽtes. *Quæ oĩa Christo apertissimè cõueniũt. Ille enim est in quo gẽtes spẽ suã collocarũt, & q eas in vna Ecclesia cõgregauit, in qua ei° verba audiũt, eiq; obediũt.*

3 Quasi pennus menstruatæ.) *Septuaginta habent*: Quasi pannus sedentis. *Quod idem significat. Existimo enim*

A *enim eos per sedentem intelligere inulierem patientem menstruum. In Hebraico est* נִדָּה כְּבֶגֶד עֶרִים vceueghedh iddim. *Quod potest rectè verti*: Et quasi vestimentum centonum. Nam dictio עֶרִים *significat centones, quos Lusitani* farrapos *appellant. R. Abraham exponit*: Sicut vestimentum prædæ sanguine inquinatum. *Tha gum*: Sicut vestis abominabilis. *Quæ omnia in eandem concidunt sententiam.* D

Argumentum capitis LXV.

1 Ostendit Christus se fuisse quæsitum & inuentum à Gentibus, quæ antè in errorum ac scelerum tenebris versabantur: aperuit enim illis Deus oculos aliquando, vt viam veritatis aspicerent. Iudæos verò vocauit, & in cruce pendens ad eos, qui eum falsis criminibus ad mortem acerbissimam vocauerant, manus expandit. At illi noluerunt ab infidelitate sua desistere, quin potius adhibuerunt illis impiam contumaciam à cæca atque nefaria malitia inductam. 2 Inuehitur propheta in Iudæorum flagitia, qui Deo relicto idola vana coluerunt. 3 Ostendit Deum reddere vnicuique iuxta opera sua. 4 Prædicit Ecclesiæ prosperitatem & concordiam.

CAPVT LXV.

Rom.10.d

QVæsierunt[a] me, qui antè non interrogabant: inuenerunt, qui non quæsierunt me. Dixi: Ecce ego, [b]ecce ego, ad gentem quæ nesciebat me, & quæ non inuocabat nomen meum. [c]Expandi manus meas tota die [d]ad populum incredulum, [d] qui graditur in via non bona post cogitationes suas. Populus qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam semper, [e] qui immolant in hortis, [f] & sacrificant super lateres, [g] qui habitant in sepulchris, & in delubris idolorum dormiunt, qui comedunt carnem suillam, & ius prophanum in vasis eorum, [h] qui dicunt, recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es. [k] Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. [l] Ecce scriptum est coram me. Non tacebo, sed reddam & retribuam in sinu eorum iniquitates vestras, [m] & iniquitates patrum vestrorum, simul, dicit Dominus, qui sacrificauerunt super montes & super colles exprobauerunt mihi, [n] & remetiar opus eorum primùm in sinu eorum. Hæc dicit Dominus: [o] Quomodo si inueniatur granum in botro, & dicatur: Ne dissipes illud, quoniam benedictio est, sic faciam propter seruos meos, vt non dispeream totum. Et educam de Iacob semen, & de Iuda possidentem montes sanctos meos, & hæreditabunt eam electi mei, & serui mei habitabunt ibi. [p] Et erant campestria in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum populo meo, qui requisierunt me. E F

EXPLANATIO.

a *Quæsierunt me.*) In principio capitis superioris diximus Prophetam induxisse Iudæos captiuos suam à Deo liberationem postulantes, sed eum inspexisse ad peccati captiuitatem, & eius per Christum redemptionem. Quod huius capitis principium ostendit. Nam statim incipit à Gentium salute, quæ Christum quæsierunt, eíque se repudiatis idolis dedicarunt. Solent enim diuini vates sæpe à liberatione terrena se C ad cœlestem transferre, quam cùm de humana tractabant, mente intuebantur. Est igitur sensus: Gentes quæ anteà me non consulebant, nec quærebant, quæ erant superstitionibus impeditæ, & in erroribus intolerabilibus versatæ, me quæsierunt, & inuenerunt. Ponit pro re Gentilica Deũ non interrogare & consulere. Debent enim Christiani cogitare & inquirere quæ sit Dei voluntas, ab ipso que Deo petere, vt illis suã aperiat voluntatẽ, vt nihil aduersus eã efficiant. Psal.118 Psal.142 Iosue 9. Vnde Dauid Deũ alloquens, *Doce*, inquit, *me iustificationes tuas*. Et alibi: *Doce me facere voluntatẽ tuam*. In libro Iosue scriptum est, incidisse Hebræos in errorem. Et reddens scriptura huius rei rationem ait: *Et os Domini non interrogauerunt*. Vbi vides non ideò sæpenumerò errare, quia Deum non consulimus, nec eius inspirationi acquiescimus, sed nostro corrupto appetitu gubernamur. Intelligi hunc Esaiæ locum de Gentium salute, & Iudæorum duricie & pertinacia asserit diuus Paulus in epistola ad Rom. c. 10. Quod multo anteà fuerat iis verbis à Deo per Dauidẽ prę- Psal. 17. dictũ: *Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis*. Iacob Gene. 32. luctans cum Angelo mansit claudus: Iudęi aduersus Christum pugnantur claudicauerunt.

b *Ecce ego, ecce ego ad Gentem quæ nesciebat me.*) Vide admirabilem rerum mutationem. Fideles recesserunt à fide, infideles autem eã receperunt. Qui erãt in scala Iacob, descenderunt vsque ad terram: qui verò in terra iacebant, ad scalæ summitatem ascenderunt. *Qui stat*, inquit Apostolus, *videat ne cadat*. Inde ecinat Anna: *Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore*. Genes. 28 1. Cor. 10. 1. Reg. 2.

c *Expandi manus meas tota die ad populũ incredulũ.*) Esse hũc populum, populum Iudaicum indicat Apostolus in epistolas ad Rom. c. 10. Considera Dei misericordiã. Iudæi Christũ crucifigebant, ille autem eos vocabat. In cruce manus expansas habebat, & brachia extẽsa, quasi peccatores vocãs, eosq; amplecti desirãs. Ideò apud Salomonẽ has voces emittit: *Vocaui, & renuistis, extendi manum meã, & non fuit qui aspiceret*. In cruce homines vocauit, & manus extendit. Prou. 1.

d *Qui graditur in via non bona post cogitationes suas.*) Hoc est, qui sequens suas deprauatas cogitationes viam perambulat ad æternum supplicium ducentẽ. Fieri nõ potest, vt qui seipsum, sequitur, Christum sequatur. Ipse enim ait: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidiè, & sequatur me*. Væ illi, qui ducem sequitur appetitum. Est appetitus veluti ceruus, qui et, à quo nutritur, oculos eruit. Sed qui appetitu ducitur, suam cæcitatem & perniciem non intuetur. Vt enim ceruus fœminæ cupiditate incensus accurrit ad absconditum venatorem rugitũ ceruæ fugentem, ductúsque appetitu dum existimat se ad delideratam ceruam festinare, currit velocissimè ad mortẽ ipsam, & ad venenatã venatoris sagittã recipiẽdã. Sic q indomito appetitu ducun- Luc. 9. simile. simile.

A ducuntur, quantò celerius ad res desideratas contendunt, tantò perniciosius ad mortem ipsam amplectendam accurrunt.

e *Qui immolant in hortis.*) Non in templo. Respuit Deus Iudæorum sacrificia extra templum. Cùm igitur nunc careant templo, qua ratione existimant sua
simile. sacrificia Deo grata esse? Medicus permittit febre laboranti gelidam aquam bibere ad maius malum vitandum, sed posteà cùm ita opus esse intelligit, illi indicat esse à tali aqua abstinendum. Et nolente ægroto ab aqua desistere medicus coram eo vrceum frangit. Sic Deus permisit populo Iudaico carnes immolare, vt illum ab idolorum cultu auerteret. Si enim Deo non sacrificaret, cùm esset Aegyptiorum ritibus videndis assuetus, sacrificaret idolis. Sed veniẽte tempore cœlestis ille medicus in cruce pendens
Ioan. 19 illi dixit: *Consummatum est.* Quibus verbis indicauit veteris legis sacrificia cessasse. At nolente Iudaico populo à sacrificiis abstinere, nolente ab illa aqua gelida desistere, coram illo vrceum fregit, templum euertit destruxit, ne amplius sacrificarent. Erat enim templũ veluti omnium sacrificiorum vas. Vnde fracto templo apertissimè constat esse antiquæ legis sacrificia abrogata. Vt enim lapis in summitate testudinis templi est clauis totius domus, & ruente eo lapide, euersa illa claue ruit toto templi fabrica & structura, sic euerso templo Hierosolymæ, quod erat clauis totius Iudaismi, perspicuè ostenditur totam Iudæorum synagogam esse euersam & funditus conuulsam. Sed Iu
B dæi cæca malitia ducti hoc nunquam perpendere voluerunt. Hanc ipsorum ignorantiam indicat illis scri-
Deut 34. *figura.* ptura cùm ait, Mortuum fuisse Moysem, & in valle sepultum, nullúmque eorum eius sepulchrum cognouisse. Quid per Moysẽ nisi lex vetus significatur? Mortua est lex quo ad iudicialia & cerimonialia, & sacrificia, & in valle sepulta, eius autem sepulchrum ignoratur à Iudeis eam adhuc viuere existimantibus. Fuit lex illa à Deo, sed non erat nisi ad Christum duratura. Ideò diuus Paulus in epistola ad Galatas, c. 3. *Lex*, inquit, *pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur.* At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo.

f *Et sacrificauit super lateres.*) Id est, super altaria. lateritia. Pro altari, quod ex Dei lege erat constructum, Iudæi multa suis idolis ædificabant.

g *Qui habitant in sepulchris.*) Solebant perfidi Iudæi mortuos consulere, & in eorum sepulchris ad eos interrogandum habitare, vt ibi in somniis respõsum reciperent. Vnde Septuaginta transtulerunt: *In sepulchris & in specubus dormiunt propter somnia.*

C h *Ius prophanum*) Id est, carnium animalium prohibitorum. Notat Iudæorum gulam in Dei contemptum.

i *Qui dicunt, recede à me.*) Notat Iudæorum hypocrisim, & arrogantiam.

k *Isti fumus erunt in furore meo, & ignis ardens tota die.*) Hoc est, Ego eos in fumum redigam & in prunas. Et vt dicitur in Psalmo. 36. *Deficientes quemadmodum fumus deficient.*

l *Ecce scriptum est coram me.*) Hoc est, statutum est, & ita fiet.

m *Et iniquitates patrum vestrorum simul.*) Iuxta id, quod ait Deus Exodi vigesimo capite: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filio in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Quod intelligitur quo ad corpus, & temporaliter, non autem de pœna æterna, nec de omni pœna temporali sed de aliqua. Non enim æquum est vt filius pro patris scelere in æternas tenebras relegetur. Ita enim in Deuteronomio ca. 24. scriptum est: *Non occidentur patres pro filiis, nec filij pro* D
patribus, sed vnusquisq; pro peccato suo morietur. Quod est etiam libro secundo Paralipomenon mandatũ. Et licet intelligatur de morte corporis, potesttamẽ ad animæ mortem referri, de qua apud Ezechielem c. 18. dicitur: *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, pater non portabit iniquitatẽ filij.* Potest nihilominus de pœna æterna intelligi id, quod hoc in loco apud Esaiam & in Exodo ait Deus se visitare iniquitates patrum in filios, si filij peccata patrum admittant, & iisdem sceleribus cum patribus contaminentur. Non cùm Christus apud Matthæum Scribis & Pharisæis cædes Prophetarum, quos patres sui occiderant, obiecisset, ait: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris persequemini de ciuitate in ciuitatẽ, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ, filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.* Vbi vides venisse super Scribas & Pharisæos peccata suorum maiorum, quæ in morte sanctorum commiserãt, quoniam ipsi Pharisæi viros sanctos etiam occiderunt. Acsi Christus illis diceret. Vos inferno cruciabimini, quemadmodum patres vestri, quoniam iisdẽ sceleribus estis contaminati. Castigat igitur Deus filios pro peccatis parentum, quando eosdem parentes in peccatis imitantur.

n *Et remetiar opus eorum primùm in sinu eorum.*) E
Hoc est, in primis peccatum eorum remetiar, retribuens eis pœnam iuxta culpam. Methaphora sumpta ab emẽtibus & vendentibus. Qui vendit, non omnibus eandem mensuram in sinum proiicit, sed iuxta pecuniæ quantitatem.

o *Quomodo si inueniatur granum.*) Dixerat Deus se esse Iudæos puniturum, eisque iuxta eorum peccata retributurum. Nunc similitudine quadam ostendit non esse omnes Iudæos perdẽdos: quoniam erant nõnulli, licet pauci, seruandi. Est igitur sensus: Vtsi quis in botro arido aut corrupto acinum vnum siue granum inuenerit illæsum, dicit alteri ne dissipet illud, quoniam diuina benedictione effectum est, vt in tanta granorum corruptorum multitudine illud solùm euaserit: sic ego, ait Deus, eos, quos fideles inuenero, liberabo, qui inter tantam Hebræorum infidelium multitudinem tam pauci erunt, vt vni acino comparentur. Et hoc faciam propter seruos meos, ne omnes Iudæi pereant, & in imas æternásque tenebras præcipitentur. Et vt ostendat Iudæorum reliquias esse multiplicandas, & salutem consecuturas, eas com- F
parat semini, ita dicens: *Et educam de Iacob semen, & de Iuda possidentem montes sanctos meos, & hæreditabunt eam electi mei, & serui mei habitabunt ibi.* Acsi dicat: Seligam ex Iudæis nonnullos quibus dabo montes meos possidendos. Per montes intelligitur Hierosolyma, de qua Dauid, *Fundamenta*, inquit, *eius in* *Psal. 86.*
montibus sanctis. At per Hierosolymã Ecclesia Christi significatur, in qua habitant omnes fideles Catholici tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus congregati. Ideò ait: *Et hæreditabunt eam electi mei, & serui mei habitabunt ibi.* Iudæos, qui in Christum crediderunt, appellat acinum & semen, quemadmodum primo ca. *Nisi Dominus reliquisset nobis.* Eósque capite decimo reliquias appellauit: quem imitans Apostolus in epistola ad Rom. c. 9. & 11. eos etiam reliquias vocat. Cæterùm hic Hebraismus: quoniam benedictio est, hunc potest habere sensum: Vt manet huius populi memoria obsuorum maiorũ benedictionẽ & merita. Vndecolliges defunctorum merita viuis prodesse.

p *Et erunt campestria in caulas gregum.*) Vult spiritua-

A tualem Ecclesiæ fertilitatem significare. Caulæ sunt stabula, in quibus oues reconduntur. Achor vallis est, vbi Iosue capite septimo iussit, vt Achan propter furtum lapidibus obrueretur, vt est in libro Iosue memoriæ proditum. Et quoniam ibi turbatus est populus, appellatus est locus ille Achor, hoc est, Turbatio. Non enim solùm viri iusti in campestrium planicie, in gaudio & quiete versantur, sed etiam aliquando in turbatione & calamitate: vt tristia cum lętis misceantur, & harmoniam atque sonorum concentum efficiant. Vt enim in musica non omnes voces sunt acutæ, neque omnes graues, neque omnes circunflexæ, sed ex vocum varietate suauis consonantia efficitur: sic temperata vitæ Christianæ harmonia ex diuersitate & mistione gaudij & afflictionis componitur. D

similitudo

ANNOTATIONES EX Hebræo in

CAPVT LXV.

1 Ad populum incredulum.] *In Hebraico est*, Ad populum סוררה *sorer, à verbo* סור *& geminata finali litera* סוררה, *quod significat declinare, vt in Psal.* 118. Declinate à me maligni. *Significat etiam putridum esse, fœtidum, & corruptum. Vnde id, quod est apud Oseam propheta c.* 4. Separatum est conuiuium eorum, *potest rectè verti*: Fœtidum factum est conuiuium eorum. *Significat etiam subuertere, vt apud Ieremiam in Thren. c.* 3. Semitas meas subuertit. *Significat præterea recedere, & non obedire, vt apud Oseã c.* 9. Omnes principes eius recedentes, *pro quo Septuaginta* inobedientes *transtulerunt. Et alia tandem significat, quæ non opus est recensere. Ex quo perspicuum apparet posse hunc locum ita Latinè reddi*: Ad populum à veritate declinantem, vel fœtidum, & vitiis contaminatum, *vel* separatum à Deo, *vel* subuersum, *vel* inobedientem & contumacem. *Omnia enim hæc dictio, qua hic visus est propheta, significat. Quæ omnia infideli populo rectè conueniũt. Quam ob causam interpres noster meritò vertit*: Ad populum incredulum.

B

Et[a] vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis mõtem sanctum meum, qui [1] ponitis Fortunæ mensam, & [2] libatis super eam: [c] numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis. Pro E
Prou. 1. c. Iere. 7. c. eo quod [d] vocaui, & non respondistis mihi, locutus sum, & non audistis, & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis: propter hoc hæc dicit Dominus Deus: [e] Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce serui mei lætabuntur præ exultatione cordis, & vos clamabitis [f] præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis. [g] Et dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis, & interficiet te Dominus Deus, [h] & seruos suos vocabit nomine alio. In quo [i] qui benedictus est super terram, benedicetur in Domino amen: & qui iurauit in terra, iurabit in Deo amen:
Apo. 21. a Quia obliuioni traditæ sunt angustiæ priores, & quia absconditæ sunt ab oculis nostris. [l] Ecce enim ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non ascendet super cor. [m] Sed gaudebitis & exultabitis vsque in sempiternum, in his quæ ego creo, quia ecce [n] ego creo Ierusalem exultationẽ, & populum eius gaudiũ. Et exultabo in Ierusalẽ, & gaudebo in populo meo, [o] & non audietur in eo vltrà vox fletus, & vox clamoris. [p] Nõ erit ibi amplius infans dierũ, & senex qui non impleat dies suos: [q] quoniã puer centum annorũ morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. Et ædificabunt domos, & habitabũt, & plantabunt vineas, & comedẽt fructus earum. Non ædificabunt, & alius habitabit: non plantabunt, & alius comedet. [r] Secundũ enim dies ligni, erunt dies populi mei, & [s] opera manuum eorum inueterabunt. Electi mei non laborabunt frustrà, [t] neque generabunt in conturbatione, quia semen benedictorum Domini est, & nepotes eorum cum eis. Erítque [v] antequam clament, ego exaudiam adhuc illis loquentibus ego
Psal. 31. b Sup. 11. a audiam. [x] Lupus & agnus pascentur simul, & leo & bos comedent paleas, & serpenti puluis pannis eius, non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus. F

Psal. 86.

C a *Et vos qui reliquistis Dominũ.*) Alloquitur Iudæos infideles, præsertim decem tribuum, qui Hierosolyma ciuitate sancta relicta in Samaria idola colebant. Appellatur in diuinis literis Hierosolyma ciuitas sancta, & mons sanctus, quia erat fidelium receptaculum & domicilium, & quia ibi Christus Deus noster visibiliter inter homines apparuit, ibi fuit eius
Gene. 49. Gen. 50. mors, & sepultura, & reditus ad vitam. Et ob eã causam Patriarcha Iacob, eiúsque filius Ioseph in Aegypto morientes præceperunt vt in terra illa sancta sepelirentur, quoniam, vt ait Theophylactus, mentis oculis intuebatur illic esse Christum sepeliendum, & à mortuis resurrecturum, & volebant cum eo resurgere. Ait enim diuus Matthæus vigesimo septimo capite sui Euangelij monumenta aperta fuisse, & multa corpora sanctorum, quæ dormierant, resurrexisse, sanctos autem exeuntes de monumentis post Christi resurrectionem venisse in sanctam ciuitatem multísque apparuisse. Verùm per hunc montem sanctum, cuius Esaias ait Iudæos infideles oblitos fuisse, poteris Christum intelligere, de quo in principio capitis secundi diximus.

b *Qui ponitis Fortunæ mensam.*) Gentes Fortunã diuersis nominibus atque titulis vt deam coluerunt. In id amentiæ & cæcitatis inciderunt, vt etiã Fortunã malã adorarent. Effingebant eã habitu fœmineo, furenti similem, cæcam, inconstantem, super volubili globo sedentem: & in fine anni ei mensam dapibus plenam ponebant. Existimabant cæci homines Fortunam esse per se rem quandam separatam, viuam, & existentem, & ob eam causam eius simulachrum colebant. Iudæi autem vt omnium idolorum portenta venerarentur, Fortunam etiam adorarunt, eiq; more Gentilico mensam dapibus repletam præpararunt, verúmque Deum reliquerunt. Quam ob causam hîc à Deo per Prophetam reprehenduntur. Præceperat enim Deus c. vigesimo Exodi, vigesimo sexto Leuitici, quarto Deuteronomij, ne quis sculptile, similitudinem

A tudinem, & idolum faceret ad adorandum. Ex his locis contendunt nonnulli probare vsum imaginũ diuorum esse pernicioſum, diuiníſq; literis repugnãtẽ. Inter quos est Caluinus multò hac in parte, quẽadmodum etiam in multis aliis, Luthero non ſolùm temerarior, ſed peſtilentior. Nam Lutherus, quanuis hæreticus, non auſus eſt tamen vſum imaginum auferre: imò reprehendit Caroloſtadium imagines dãnantem, eúmque obſtinatum è Saxonia proſcribi curauit. Huius Caroloſtadij hæreſim ſectatur Caluinus, eámque pro viribus defendere conatur, aſſerens Deum in diuinis literis vſum imaginũ apertè prohibuiſſe. At hoc neq; oſtẽdit neq; vnquã oſtẽdet. Imò Deus poſt quàm c. 20. Exodi ſculptilia & idola prohibuit, præcepit fieri duos Cherubim aureos productiles ex vtraque parte oraculi, vt in eodem Exodo c. 25. ſcriptura commemorat. De quibus ita ait Ioſephus libri tertij iniquitatum capite octauo: Super tegmen verò arcæ erant figurationes duæ, quas Hebræi Cherubim appellant. Sunt enim animalia volatilem habẽtia figuram, quæ à nullo hominum eſt in-
B ſpecta. Hæc ille. R. Kemhi Hebræorum doctiſſimus in libro radicum ait eos habuiſſe puerorum figuram, idémque eſſe Cherubim ac quaſi pueros, & hanc eſſe antiquorũ ſententiam. Aſpicis igitur Deũ imagines fieri præcepiſſe. Neq; hoc illis locis repugnat, in quibus eas prohibuiſſe videtur. Perpende verba ſcripturæ, & videbis Dei intẽtionem eſſe, nõ prohibere diuorũ imagines, ſed falſorũ deorum cultũ & venerationẽ. Ita enim ait: *Non facies tibi ſculptile, nec omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, neq; in terra deorſum neq; eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra. Nõ adorabis ea, neq; coles.* Hæc c. 20. Exodi. Pondera hæc verba, & videbis ad quẽ finem Deus Hebræis ſculptilia prohibuerit, nempe ne ea adorarent. Veniebãt ex Aegypto, vbi idola colebantur, erãt ad idololatriam propenſi, facilè cadebant, ideò illis Deus toties præcipiebat ne ſe idolorum cultu contaminarent. At cùm nos ſanctos pro diis non habeamus, nec eorum imagines latria adoratione ſoli Deo debita adoremus, poſſumus abſque vllo crimine eorum imagines habere, & venerari, ipſam venerationem non ad lignũ, neque lapides neque ad colores, ſed ad prototypum
C referentes. Hinc colliges diuorum imagines nullum incommodum, imò magnam in nos vtilitatem conferre: inſtruunt enim ſimplices, admonent ſciẽtes, afficiunt omnes. Quis non mouebitur viſa imagine Chriſti pro nobis crucifixi, vulneribus confoſſi, ſanguine aſperſi, duris ſpinis coronati? Quis non excitabitur ad ardentem charitatem intuens diui Stephani vultum lapidibus percuſſi oculos atque manus ad Deum pro percutientibus leuantis? Quis erit tam lapideus, qui inſpecta ſancti Laurẽtij imagine igni pro Chriſto expoſiti, flammiſque ardentibus combuſti, non concipiat in animo deſiderium quoddam pro Chriſto etiã moriendi? Quæſtio de habendis diuorũ imaginibus fuit in conciliis tractata, in quibus ex vniuerſali Eccleſiæ catholicæ conſenſu fuit decretũ, perpetuíſq; monimentis conſignatum, vſum imaginum diuorum non ſolùm non repugnare literis diuinis, ſed etiã eſſe licitũ, pium, & ſalutarem. Habes hoc decretum in concilio Niceno ſecundo, & in Conſtãtinopolitano ſub Hirinæo, & in tribus Lateranenſibus ſub Gregorio ſecundo, & tertio, & Stephano & in Frankfordenſi. Neque exiſtimes in his cõciliis incœpiſſe imaginum vſum, ſed approbatũ fuiſſe, quoniam iam erat: imò eum habet Eccleſia ex Apoſtolorum traditione. Ita aſſerit libro quarto Damaſcenus author antiquus ſummæ authoritatis, qui etiam ait Chriſtum Deũ noſtrũ miſiſſe imaginẽ faciei ſuæ Abagaro Edeſſenorũ regi. Hoc idem refert Euſebius libro ſecundo Eccleſiaſticæ hiſtoriæ vir omni ſapien- D
tia & nobilitate præſtanti. Et libro 7. loquitur de imaginibus Petri & Pauli, meminitque Chriſti imaginis miracula facientis: cuius etiã meminit in tripartitæ hiſtoriæ lib. 6. Caſſiodorus. Et diuus Lucas, vt celebris per totam Eccleſiam fama vagatur, ſacratiſſimæ Dei genetricis Mariæ imagines depinxit, quarũ nonnullas ego meis oculis vidi. Athanaſius loquens de imagine crucifixi, quæ fuerat Nicodemi, narrat miraculum, quod cum ea contigerat. Sed quid cito hos authores? Pleni ſunt libri, plenæ hominum voces, plena eſt miraculis imaginum diuorum, non ſolùm recẽs memoria, ſed annalium etiam antiqua vetuſtas. Niſi Deus vſum imaginum approbaſſet, nõ in illis tot miracula efficeret. Non eſt hoc obſcurũ, res eſt perſpicua, ipſa per ſe loquitur & lucet, multorum oculis teſtatiſſima. Quid ad hæc reſpondes Caluine? Quid pro te poteris afferre niſi præceptum de nõ colendis idolis? At id pro te nihil facit. Sed dices: Ego E
ita illud interpretor. Verùm eſt: ſed Eccleſia id multò aliter interpretatur. Cui aſſentiemur tibi cum Caroloſtadio, & aliis huiuſmodi hæreticis, an tot cõciliis, tot temporũ conſuetudini à tota Eccleſia aſſertæ & comprobatæ? Sed dices: Non curo quid Eccleſia dicat: ſatis mihi eſt poſt Dei præcepta nunquam licuiſſe imaginem facere. Quid ais Caluine? Nónne legiſti Hebræos poſt illud præceptum imagines duorum Cherubim ex Dei iuſſu feciſſe? Nónne Salomon diuina ductus inſpiratione duodecim leuncu los in ſolio fecit? Nónne ſculpſit boues in mari fuſili, leones, boues, & Cherubim in baſibus æreis? Nónne legiſti præcepiſſe Deũ Moyſi vt ſerpentem æneum faceret & cruci affigeret? Audi quid dicat ſcriptura c. 21. Numerorum: *Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneũ, & poſuit eum pro ſigno, quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* Erant Hebræi ob eorum ſcelera à ſerpentibus vulnerati, & cùm oculos ad ſerpentem crucifixum dirigerent, ſanitatem conſequebantur. Vexillum illud, quo erat ſerpens ſuſpenſus, Chriſti crucem adumbrabat, & ſerpens ipſum Chriſtum, vt ipſe apud Ioannem teſtatur. Serpens, qui nos veneno ſuo infecerat, eſt hoſtis ille antiquus, cuius caput erat per Chriſtum conterendum, iuxta id quod eſt tertio capiti Geneſeos mandatum: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius, & ipſa,* F
vel vt eſt in Hebraico, *& ipſum conteret caput tuum.* Pro quo Hieroſolyma paraphraſis habet: *Futurum eſt vt in diebus regis Meſſiæ amoueant morſum, qui factus eſt in calcaneo.* Vbi aſpicis intellexiſſe antiquos Hebræos veterem morſum eſſe per Chriſtum ſanandum. Chriſtus eſt innocens ille ſerpens crucifixus, non veneno ſus, ſed æneus, qui lõgè lacéque ſonuit, quem intueri debemus. Si humanum iudicium reſpicias, ſerpens ille æneus in cruce leuatus, tantum abeſt, vt ſerpentium morſus medeatur, vt etiam præſentiſſimum illis nocumentum videatur afferre. Qui enim eſt à ſerpente percuſſus viſu ſerpente exhorreſcit, & grauius ægrotat. Propterea eam aiunt eſſe æris candentis naturam, vt ſi quis à ſerpente vulneratus in illo oculos defixerit, ſtatim moriatur. Quid magis humano iudicio contrarium quàm mortuum hominem viuificare, in morte eſſe vitam, in cruce gloriam? At totum hoc videbis & fateberis, ſi redemptionis humanæ myſteria fidei oculis aſpexeris. Admiraberis diuinum conſilium, ſapientiam, iuſtitiam, bonitatẽ. Si illa crucis imago vulneribus intuentium medebatur, cur ipſam crucem aſpicere nõ vis? Cur ô Caluine viſa crucifixi imagine exhorreſcis? Cur eam deteſtaris? Cur nec Chriſti nec eius ſanctorum imagines permittis? Cur tot patres, tot concilia, tot annorum antiquiſſimum Eccleſiæ conſenſum negligis &

Exod. 25. 2. Par. 9. 3. Reg. 7. 3. Reg. 6.

Ioann. 3.

exe-

A execraris? O miserum te si non intelligis tuam hæresim, miseriorem si eam intelligendo vis in ea perseuerare! O insensati Caluinistæ quis vos fascinauit non obedire veritati! Cur transferimini in aliud Euangelium? quod non est aliud, sed est Caluinus, qui vos conturbat, & vult peruertere Euangelium Christi. Quis non plorabit vestram perniciem? quis nõ gemet? quis non exardescet dolore? quis ob interitum vestrum vim lachrymarum non fundet?

c *Numerabo vos gladio.*) Hoc est, vos numeratos gladio interficiam. Vel numerabo ad cædem.

d *Vocaui & non respondistis mihi.*) Vide Dei erga homines misericordiam, hominum autem erga Deũ impietatem. Eos vocat, qui neque ei respondere volunt, neque obedire.

e *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis.*) Vide elegantem contrapositionem. Appellatur hæc figura antitheton, cùm contraria contrariis opponuntur, vt apud quendam poëtam: *Frigida pugnabant calidis, humentia siccis.* Considera quanta sit piorum hominum fœlicitas, quanta verò impiorum miseria. Sunt
B tamen hæc de spirituali abundantia & fame intelligenda, quemadmodum id, quod dicitur in Psalm. 36. *Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur.* Et in Prou. 10. *Non affliget Dominus fame animam iusti.*

f *Præ contritione spiritus.*) Non accipitur hîc contritio pro actu virtutis, quis dicitur pœnitentia, nec pro ea, quæ est pars sacramenti pœnitentiæ, habens relationem ad alias partes, sed pro dolore & conturbatione proueniente ex calamitate.

g *Et dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis.*) In tantas ærumnas incidetis, vt fideles mei quando iurauerint, sumant in execrationem nomen vestrum, dicentes: Si id feci, veniant super me calamitates Iudæorum infidelium. Quàm execrandũ sit Iudæorum nomen post Christi necem, nemo est qui ignoret, Nulla est hodie in mundo natio detestabilior & calamitosior. Septuaginta habent: *Relinquetis nomen vestrum in saturitatem electis meis*: hoc est, in fastidium.

h *Et seruos suos vocabit nomine alio.*) Qui Christum receperint, non vocabuntur Ethnici, nec Iudæi, sed
C Christiani. Pro *nomine alio* transtulerunt Septuaginta, *nomine nouo.* Hoc est nomen illud, de quo dicitur
Apoc. 2. in Apocalypsi: *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Acsi dicat Deus: Illi qui mundum, carnem, & dæmonem vicerit, dabo cælestẽ quandam dulcedinem, & puram conscientiam, in qua habebit scriptum se esse verum Christianum, & moralibus coniecturis sciet se esse in gratia constitutum, quanquam alij existiment eum esse infidelem, aut saltem mortiferis sceleribus contaminatũ. Potest nihilominus nomen illud nouum apud diuũ Ioannem intelligi de clara diuinitatis notitia in altera vita, vt ait in mortalibus diuus Gregorius.

i *Qui benedictus est super terram, benedicetur in Domino.*) Id est, qui se in terra fœlicem senserit, totam suam fœlicitatem acceptam referet Deo. Et qui aliquid iure iurando asserere voluerit, non deos falsos, sed verum Deum citabit in testem.

k *Quia obliuioni traditæ sunt angustiæ priores.*) Hoc est, peccata. Quasi dicat Deus: In hac beatitudine & Ecclesiæ fœlicitate viuent serui mei, qui idolis relictis me colunt, quia iam non ero memor suorum antiquorum scelerum, quoniam illis dimissa sunt. Hoc enim volunt significare verba illa: *Et quia absconditæ sunt ab oculis nostris*, hoc est tectæ. Tunc enim iniquitates dicuntur tectæ quando sunt à Deo dimissæ. Ita dicitur in Psalmo 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Possunt hæc verba D
Esaiæ non ad Deum, sed ad eos, qui fidem receperunt, referri, vt sit sensus: In Ecclesiæ fœlicitatæ versabimur, quoniam obliti sumus priores nostras miserias, & antiquas afflictiones, & omnes illæ euanuerunt ab oculis nostris. Nunc autem spirituali gaudio perfusi, tam rebus aduersis quàm prosperis lætamur, & semper in Domino gaudemus.

l *Ecce enim ego creo cœlos nouos, & terram nouam.*) Hoc est, nouum mundum constituo. Prædixit Deus his verbis omnia esse per Christum renouanda, abrogãndas esse veteres ceremonias, & Ecclesiam constituendã, vt quasi in nouo mũdo versari videremur. Noui cœli sunt Apostoli, noua terra, nouus populus, qui deposito veteri homine nouum induit, vt seruiat Domino in spiritus nouitate. Hinc illa frequens vox in Psalmis 95. *Cantate Domino canticum nouum.* Cæci Iudæi sperant tempore Messiæ alios fore cœlos aliamque terram, non considerantes in E
diuinis literis nouum aliquid sæpe appellari, non quòd anteà non fuerit, sed ob acquisitam nouam quandam possessionem, quemadmodum per Ezechielem cap. 18. ait Deus: *Facite vobis cor nouum, spiritum nouum.* Hoc est, mentis nouitate reformamini. Qua de re ea poteris videre, quæ capite 43. annotauimus, illa verba explicantes: *Ne meminerit is priorum,* & aliis in locis in quibus Esaias hanc innouationẽ prædixit, de qua diuus Ioannes in Apocalypsi c. 21. latè disseruit.

m *Sed gaudebitis & exultabitis vsque in sempiternũ.*) Gaudium vestrum incipiet in hac vita, sed perficietur in altera: & ita erit æternum.

n *Ego creo Ierusalem exultationem.*) Id est, constituturus sum Ecclesiam, quæ sit fidelibus exultatio.

o *Et non audietur in ea vltrà vox flexus.*) Describit spirituale gaudiũ fidelium, qui Christi amore inflãmati etiam cruciatibus oblectantur.

p *Non erit ibi amplius infans dierum.*) Sensus est: In Ecclesia nullus eorũ qui pij sunt & iusti, erit infans, sed omnes erunt senes plenidierum, Hoc est, maturi, F
sapientes, & integri. Nulla enim maior sapiẽtia, quã scire vitam sempiternam cõparare. Ideò omnes iusti senes vocãtur, contrà verò iniusti pueri & infantes dicuntur. Id intelligens Salomon dicebat in Prou. c. 1. *Vsq; quo paruuli diligitis infantiam?* Et paulò post: *Auersio,* inquit, *paruulorum interficiet eos.* Acsi diceret: Homines scelati, quos ob eorũ insipientiam parvulos & infantes appello, se à Deo auertunt, & separant, vt quærant vitam, at hoc ipsum illis mortẽ adducit, quo fit, vt sibi ipsis excidium machinentur. Et alio in loco in eisdem Prou. cap. 9. *Relinquite,* inquit, *infantiam & viuite.* Et in Ecclesiaste, *Væ tibi,* inquit, *terra cuius rex puer est.* Vnde Deus per Esaiam volẽs perniciem Hierololymę imminentem significare dicebat: *Dabo pueros principes eorum.* Et diuus Paulus in epistola prima ad Corinthios, *Fratres,* inquit, *nolite pueri effici sensibus.* Vel ideò ait viros iustos longissimam ætatem victuros esse, quia acerba mors & ante tempus viro iusto haud quanquam accidit, vita enim honesta & bene acta etiam in adolescentia est matura, & ipsa adolescentia senectus appellatur. Nec dicendus est aliquis ante tempus è vita migrasse, qui semper iustitiam coluit & pietatem. Contrà verò qui semper iustitiam coluit & pietatem. Contrà verò qui se humanis vitiis contaminauit, totúmque libidinibus dedidit, quibus cæcatus velut domesticus flagitiis se inquinauit, & in violando iure diuino & humano teterrimas fraudes concepit, etsi longissimam degat ætatem, adolescens tamen dicitur, & parum vixit, quoniam nihil fecit quod illum vixisse testetur. Imò nunquam explet tempus vitæ suæ, quàm ipse sibi pollicetur, & quamuis perueniat ad extremam

Ecc. 10. *Supr. 3.*

A senectutem, tamen veriſſima eſt hæc ſententia Dauidis: *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Pſal. 54.

q *Quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.)* Hic eſt ſenſus horum verborum: Quoniam iniquus moriens natus centum annos puer eſt, & talis puer centum annorum peccator eſt & maledictus. Vel ſic: Quoniam qui ætate cẽtum annorum fuerit puer moribus, abſque prudentia & virtute, morte æterna mulctabitur, & talis peccator centum annorum audiet: *Ite maledicti in ignem æternum.* Mat. 25.

r *Secundum enim dies ligni erunt dies populi mei.)* Id eſt, Tandiu viuent, quandiu ſolet viuere arbor viuaciſſima. Quaſi dicat, degent ætatem longiſſimam. Huic arbori comparatur vir iuſtus in primo Pſalmo vbi dicitur: *Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Et in Pſal. 91. *Iuſtus vt palma florebit.* Non deeſt, qui totum hoc referat ad vitam æternam. Solent enim aliquando Prophetæ ea, quæ ad cœleſtem beatitudinem pertinent, huiuſmodi verbis valere. Huic ſententiæ fauet tranſlatio Septuaginta, quæ habet hoc in loco: *Et enim ſecundum dies ligni vitæ dies populi mei.* Quod de ligno vitæ intelligitur, quod erat in paradiſo. Quibus verbis voluerunt Septuaginta vitam beatorum æternam eſſe ſignificare. Geneſ. 2.

s *Opera manuum eorum inueterabunt.)* Id eſt, diu B permanebunt. Poteſt ita vertit: *Opera manuum eorum durabunt electis meis.*

t *Neque generabunt in cõturbatione.)* Id eſt, filij quos per Euangelium genuerint, non erunt geniti in conturbatione, ſed in animi quiete & tranquillitate. Ita enim dicebat Apoſtolus: *Per Euangelium ego vos genui.* Poteſt etiam ad naturalem generationem referri. Nam viri iuſti legitimo matrimonio copulati abſque peccator mouentur ad filio generandos. Quod volens propheta explicare ait: *Quia ſemen benedictorum eſt.* Quaſi dicat: Quia tale ſemen eſt virorum iuſtorum, qui ſunt à Domino benedicti. D 1. Cor. 4.

v *Antequam clament, ego exaudiam.)* Id eſt, priuſquam finem faciant clamandi. Quod ſtatim explicans propheta ait: *Adhuc illis loquentibus ego audiam.* Vide Dei noſtri clementiam & benignitatem.

x *Lupus & agnus paſcentur ſimul.)* Hoc eſt, Tyranni, qui ob immanitatem lupi appellãtur, recepto Euangelio vſque adeò erunt mites, vt cum hominibus piis, abiectis, & humilibus ſimul in Eccleſia habitent, & eundem ſpiritualem cibum ſumentes ſe ſpiritualiter reficiant. Leo & bos comedent paleas. Hoc eſt, magnates & obſcuri in vno ſtabulo, in vna Eccleſia congregabuntur. Et qui ſerpentes fuerant, nemini nocebunt ore ſuo. Sed in monte ſancto meo, ait Deus, hoc eſt, in Eccleſia mea erit pax & concordia. Voluit propheta iis verbis ſignificare fore, vt in Eccleſia magna eſſet inter iuſtos charitas, magna concordia, magna humilitas & manſuetudo. Inuenies hoc vaticinium apud noſtrum Eſaiam capite vndecimo, vbi poteris ea videre quæ ibi annotauimus. E

ANNOTATIO.

1 Qui ponitis fortunæ menſam.] *In Hebraico eſt ita:* הערכים לגד שלחן *haorchim la gadh xulchan, Prima dictio ſignificat ponere, præparare, ordinare. Vnde id, quod dicitur in Pſalmo* 5. Mane ſtabo tibi, & videbo, *poteſt ex Hebraico verti:* ſanè præparabo me tibi, & videbo. *Acſi dicat: Nocte ac tenebris meorum ſcelerum habebo intellectum caligine circunfuſum. At manè cùm me præueniente gratia tetigeris, præparabo me tibi, & ſplendore gratiæ gratum facientis illuminatus, mentis oculis ea aſpiciam, quæ antea ignorabam. Secunda dictio, quæ eſt* גד *ſignificat fortunam, quam ſignificationem ſecutus eſt noſter interpres. R. Moyſes dicit eſſe eam ſtellam, quam Iouem appellamus. Et R. Dauid hîc in commentariis etiam ſydus quoddam eſſe ait. Tertia dictio abſque vllo dubio menſam ſignificat. Ideò poteſt verti:* Qui præparatis menſam Ioui: *Eſt hæc ſtella in ſexto cælo locata, cuius fulgorem dicunt eſſe proſperum & ſalutarem. Pagninus vertit:* Qui paratis exercitui cœli menſam. *Exiſtimat enim hanc dictionem ſignificare ſtellarum multitudinem, quam exercitum cœli appellauit. Nam* גדד *gadhadh ſignificat exercitum colligere, & congregare. Cum noſtra vulgata editione concordant Septuaginta, qui fortunam interpretantur. Quare hanc eſſe rectiorem interpretationem exiſtimo, & quia ſolebant antiqui, vt in explanatione dixi, fortunam colere, eique immolare: & quia dictio hæc fortunam ſignificat, vt ex verſione Septuaginta etiam demonſtratur.* C

2 Et libatis ſuper eam.] *In Hebraico eſt :* ומסך על הגדוד *veham malim lamni mimſac. Magna difficultas eſt in dictione* הגדוד, *cui additur* ל *articulus. Nam noſter interpres habet ſuper eam, pro quo Pagninus poſuit,* planetis. *Ita enim habet:* Impletis planetis libamen. *Septuaginta,* Impletis dæmonis poculum. *Pro eo quod Pagninus vertit,* planetas, *dixerunt illi,* dæmonem. *Dictio hæc deriuatur à verbo* מנה *manah, quod ſignificat numerare, vt ſecundo Regum:* Vade numera Iſrael & Iudam. *Vnde dictio hæc numerum ſignificat. Qua ratione adductus Pagninus vertit* planetas, *quaſi numerum ſeptem ſyderum. Poteſt rectè verti:* Conſecratis ipſi numero libamen. *Fortaſſe enim vult eos reprehendere, qui Pythagorizantes ita ſeipſum numerum extulerunt, vt veluti Deum adorarent. Pythagoras enim numeros magni fecit: & qui poſtea eum ſecuti ſunt, multò ſuperſtitioſius eos obſeruarunt. Et videtur alludere ad illum numerum, quoniam ſequitur:* Numerabo vos in gladio. *Quaſi dicat: Quoniam vos numero ſacrificatis, ego vos ad eadem numerabo.* F

Argumentum capitis LXVI.

Oſtendit Deus ſe implere cœlum & terram, & in pauperum, atque humilium animis habitare. Increpat Iudæorum ſcelera, propter quæ illis Hieroſolymæ vaſtitatem minatur. Prædicit Eccleſiæ propagationem, & Apoſtolorum prædicationem & doctrinam. Conſolatur bonos, malos autem ait eſſe ſuorum flagitiorum pœnas daturos.

CAPVT

A D

CAPVT LXVI.

Act.7.f

HÆc[f] dicit Dominus: Cœlum sedes mea,terra autẽ scabellum pedum meorũ. Quæ est ista domus,quã ædificabitis mihi? Quis est iste locus requietionis meæ? Omnia hæc manus mea fecit,& facta sunt vniuersa ista,dicit Dominus.[b] Ad quem autẽ respiciã,nisi ad pauperculum,& contritum spiritu,[c] & trementem sermones meos.[d] Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus,quasi qui excerebret canem:qui offert oblationem,quasi qui sanguinẽ suillũ offerat:[1] qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. [e] Hæc omnia elegerunt in viis suis,& in abominationibus suis anima eorum delectata est. Vnde & ego [2] eligã illusiones eorum,& quæ timebant, adducam eis:quia vocaui, & non erat qui responderet:locutus sum,& non audierunt,feceruntq; malum in oculis meis,& quę nolui elegerunt. Audite verbum Domini,qui tremitis ad verbũ eius.[g] Dixerunt fratres vestri odientes vos, & abiicientes propter nomen meum.Glorificetur Dominus,[h] & videbimus in lætitia vestra, ipsi autem confundentur.[h] Vox populi de ciuitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis.[i] Antequam [3] parturiret peperit:antequam veniret partus eius,peperit masculum.Quis audiuit vnquam tale?Et quis vidit huic simile?[k] Nunquid parturiet terra in die vna? aut parietur gens simul, quia parturiuit & peperit Sion filios suos? Nunquid ego qui alios parere facio,ipse non pariam,dicit Dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo,sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?

Prou.1.c. Ier.7.e. Sap.65.b

1.Cor.4.

E

EXPLANATIO.

B [a] *Hæc dicit Dominus: Cœlum sedes mea.*) Dixerat Deus in fine capitis superioris magnam fore pacem & fœlicitatem in monte sancto suo, & ne Iudæi existimarent hoc esse intelligendum tantùm de monte Moria, vbi erat situm templum Salomonis, putantes Deum in templo illo solùm debere adorari, illóque paruo loco claudi & contineri, ideò ait Deus se implere cœlum & terram, non autem in manufacto templo coerceri. Sed quoniam Dei magnificentia magis in cœlo elucet, quàm in terra, ob ipsius cœli admirabilem pulchritudinem, excellentes influxus, & actiones, & quòd sit amplius toto orbe terrarum, illustrius,& præstantius, positum in sublimi, ornatum innumerabilibus astris, quæ globosa & rotunda,splendidissimo candore fulgentia,circulos suos orbésque conficiunt admirabili celeritate,ordine, & constantia, ideò cœlum appellatur Dei sedes atque thronus, terra autem tanquam infimum elementum pedum eius scabellum. Vnde diuinus Psaltes 18.*Cœli*,inquit, *enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Eam ob causam in exordio diuinæ precationis dicimus:*Pater*
Mat. 6. *noster qui es in cœlis.* Hunc Esaiæ locum citat glorio-
C sus ille Stephanus protomartyr in concione, quam habuit apud Iudæos, quam diuus Lucas literis mandauit.
Act.7. Probat ille ex hoc loco Deum vbique esse,neque in Salomonis templo concludi. Hoc intelligens Moyses in hunc modum fuit Hebræorum populum in Deut.c.4.allocutus:*Cogitato in corde tuo quòd Dominus ipse est Deus in cœlo sursum,& in terra deorsum.* Et Dauid in Ps.138.*Si ascendero in cœlũ,tu illic es.si descẽdero in infernum, ades.* Et per Ieremiã c.vigesimotertio ipse Deus:*Nunquid non cœlum & terram ego ampleo?* Est enim Deus excelsior cœlo,longior terra,latior mari omni profunditate profundior,totus vbique præsens,non per partes diuisus,sed totus in omnibus locis,non localiter,sed potentialiter, incomprehensibilis,omnem creaturam excedens. Si enim quæras magnitudinem,maior est:si pulchritudinem, pulchrior:si splendorem, splendidior:si claritatẽ, illustrior & præstantior. Ipse solus est qui de se ait:*Cœlum sedes mea est,terra autem scabellum pedum meorum.* Sed cùm multi sint cœli, oritur dubitatio, de quo Deus hic per Esaiam loquatur,an de Empyreo,an de Firmamento,an de aliquo ex septem cœlis Planetarum.an de primo mobili post Firmamentum, quod ersi fuerit antiquis ignotum putantibus Firmamentum esse ipsum primum mobile, quorum opinionem sequitur Orontius insignis nostræ memoriæ mathematicus.tamen experientia constat esse primum mobile aliud cœlum à Firmamento distinctum, vt ostendit Petrus Nonius magister meus, mathematicorum doctissimus, alter Euclides, alter Ptolemæus.Huic quæstioni respondendũ existimo,cœlum hoc in loco non pro aliquo cœlo particulari capi,sed pro omnibus simul corporibus cœlestibus,quemadmodũ in principio Gen.c.1.*In principio creauit Deus cœlum & terram*, iuxta diui Chrysostomi sententiam. Magnus Basilius ideò existimat cœlum sedem Dei appellari, quia cœlestes virtutes in se firmiter retineant insidentem Dei cognitionem, terram autem scabellum pedum eius, quòd homines in terra degentes vix possint capere vel extrema, quæ de Deo celebrantur. Origenes & diuus Gregorius existimant per cœlum hoc loco intelligi viros iu- F
stos & pios,qui ob excellentem charitatem & contemplationem, animique præstantiam & altitudinem cum cœlo comparantur. Et meritò quidem, cùm adhuc in terra constituti se ferant in sublime, iamque in cœlis quodammodo habitent:ita enim ait Paulus Apostolus:*Nostra enim conuersatio in cœlis est.* Philip. 3.
Quemadmodum enim rota, vt diui Hilarij similitudine vtar, licet in terra voluatur, magna tamen ex parte, dum steterit, est à terra eleuata, parua autem pars in terra consistit, sic licet pars corporis sit ambulans in terra, anima tamen iusti, quæ maior pars est hominis, cõuersatur in cœlis. Est igitur vir iustus sedes Dei iuxta id quod scriptũ est: *Anima iusti sedes sapientiæ.* Hæc sapientia Christus est,quam Salomon in Prou. cap.8. ita facit loquentem: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Et paulò pòst:*Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Per hanc sapientiam increatam intelligitur verbum,hoc est, Dei filius, vt ait in libro vndecimo de præparatione Euangelica Eusebius Cæsariensis Solet enim scriptura Dei filium sapientiam appellare:ita diuus Paulus in Epistola prima ad Corinthios, *Christus*, inquit, *factus est nobis sapientia à Deo.* Et in se- Genes. 1. similitudo

Aquenti capite: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est quam prædestinauit Deus ante sæcula, in gloriam nostram.* Cùm autem sedes Dei sit cœlum anima autem iusti sit sedes Dei, aperte colligitur, eam esse cœlum, de quo hîc ipse Deus ait: *Cœlum sedes mea est.* At per terram, quam hic appellat Deus scabellum pedum eius, impius peccator intelligitur, quem Deus veluti pedibus conculcat.

b *Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum?*) Dixerat Deus animam iusti esse eius sedem & templum: quod clarius explicans subdidit: *Quæ est ista domus, quam ædificatis mihi?* Modò multò apertius ostendit domum, in qua requiescit, esse iusti animam, quã sedem suam appellauerat. Ita Paulus Apostolus ad Corinthios c. 3. scribens, *Vos*, inquit, *estis templum Dei viui.* Intuere animo quàm longè distet voluntas diuina ab humana. Homines volunt habitare cum diuitibus, Deus verò cum pauperculis. Homines quærunt hospitia amœna & festiua, Deus verò animas contritas sermones suos trementes. Mundus pauperculos ærumnosos esse ducit, Deus verò eos beatos esse ostendit. Non sine causa aiebat Lactantius: Hoc vno beati esse in hac vita possumus, si minimè beati esse videamur. Et rectè quidem. Namquid iuxta mundi opinionem infœlicius paupertate? Et tamen ipsa veritas eam inter Euangelicas beatitudines connumerat, & hoc in loco, *Ad quem*, inquit, *respiciam nisi ad pauperculum?* Vnde ait Dauid: *Oculi Domini in pauperes respiciunt.* Respicere autem in literis diuinis fauere significat, & eum, quem respicis, gratum atque charum tibi esse. Hoc voluit Moyses in Gen. c. 4. significare, dicens: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem, & ad munera eius non respexit.* Et Dauid: *Respice in me Domine, & miserere mei.* Vide quàm falsa sit mundi de paupertate opinio, quam infœlicitatem vocat. Contrà verò nihil securius, nihil gratius & blandius ad vitæ cursum transigendum existimat: cùm Deus eas spinas vocet: & alibi dicat: *Væ vobis diuitibus.* Et Diuus Paulus in Epistola prima ad Timotheum: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Hæc Apostolus. Ex quibus aspicis quàm periculosa sit diuitiarum affluentia. Vt nauis graui mercium pondere onusta, in immenso mari procella iactata, ventisque periculosis exposita proiicit in merce merces & diuitias ne obruatur & funditus pereat, vtilius ducens opes potius amittere, quàm vitam, quoniam exonerata securius nauigat & celerius, sic homines diuitiis circunfluentes mediique mundi fluctibus commissi variarúmque tentationum exagitati debent se mercibus exonerare, & diuitias inter pauperes distribuere, ne illis intemperanter abutentes mergantur, atque ad ima tartara præcipitentur. Ita nanque poterunt maris curtum securius transigere, & ad beatitudinis portum velocius atque fœlicius accedere, si fuerint expediti, & diuitiarum pondere exonerati. Si mundus eum fœlicem iudicat, quem rex aut princeps aliquis benignè intuetur, quam fœlicior erit pauper, ad quẽ Deus pius oculis respici, dicens hic: *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum?* Sed dices non esse eum esse fœlicem qui opibus caret, quòd nullum habeat splendorem, nullam nominis claritatem. Hæc est mundi opinio, sed inanis, impia, & ab omni veritate aliena. Luna cùm longius distat à Sole, totum suum splendorem terris ostendit, ad cœlum autem claritatem nõ mittit: cùm verò Soli coniũgitur, tota in superiore parte illuminatur, inferius autem nullum lumen ostendit. Et tunc insipientes eam obscuram arbitrantur; cùm in eius coniunctione cum Sole, est in superiore parte splendidissima. Sic qui longè à christo separantur, humanam solùm inanémque gloriã quærunt, totum suum splendorem & nominis amplitudinem in terra defigunt, atque animi cãdoris & præstantiæ obliti in humanis diuitiis, falsis voluptatibus, inanis nominis claritate beatitudinem constituunt. At qui Soli illi iustitiæ Christo Deo nostro coniunguntur, animi splendorem sursum tendentem emittunt. Et tunc à mundi amatoribus obscuri, omníque claritate destituti stultè iudicantur, cùm illa flãma diuini amoris incensi, sunt superiore parte, hoc est, animo fulgentissimi. Ex quo efficitur, vt ad cœlũ aspirent Deum omnia prouidentem totámque vniuersitatem moderantem intueantur, omnem veram claritatem in charitate diuiníque numinis imitatione constituentes, & gloriam in ipsius gloriæ contemptu collocantes.

c *Et trementem sermones meos.*) Vide quemadmodum diuinus vates in huius capitis exordio virum iustum describat: eum appellat cœlum, Dei sedem, templum & locum diuinæ quietis, pauperculum, contritum spiritu, diuinos sermones trementem. Ampla quidem & illustria nomina & epitheta. Et quanuis omnes Christiani debent esse tot virtutum præsidio septi tanta puritate muniti, vt illis omnia hæc conueniant, precipuè tamen debent ad hãc perfectionem aspirare, in eáque perpetuò permanere monachi & sacerdotes, qui frequenter Christũ Deum nostrum in admirabili eucharistiæ sacramento sumunt, illudque diuinum mãna, illum panem viuum, qui de cœlo descendit, manducant. Ipse enim ait: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus, qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Et postea: *Hoc est corpus meum.* Quid clarius dici poterat? Non tulit diuinus amor, vt Christus corporali præsentia à nobis se separaret, quin nobiscum in sacramento maneret. Ibi est realiter eius sanguis, & eius diuinitas: & inqualibet parte hostiæ consecratæ Christus realiter continetur, & verè est cibus. Sciebat ipse Christus venturos esse hæreticos, qui dicerent, Christum non esse in sacramẽto nisi figuratiuè aut significatiuè, ideò ad hũc errorẽ tollendũ dixit: *Caro mea verè est cibus.* Particula, *verè*, faleos intellectus excludit: eius eñ corpus, qđ ibi verè est, verè à nobis manducatur, & gratiam confert. Ita enim Christus ait: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quẽ ego dabo caro mea est pro mundi vita.* Erubescat igitur Oecolampadius, Caluinus, & cæteri Capharnaitæ dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Cùm ergo tam admirabile sit hoc sacramentum, oportet sacerdotes illud ministrantes castos esse, & ita viuere, vt cœli, Dei sedes & templum, meritò appellentur. Eam ob causam sanctè & iustè fuerunt illis connubia in noua lege prohibita, vt constat ex Conciliis, in quibus hoc fuit assertum, & perpetuiis monimentis mandatum. In Concilio Cartaginẽsi post hanc prohibitionem sunt hæc verba: Vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus. Aspicis Ecclesiam affirmare esse connubia sacerdotibus prohibita ex Apostolorum traditione. Et ne illa Apostolica doctrina posset obliuione deleri fuit in Conciliis reiterata, & à Calixto summo pontificè Romano vniuersalis Ecclesiæ pastore ante mille & tercentos annos mandatas literis, atque à cæteris pontificibus confirmata. Fuit in primitiua Ecclesia concessum, vt coniugatus efficeretur sacerdos ob sacerdotum infrequentiam, at sacerdotem post sacerdotium vxorem ducere nunquam à Christi morte fuit concessum neque auditum: nisi nostra,

hac

A hac in re infœlici ætate, quando multi ſacerdotes, & monachi, qui ſe Deo deuouerant, perpetuúmque cœlibatum ſolenni voto profeſſi fuerant, ſe à Chriſti Eccleſia ſeparárũt, & Lutheri ſynagogę dederunt. 1.Cor. 7. Hi aiunt impoſſibile eſſe perpetuam caſtitatem ſeruare, & iuxta Pauli ſententiam melius eſſe nubere, quàm vri. Si hi diuinum auxilium conſiderarent, illúdque implorare vellent, nunquam has voces emitterent. Sunt quidem vires noſtræ ex ſe tenues: at adiuuat nos Chriſtus, qui nos nunquam deſerit, ſi ad eum confugimus, illumque toto animo 1.Cor. 10 inuocamus. *Fidelis eſt enim*, vt ait diuus Paulus, *qui non patietur nos tentari ſupra id, quod poſſimus, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſumus ſuſtinere.* Ipſi Paulo laboranti, Chriſtúmque inuocanti 2.Cor.12. reſpondit idem Chriſtus: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Non eſt igitur impoſſibile perpetuam caſtitatem ſeruare cum Dei auxilio. Quòd ſi de illo aliquis dubitauerit, cœleſtiáque arma proiecerit, ſeipſum Chriſti præſidio, de quo deſperat, indignum faciet, ſibique ipſe perniciem machinabitur. Locus autem Apoſtoli, *Melius eſt nubere, quàm vri*, quem pro ſe citant hæretici, intelligitur de laicis, non autem de ſacerdotibus, quibus, vt oſtendimus, Apoſtoli connubia prohibuerunt. Neque hoc in loco diuus Paulus nuptias niſi infirmis concedit.

B. Ita enim ait: *De quibus mihi ſcripſiſtis, bonum eſt homini mulierem non tangere.* 1.Cor. 7 Et paulò pòſt: *Volo autem omnes vos homines eſſe ſicut meipſum.* Et paulò pòſt: *Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis ſi ſic permanſerint, ſicut & ego: quòd ſi non continent, nubant, melius eſt enim nubere quàm vri.* Aſpicis diuum Paulum hoc in loco non ſacerdotibus, ſed imperfectis hominibus connubia concedere. Perpende eius verba: *Quod ſi non continent, nubant.* Non vituperat matrimonium: eſt enim ſacramentum à Deo inſtitutum, ſed præponit illi continentiam, & cœlibatum magnopere cõmendat & extollit. Reddens autem cauſas ſui propoſiti, *Volo*, inquit, *vos ſine ſolicitudine eſſe: qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* Si diuus Paulus laicis cœlibatum ſuadet, quantò magis ſacerdotibus & religioſis, qui caſtitatis votum emiſerunt? Sed aiũt votum caſtitatis eſſe ineptum & improbatum. Si hoc Matt.19. ita eſſet, cur Apoſtolus cœlibatum & perpetuam caſtitatẽ ſuadet: Quomodo Chriſtus laudat eunuchos, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum? Qui cœlibatum improbant, volunt Chriſtum & Paulum conculcare. Qui votum caſtitatis frangunt, contemC nunt Dauidem dicentem: *Vouete, & reddite Domino* Pſal. 75. *veſtro, &c.* Et in alio Pſalmo: *Tibi reddam vota mea.* Et Eccl. 5. eccleſiaſticum dicentem: *Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio: ſed quodcunque voueris, redde.* Quòd autem dicunt neminem caſtitatem ſeruare eſt planè falſum & impiũ: ſunt enim abſque dubio multi Chriſtiani caſtiſſimi & continentiſſimi. Quid loquor de Chriſtianis, cùm ſit memoriæ proditum multos Gentiles non ſolùm caſtitatem ſeruaſſe, ſed pro ea ſeruanda ſe morti obiecíſſe? Narrat Valerius Maximus li.6. Græcam quãdam fœminam nomine Hipponem, cùm hoſtium claſſe eſſet excepta, ſe in mare proiecíſſe, ne incontinentes homines eius pudicitiã violarent. Sabellicus etiam lib.5. ſcriptum reliquit, Democlem adoleſcẽtẽ Athenienſem in feruentis aquæ lacum ſe proiecíſſe, vt caſtitatem, quam in periculo videbat, tueretur. Voluit potius in interitũ voluntarium ruere, quàm continentiã amittere. Quid dicã de virginibus Veſtalibus, cùm ſi aliqua in crimen incontinentiæ incidiſſet, viua in campo Scelerato ſepeliebatur, pro cuius inceſtu, vt refert Fuluius in libro de antiquitatibus, D erat in vrbe publicus luctus? Ethnici caſtitatem ſeruãt, nos autẽ Chriſto dedicati, eiúſque ſanguine redempti, cœleſtiq; præſidio muniti eã ſeruare nõ poterimus? Quis audiuit vnquam talẽ? Vbi igitur Chriſtiana religio? vbi carnis mortificatio? vbi crux noſtra? vbi voluptatũ contemptus? vbi vis illa Chriſtiana, quã patitur regnũ cœlorũ, quod violenti rapiũt? vbi pudicitiæ feruor? vbi ardentes preces ad Chriſtum fuſæ feruentibus lachrymis ſociatæ? vbi cœleſtis præſidij fiducia? Nónne videtis ô ſacerdotes Lutherani vos hac in re etiam ab ethnicis infidelibus ſuperari? Hæc eſt veſtra fortitudo? hæc eſt veſtra reformatio? Quomodo audetis vocare vos ipſos viros Euangelicos, à Deo miſſos, religionis aſſertores, Eccleſiæ vindices, mundi reformatores, ſi non ſolùm à caſtis Chriſtianis, ſed etiam à Gentibus fide, ſpe, & gratia nudatis in virtute ſuperamini? Si à Deo effetis miſſi, viueretis continentius, veſtrámque nouam ſectam virtutibus & miraculis confirmaretis, Abraham docuit circumciſionem, rem nouam in mundo: Moyſes legem ſcriptam anteà inauditam: Chri- *Gen. 17.* ſtus eiúſque Apoſtoli nouam legem, veteriſque *Exo.17.d* abrogationem: & omnes hi res illas nouas, quas do- E cebant, virtutibus & miraculis confirmarunt. Legite vtrunque teſtamentum, reuocate in memoriam tempora præterita, reuoluite tam recentium quàm antiquorum annalium hiſtorias, & videbitis magnas nouitates & mutationes, quæ à Deo fuerunt, fuiſſe miraculis confirmatas, aut ſaltem à viris ſanctis, honeſtate perſpicuis, humilitate præcellentibus, charitate præſtantibus inſtitutas & prædicatas. Erat Eccleſia in tranquillitate & quiete, nulla erat in rebus fidei diſſenſio, retinebantque omnes Chriſtiani antiquam Eccleſiæ ſanctæ Romanæ fidem, & inſtitutiones. At ſurrexit quidam monachus apoſtata, nomine Martinus Lutherus, votifragus, qui omnia voluit mutare, atque magnas ſtupendáſque nouitates adducere. Si hæc ſunt à Deo, vbi ſunt Luthei miracula, vbi virtutes? Pro humilitate amplectitur ſuperbiam, pro caſtitate incontinentiam, pro votorum obſeruantia perfidiam, pro abſtinentia intemperantiam, pro exemplis ſcandala, pro miraculis vitia. Vnde effectũ eſt, vt in Germania leges nihil valeãt, iudicia iaceãt, mos patrius perierit, nulla abſtinẽtia, nulla cõtinẽtia, nullus pudor teneat hereticos. F Fertur equis auriga, neq; audit currus habenas. Euertit Eccleſias, magnifica monaſteria, amplaq; Dei tẽpla ſolo adæquauit, fuerũt bona cõmiſſa direptioni, monachi expulſi, virgines violatæ, & nihilominus tamen habet ſequaces Lutherus, eius ſectæ & libertatis ferè Mahumeticæ ſectatores. O tẽpora, ô mores! O Deus immortalis vbinã Gentiũ ſumus? O amẽtes homines Lutheri ſequaces cur hęc nõ aſpicitis? cur pernicie veſtrã non cõſideratis? Hęc ſunt opera Euãgelica? hæc eſt Eccleſiæ reſtauratio? hæc ſunt remedia quæ affertis? O cæci homines! Veniet tempus, & non tardabit, quãdo hæreſes veſtræ finientur: at nulla erit vnquã ætas, nulla poſteritas, hominũ memoria, quæ de veſtra cæcitate & amentia conticeſcat. Erunt omnia hæc omnium temporũ annalibus mandata, perpetuiſque conſignata monimentis. Si hæc mea ſcripta in manus veſtras fortaſſe deuenerint, vos oro & obteſtor, vt ea æquo animo feratis, non enim poſſum ſilere, premor dolore, inflammor, doleo veſtrũ naufragium, deploro veſtram triſtem calamitatẽ, fundo ad Deum pro vobis crebras licet indignas meas precationes. Vellem enim, vt ita viueretis, vt vobis ea, quæ hic ait Deus per Eſaiam, conuenirent: vt eſſetis cœlum, Dei ſedes & templum, humiles, contriti corde, Deiique ſermones tremẽtes.

A d *Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum.*) Sensus est: Abominabilia sunt Iudæorum impiorum sacrificia: nam tam deprauato animo immolant bouẽ, quàm hominem. Quo proposito solent suis idolis homines interficere & sacrificare, eo mihi boues immolant. Vel sic: Pro boue, quem mihi deberent immolare, immolant idolo hominem, pro pecoribus, quæ deberent sacrificare mihi, sacrificant canes idolis: pro oblationibus offerunt sanguinem suillum, pro thure, quod deberent in templo meo incendere, colunt idola. Vel referuntur hæc ad tempus gratiæ post sufficientem Euangelij promulgationem, vt dicat Deus: Nemo mihi offerat legalia sacrificia, quoniam iam sunt abrogata & mortifera: nolo legis vmbras, sed Euangelij veritatem: tam mortiferum est bouem immolare, veteríque legis sacrificia offerre, quàm hominem occidere. Ostendit hic locus soluendam fuisse legem Mosaicã, quod præter Prophetarum oracula fuit etiam à Sibylla Libyca iis verbis prædictum: *Ecce venient dies*, & illuminabit Dominus densa tenebrarum: & soluetur nexus synagogæ. Huius Sibyllæ meminit Euripides in Lamiæ procœmio, & Lactantius Firmianus lib. 4. diuinarum institutionum. De
B cessatione legalium ea poteris videre quæ primo capite annotauimus, & quadragesimotertio duobus in locis.

e *Hæc omnia.*) Nempe occidere homines, eósque Moloch sacrificare, canes idolis offerre, & sanguinem suillum, & idolo benedicere, fecerunt Iudæi, talibúsque abominationibus fuerunt delectati.

f *Vnde & ego eligam illusiones eorum.*) Sensus est: Quoniam ipsi hæc elegerunt contra me, ego eligam contra eos illusiones, nam illudentur & subsannabuntur. Quoniam me offenderunt, ego de illis pœnas sumam. Versio cui diuus Hieronymus adiecit cõmẽtaria habet, *illusores*, & ait idem diuus Hieronymus, vtrũque posse verti ex Hebraico. Et tunc est sensus: Quoniam, ipsi, inquit Deus, elegerunt me contemnere, ego id permittam vt sint, qui eos illudant & irrideãt. Est eadem sententia cum superiore. Vel sic: Quoniam ipsi contra me elegerunt illusiones, hoc est, idolorum cultum, ego eligam easdem illusiones ad sumendum pœnas de illis. Et ita capitur illusio pro idololatria. Nã in literis diuinis ludere aliquando est idolum adorare. Ita interpretantur nonnulli
C id, quod est in Exodo c. 32. scriptum post vituli conflationem: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* & illud Geneseos, c. 21. *Vidit Sara filium Agar Aegyptiæ ludentem cum Isaac filio suo*, hoc est, eum ad idoli cultum excitantem. Sed prima interpretio mihi videtur planior & rectior.

g *Dixerunt fratres vestri odientes vos.*) Sensus est: Quoniã vocaui & Iudæos, noluerunt audire, ait Christus, præbete vos aures mihi Apostoli mei, qui verba mea religiosè auditis. Frates vestri Iudæi impij & infideles, qui propter me vos odio habent & abiiciunt, in hunc modum vos alloquentur: Vos dicitis Christum esse verum Deum. Cur tam abiectum Deum introducitis? Glorificetur ille, videamus eum in sua maiestate cum magna lætitia vestra, & credemus in eum. At Iudæi infideles hæc dicentes confundentur.

h *Vox populi de ciuitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis.*) Dixerat esse Iudæos ob suam infidelitatem & malitiam confundendos. Nunc explicat Propheta eorum ærumnas & calamitates. Acsi dicat: Obsidebuntur à Romanis, & in tantam miseriam incident, vt præ dolore & desperatione vehementes fletus & clamoros emittant. Audietur enim clamor miseri & ærumnosi populi, tumultus & eiulatus ex omni parte de ciuitate & templo. Et ita sentient Deum iratum, acsi audirent vocem eius illos punientis, & duriter increpantis, quoniam
E erunt à Romanis capti, & occisi, & eius ciuitas funditus euersa. Tunc impletum fuit id, quod illis Christus prædixerat: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Quod multò anteà Michæas Propheta in hunc modum prædixerat: *Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi acerus lapidum erit, & mons templi in excelsa syluarum.* *Luc. 13.* *Mich. 3.*

i *Antequam parturiret peperit.*) Reiecta synagoga, Ecclesia Christi propagabitur, & ante tempus pariendi pariet. Hoc est, breui & celeriter multiplicabitur. Et quoniam hoc superabat humanum ingeniũ, subdit: *Quis audiuit vnquam tales?* Et statim comparat Ecclesiam terræ fœcundæ vno die magnam herbarũ multitudinem producenti. Namvt in Actis c. 2. refert diuus Lucas, vna die crediderunt circiter tria millia. *Act. 4.* Et in alio loco ait concionatum fuisse diuum Petrum, & multos credidisse, factúmque esse numerum eorum quinque millia.

k *Nunquid ego.*) Non mirum est Ecclesiã tot filios breui tempore habere. Nã ego hoc faciam, ait Deus. Et filij Ecclesiæ, mei erunt filij. Egò igitur qui aliis vim tribuo gignẽdi, nõ sterilis ero. Vocat Deus viros iustos filios suos. Hoc est, quod ait diuus Ioan. ca. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatẽ, filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius.* De qua generatione c. quinquagesimotertio copiosè diseruimus.

F

ANNOTATIONES

ex Hebræo in

CAPVT VLTIMVM.

1 Qui recordatur thuris.] *In Hebraico est*, לבונה מזכיר *mazcir leuonah. Prima dictio est à verbo* זכר *zachar, quod significat recordari, vt Threnorum quinto:* Recordare Domine quid acciderit nobis. *Significat etiam fragrare, & odorem emittere. Ideò illud Leuitici c. 24.* Vt sit panis in monumentum oblationis Domini, *potest verti:* Vt sit panis in odorem oblationis Domini. *Dictio enim azcarah, quæ ibi est, significat odorem, monumentum, & memoriam: est enim deriuata à verbo hoc zachar, quod & meminisse significat, & fragrare, & in tertia coniugatione facere fragrare, siue fumigare & suffire. Qapropter potest hic locus Esaiæ ita verti:* Qui adolet thus, vel fumigare facit. *Est enim adolere sacrificare, & quasi odorem Deo præbere. In hac significatione accipitur à Virgilio dicente:* Verbenásque adole pingueis, & mascula thura. *Ita hunc locum R. Salomoh & R. Dauid in comentariis interpretantur: quibus assentitur Ionathan in translatione Chaldaica, ita habens:* Qui offert thus. *Vnde id quod est in Cant. c. 8. scriptum:* Memores vberum tuorum super vinum, *potest etiam verti:* Fragrauit amor tuus plusquàm vinum. *Sed quoniã præcipua huius verbi significatio est recordari: voluit noster interpres, & rectè quidem, eam sequi: conuenit enim cum antecedentibus & consequentibus, & non recedit à communi significato.*

Eligam

A 2 Eligam illusiones eorum.] *In Hebraico est*: Eligã *bethaalulehem*. *Ideò poteris ita vertere*: Eligam effœminatos eorum, *nempe vt de illis pœnas sumam*, *Nam taalul*, *quod est dictionis huius singulare*: *effœminatum significat*, *vt suprà capite tertio*: Et effœminati dominabuntur eis. *Et quoniam nonnulli existimant dictionem hanc deriuari à verbo olel*, *quod significat conterere*, *transtulit Thargum*, afflictiones eorum: *vt sit sensus*: *Ego eos affligam*.

3 Antequàm parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum.] *Ionathas Chaldaicus ita hunc locum transfert*: Antequam veniret ei angustia, salua facta est, & antequam venirent ei dolores partus, *Messias reuelatus est*. *Quorum verborum hic est sensus*: *Priusquam Iudæa à Tito obsideretur*, *iam erat æternam salutem consecuta*, *& antequam ab eodem Tito euerteretur*, *iam Messiam pepererat*, *qui eos saluos fecit qui eum receperunt*: *Comparat propheta Hierosolymæ afflictiones doloribus*, *quibus parturientes mulieres premuntur*. *Ita hunc locum non solùm Ionathas*, *sed etiam antiqui Iudæorum Rabbini intellexerunt*, *quos sequitur R. Samuel Bernahamam*. *Si Messias erat ante Hierosolymæ cuesionem per Romanos venturus*, *est autem ea destructa*
B *mille quingentos retrò annos & amplius*, *perspicuum est venisse Messiam*, *falsámque esse ineptam*, *& impiam Iudæorum opinionem Messiam expectantium*. *Fuit adeò recepta hæc Ionathæ interpretatio*, *vt multi ex Iudæis videntes Hierosolymam euersam asseuerint Meßiam iam venisse*, *quem dixerunt esse Barchossibam hominem quendam sceleratum*, *qui posteà fuit occisus*, *luens suorum flagitiorum meritißimas pœnas*. *Ita ait R. Moyses Aegyptius & alij*. *Aggæus propheta secundo c. loquens cum Hebræis templũ Hierosolymæ post Babylonicam captiuitatem reædificãtibus templum ipsum indicans*, *ait*: Veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquàm primæ. Hæc ibi. *Duo ex hoc loco aperte colliguntur*, *vnum est templum secundum maiorem gloriam habuisse quàm primũ*: *alterum est nũquam Hierosolymæ futurum esse Iudæorum templum*, *cùm illud secundum appelletur hîc nouissimum siue vltimum*, *post quod aliud non est*. *Vnde conuincitur eorum cæcitas*, *qui templum Hierosolymæ vbi legalia offerant sacrificia*, *se esse ædificaturos expectant*. *Sed videamus in quo consistit hæc fœlicitas & gloria*, *qua secundum templum excelluit primo*. *Non in regibus*, *nec*
C *in prophetis*, *no in auro*, *vasis*, *pulchritudine*, *magnitudine & magnificẽtia*, *cùm sit perspicuum in omnibus his fuisse primum multò excellentius & præstantius*, *quippe ædificatum à Salomone rege ditissimo*, *tam sumptuosum vt omnia*, *quæ in illo erãt*, *auro tegerentur*, *vt Scriptura cõmemorat*. *At secundum fuit à Iudæis ædificatum à captiuitate redeuntib. inopia laborãtib. Ex quo effectũ fuit*, *vt senes qui primũ templum viderant*, *illudque memoria tenebãt*, *videntes secundum ad excellentiam primi nulla ex parte accedere*, *lachrymis & lamentis aerem implerent*, *atque in intimo pectore singultus continere non possent*. *Testis est Esdras capite quinto libri secundi*, *& Iosephus vndecimo Iudaicarum antiquitatum*. *Quæ est igitur hæc gloria*, *qua secunda domus primam superauit*, *nisi præsentia Messiæ*, *qui in eo futurus erat*, *qui illud erat suo ore*, *sua doctrina*, *suis virtutibus*, *suis miraculis illustraturus*? *Hæc fuit gloria illa secundi vltimique templi*, *de qua hîc loquitur Aggæus*, *qua nulla alia poterat esse maior*, *nulla excellentior*, *nulla illustrior & præstantior*. *Id indicat idem vates*: Veniet desideratus cunctis gentibus. *Vbi Thargum habet*: Veniet Messias. *Acsi diceret*: *Hac in re erit hæc domus glorioßor prima*, *quia Christus verus Deus & verus homo in ea realiter apparebit*, *prædicabit*, *& miracula efficiet*. *Quæ omnia impleta fuisse ex Euãgelica historia cognoscimus*. *Si Meßias erat venturus stante se-* D *cundo templo*, *iam venit*, *cùm templum illud sit funditus euersum*: *atqui erat tunc venturus iuxta hanc Aggæi vaticinationem*, *ergo iam venit*. *Quis est tam cæcus qui hanc tam claram veritatem non videat*? *Cum hoc oraculo conuenit id*, *quod ait Deus per Malachiam capite tertio*: Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templũ suum dominator, quem vos quæritis. *Esse hunc dominatorem Messiam non solùm Christiani*, *sed etiam Hebræi asseueranter affirmant*. *Dicens propheta Meßiam venturum esse statim ad templum suum*, *indicat se loqui de illo secundo templo*, *ad quod statim Meßias erat venturus*. *Cùm autem nullum tale templum sit*, *quid expectant miseri Iudæi*? *Aut Meßias iam venit*, *aut falsa est illa prophetia*: *at prophetia non est falsa*, *ergo Meßias venit*, *&* *fruſtra à Iudæis venturus expectatur*. *Præterea Meßias* Suprà. 11. *non solùm erat futurus ex tribu Iuda*, *sed ex familia Dauid iuxta illud Psalmi* 131. De fructu ventris tui ponam super sedem tuã. *Et illud Esaiæ*: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius ascendet, &c. *At hodie nulla est tribus ab alia separata*, *cùm Hebræi per totum orbem terrarum dispersi & peregrini vxores ducant ex quacunque tribu sine delectu*. *Si nulla est in-*
ter eos distinctio & separatio tribuum, *quantò magis fa-* E *miliarum*? *Si ignoratur tribus*, *multò magis familia*. *Fuit hæc tribuum separatio vsque ad Meßiam*, *qui de tribu Iuda futurus erat*: *at post Meßiam nulla est talis separatio neque distinctio*. *Præterea Daniel propheta capite nono cùm esset cum aliis Hebræis in Babylonica captiuitate scripsit reædificandam esse Hierosolymam*, *quæ tunc erat euersa*, *& venturum esse Christum*, *& perdendum esse populum qui eum negaturus erat*, *& deuastandam ciuitatem & templum à populo qui venturus erat cum duce*, *& cessatura esse Iudæorum sacrificia*. *Et statim describit tempus quando hæc futura erant per hebdomades*. *Lege caput illud*: *numera illas hebdomades*: *vt volueris*, *dando vnicuique septem dies*, *vel septem menses*, *vel septem annos*, *& videbis impletum esse multis ab hinc annis tempus Meßiæ*. *Praterea si iuxta hanc Danielis vaticinationem prius erat Meßias venturus quàm Iudæorum populus perderetur*, *& dispergeretur*, *eiúsque sacrificia cessarent*: *& scimus Iudæorum populum esse perditum*, *& dispersum*, *& sacrificia cessasse*: *nam cessante templo in quo sacrificia fiebant*, *necessarium erat cessare ipsa sacrificia*, *perspicuum est venisse Meßiam*, *& ex consequenti vanam esse*, *falsam*, *& impiam Hebræorum opinionem*, *imò perfidiam*, *& pertinaciam*, *Meßiam expectantium*. *Vltimo loco in medium proferam Iacobi patriarchæ vaticinium*, *quod hanc nostram veritatem absque dubio ostendit*. *Cùm vir ille præclarus*, *quo nullus erat iustior*, *nullus charitate insignior*, *nullus vaticinatione præstantior*, *intelligeret vitæ suæ exitum appropinquare*, *vocauit filios suos*, *quibus inter alia regnum ad tribum Iuda venturum esse significauit*. *Et animi oculis perspiciens esse regnum ab ea auferendum*, *& statim Meßiam venturum*, Gen. 49 *has voces emisit*: Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium. *Aspice quàm aperte dicat*, *non fuisse regnum à tribu Iuda auferendum nisi tempore Messiæ*. *Cùm autem sit illi regnum ablatum à tempore Herodis Ascalonitæ*, *qua ætate natus est* Matth. 2. *Christus*, *apertè concluditur*, *venisse Messiam*, *esseque saluatorem nostrum Christum Dei filium*. *Constat enim non solùm ex Euangelica historia*, *sed etiam ex Iosepho historiographo Hebræo*, *& ex Rabbinorum antiquorum dictis*, *quæ Finus Adrianus collegit*, *& literis Latinis mandauit*, *fuisse Iudæam in Christi aduentu à Romanis possessam & à Gentilibus gubernatam*, *& tribum Iuda spoliatam potentia*, *omnique regia dignitate destitutam*. *At Hebræi ne à sua contumacia desistant*, *aiunt*

hoc

A *hoc non intelligi de Messia, sed de Saule: nam vbi nos habemus*: Donec veniat qui mittendus est, *habet littera Hebraica*: Donec veniat שילה *xiloh. Et aiunt Siloh esse locum quendam, vbi defixum fuerat tabernaculum, & arca Domini collocata, vt patet ex quarto cap. 1. Regum in quo loco aiunt Saulem fuisse regem cõstitutum. Et quoniam Saul erat de tribu Beniamin, vt nono capite primi Regum scriptura testatur, aiunt tunc ablatum fuisse regnum à tribu Iuda, impletámque fuisse hanc Iacob vaticinationem. At expositio hæc stare non potest, nam locus ille Siloh non venit tunc, quando Saul regnum obtinuit, quoniam multò anteà fuerat. Huc accedit quod locus ille non erat expectatio Gentium. Ita enim ait Iacob*: Donec veniat Siloh, & ipse erit expectatio Gentium. *Nec est verum id, quod aiunt fuisse Saulem vnctum à Samuele in Siloh, vbi erat vnctio in arca Domini: nam priusquam Saul vngeretur, iam arca erat translata in Cariathiarim, vt caput septimum primi Regum apertè ostendit. Itē Saul fuit primus Hebræorum rex, vt ex primi Regum nono capite patet: anteà enim populus per Iudices diuersarum tribuū gubernabatur. Quomodo igitur in vnctione Saulis ablatum fuit regnum à Iuda, si Iudas illud nunquam habuerat? Imò statim post Saulem regnauit Dauid de tribu*

B *Iuda, in qua vsque ad Herodem Ascalonitam gubernatio permansit. Alij ex Hebræis videntes esse hanc expositionem falsam, friuolam, & vanam, aiunt hoc non de Saule intelligi, sed de Ieroboam, qui cùm esset de tribu Ephraim, fuit ab Israele rex constitutus in Siloh, & abstulit à Roboam, qui erat de tribu Iuda regiam dignitatem. Hæc expositio est intolerabilis, quoniam Ieroboam non fuit in regia dignitate constitutus in Siloh, sed in Sichem, vt patet tertij Regum cap. 12. Præterea tunc non fuit sceptrum ablatum à Iuda, nam Roboam mansit rex, & posteri eius eo mortuo in regno perseuerarunt. Alij per Siloh intelligunt Nabuchodonosorem Babyloniorum regem, qui Iudæos in Chaldæam translulit: quo tempore aiunt ablatum fuisse à Iuda sceptrum & omnem potestatem. Hæc opinio est falsa & friuola: nam Nabuchodonosor non fuit ille, qui mittendus erat à Gentibus expectatus: neque tunc Hebræorum potestas penitus sublata est. Nam etiam in Babylonica captiuitate detenti habebant suos gubernatores ex tribu Iuda, quos Sanhedrim appellabant, apud quos e-*

C *rat quidam principatus & potestas, quæ post captiuitatem apertius viguit, & in ea tribu vsq; ad Herodem permansit. Ex quo colligitur non esse de Nabuchodonosore hoc vaticinium intelligendum. Quisnam sit hic de quo ait Iacob*: Donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium, *indicat Thargum Chaldaicum Onkeli, ita habens*: Non auferetur qui facit potestatē de domo Iehudah, & scriba de filiis filiorum eius vsque in seculum, donec veniat Messias, cuius est regnum, eique obedient populi. *Hæc Thargum. Qui facit potestatem iuxta Hebraismum idem est quod rex, qui per sceptrum iuxta nostram versionem intelligitur. Sed vide quàm apertè hic & expressè nomen Messiæ ponatur. R. Salomon etiam, & multi alij ex Iudæorum Rabbinis per Siloh Christum intelligunt. Constat igitur Siloh hoc in loco non accipi pro Nabuchodonosore, nec pro loco illo, vbi quondam fuit arca fœderis collocata, sed pro Messia, qui erat à Deo mittendus. Quam ob causam vertit noster interpres*: Donec veniat qui mittendus est. *Nomen* D *enim Siloh deriuatur a verbo* שלח *xalah, quod mittere significat, vt Geneseos ca.* 45. Misit me Deus ante vos in Aegyptum. *Et Ieremiæ* 14. Maiore miserunt minores suos. *Et aliis in locis. Galatinus tamen lib.* 4. *de arcanis catholicæ veritatis ait* שילה *iuxta R. Kimhi sententiam deriuari a nomine* שילית *xiliah, quod significat sacculum illum, in quo reconditur infans in vtero materno. Vnde colligit, voluisse hic significare scripturam fore, vt Messias ex matre absque patre nasceretur, conciperetúrque de Spiritu sancto absque virili semine. Et quanuis hæc opinio multis arrideat, mihi tamen magis placet ea, quam sequitur communis interpres, quòd sit clarior & conuenientior, non contorta neque longe petita. Nonnulli Iudæi nostri temporis videntes hanc Iacob vaticiuationem de Christo apertissimè intelligi, ne suum errorem faterentur, inuenerunt aliam cauillationem & euasionem, sed falsam, vanam & impiam. Aiunt enim voluisse Iacob significare aduentu Messiæ esse à Iuda omnes ærumnas auferendas, in quibus tribus illa multis ab hinc annis versatur. Nomen enim* שבט *xeuat, pro quo noster interpres vertit sceptrum, aiunt significare afflictionem, non autem regem neque regiam dignitatem. At hoc* E *est merum figmentum: nam Numerorum* 24. *vbi nos habemus in prophetia Balaam:* Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, *pro virga est in Hebraico hoc idem nomen xeuæt, pro quo Thargum Onkeli vertit* Christum: *ita enim habet*: Cùm consurget rex de Iacob, & vngetur Christus de Israel. *Nec solùm Onkelos, sed Kimhi, & Selomoh, & cæteri Rabbinorum locum illum de Messia rege interpretantur. Præterea si xeuat pro afflictione in prophetia Iacob accipitur, ergo tempore Messiæ à sola tribu Iuda erat auferenda calamitas, non autem ab aliis. Erat igitur Messias solùm pro hac tribu in mundum venturus. Quomodo igitur ait Deus per Esaiam Messiam alloquens:* Parum est vt sis mihi seruus ad suscitãdas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas, dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. *Quomodo ait Iacob*: Et ipse erit expectatio Gentium. *Si sola tribus Iuda erat ob aduentum Messiæ gaudio afficienda, quomodo in hunc modum Esaias Gentilitatem ad Messiam conuersam alloquitur:* Lætare sterilis quæ non paris, &c. *Dicere nomen xeuat hoc in loco accipit pro afflictione, est Messiæ misericordiam coarctare, omniumque antiquorum Rabbinorum sententias contemnere. Thargum Onkeli pro xeuat transtulit, quæ* F *habet potestatem, hoc est, rex: Thargum Hierosolymitanum habet:* Non deficient reges de domo Iehudah. *Et vtrunque pro Silo Messiam vertit. Alij etiam antiqui in eadem sententia concorditer permanserunt. Vnde concluditur, voluisse obstinatos nostræ memoriæ Iudæos hunc textum ex industria deprauare: tam clarè enim ostendit Messia venisse, vt licet alium non haberemus, hic satis esset. Quare est obstinatorum Hebræorum cæcitas & perfidia sentienda, omníque lachrymarum copia deploranda, cùm eum expectent venturum, qui ante eorum calamitates, & Hierosolymæ euersionem venit quemadmodum hoc nostro capite iis verbis prædixerat Esaias*: Antequàm parturiret peperit: antequàm veniret partus eius peperit masculum.

Lætamini [a] cum Ierusalem, & exultate in ea omnes, qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio vniuersi, qui lugetis super eam, [b] vt sugatis, & repleamini ab hubere consolationis eius, vt mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius. Quia hæc dicit Dominus: [c] Ecce ego declinabo super eam quasi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam sugetis, ad hubera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini. Videbitis, [d] & gaudebit cor vestrum, [e] & ossa vestra quasi herba

herba germinabunt, *f* & cognoscetur manus Domini seruis eius, & indignabitur inimicis suis. Quia *g* ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadriga eius, reddere in indignatione furorem suum & increpationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus diiudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino. *h* Qui sanctificabantur, & mundos se putabant in hortis post ianuam intrinsecus: qui comedebant carnem suillam, & abominationē & murē, simul cōsumentur, dicit Dominus. *k* Ego autē opera eorū, & cogitationes eorū venio vt congregem cum omnibus Gentibus & linguis, & venient & videbunt gloriam meam.

a *Lætamini cum Ierusalem.*) Inuitat Propheta fideles, vt Ecclesiæ congratulentur.

b *Vt sugatis, & repleamini ab hubere consolationis eius.*) Id est, vt quasi modò geniti infantes sugatis huberi diuinæ consolationis, vt lacte interioris gaudij reficiamini.

c *Ecce ego declinabo super eam quasi torrentem inundantem gloriam Gentium.*) Alij codices habet: *Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam Gentium.* Et ita est in Hebraico. Promittit Deus hoc in loco Ecclesiæ tantam pacis affluentiam, quæ non riuulo, sed fluuio comparetur, & gloriam Gentium se esse ad Ecclesiam translaturum. Quod impletum esse cognoscimus. Nam magni principes Gentiles, & excellentes Philosophi, aliique viri fortitudine & gloria præstantes, idola repudiarunt, séque Ecclesiæ subiecerunt. Et vt pisces in marinis aquis nati & nutriti nullum habent maris saporem, sic hi in Gentilitate, & idolorum cultu geniti & educati, à Gentium vana superstitione & idolatria longissimè abfuerunt. Vt enim Iosias statuas idolorum contriuit, earúmque loca ossibus mortuorum repleuit, vt in quarto lib. Reg. diuina narrat historia, sic hi repudiatis idolis deiectisque ex animo vanitatibus, quas veluti idola colebant, eum ipsum animum mortis meditatione repleuerunt, illúmque veluti altare Deo dedicarunt.

similit.

d *Et gaudebit cor vestrum.*) Mundi consolatio attingit corpus, diuina autem cor penetrat. Ideò Christus suis Apostolis dicebat: *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum.*

Ioan. 17.

e *Et ossa vestra quasi herba germinabunt.*) Hoc est, magno gaudio afficiemini. Nam quemadmodum *spiritus tristis exiccat ossa*, vt dicitur Prouerb. 17. sic spiritus lætus dicitur ossa viridia & florida efficere.

f *Et cognoscetur manus Domini seruis eius.*) Id est, Et auxilium Dei erit seruis suis perspectum & cognitū.

g *Ecce Dominus in igne veniet.*) Nempe in die iudicij. Ita dicitur in Psalmo 49. *Deus manifestè veniet Deus noster, & non silebit, ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* Quadrigæ autē eius, quas turbini veloci propter celeritatem cō parauit, Angeli sunt, qui venient cum Christo. Potest hoc intelligi de Iudæorum vastatione per Romanos, quando Hierosolyma fuit euersa, & templum incendio flagrauit.

h *Qui sanctificabantur.*) Hoc est, qui sibi sanctimoniam assumebant & arrogabant. Notat hypocritas.

i *Et mundos se putabant in hortis post ianuam intrinsecus.*) Id est, qui intrant in hortos, vbi postquam ianuam ingrediuntur, se abluunt, & purificatos putant. Solebant Iudæi crebris vti lotionibus corporis, animi candorem minimè curantes. Eam ob causam dicebat illis Christus, vt est apud Matthæum, cap. 23. *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immundicia.*

k *Ego autem opera eorum & cogitationes eorum venio vt congregem cum omnibus Gentibus.*) Hoc est, Ego, inquit Christus, veniam ad extremum iudicium, vbi congregabo opera & cogitationes Iudęorum cum operibus & cogitationibus Gentium, vt reddam vnicuique iuxta opera sua.

ANNOTATIO.

l Ego autem opera eorum & cogitationes eorum venio vt congregem cum omnibus Gentibus & linguis.] *Septuaginta habent*: Ego opera eorum & cogitationes eorum noui, & venio vt congregem omnes Gentes & omnes linguas. *Quod potest de primo Christi aduentu explanari. Cùm enim homines essent dispersi, & variis ritibus separati, venit Christus, vt eos in vna fide & Ecclesia congregaret. Vnde ait Isaias cap. 56.* Ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israel. Cōgregauit Christus Gentes, & eorum idola euertit & absumpsit. *Virga Moysi versa in serpentem virgas & serpentes sapientium Aegypti deuorauit. Ille serpens cœlestis, cuius figura fuit serpens ille, quem Moyses extulit in eremo, ad quem cùm percussi aspicerent, salutem consequebantur, Aegypti hoc est mundi sapientiam, & turpem idolorum cultum euertit, & Iudæos atque Gentes in vno ouili, cuius ipse pastor est, congregauit. Gentes enim sunt oues illæ, de quibus Christus apud Ioannem cap. 10. dicebat:* Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audiēt, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. *Ideò ait:* alias oues, *quia versabatur inter Iudæos, qui etiam oues erant. At multò plures ex Gentibus quàm ex Iudæis in Ecclesiæ ouile introierunt. Alij enim noluerunt introire, sed in sua infidelitate & contumacia permanserunt.*

Num. 11.

Et ponam *a* in eis signum, & mittam ex eis qui saluati fuerint, ad Gentes in mare, in Aphricam & Lydiam, *b* tenentes sagittam in Italiam & Græciam, ad insulas longè, ad eos qui non audierūt de me, *c* & non viderunt gloriam meam Et annuntiabunt gloriam meam gentibus, *d* & adducēt omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem sanctum meum Hierusalem, dicit Dominus: *e* quomodo si inferant filij Israel munus in vase mundo ad domum Domini. Et assumam ex eis in Sacerdotes & Leuitas, dicit Dominus. Quia sicut cœli noui, & terra noua, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus Deus, sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum. *f* Et erit *a* mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato, veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea, dicit Dominus. *g* Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me. *b* Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni.

Apo. 21. a

Mar. 9. g

a *Et ponã in eis signum.*) Locutus fuerat propheta de ecclesiæ propagatione. Sed quoniam præuiderat plerósq; Iudæorum non esse ad eã vēturos, meminit extremi iudicij, vbi ipsi condemnabuntur. Nunc redit ad Apo-

A ad Apostolorum prædicationem. Et introducit Deũ dicentem, se signaturum nonnullos ex credentibus viros iustos, eósque missurum ad enuntiandum Euãgelium gentibus per totum orbem terrarum dispersis. Nam per mare, Aphricam, Lydiam, Italiam, & Græciam, vniuersus orbis intelligitur. Christus non solùm Apostolos designauit ad annuntiandum Euãgelium, sed vt ait diuus Lucas ca 10. designauit alios Septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam. Et quoniam Apostoli & alij fuerunt à Christo signati, ideò hic ait: *Et ponam in eis signum, & mittam ex eis, &c.* De his concionatoribus dicitur in Psalmo 21. *Annuntiabunt cœli iustitiam eius, populo qui nascetur, quem fecit Dominus.* Illi enim quos Dauid nomine cœlorum significauit, Christi iustitiam annuntiarunt populo, qui per fidem & gratiam renatus est ex aqua & Spiritu sancto.

b *Tenentes sagittam.)* Potest referri ad Lydos, vt sit sensus: Mittam hos concionatores ad Aphros, & Lydos, qui pollent arcu & sagittis, qui sunt arte sagittandi instructi. Vel ad ipsos Apostolos præclaros sagittarios, quoniam corda infidelium sagittis verborum suorum transfixerunt, eósque in diuinum amorem excitarunt. De iis concionatoribus intelligitur id, quod dicitur in Psalmo 63. *Sagittæ paruulorum*
B *factæ sunt plagæ eorum.* Acsi diceret: Verba Apostolorum, quos ob innocentiam paruulos appello, dura hominum corda traiecerunt, & amore in Christum vulnerarunt.

c *Et non viderunt gloriam meam.)* Hoc est, meipsum. Vel gloriam meam, hoc est, mea miracula.

d *Et adducent.)* Vaticinatur de conuersione infidelium ad fidem & ecclesiam Christi. Per equos & quadrigas, cæteráque vecturas, intellige omnes rationes & modos adducendi infideles ad Ecclesiam, quæ per montem sanctum Hierusalem significatur.

e *Quomodo si inferant filij Israel.)* Hoc est, Vt filij Israel offerunt in templo dona munda in vase puro, sic Apostoli adducent ad Ecclesiam Gentes veluti munus Deo gratum. Et erunt fideles semper in Ecclesia tanquam nouum cœlum, & noua terra. Vult significare fidem nunquam in Ecclesia defuturam.

f *Et erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabatto.)* Hoc est, omnibus mensibus & omnibus sabbatis. Quasi dicat: Semper & omni tempore veniet omnis caro vt adoret coram facie mea. Hoc est in perpetuum me-
C Christiani adorabunt. Et vt affectum & desiderium colendi Deum in Christianis propheta ostenderet, ait: *Veniet omnis caro vt adoret.* Solent enim homines ad rem desideratam frequenter ire.

g *Et egredientur.)* Nempe viri iusti à consideratione sui, ad impiorum considerationem: & videbunt eorum cadauera. Animaduerte. Impios appellat cadauera, & corpora absque anima. Qui enim fieri potest vt viuant ab ipsa vita alienati? Christus de seipso,
Ioan. 14. *Ego* inquit, *sum via, veritas, & vita.* Cùm autem sceleribus implicati sint separati à Christo, qui est vita, non viui sed mortui meritò appellantur. Quapropter dicebat Christus cuidam ab eo petenti, vt permitte-
Matt. 8. ret illi sepelire patrem suum: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Et diuus Paulus in epistola prima ad Timotheum, ca. 5. *Quæ*, inquit, *in deliciis est, viuens mortua est.* Miraremur absque dubio si videremus loqui & ambulare cadauer hominis, quẽ sciremus mortuum esse, & talis visio nos teneret stupidos: & non miramur videntes quotidie homines flagitiosos, impiis atque mortiferis sceleribus inquinatos, nobiscum loquentes, & ambulantes, cum eos Christus mortuos appellet. Quid aliud est impius peccator quàm cadauer & phantasma? Vt anima vita est corporis, sic gratia vita est animæ. Vnde anima absque gratia dicitur mortua: mortua autem anima, D homo ipse manet cadauer, in sepulchro peccatorum iacens. Debet tamen sperare, vt veniat Christus, & Ioan. 11. dicat: *Lazare veni foras.*

h *Vermis eorum non morietur.)* Hoc est, cruciatus atque conscientiæ morsus semper illis in inferno durabit, vbi in igne inextinguibili & æterno torquebũtur. Ita apud diuum Marcum ait Christus: *Bonum est* Mar. 9. *tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentẽ ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Ex quo colliges loqui hoc in loco Esaiam de damnatorum in inferno cruciatibus, quos inquit esse ob sua scelera viris iustis fastidio. Ostendit hic locus falsam esse eorum opinionem qui impiè asserunt animas esse mortales, nec esse post mortem pœnam neque gloriam. Et quanuis contra eos sint in nouo Testamento multi loci meridiana luce clariores, illos tamen silentio præteribo, quoniam qui in hac sunt hæresi, nouum Testamentum haudquaquam recipiunt. Eã ob causam veteris legis authoritatibus Gentiliúmque philosophorum sententiis eos conuincam. Capite 49. Geneseos in illa oratione, quam Iacob mortipropinquus ad filios suos habuit, vbi nos habemus: *Congregamini, vt annuntiem qua ventura sunt, &c.* habet Thargum Hierosolymitanum, *Congregamini & docebo vos finem reconditum, arcana absconditа, & præmium mercedis, quod monet iustos: pœnam item impiorum, atque fœlicitatem horti Edem.* Hæc ibi. Per Hortum Edem intelligitur paradisus, cuius fœlicitas est
E æternum præmium mercedis iustorum. Aspice sanctum patriarcham in illa vaticinatione ad spiritualia æternáq; bona respexisse. Dauid ille clarissimus rex, & excellentissimus vates Psalmo 48. loquens de impiis peccatoribus canebat: *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos: & dominabuntur eorum iusti in matutino. Et auxilium eorum veterascet in inferno, à gloria eorum expulsi sunt. Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferni, cùm acceperit me.* Mortem hanc, quæ depascet impios, non autem iustos, perspicuum est non esse eam separationem animæ à corpore omnibus communem, quam mortem appellamus, sed pœnam inferni, æternámque damnationis noctem, quemadmodum matutinum, in quo iustorũ præmium atque principatus reseruatur, est resurrectio ad vitam immortalem æternáque charitas & beatitudo. Salomon in Prouerbiis ca. 14. *In malitia,* inquit, *sua repelletur impius, sperat autem iustus in morte sua.* Cùm mors sit terribilis & molesta, quid posset in ea iustus sperare, nisi esset post eã altera vita multò illustrior & præstantior? Daniel capite duodecimo, *In tempore,* inquit, *illo saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro.* Et multi de his F qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant semper. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Hæc Daniel. Verba illa: *Alij in opprobrium, vt videant semper,* possunt ita verti ex Hebræo: *Alij ad opprobria & abiectionem æternam.* Iob, *Scio,* inquit, *quod Redemptor meus viuit, &* Iob. 19. *in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse.* Quid clarius dici poterat? Dauid in Psalmo 16, *Satiabor,* inquit, *cum apparuerit gloria tua.* Et in alio: *Credo videre bona Domini in terra viuentium:* Et in alio: *Beati qui habitant in domo tua* Psal. 26. *Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Sapientiæ Psal. 83. capite quinto inducuntur impij in æternis pœnis cruciati suam miseriam plorantes: & statim subditur: *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt.* Et

paulò

A paulò post dicitur de iustis: Isti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum: *Non solùm diuinæ litera, sed etiam gentium philosophi hanc veritatem contestantur. Socrates asseruit duas esse post mortem vias, qua ibant iustorum animæ ad gloriam immortalem, alteram, qua impij descendebant. Nam qui se pestiferis vetiis contaminassent, & in diuino humanóque iure violando fraudes inexpiabiles concepissent, iis demum quoddam itereſſe agebat seclusum à concilio sanctorum. Quàm admirabiliter disseritur de animæ immortalitate in apologia Platonis, in Phædro, in Phædone, & aliis in locis? Ipse Plato, Breues, inquit, virtutis labores æterna voluptas sequitur. Cyrus apud Xenophontem animam ait esse immortalem, quem citat Marcus Tullius in Senectute, vbi quemadmodum in sexto libro de Rep. & in prima quæstione Tusculana, & aliis in locis animæ immortalitatem vindicat & extollit. In libro de inscriptionibus vetustatis scriptum legi fuisse memoria patrum nostrorum inuctum antiquum epitaphium in sepulchro Aurelij Balbi ethnici hominis, in cuius fine erant hæc verba literis mandata: Hîc in spe resurrectionis quiescenti locus publicè datus est. Nunquam Epaminondas Thebanus, neque Cotrus Atheniensis, neque Decij Romani, cum aliis se pro* D *patria telis hostium obiecissent, si nihil longius quàm vitæ termini postulabant, de animæ immortalitate cogitassent. At mente perspiciebant esse nobis exiguum vitæ curriculum circunscriptum, immensum gloriæ, essèque in cœlo splẽdidissimas mansiones, vbi Beati quo sempiterno fruũtur. Hanc de animæ immortalitate sententiam sequebantur etiam gentes infideles Indiarum Orientalium incolæ, quas Dei præsidio vicit, & ad Christi fidem conuertit admirabilis ille Emanuel inuictissimus Lusitanorum rex, cuius facta celebrabuntur non solùm nostris sed penè omnium gentium literis atque linguis, neque vlla vnquam ætas de eius laudibus conticesceret. Aspicis igitur non tantùm fideles, sed gentes etiam fide nudatas resurrectionem animæque immortalitatem cognouisse. Cùm enim Deus sit iustus, effecturus est premio bonos, malos autem pœna: atqui aliquando hoc non fit in hoc mundo, cum iustos deprimi videamus, impios autem extolli, ergo in alio. Hoc intelligens Esaias loquensque hoc in loco de æternis sceleratorum cruciatibus ait:* Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur, &c.

B

C

E

ANNOTATIO.

1 Et erit mensis ex mense & sabbatum ex sabbatho.] *Pro mense in Hebraico, chodhæx, quod significat renouationem & instaurationem, à verbo חדש, quod significat restaurare, vt Es. 61.* Et instaurabũt ciuitates desertas. *Vnde nomẽ hoc חדש significat mensem, quod apud Hebræos in nouilunio incipiat mensis, quando luna incipit renouari. Et quanuis totus mensis dicatur חדש, tamen primus dies potissimùm hoc nomine appellatur quem Græci neomeniam vocant, νέον nouum, μὴν Lunam significat, quasi noua Luna, aut initium Lunæ. Et quoniam primus dies mensis erat celebris apud Iudæos, & tanquam festus obseruatur, ponitur sæpe neomenia pro ipsa solennitate. Vnde potest hic locus ita verti:* Et erit neomenia & neomenia, & sabbatum & sabbatum. *Quasi dicat: Erunt æternæ festiuitates, & requies semper duratura. Quod potest de vita immortali cœlestique beatitudine explanari. Ad quam non solùm Christiani, sed etiã nonnulli ex Gentibus aspirarunt, qui tam etsi nescierunt immortalitatis viam, nec scire voluerunt, res tamen ipsa eos non fefellit: Solùm viri iusti, fide charitate præstantes gloriam illam immortalem consequuntur. Ibi est æterna sollennitas, & requies inenarrabilis, quæ vigebit memoria sempiterna, quam ipsa immortalitas semper intuebitur. Nullius est tantum flumen ingenij, nulla dicendi aut scribendi tanta copia & facultas, quæ possit illius regionis & cœlestium sedium summum gaudium oratione explicare. O æternam beatitudinem! O patriam cœlestem! O regionem splendidissimam, & beatissimam, vbi sancti Deum vident, & illa diuina visione sempiterno æuo fruuntur! Ad te aspiro Christe sancte, ex hoc exilio æternam patriam saluto, ne permittas me ab illa in æternum exulare, pro quo sanguinem tuum profudisti, quando te pro me in crucis ara immolasti. Ne respicias flagitia mea contra teipsum sæpe atque grauiter admissa, sed iuxta tuam immensam misericordiam recipe meipsum, vt te in æternum fruar. O præclarum diem, cùm viri iusti virtutibus fulgentes, & charitatis ornamentis magnificentissimè redundantes, in cœlum beatorum, in sanctorum cœtum proficiscuntur, vt immortali gaudio fruantur. Precor te summe Deus vt ab hoc fluctuoso mari me ducas ad illum cœlestem portum ab hoc arcto carcere ad illam amplissimam & permanentem ciuitatem, ab hac ima lachrymarum valle ad illum altissimum diuinæ visionis montem, vbi viri iusti quiescũt summis bonis affluentes, & æternis gaudiis exultantes, qui mundum, dæmonem, & carnem vicerunt, & de illis te adiuuante miserabiliter triumpharunt. Vósque pij lectores obsecro & obtestor, vt mihi ignoscatis, fateor enim me hunc diuinum vatem ob mei ingenij tenuitatem, & literarum penuriam pro dignitate non explicaasse. Sed sit ægroto medicina confessio. Hæc habui quæ in Esaiam scriberem quæ omnia Ecclesiæ sanctæ Romanæ correctioni humiliter submitto. Valete igitur candidi lectores, & studia atque labores meos piis precationibus adiuuate, pro me in* F *scripturarum campo prælianti manus cum Moyse ad Christum extollentes, vt possim Amalech, hoc est, perfidos Iudæos & hæreticos supperare.* Exod. 17.

LAVS DEO.

FINIS.

A D

F. HECTORIS PINTI LVSITANI HIERONYMIANI DOCTORIS THEOLOGI, IN CELEBRI CONIMbricensi academia diuinarum literarum professoris, in Prophetiæ Ieremiæ lamentationes commentarij.

Omnia iudicio & correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholicæ subiecta sunto.

Lamentationes Ieremiæ Prophetæ, quæ Hebraicè Cinoth, Græcè autem Threni inscribuntur. E

B

Argumentum lamentationum.

CVm Ieremias vidisset Hierosolymam celebrem quondam vrbem à Babyloniis captam & euersam & Hebræorum cædes: atque eos qui euaserant, partim in Iudæa miserè relictos, & in ruinis versatos, partim in vincula conlectos, & Babylonem abductos, hæc lugubria carmina mœstissimus condidit, quibus vrbis vastitatem, & Hebræorum ærumnas deploravit. In Hebræo incipiunt a particula אֵיכָה. *hoc est, quomodo. Sed in editione nostra vulgata hæc breuis præfatio inuenitur. Et factum est, postquàm in captiuitatem redactus est Israel, & Ierusalem deserta est, sedit Ieremias Propheta flens, & planxit lamentatione hac super Ierusalem: & amaro animo suspirans & eiulans dixit. Omnia hæc verba præter illa: amaro animo suspirans & eiulans: inueniuntur apud septuaginta interpretes loco proœmij, in quo tempus, & author, & operis materia describuntur. Cæterùm hæc carmina non solùm sunt Lamenta, sed vaticinationes: non enim tantùm Ieremias euersionem Hierosolymæ per Babylonios describit, sed etiam de illa quæ futura erat per Romanos tempore Titi Vespasiani vaticinatur, & multa de Christo Deo nostro prædicit. Sed nos totam literam continuata serie de exitio à Babyloniis populo Israelitico illato præcipuè explanabimus, sensum literalem dilucidantes, & abaperto orationis argumento non recedentes.*

CAPVT I.

א *Aleph.* a Quomodo sedet sola ciuitas plena populo? facta est quasi vidua domina gentium: princeps prouinciarum [b] facta est sub tributo.

ב *Beth.* c Plorans plorauit in nocte, [d] & lachrymæ eius in maxillis eius: [e] non est, qui cõsoletur eã ex omnib. charis eius: [f] omnes amici eius spreuerũt eã, & facti sunt ei inimici.

ג *Gimel.* g Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitudinem seruitutis: habitauit inter gentes nec inuenit requiem: [h] omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias.

ד *Daleth.* i Viæ Sion lugent, eo quòd non sint qui veniant ad solẽnitatem: [k] omnes portæ eius destructæ, sacerdotes eius gementes, virgines eius squalidæ: & ipsa oppressa amaritudine.

ה *He.* l Facti sunt hostes eius in capite, [m] inimici eius locupletati sunt, [n] quia dominus locutus est super eam propter iniquitatem eius: [o] paruuli eius ducti sunt in captiuitatem ante faciem tribulantis.

ו *Vau.* p Et egressus est à filia Sion omnis decor eius: [q] facti sunt principes eius veluti arietes non inuenientes pascua: & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis:

ז *Zain.* r Recordata est Ierusalem dierum afflictionis suæ, & præuaricationis: omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat à diebus antiquis, cum caderet populus eius in manu hostili, & non esset auxiliator: [s] viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius.

ח *Cheth.* t Peccatum peccauit Ierusalem, [v] propterea instabilis facta est: [x] omnes qui glorificabant eam, spreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius ipsa autem gemens, & conuersa est retrorsum.

C F

EXPLANATIO.

א *Aleph.* a *Quomodo sedet.*) Vaticinatus fuerat Ieremias multis in locis de Hierosolymæ euersione, & Hebræorũ seruitute priusquã illa euenissent: nunc ea postquam euenerunt, lamẽtatur. Imitatus est Dauidem, qui mi-
2. Reg. 1. serabilem interitum Saulis, & Ionathæ, & Absolonis
2. Reg. 18 defleuit, tristibusq; lamentis prosecutus est. Christus etiam Deus noster videns ingratã ciuitatem, quam sciebat ob Iudæorum flagitia esse delendam, vim lacrymarum profudit, vocésque lamentabiles emisit.
Luc. 19 Versabatur Ieremias in gemitu & lachrymis Iudeæ: ac non solùm audiebat querelas, quod ipsum erat satis miserabile, sed etiam videbat clades & exitia, & euersiones, quod intolerandum putabat. Oculi augebant dolorem, quod quæ alij poterant audire, ipsi cogebãtur intueri: neq; ab illis auertere cogitationem patiebantur. Sed non tam ædificiorum, quàm virtutum deplorabat ruinam. Videbat enim Iudæos propter nefaria celera in miserias illas incidisse. Et quãuis ei grauissimas iniurias intulissent, in eúmq; ventos omnes excitassent, illorum tamen miserebatur: quia plus ponderis apud ipsum habebat charitas quàm contumeliarũ, quibus eũ lacerauerant, memoria. Vult ostendere diuinus vates quanti momẽti futura sit apud nos charitas & pietas: quandoquidem vulnerũ obliti debemus eorum casus & ærumnas dolore, qui in nos iniusti extiterũt. Id docuit Christus seruator noster, cum dixit apud Matth. capite quinto. Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos. Et apud Lucam capite sexto: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est: Et di-

A uus Paulus capite quarto epistolæ ad Ephesios: Estote inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem: sicut Deus in Christo donauit vobis. Ac quia Iudæi fuerunt pietate destituti: immanitatem senserunt Chaldæorum, & qui Deo noluerunt suauiter seruire, in duram Babylonicam seruitutem inciderunt. Ostendit Ieremias in lamentationibus peccati grauitatem, quod tantorum malorum est causa: vt intelligant omnes illud esse summopere fugiendum, & virtutem toto pectore amplexandam. Homo enim per peccatum incurrit in odium Dei, & apertam perniciem. Id intelligens Dauid aiebat psalmo quinto cum Deo loquens: nec habitabit iuxta te malignus, nec permanebunt iniusti ante oculos tuos: odisti omnes, qui operantur iniquitatem. Et Ecclesiasticus capite duodecimo. Altissimus odio habet peccatores. Quod est intelligendum, non quatenus homines sunt, & ipsius Dei creaturæ, sed quatenus flagitiosi & nefarij. Eam ob causam eos punit, & debito supplicio constringit. Ideo Dauid psalmo 31. Multa, inquit, flegella peccatoris. Et psalm. 33. Vultus autem domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Vbi vultus accipitur pro ira.

B Et psalm. 118. Longè à peccatoribus salus. Et 128. Dominus iustus concidet ceruices peccatorum. Et Salomon capite Prouerbiorum quartodecimo: In malitia sua repellitur impius. Et paulò pòst: Miseros autem facit populos peccatum. Esaias postquã primo capite Iudæorum maleficia commemorat, addit: Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ, regionem vestram coram vobis alieni deuorant. Et desolabitur sicut in vastitate hostili: & relinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, & sicut tuguriũ in cucumerario. Vbi per filiã Sion intelligitur Hierosolyma, quòd esset in mte Sione sita. Aspicis nos in calamitates incidere propter peccata nostra. Nec solùm pestilens peccatum diripit externa bona, sed interiora. Id quod Deus ait capite Prouerbiorum octauo: Qui in me peccauerit, lædet animam suam: potest etiam verti: Qui in me peccauerit, spoliabit animam suam. Verbum enim Chamas, quod est in Hebræo, & lædere significat, & spoliare: per crimen enim funestum spoliatur anima boni: gratiæ, & spiritualis vitæ, ruitque in interitum voluntarium. Capite 15. libri Sapientiæ ait ita diuina scriptura: Malorum amatores digni sunt morte. Et sextodeximo: Homo

C per malitiam occidit animam suam. Ieremias capite 31. Vnusquisque, inquit, in peccato suo morietur. Et Ezech. decimooctauo: anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Et quia peccatum ingreditur mors, appellat illud Dauid portam mortis psal. nono, cùm ait: Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Hoc est, vt celebrem laudes tuas in locis publicis Hierosolymæ, quas peccatis constrictus proferre non audebam. Paulus apostolus capite sexto epistolæ ad Romanos: An nescitis, inquit, quoniã cui exhibitis vos ad obedientiam, serui estis eius, cui obeditis, siue peccati ad mortẽ, siue obeditionis ad iustitiam? Et paulò pòst: Stipendia peccati mors. Vt scorpius facie lambit & blanditur, cauda autem pungit & interficit: sic peccatum voluptate allicit & oblectat, sed admissione interitum affert, & statim occidit. Ideo ait Iacobus apostolus capite primo canonicæ suæ: Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit generat mortẽ. Hoc est: cùm concupiscentia voluptatem ad cõsensum vsque perduxerit, parit flagitium, quod cùm est per deliberatam consentionem admissum generat animæ mortem, quam ob rem dicitur mortiferum.

similitudo Quemadmodum Scilla scopulus coopertus fluctibus in mari Siculo attrahit ad se naues, quas statim D absorbet, & demergit: sic pestifera voluptas allicit ad se homines, quibus mortem affert, & æternam perniciem in altero seculo, & in hoc dedecus & ignominiam. Id animo percipiens Ieremias dicebat capite tertio: Dormiemus in confusione nostra, & operit nos ignominia nostra: quoniam domino Deo nostro peccauimus. Hoc idem facit his lamentationibus, quibus Hebræorum potius scelera lamentatur, quàm calamitates, in quibus propter illa versabantur.

ℵ *Aleph.* Hæ lamentationes carminibus Hebraicis cõpositæ quatuor sunt, & quadruplici alphabeto distinctæ: in quarum fine est obsecratio quædam ipsius Ieremiæ. Sunt autem Hebraicæ hac serie scriptæ, vt primus versus incipiat ab Aleph prima litera apud Hebræos, secundus à Beth secunda litera, & ita reliqui seruato literarum alphabeti ordine. Tertio verò capite tres primi versus incipiunt singuli ab Aleph, tres verò sequentes à tribus Beth, seruato ordine ternario vsque ad finem alphabeti. In cuius rei memoriam, quoniam vocabula Latina non E incipiunt ab iisdem literis, ad scripserunt Latini singulis versibus notas, aut nomina literarum Hebraicarum, quemadmodum videre licet in vulgata editione. Hunc ordinem seruat hymnus ille: A solis ortus cardine: cuius prima pars incipit, vt vides, à litera a: secunda à litera b, Beatus author seculi: tertia à litera c, Castæ parentis viscera. Et ita de cæteris ordine literarum continuato Seruatur ad in nonnullis aliis carminibus, vt hoc ordine ornentur, & facilius discantur. Quare ne existimes aliud in his literis contineri mysterium. Eam ob causam hæ lamentationes sunt quatuor, & quadruplici alphabeto distinctæ, quia in illis Ieremias non solùm Iudæorum, sed etiam totius mundi, qui est in quatuor præcipuas partes, diuisus, Ortum & Occasum, Septentrionem & Meridiem, scelera deplorat, & omnes ad deplorandum inuitat. Et quia sunt veluti quatuor lachrymarum flumina illis respondentia, quæ ex horto a-

F mœnissimo egrediuntur: elegit Ieremias hunc numerum quaternarium, quia est omnium primus inter numeros pares. Nam etsi binarius est prior, non tamen est perfectè, quia medium non habet. Quaternarius autem medio munitus magna continet mysteria. Quatuor sunt literæ nominis Dei ineffabilis: quam ob causam Pythagorici per numerum quaternarium iurabant: hoc est, per diuinum illud numen, cuius nomen quatuor literas habebat. Quatuor erant ordines lapidum pretiosorum in rationali summi sacerdotis: vt est capite Exodi 28. memoriæ proditum. Quatuor fuerunt quadrigæ toto orbe *Genes. 2* discurrentes: quarum meminit Zach. capite 6. Quatuor animalia admiranda vidit Ezechiel, vt ipse primo & decimo testatur. Et quatuor Ioannes quarto Apocal. Et quatuor sunt Iesus Christi euangelia, veluti quatuor elementa ecclesiam sustentantia. Quin potius numerus quaternarius virtute decimus est: nam vnum duo tria quatuor efficiunt decem: & in lege decem mandatorum quatuor euangelia continẽtur. Huius diuinæ legis doctrina significatur hac litera ℵ Aleph: nã Hebraicè idẽ est Aleph quod doctrina: & vnaquæq; litera Hebraica propriã habet significationem. Quare si ea recto ordine cõiunxeris, vide bis magnã inde dimanare theologiã. Qua de re vide Hieronymũ in prologo ad Eusebium, & in epistola *Hieron.* ad Paulam Vrbicam, vbi alphabetum Hebraicum mirabiliter explanat. Hac ratione ducti nonnulli interpretes Latini voluerunt accommodare harũ literarũ significationes sensibus versuũ ab illis incipientium: sed frigidè, & per vim meo quidem iudicio ab

an-

A antiquis,& grauibus interpretibus discrepantes, qui nihil huiusmodi scripserunt,& vt mea fert opinio,ne cogitarunt quidem. Nulla est in his literis,quòd attinet ad has lamentationes, maior philosophia, quàm ea,quam paulò antè explicauimus. His ita obseruatis ad literæ explanationem accedamus.

Quomodo sedet sola ciuitas plena populo!) Hæc particula,quomodo, hoc loco non ignorantis nec interrogantis est, sed admirantis & dolentis. Tota hæc oratio plena est admiratione,stupore, dolore, & affectu. Ieremias vrbem deletam & relictam, alta mœnia cum solo adæquata,templum Salomonium euersum, direptioni cõmissum,& prophanis impiorum hominum pedibus conculcatum. Sacerdotes erant abducti captiui; senes crudeliter vexati, pueri passim interfecti,virgines contumeliis acerbissimis affectę, & per vias lamentabilis Hierosolymæ flumina sanguinis effluebant. Quæ omnia pius ac diuinus noster
B vates admiratus & quasi stupidus, atque angore oppressus lamentatur. Ea enim vrbs quæ antea populi celebritate,nominis amplitudine, ædificiorum magnificentiam, omni diuitiarum genere floruerat, & variis gentibus ac prouinciis imperauerat, tunc sola erat, & ciuibus orbata, abiecta, euersa direptioni commissa, & intolerandis tributis vexata. Verbum, sedere,accipitur aliquando pro docere: vt psal.1. Et in cathedra pestilentiæ sedit. Hoc est,non se pestilentem doctorem exhibuit. Vel nomine sedendi significatur ibi amicitia & familiaritas: monet enim psalmographus consuetudines hominum impiorum esse penitus declinandas. Ita accipitur psalm.25. vbi Dauid: Non sedi,inquit,cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui ecclesiam malignantium,& cum impiis non sedebo. Et Ierem. cap.15. Non sedi in concilio ludentium. Significat etiam aliquando manere: vt Numer.20. Mansit populus in Cades: vbi pro mansit est in Hebræo idem verbum,pro quo nos hîc habemus sedet. Quare poterat verti locus hic: Quomodo manet sola ciuitas plena populo! Præterea nomine sessionis significatur abiectio & nomina: vt capite 47. Esai. Sede in puluere virgo filia Babylon. Vbi filia Babylon idem est quod
C congregatio Babylonis: quam vocat virginem,quòd nondum fuisset expugnata: cuius dedecus & calamitatem prædicit. Ac in hanc significationem existimo accipi verbum sedere hoc Ieremiæ loco, ac si dicat: Quomodo iacet abiecta priuata habitatoribus suis vrbs illa, quæ fuit quondam plena ciuium multitudine, hominúmque frequentia & varietate. De illa dixerat Esai.cap.22. Clamoris plena, vrbs frequens, ciuitas exultans. Eam vocat clamoris plenam,hoc est populo affluentem, et eam ob causam vocibus et strepitibus abundantem. Sed vaticinans de illius vastitate ca.1. Relinquetur,inquit, filia Sion vt vmbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario. Et post bellum Babylonicum Baruch ca.4. eam inducit ita loquentem: Ego enim derelicta sum sola. Et Ieremias hoc loco: Quomodo sedet sola, hoc est deserta,& incolis destituta. Pagninus transfert: Quomodo sedit,de præterito, Sed quando diuina scriptura recolit præterita, etiam tempus præsens comprehendit aliquando: vt cap. 1. epistolæ ad Romanos. Tradidit eos Deus in reprobum sensum. Nunc etiã eos tradit,qui huiusmodi sunt. Et psal.1. Beatus vir qui non abiit in consilium impiorum. Nec nunc etiam abit. Eodem modo hoc loco: Quomodo sedit sola ciuitas: et nunc etiam sedet. Hæc ex Ambrosio in commentariis in ca.1. epist. ad Romanos.

Genes. 2

Hieron.

b *Facta est quasi vidua domina gentium.*) Hoc est, ea quæ in nationibus dominari, et in gentes imperium tenere solebat, modò mœsta & sola facta est velut vidua, populo quasi viro orbata, regni ac sacerdotij D dignitate priuata, & omni consolatione destituta. Dauid & Salomon varias gentes externas subegerũt. Cap.8.lib.2. Reg. scriptum est Dauidem reportasse victoriam de Syris & Idumæis: & ca.10. de Ammonitis: qui omnes ei seruiebant. Cap. autem nono lib.3. Reg. proditum est memoriæ, Amorrhæos, Hethæos, Pherezæos, Heuæos & Iebusæos fuisse Salomoni tributarios. Itaque Hierosolyma quæ fuerat princeps prouinciarum victarum, facta est sub tributo, Babyloniis vectigalis, & in eorum ditionem redacta. Sed quemadmodum Ieremias deplorauit Hierosolymam: sic nos, imò multò magis lamentemur animam, quæ cùm olim fuisset virtutibus plena, & imperasset diuersis affectibus & cupiditatibus, facta est à Babyloniis, hoc est, à dæmone, mundo & carne oppugnata & victa: ac libidinum flammis succensa, angelorum solatio destituta, & in dedecore & ignominia versata, tot seruit dominis, quot vitiis. Vt enim vir iustus, Christiana pietate & religione insignis etiamsi seruus sit hominum, liber tamen in animo est: sic homo sceleribus contaminatus tametsi regnet, seruus tamen est, non vnius hominis, sed tot dominorum, quot sunt flagitia, quibus est deditus. Iniquitates suę inquit, E cap.5. Prouerbiorum Salomon, capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. Et Ieremias noster in hac lamentatione paulò pòst: Vigilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius: conuolutę sunt et impositę collo meo. Et Dauid Psalm. 10. Pluet super peccatores laqueos. Ad huiusmodi animam illud potest accommodari, quod est apud Esaiam 49. Ego sterilis, et non pariens transmigrata et captiua. Id docet Christus Deus noster apud Ioan.8. Nam dicentibus Iudęis se liberos esse: Amen amen, inquit, dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Et Diuus Paulus ad Rom. 6. Cui exhibetis vos seruos ad abediendum, serui estis eius, cui abeditis: siue peccati ad mortem, siue deditionis ad iustitiam. Et Diuus Petr. 2. epist. sue secundę: A quo quis superatus est, huius seruus est: hoc volunt diuina scriptura significare cap.47. Geneseos, cùm dixit omnes Aegyptios venditos fuisse Pharaoni cuius serui facti sunt. Homines enim mundo dediti, se Pharaoni, hoc est, dęmoni subiiciunt, in cuius ditionem rediguntur. Ita locum illum Origenes interpretatur. Seruitus spiritualis est abiectior corporali deterior, ignobilior, et grauior: nam corporalis aliquando sine culpa inducitur eius, qui in eam conijcitur. Quod enim flagitium admiserat Ioseph. Daniel, ca.1. Ezechiel, c.1. et multi alij viri omni sapientia et virtute prestantes, qui captiui exiterunt? At seruitus peccati semper culpa nostra contrahitur. Insuper seruitus humana morte tandem finitur: seruitus autem peccati perpetuò durat, cùm impij ad ignes inferorum ęternos relegantur. Demum in corporis seruitutem incurrunt homines per vim, in animi autem seruitutem: sponte: vna est violenta, altera voluntaria. Aspicis igitur impios omnes seruos esse. Qui fieri potest, vt liber sit, qui non imperat cupiditatibus? Quicunque non refrenat libidines, non spernit voluptates, non tenet iracundiam, non coercet auaritiam, non repellit cæteras animi labes, quamuis hominibus imperet, seruus tamen est, quandoquidem flagitiis dominis improbissimis paret. An illi liber, cui cupiditas imperat, cui leges imponit, qui nihil ei recusare audet, nihil negare? Ego huiusmodi hominem non modò seruum, sed abiectissimũ seruum, etiamsi summo genere natus sit, appellandũ puto. Quare nos hãc animi seruitutem deploremus: & iuxta flumina Babylonis sedentes, ac veram spiritus libertatem in memoriam reuocantes vim lachrymarum fundamus.

Psal.136

A c *Plorans plorauit.*) Subauditur Hierosolyma. Hæc
ב verborum geminatio phrasis est in diuinis literis vsi-
Beth. tatissima: vt psal. 39. Expectans dominum. Et psal. 131. Viduam eius benedicens benedicam. Et cap. 6. epistolæ ad Hebræos: Benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et idem Ieremias c. 13. Plorãs plorabit, & deducet oculus meus lachrymã. Fortasse horum verborum geminatione voluit Ieremias significare lachrymarum abundantiam. Vel ponitur his verbum plorare ad externas & interiores lachrymas significandas. Non solùm corde plorabat
Psal. 6. Dauid, sed externis lachrymis respersus has voces emittebat: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Non gemmis & margaritis, sed lachrymis lectum suum adulterij fœditate commaculatum rigabat, vt earum assiduitate maculas sceleris commissis deleret. Tribuit vrbi fletus & eiulatus, qui hominibus tribuuntur. Figura est prosopopœia, quando rebus inanimatis & mutis ea, quæ sunt animatorum & loquentium, tribuimus: vt ait hoc loco Theod. Ita psalm. 18. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentũ. Et c. 49. Esai. Dixit Sion: reliquit me dominus & dominus oblitus est mei. Vel per ciuitatem eos intelligit Ieremias, qui in illa manebant:
B vt sit figura metonymia: quemadmodum c. 23. Esaiæ: Vlulate naues Carthaginis. Et Lucæ 13. Hierusalem Hierusalẽ quæ occidis prophetas: Hoc est, ô habitatores Hierosolymæ diuinorum vatum interfectores.

In nocte.) Quia propter hostium timorem non audebat plorare die. Vel ideò ait Ieremias Iudæos illos plorare nocte, vt ostenderet, tempus illud quod alij solent tribuere somno & quieti, eos in vigiliis & lachrymis consumere. Idem faciebat Dauid, cùm psalm. 6. dicebat: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Quibus verbis significat acerbissimum animi cruciatum & dolorem, quo ob legem Dei à se violatam, & memoriam sceleris commissi angebatur. Nox in diuinis literis accipitur pro culpa: vt Sapientiæ decimoseptimo: Vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti. Et capite vndecimo euangelij authore Ioanne: Siquis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: si autem ambulauerit in nocte, offendit. Hoc est, qui iustè & piè vixerit, non offendet, qui autem iniustè & impiè, offendet. Vbi dies pro virtute accipitur & gratia: nox verò pro culpa & impietate. Vnde Salomon Prouerbiorum capite quarto: Via impiorum tenebrosa. Et Dauid psalmo trigesimoquarto: Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum. Accipitur etiam pro ignorantia: vt capite tertio Michææ: Nox vobis pro visione erit. Hoc est, loco luminis vaticinationis eritis ignorantia cooperti. Accipitur pro vmbra legis Mosaicæ: vt capite tertiodecimo epistolæ ad Romanos: Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Vbi per diem claritas euangelij significatur, quemadmodum per noctem vmbra legis: quæ hyems & imber appellatur capite secundo Canticorum: Iam hyems transiit, imber abiit & recessit: flores apparuerunt in terra nostra: tempus putationis aduenit. Acsi dicat sponsus: Iam discussæ sunt & euanuerunt legis veteris figuræ, quia aduenit substantia: iam apparuerunt flores euangelij, iam venit tempus, in quo excisa & amputata sunt legis Mosaicæ sacrificia. Præterea accipitur nox pro calamitate: vt capite Iob 34. Inducet noctẽ, & conterentur. Id est, affliget eos Deus calamitate, & dissipabuntur. Et psalmo sextodecimo: Probasti cor meum, & visitasti nocte. Hoc est, animum meũ Domine sæpe rebus aduersis explorasti, & acerbissimis ærumnarum tenebris circumfudisti. Et psal. 118. Memor fui nocte nominis tui Domine. Et Ieremias c. 14. Deducant oculi mei lachrymas per noctem. Ac in hanc significationem accipit noctem hoc loco, cũ ait: Plorans plorauit in nocte. Acsi dicat: summis calamitatibus oppressa vim lachrymarum profudit.

d *Lachrymæ eius in maxillis eius.*) Id est, erant eius genæ continuis lachrymis respersæ: quia non erat, qui abstergeret illas. Significat diuturnum ac perenẽ fletum: qui si est ob memoriam flagitiorum, & ob alias pias causas, magnam affert vtilitatem. Nam vt ait Dauid psal. 125. Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Et Christus Deus *similitudo*
noster apud Matthæum 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Quemadmodum numus in fundo vasis ad certum quoddam loci interuallũ constitutus, non videtur sine aqua: at si vas impleatur illa, statim videtur: sic diuinam consolationem quam ob siccitatem nostram non aspicimus, in piarum lachrymarum affluentia intuemur. Plorabitis & flebitis, ait Christus dominus apud Ioannem capite 16. *similitudo*
sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Vt cùm domus aliqua incendio comburitur, confluunt multi E
ad aquam ad ignem restinguendũ: sic nos cum viderimus animam flamma vitiorũ flagrare, debemus ad lachrymarum aquam confugere, vt flagitiorum ardorem restinguamus. Hæ sunt piæ lachrymæ Petri postquam Christum negauit. His lachrymis doloris & amoris Maria Magdalena pedes Domini rigauit, *Mat. 26.*
Accessit fluuius lachrymarum ad fontem misericor- *Luc. 7.*
diæ. Vt elephas mirũ in modum diligit aquas fluuio- *similitudo*
rum, quibus se mergit, & abluit: ita nos sumus aquas lachrymarum dilecturi, quibus demersi scelera nostra abluamus. Si deploramus corpora mortua, à quibus anima separatur, quantò magis debemus deplorare animas mortuas, à quibus diuina gratia seiungitur? Sed non solùm propter peccata, sed propter aliorum ærumnas, & exilij nostri dilationem, & cœlestis patriæ desiderium conficiamur lachrymis igne *similitudo*
charitatis incensi. Quemadmodũ olla feruens magno flammarum impetu concitata solet liquorem extollere, & effundere super se: ita animus igne charitatis inflammatus, ascendit sursum feruentes lachrymas emittens, effundens se super se. Ad hoc hortatur Dauid, cum ait psal. 61. Effundite coram illo corda vestra. Et exemplo sui dicens psalm. 41. Effundi in me animam meam. Demus operam, vt nubes piorũ mœrorum conuertatur in pluuiam dulcium lachrymarum, & cælum animi nostri remaneat purum atque F
serenum. Ploremus coram Domino, vt verbis vtar *Psal. 94.*
Dauidis: illud ad memoriam reducentes quod ait in *Apoc. 21.*
Apocalypsi capite septimo diuus Ioannes: Abstergeret Deus omnem lachrymam ab oculis eorũ: vt hac spe ducti imitemur hac re mœstam ciuitatem, cuius maxillæ erant, vt hoc in loco Ieremias ait, lachrymis respersæ. Diuus Hieronymus in huius loci commẽtariis, & diuus Gregorius 13. Moralium per maxillas intelligunt concionatores euangelicos, quibus non debent lachrymæ deesse, qui vitam impiorum concionibus suis confringunt. Sed hoc est in sensu morali. Nos autem sensum literalem prosequentes per maxillas genas intelligimus.

e *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius.*) Hoc profectò est intolerandum supplicij genus in calamitate carere consolatore. Id euenit Hierosolymæ, quam Aegyptij, & Syri, & alij, cum quibus illa fuerat coniuncta, & amicitia copulata, in ærumnis suis deseruerunt, & amorem in odium commutarunt. Ei dixit Deus apud Ezechielem capite 23. Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te.

Cu-

A Cumulus augetur doloris, cùm eos quos amore prosequebatur, videmus à nobis alienatos in ærumnis nostris, illisque gaudere, & nobis insultare. Cap. 19. ait Iob: Noti mei quasi alieni recesserunt à me: dereliquerunt me propinqui mei: & qui me nouerũt, mei obliti sunt. Et Dauid psalmo 68. Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni. Et Ecclesiastes capite 4. Vidi calumnias, quæ sub sole geruntur: & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem. Id quod hoc loco ait Ieremias, re ipsa intelligitur de euersione Hierosolymæ per Babylonios, sed multò rectiùs de re eius euersione per Romanos tempore Titi Vespasiani. Nam in priore calamitate etiamsi Iudæi fuerunt è gentibus derelicti, habuerunt tamen Ezechielem, & Danielem, & Ieremiam, & alios diuinos vates sanctitate & sapientia præstantes, qui eos docebant, & cõsolabantur. At in secunda fuerunt omni solatio destituti: & in summam miseriam inciderunt, cùm Christus Dominus eos reliquit. Id quod ille his verbis prædixerat apud Oseam 9. Væ eis cùm recessero ab illis. Sed quia pro recedere est in Hebraico verbum Basar, quod significat carnem sumere: potest verti locus ille: Væ eis cùm incarnauero in illis. Loquitur de perfidis & obstinatis Iudæis, qui Christum ipsum recipere noluerunt: non de illis, qui sanctum eius euangelium seruarunt. Ait enim Esaias 8. capite. Erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis & petram scandali duabus domibus Israel. Ac si dicat: Cùm Dominus Iesus Christus veneB rit, saluos faciet eos, qui eum receperint, eos autem damnabit, qui in perfidia permanserint. Huic versioni fauet trãslatio Septuaginta, quæ habet: Væ eis, caro mea ex illis. Cùm enim Dominum Iesum innocẽtẽ agnum ad cædem crudelissimam vocarẽt, & in obstinatione sua persisterent, fuerunt à Romanis afflicti: partim interfecti, partim in summam miseriam traducti. Ac tunc nullum habuerunt consolatorem.

f *Omnes amici eius.*) Id est, omnes, qui eam amicitia comprehendere videbantur. Aliis verbis extremã calamitatem significantibus exaggerat id, quod proximè dixerat.

g *Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitudinem seruitutis.*) Hoc est, populus Iudæorum expulsus patria iuit in acerbum exilium, & sedem rerum suarum in Chaldæa collocauit, oppressus afflictione, & magnitudine Babylonicæ seruitutis: & ibi nullam inuenit quietem, nullam tranquillitatem: Aequum est, vt qui suaue iugum domini despiciunt, aspero seruitutis Babylonicæ premantur. Vel sic.

C Ideò Iudaicus populus migrauit, & tali supplicio affectus est, quia multos afflixerat: & seruos crudeliter & acerbè tractauerat. Id explicat Chaldaica paraphrasis sic habens: Abiit Iuda in captiuitatem, eo quòd ipsa afflixit pupillos & viduas: & durè tractauit seruos Hebræos. Potest hæc oratio explanari non de Iudæis, qui abducti sunt Babylonem: sed de his, qui post euersionem Hierosolymæ fugerunt ad Aegyptios propter acerbam afflictionem & duram seruitutem, qua à Babyloniis in Iudæa premebantur. Sed in Aegypto nullum refugium inuenerunt. Lege cap. 41. & 43. & 44. Ieremiæ, & vltimum libri quarti Regum, si volueris intelligere.

h *Omnes persecutores eius.*) Hoc est, omnes Babylonij qui Iudæorum familiam affligebant, apprehenderunt eam inter calamitates Hierosolymæ. Vel inter vias angustas, quibus fugere conabantur.

Daleth. i *Viæ Sion lugent, eo quòd non sint, qui veniant ad solennitatem.*) Sensus est: Vię ducentes ad templum, in quo fiebant sacrificia, & in diebus festis solennia instituta celebrari solebant, vsque adeo lugubres existunt, vt plorare videantur. Nam cùm templum D sit euersum & flammis commissum, nemo venit ad solennia celebranda. Ex quo effectum est, vt viæ quibus olim multi ad illud confluebant, sint solæ & desertæ. Vias ait lugere ob ingentem mœstitiam & solitudinem, quemadmodum cùm dicimus prata ridere ob amœnam viriditatem, quia spectantium oculos oblectant, appellantur autem viæ templi viæ Sion, quia templum illud Salomonium fuit in monte Sione situm. Quidam vertunt: Viæ Sion herbescunt. Quia nemo per eas transibat. Tria erant solennia, quibus Iudæi ad templum ire cogebantur: Pascha, Pentecostes, & scenophegiæ vt videre licet capite vigesimotertio Exod. Accipiuntur etiam solennitates pro sacrificiis capite Malachiæ 2. Via accipitur pro opere & negotio: vt cap. 1. Aggæi: Ponite corda vestra super vias vestras. Hoc est diligenter perpendite opera vestra: considerate negotia, in quæ incumbitis. Accipitur pro lege: vt psalmo vigesimoquarto: Vias tuas domine demonstra mihi. Hoc est, doce me leges tuas, ostende mihi rationem viuendi, quam præscribis. Accipitur pro more, regula, & doctrina: vt ca. 4. prioris ad Corinthios: Misi ad vos Timotheum, qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Iesu. Id est, quæ sunt iuxta Iesu Christi euãgelium. Via pacis est fides, quæ, vt verbis vtar apostoli, per charitatem operatur: quam impij non E habent, ne cognoscunt quidem. De illis ait psalmographus: Viam pacis non cognouerunt. Hoc autem Ieremiæ loco per vias significantur itinera terrestria, quæ dicuntur lugere, quemadmodum de Iudæa ait Ieremias cap. 12. Vsque quo lugebit terra? Et quartodecimo: Lugebit Iudæa, & portæ eius corruerunt. Et Esaias trigesimotertio. Luxit & elanguit terra. Et Oseas quarto: Lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea. Tunc dicitur terra lugere, cum destituta cultoribus suis tristem vastitatem ostendit, & in miserandam solitudinem redigitur.

k *Omnes portæ eius destructæ.*) Omnes portæ Hierosolymæ fractæ sunt & euersæ. Sed quoniam in portis solebant quondam exerceri iudicia, fortasse per portas hoc loco iudicia intelliguntur. Ac si dicat: Desiit Hierosolyma esse ciuitas, nam leges in ea nihil valent, iudicia iacent, mos patrius interiit. Id voluit significare Esaias capite tertio cùm dixit: Mœrebunt atque lugebunt portæ eius. Et Ieremias decimoquarto: Portæ eius corruerunt. Significari autem iudicia publica nomine portarũ indicat Dauid psal. 68. cùm ait: Auersum me loquebantur, qui sedebant in portis: Id est, qui iudicia exercebant. Et psal. 126. Non confundetur, cùm loquetur inimicis F suis in porta. Id est, non amittet litem, nõ cadet causa, cùm contenderit cum aduersario suo in iudicio. Eam ob causam porta accipitur pro quocunque loco publico: vt capite decimonono libri secundi Regum: surrexit rex, & sedit in porta: vt scilicet ab omnibus videretur. Et 5. Amos: Odio habuerunt corripientem in porta, accipitur autem porta pro ipsa ciuitate. Nam c. Genesis 22. vbi nos habemus: Hęreditabit semen tuum portas inimicorum tuorum: pro portis habent Septuaginta, ciuitates.

He. l *Facti sunt hostes eius in capite.*) Hoc est, in fastigio, ac nobiliore loco: Ac si dicat: inimici eius dominati sunt, & rerum omnium potiti. Hoc schemate vtuntur Hebræi, cùm volunt significare aliquem esse superiorem & principatum tenere: vt constat ex capite 28. Deuteronomij, vbi Moses dixit populo, si Dei legem seruaret: Constituet te dominus Deus tuus in caput, & non in caudam: & eris semper suprà, & non subter. Et paulò pòst: si Dei legem violaret: Ipse aduena erit in caput, & tu in caudã. Ac si diceret: Ipse

A tenebit primas, tu autem eris infimus: ipſe dominabitur, tu parebis. Caput enim accipitur pro dominatu. Ideo dicebat Dauid pſalmo quinquageſimonono. Ephrain fortitudo capitis mei. Ac ſi diceret: Tribus Ephrain eſt robur & firmamentum regni ac principatus mei. Et Oſeas primo: Ponent ſibi caput vnum. Vnde ponere aliquem ſuper caput alterius eſt illum ſuperiorem conſtituere, & victorem declarare: vt Pſal. 65. Poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Caput etiam accipitur pro principio: vt pſal. trigeſimonono. In cap. libri ſcriptũ eſt de me. Et quia in tẽtio eſt principium operis, per caput hoc Ieremiæ loco poteris intelligere propoſitum ſeu intentionem. Tunc hoſtes ſunt in capite, cum dæmones intentionem corrumpunt. Corrupta autem intentione, totum opus dicitur deprauatum, quamuis ſuapte natura videretur bonum. Vnde Auguſtinus explanans locum illum Matt. 6. Si lumen quod in te eſt: Quod, inquit, non bona intentione fit, non tibi proderit. Et Gregorius lib. 1. dialogorum: Intentio peruerſa ſi fuerit, prauum eſt omne quod ſequitur, licut rectum videatur. Et in Moralibus: Summa cura vigilandum eſt, ne

B vel bonis operibus ſeruiens mens reproba intentione polluatur. Et Bernadus de præcepto & diſpenſatione: Bonum condemnat intentio praua. Quemadmodum ex lutulento & perturbato puteo quicquid exit, turbulentum & impurum eſt: ſic ex deprauato animo quid poteſt exire niſi deprauatum? Quemadmodum qui mœnia Hieroſolymæ conſtruebant, vna manu faciebant opus, altera tenebant gladium, vt capite quarto Nehemiæ ſcriptum legimus, ita nos in virtutum actiones debemus incumbere, ſed gladium habere ad malas cogitationes & intentiones reſecandas, & penitus excidendas: eaſque non admittere,

Gene. 15. ſed longè expellere, inſtar Abrahami, qui volucres ſuper victimam deſcendentes abigebat.

similitudo

m *Inimici eius locupletati ſunt.* Hoc eſt Babylonij ſe ſpoliis Hieroſolimæ repleuerunt. Pagninus vertit: Inimici eius proſperati ſunt.

n *Quia dominus locutus eſt ſuper eam.* Id eſt, quia Deus ſententia ſua decreuit venturas eſſe has calamitates in ingratam ciuitatem: Loqui Deum eſt illum aliquid decernere: vt Pſal. 59. Deus locutus eſt in ſancto ſuo: lætabor, & partibor Sichimam, & conuallem tabernaculorũ metibor. Id eſt, Deus decreuit in cælo fore, vt ego lætarer, & diuiderem Sichimam, eſſémque totius terrę ſanctæ dominus. Partiri ac metiri terrã verba ſunt, quæ apud Hebrœos verã poſſeſſionem oſtendunt. Hoc dicit, quia tunc loca illa non

C erant ei ſubiecta. Vel in ſancto ſuo, hoc eſt, per ſanctum ſuum. Ac ſi dicat: dixit Deus per Samuelẽ ſanctum ſuum vatem. Nam particula in, accipitur ſæpe pro per: vt capite primo epiſtolæ ad Hebræos: Multifariam multíſque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio. Id eſt, per prophetas, & per filium: Quare locus hic Ieremiæ poteſt ita explanari. Quia Deus per diuinos ſuos vates dixit fore, vt Hieroſolyma in has ærumnas incideret. Vel locutus eſt Babyloniis in eorum corde, quibus dixit, vt Hieroſolymam ob eius crimina euerterent & vaſtarent. Vel locutus eſt ſuper eam, hoc eſt, contra eam: vt ſit ſenſus: afflixit illã. Ita ipſe dominus apud Ieremiam decimooctauo: Loquar, inquit, aduerſus gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem, deſtruam, & perdam illud. Septuaginta habent: Quia dominus humiliauit eam. Eodem ferè modo Pagnignus: Quia dominus dolore affecit eam.

o *Paruuli eius ducti ſunt in captiuitatem.* Exaggerat Babyloniorum immanitatem, qui non ſolum viros, ſed etiam pueros ſecum captiuos duxerunt. Meta- D phora eſt à matre deſumpta filios teneræ ætatis nutriente, quos erhoſtes eripit, & in vincula coniicit. Vel per paruulos intelligit ſtultos, qui ob ſcientiæ inopiam fuerunt capti, & in exilium miſſi, iuxta id quod prædixerat Deus apud Eſai. 6. Præterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam.

p *Et egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius.* Id eſt, *Vau.* perit omnis Hieroſolymæ pulchritudo: cum euerſa fuit, ſpeciem amiſit & dignitatem. Filiam Sion vocat Hieroſolymam, quòd eſſet ſita in monte Sione. Filia in diuinis literis idem eſt aliquando quod congregatio: vt Sophoniam tertio: Lauda filia Sion. Et apud Zachariam nono: Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Ieruſalem. Et hoc Ieremiæ loco: vbi filia Sion dicitur egregiam ſpeciem amiſiſſe: quem poſtea recuperauit. Eodem modo animæ noſtræ accidit aliquando. *similitudo* Nam vt nonnullæ pedibus conculcatæ abiiciunt ſe, ſuámque amittunt pulchritudinem: ſed veniente rore cęleſti eriguntur, & ad amiſſam antiquámque formam reuocantur: ſic anima conculcata peccatis, manet abiecta, & fœditate maculata, iuxta id quod hoc loco ait Ieremias: Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius: ſed rore diuinæ gratiæ effertur in ſublime, & ad priſtinam reuertitur pulchritudinem. Ac tunc ei E illud accommodatur cap. Canticorum 7. Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima.

q *Facti ſunt principes eius velut arietes non inuenientes paſcua.* Hoc eſt, magnates Hieroſolymæ, & qui eius gubernaculum tractabant, effecti ſunt inſipientes, timidi, ſtupidi, & fragiles: & abierunt imbecilli coram hoſtibus, omni fortitudine deſtituti. Non ſolùm abiecti homines & filij terræ, ſed etiam nobiles & principes animo ceciderunt. Fortaſſe comparat magnates arietibus non inuenientibus paſtum propter famem ciuitatis tempore obſidionis: de qua loquitur Eſaias cap. 5. & Ieremias 34.

r *Recordata eſt Ieruſalem dierum afflictionis ſuæ, & prauaricationis.)* Id eſt, reduxit Hieroſolyma in memoriam dies calamitatis, & impietatis ſuæ. Cùm memoria erumnarum coniungit memoriam flagitiorũ, propter quæ in ęrũnis verſabatur. Hanc ſecum affert vtilitatem calamitas, nimirum cognitionem peccati. Filij Iacob qui Ioſeph fratrem ſuum impiè vendiderant, poſtea dolore oppreſſi in Ægypto has voces emiſerunt: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum. Poteſt verti hæc oratio. Recordata eſt Ieruſalem in diebus afflictionis ſuæ prævaricationis, &c. Sed quoniam ſequitur: omnium deſyderabilium ſuorum, quæ habuerat à diebus antiquis: poteſt verti: Ieruſalem in diebus afflictiones ſuæ, & prævaricationis Babyloniorum recordata eſt omnium ſuo F rum deſiderabilium. Vt enim eſſet acerbior Hieroſolymæ calamitas, recordabatur deſyderabilium ſuorum, hoc eſt voluptatum, deliciarum, opum, quietis, regni victoriarum, epularum, gaudiorum & proſperitatum, quibus quondam affecta fuerat. Sæpe in tantam incidimus calamitatem, vt magis nos affligat memoria oblectationum præteritarum, quàm præſens mœſtitia. Illud Michææ primo: Quia infirmata eſt in bonum, quæ habitat in amaritudinibus: poteſt etiam verti ex Hebræo: Quia doluit propter bonum: ſubaudi, amiſſum. Ac ſi dicat: Quæ in gemitu & calamitate verſabatur, magis dolebat gaudium, quod quondam habuerat, quàm dolorem, quem tunc habebat. Itaque præſentes dolores & præterita gaudia venerunt Hieroſolymæ in mentem: cùm populus eius incideret in hoſtium poteſtatem omnia auxilio deſtitutus. Tunc poterat illud dicere Pſalmographi: Tribu- *Pſal.* latio proxima eſt, non eſt, qui adiuuet.

Zain.

s *Viderunt*

A s *Viderũt eam hostes, & deriserũt sabbata eius.*) Viderunt Babylonij afflictam Hierosolymam, & festa eius eluserũt. Eodem modo dæmones dies nostros festos irrident, quando illos in ludis prohibitis, & in prophanis festiuitatibus consumimus. Vt spicæ frumenti grana continent, & aristas: sic dies festi gaudium habent interitus instar granorum, spiritualis ac solidę letitię, & aristas externç oblectationis. At nos cõstituimus solennia in iucunditatibus externis, cum ea deberemus in interioribus constituere. Arripimus corticem, relinquimus nucleum. Quare danda opera est, vt dies festos nostros piè & cum interiore gaudio celebremus, animos ad Deum leuemus, ad cuius gloriam ipsas externas festiuitates referamus. Pium est, & necessarium festos ab ecclesia catholica constitutos obseruare, Deo cultum exhibere, & Christianam religionem custodire: sed declinandæ sunt in illis obscœnę voluptates, impij ludi, & cętera flagitia: ne dicat nobis Deus id, quod dixit Iudæis per Esaiam primo: Neomenium & sabbatum, & festiuitates alias, non feram: iniqui sunt cœtus vestri: calendas vestras & solennitates vestras odiuit anima mea. Et per Amos quinto: Odi, & proiecit festiuitates vestras: & non capiam odorem cętuum vestrorum. Cæterùm B hoc Ieremiæ loco nomine sabbati nõ solùm dies festos, sed totam religionem intelligimus: & quicquid ad diuinum pertinet cultum: tametsi proprius per sabbatum dies septimus in vetere significabatur. Tũc hostes festas nostra irrident, cùm vitam nostram aspiciunt otiosam, & in vitiis occupatam.

similitudo

ת Che. t *Peccatum peccauit Ierusalem.*) Incidit Hierosolyma in peccata Quidam per peccatum hoc loco intelligunt infidelitatem. Alij per hanc verborum gemi nationem intelligunt peccatorum multitudinem & continuationem. Illud est perspicuum ex lectione librorum regum, & prophetarum multos ex Hebræis amisisse fidem, & pro vero Deo gentium idola coluisse. Cùm autem fides sit radix plantæ spiritualis nullam de se præbebant spem fructus. Vt enim auulsa arboris radice aufertur spes fructus: sic auulsa fide ruit virtutum fundamentum, quibus homines grati sunt Deo: nã authore diuo Paulo ca. 11. ad Hebræos: sine fide impossibile est placere Deo. Sumi autem peccatũ pro infidelitate, indicat Christus apud Ioannem 16. cum ait Spiritus sanctus arguet mundum de peccato: quia non crediderunt in me.

similitudo

v *Propterea instabilis facta est.*) Id est, eam ob causã non stetit in terra sua, sed ex ea in Caldæam migrauit. C Ostendit peccatum fuisse causam exilij ac miserię Hierosolymę. Cap. Prouerb. 14. ait sapiens: Miseros facit populos peccatum. Ridebant Babylonij diuinum cultum Iudęorum, dicentes non potuisse Deum illos seruare: sed hoc diluit diuinus vates dicens. Iudęorum euersionem & exilium non euenisse ob Dei ipsorum impotentiam, sed ob ipsorum peccata, præsertim ob infidelitatem.

x *Omnes qui glorificabant*) Quicunque eam antea in prosperitate laudibus efferebant, & honoribus ornabant postea in ęrũnis versatam illam penitus contemserunt. Qui eam tuebantur obsequio in rebus secundis & ad voluntatem fluentibus, postea illis reflantibus eam deseruerunt, & pro nihilo putarunt. Vt cicadę in æstate apparent, & continuò canunt, hyeme autem perpetuò silent, imò non videntur: ita multi in prosperitate nos sequuntur, & laudibus efferunt, qui in rerum aduersarum ictibus et calamitatum procellis obmutescunt, nósque derelinquunt, quos amore prosequi videbantur. Id intelligens Salomon dicebat capite Prouerbiorum quartodecimo: Diuitię addunt amicos: pauper verò etiam ab amicis deseritur. Et decimonono: Fratres hominis pauperis odorunt eũ, insuper & amici procul recesserunt ab eo. Et Eccl. 6. D Est amicus secundùm tempus: & non permanebit in die tribulationis. De illo autem qui verus est amicus ait eodem capite: Amicus fidelis protectio fortis: qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum.

similitudo

Ipsa autem gemens, & conuersa est retrorsum.) Id est, quin ipsa ingemuit dolore pressa, & deiecta est retro. Fortasse particula, &, accipitur pro quia: vt sit sensus: Ipsa autem gemuit, quia se vidit contemptam, ac si esset proiecta retrorsum. Accipi autem et, pro quia indicat locus ille Esaiæ capite 64. Tu iratus fuisti, et nos peccauimus. Ita accipitur capite primo Lucæ: Benedicta tu inter mulieres, et Benedictus fructus ventris tui. Et secundo: Gloria in altissimis Deo, et terra pax hominibus. Capite quartodecimo Geneseos, vbi nos habemus: Melchisedec rex Salem proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi. Pro enim est in Hebræo et, et ita transfert Onchelus paraphrastes Chaldæus. Sed quoniam et accipitur pro quia, et enim rectè vertit Latinus noster interpres: Erat enim: Ac si diceret: Ratio cur offerebat Deo panem et vinum, est, quia eius erat sacerdos.

E

ט Theth. a *Sordes eius in pedibus eius,* b *nec recordata est finis sui:* c *deposita est vehemẽter, non habens consolatorem. Vide domine afflictionem meam,* d *quoniam erectus est inimicus.*

י Iod. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius: quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperat, ne intrarent in ecclesiam tuam.*

כ Caph. e *Omnis populus eius gemens, & quærens panem: dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam:* f *vide domine, & considera, quoniam facta sum vilis.*

ל Lamed. g *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus:* h *quoniam vindemiauit me,* i *vilocutus est dominus in die iræ furoris sui.*

מ Mem. k *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me:* l *expandit rete pedibus meis, conuertit me trorsum:* m *posuit me desolatam tota die mœrore confectam.*

נ Nun. n *Vigilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius,* o *conuolutæ sunt, & impositæ collo meo: infirmata est virtus mea:* q *dedit me dominus in manum, de qua non potero surgere.*

ס Samech. *Abstulit omnes magnificos meos dominus de medio mei vocauit aduersum me tempus vt contereret electos meos, torcular calcauit dominus virgini filiæ Iudæ.*

ע Theth. a *Sordes eius in pedibus eius.*) Describit Hierosolymam viduam pedibus nudam, et eam ob causam cõtaminatam. Vel per pedes intelligit affectus, Ac si dicat: Erant labes in affectionibus eius: habebat affectiones suas maculis pollutas intelligi autem affectus nomine indicat psalmographus, cum ait psal. 35. Non veniat mihi pes superbiæ. Potest tamen ita exponi locus ille. Non conculcet me pes superbi, sed amone à me vim et furorem homines violenti. Prior tamen explanatio est diui Augustini, quam Remigius Antissiodorensis, et alij viri docti sequuntur. Et psalm. trigesimonono: Statuit supra petram pedes meos. Hoc est, firmauit affectiones meas super Christum. F Petra autem, inquit apostolus, erat Christus. Vult diuinus vates significare affectuum suorum firmitudinem, et solidi fundamenti stabilitatem. Et Zacharias apud Lucam primo. *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Vt cor ambulat pedibus: ita anima affectionibus. Quare oportet pedes abluere: hoc est puros et integros affectus habere. Hoc voluit Christus dominus significare, cum abluit pedes discipulis suis apud Ioann. 13. et cum dixit illis apud Matth. 10. *Excutite puluerem de pedibus vestris.* Id fuit significatũ ca. 1. Leuitici, vbi Deus præcepit intestina ac pedes

A victimæ lauare aqua. Vbi per pedes affectus & motus animi significantur, per inteſtina verò abditæ & latentes cogitationes in ventre animæ, hoc eſt in corde, quod animæ vterus appellatur. Vnde Ieremias c. 4. *Ventrem meum*, inquit, *ventrem meum doleo*. Volēs autem oſtendere per ventrem ſignificare cor, addit: Senſus cordis mei turbati ſunt in me. Sed quoniam victores in triumphis ſolebant victos ſub pedibus habere, pedes ipſi, pro victoria accipiuntur. Quare hoc Ieremiæ loco poteris per pedes Hieroſolymæ antiquas eius victorias intelligere. Et quia in illis vtebatur ſuperbia, inſolentia, & vanitate, dicitur habere ſordes in pedibus ſuis. Vnde id quod paulò antè attulimus ex Pſal. 35. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ*: poteſt ita explanari: Non triumphet de me ſuperbia. Id quod nos hoc Ieremiæ loco habemus: Sordes eius in pedibus eius: poteſt verti ex Hebræo: Sordes eius in fimbriis eius. Et ita habet Brixianus & Pagni. Ac ita eſt marginem nonnullorum codicum. Et tunc poteſt eſſe ſenſus: Impudenter peccauit Hieroſolyma, ſimilis mulieri impudicæ, quæ non veretur menſtruũ ſanguinis in fimbriis veſtis circunferre. Septuaginta tamen nobiſcum pedes verterunt. Sed eadem poteſt eſſe intelligentia

b *Nec recordata eſt finis ſui.* Non tenebat memoria interitum ſuum: non cogitabat de exitu vitę, exciderat ei penitus ex animo mortis recordatio. Quàm vtilis ſit memoria mortis, indicat Eccleſiaſticus ca. 7. cum ait: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Et 14. *Memor eſto, quoniam mors non tardat.* Memoriam mortis complectebatur Iob has voces emittens cap. 30. Scio, quia morti trades me, vbi conſtituta eſt domus omni viuenti. Acſi dicat. Semper mors mihi ante oculos verſatur: Non mihi excidit ex animo memoria ſepulchri, quod eſt omnium hominum domicilium. Ait Albertus magnus in libro de vegetabilibus, coruum non redire ad nidum, ſi in eo poſuerint cinerem ac pulueres vitri: ſic dæmon fugit à nido noſtri cordis, ſi in eo poſita fuerit memoria cineris & pulueris, in quem conuertendum eſt vitrum, vitrum autem ſumus nos: imò vitro ipſo fragiliores. Quare ſi à nobis dæmonem auertere voluerimus, ſit in animo noſtro eius pulueris, in quem ſumus conuertendi, reperita memoria. Ea quippe vigilamus, & obliuione dormimus. Eã ob cauſam Chriſtus Deus noſter apud Matthæum ca. 25. *Vigilate*, inquit, *quia neſcitis diem, nec horam.* Et apud Lucam 12. C *Eſtote parati, quia qua hora non putatis: filius hominis veniet.* Hac mortis memoria diminuuntur vanæ mundi voluptates, & creſcunt piæ animi oblectationes. Quẽ admodum quicquid amputatur ex vite, augetur in fructu: ſic qui reſciderit inanem ac falſam mundi lætitiam, augebit ſalutarem fructum verę iucunditatis. Sed aduerte: Mors, quæ dicitur finis ſceleratorum hominum, eſt principium virorum virtute pręſtantium. Id quod nos habemus pſal 76. *Et dixi: nunc cœpi*: poteſt verti ex Hebræo: Et dixi: interitus meus eſt. Eſt enim ibi verbum Chalal, quod ſignificat interire & incipere: nam viri iuſti tunc incipiunt, cùm excedunt ex hac vita. Cùm naſcuntur, exeunt è ventre matrum, & ingrediuntur vterum naturæ: cùm verò è vita migrant, naſcuntur: & tunc incipit vita, quę eſt vera vita nominanda. Ex quo fit, vt dies obitus ſanctorum, eorum natalis dies appelletur. Sed ſiue principium, ſiue finis dicatur mors, eſt memoria repetenda. Sed eius non recordata eſt Hieroſolyma. Duas res tribuit ei hoc loco Ieremias, ob quas ait eam in acerbiſſimas calamitates incidiſſe, nimirum ſordes affectuum, & mortis obliuionem. Fortaſſe nomine finis intelligitur Chriſtus, iuxta illud apoſtoli ad Romanos 10. *Finis legis Chriſtus eſt ad iuſtitiam omni credenti.* Ille enim fuit legis conſummatio, quoniam lex nõ D erat niſi vſque ad eum in ea promiſſum, in cuius morte fuit impleta & finita. Cùm autem Iudæi non recordarentur eius meritò fuerunt variis calamitatibus lacerati.

c *Depoſita eſt vehementer.* Id eſt, deſcendit impetu vehementer: ac mirum in modum deiecta eſt. Proiecit eam Deus acerbè ex loco excelſo ad infimam ignominiam. Vera eſt enim illa ſanctæ Dei genitricis ſententia: *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.* Pro vehementer poteſt etiam verti: mirabiliter: hoc eſt, cum hominum admiratione: admirabantur enim tam celebrem ciuitatem in tantam miſeriam ſubitò veniſſe.

Vide domine afflictionem meam. Inducit Ieremias vrbem has voces ad Deum emittentem, vt oſtendat in omnibus calamitatibus cõfugiendũ eſſe ad Deum miſericordiæ pleniſſimum, nunquámque de eius pietate deſperandum. Vel eſt apoſtrophe ipſius Ieremiæ ad Deum eius miſericordiam & auxilium implorantis. Senſus eſt: Ne me domine omnino deſpicias, inquit diuinus vates, ſed conuerte ad me oculos tuæ clementiæ. In piis Dei oculis eſt remedium noſtrum. Eodem modo paulò pòſt: vide domine & conſidera, quoniam vilis facta ſum. Et cap. 5. harum lamentationem: *Intuere*, inquit, *Domine, & reſpice opprobrium noſtrum.* Et Dauid pſalm. 118. *Aſpice in me, & miſerere mei.* Et pſal. 83. *Protector noſter aſpice Deus.* Vel vt verti etiam poteſt: Clypee noſter aſpice Deus. Ac ſi E dicat: ô tu Deus qui es clypeus noſter intuere nos. Nõ me fugit, poſſe verti locum illum: Clypeum noſtrum aſpice Deus: Hoc eſt, regem noſtrum placidis oculis intuere. Bonus enim rex clypeus eſt populi. Nam ſequitur: Et reſpice in faciem Chriſti tui. Reges enim Chriſti, hoc eſt vncti dicebantur. Tu verò Perpende Ieremiæ verba: Non ait: vide domine peccatum meum, vt me perdas, ſed afflictionem meam, vt me liberes.

d *Quoniam erectus eſt inimicus.* Id eſt, quoniam hoſtes noſtri ſuperiores facti ſunt, & nos illis ſubiecti. Vel erecti ſunt ſuperbia elati, inſultantes nobis, victorias ſuas fortitudini ſuæ arroganter tribuentes, cùm eas deberent iuſtitiæ tuæ tribuere, qui nos propter flagitia noſtra meritò affligis.

Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius. Ieod. Ponitur numerus ſingularis pro plurali more diuinæ ſcripturæ. Senſus eſt: babylonij hoſtes noſtri rapuerunt omnia expetibilia Hieroſolymæ: nimirum theſauros templi, & aulæ regiæ, & omnes vrbis diuitias, quę fuit direptioni cõmiſſa, & alta eius mœnia funditus euerſa. Id prædixerat iis verbis Eſaias cap. 64. *Omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinas.* Aiunt nonnulli per deſiderabilia intelligi hoc loco iudicia F atque eloquia Dei in libris legis ſcripta, de quibus dicitur in pſal. 18. *Deſiderabilia ſuper aurũ & lapidem pretioſum multum.* Nam Ammonitæ & Moabitæ acerrimi Iudæorum hoſtes, qui erant in exercitu Babyloniorum, in vrbis expugnatione libros legis quęſierunt, & cremarunt.

Quia vidit gentes. Deplorans direptionem earum rerum quas Hebræi habebant in deliciis, præcipuè meminit theſaurorum templi, quæ Babylonij cum cæteris hoſtibus cæca cupiditate prædæ & rapinarum concitati abſtulerunt, & ſecum aſportarunt. Senſus eſt: Ideo Hieroſolyma lamentatur ô Deus ſancte, quia vidit inimicos ſuos à fide alienatos ingreſſos in templum ſanctum, quo gentes idolorum cultrices ex præcepto tuo ingredi non poterant. Docet hic locus eſſe nos potius deploraturos iniurias in Deũ iactas, quã in nos ipſos. Id ſentiẽs Dauid pſ. 118.

Exitus

A *Exitus*,inquit,*aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam nimirum peccatores.* Non ait: Ideo lachrymas profundo, quia homines in me impetum fecerunt,sed quia legem tuam violarunt. Potest hoc ita explanari: Eam ob causam Hierosolyma in tam acerbas incidit calamitates, quia permisit olim, vt gentes idolis deditæ ingrederentur in templum sanctum,cùm tu domine præcepisses,ne illuc introirent. Tres partes habebat templum Salomonium,in quarum primam poterant ingredi gentiles, in alterâ solùm Iudæi,in tertiam sacerdotes. At Iudæi permiserant,vt gentiles in partem illis prohibitam introirent. Quare permisit Deus, vt illi inuitis Iudæis totum templum penetrarent, illúdque penitus delerent.

ב e *Omnis populus eius gemens, & quærens panem.* Id est,vniuersus populus Hierosolymę laborabat fame, & cum gemitu quærebat cibum. De hac fame locutus fuerat Ieremias cap. 38. *Vnusquisque dabat pro cibo pretiosa & expetibilia,quæ habebat ad vitam sustentandam.* Non delicias & saturitatem quærebant,sed aliquid ad vitæ sustentationem. Accipitur anima pro vita,vt ca. 37. Geneseos. *Non interficiamus animam eius.* Iudicum 19. *Posuit animam suam in manu sua*:Id est,exposuit vitam suam periculo. Matthæi 2. Defuncti sunt, qui quærebant animam pueri. Ioannis decimo: *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Vel accipitur, anima pro ipso homine:vt sit sensus: expendebant,quæcunque illis erant cordi, vt seipsos reficerent. Accipi autem animam pro homine indicat locus ille capitis duodecimi Geneseos:Tulit Abrâ vxorem suam, & Loth filium fratris sui, vniuersámque substantiam, quam possederant:& animas, quas fecerant in Haran. Id est, omnes homines dominatos. Pro quo Septuaginta habent: Et omnem animâ quam possederant in Haran, hoc est, omnes seruos suos. Possunt etiam intelligi verba illa de hominib. quos Abram & vxor eius instruxerant in fide vnius Dei. Illos enim fecerunt homines, cùm anteà essent veluti animalia rationis expertia. Nam paraphrasis Chaldaica habet; Et tulit secum omnes animas, quâ subiecerant legi in Haran. Vbi vides animas accipi pro hominibus. Ita intelligitur illud capitis quartidecimi Geneseos, quod dixit rex Sodom Abrahæ: *Da mihi animas:cætera tolle tibi.* Hoc est, da mihi homines,sume tibi reliqua spolia. Vbi Septuaginta pro animas,habent: ἄνδρας,Hoc est viros. Paraphrastes autem Chaldæus animas nobiscum legit. Nos autem quæramus primò panem,qui de cælo descendit: nam Exodi 17.præcipiebat Deus vt primo mane quæreretur manna,& in euangelio ait, *Primò quærite regnũ Dei.*

f *Vide Domine,& considera, quoniam facta sum vilis.* Verba sunt vrbis, quæ quasi audiẽs calamitates suas ex ore Ieremiæ in has lamentabiles voces prorumpit quibus vult Deum ad misericordiã prouocare. Gregorius libro Moralium 23. hunc locum explicans ait: Vilis plebs Dei efficitur, quando prauorum numero crescente in eis non summa & cælestia,sed abiecta & terrestria sectatur.

ל g *O vos omnes qui transitis per viam.* Facit Ieremias Hierosolymam loquentem, suas calamitates lamentantem,quibus nullæ possent æquales inueniri: Induxit eam veluti mulierem lugentem iuxta viam, quæ incredibili dolore cruciata transeuntes obtestatur,vt magnitudinem mœroris sui perpendant, vt eam possint illo quodammodo leuare. Proprium est calamitosorum, tantò maiorem æstimare dolorem suum, quantò aliorum minus intelligere studuerunt.

h *Quoniam vindemiauit me Dominus.* Vocat se vineam,de qua Esaias capite quinto:*Vinea*,inquit, *Domini exercituum domus Israel est.* Et Deus apud Ieremiam secundo:*Ego te plantaui vineam electam.* Hęc est vinea,de qua loquitur Christus apud Lucam vigesimoprimo, quam Deus plantauit sepiens illam lege, constituens in illa torcular, hoc est templum, & excelsam turrim,hoc est prophetiam, ex qua & præteritum videtur,& futurum.Ac vt Esaias ait ca. 5. *cùm expectaret, vt ferret vuas,tulit labruscas.* Vel vt vertit Aquila:fecit spinas:illas scilicet,quibus Dominũ coronauit. Extra hanc vineam eiecerunt agricolæ hæredem,hoc est Iudæi Christum Deum verum,filiũ vnigenam patris cœlestis,cùm eum ex vrbe abduxerunt ad Caluariæ montem, vbi eum occiderunt, & crudeliter sauciarunt. Erat enim in vitulo illo adũbratus, qui extra castra pro peccato mundi comburebatur: de quo loquitur Moses cap. 16. Leuitici. Id intelligens diuus Paulus ca.13.epistolæ ad Hebrœos: *Propter quod*,inquit,*& Iesus,vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Exeamus igitur ad eum extra castra improperium eius portantes. Extra castra,& extra vineam,hoc est, extra Hierosolymam eiectus est Christus pro mundi flagitiis, qui fuit ardore passionis in monte Caluariæ incensus, & instar diuinæ fœnicis incendio diuini amoris inflammatus.Quam ob causam vinea illa fuit penitus dissipata à Romanis: quæ multò antè fuerat spoliata à Babyloniis. Ablatis Hebræis aliis morte, aliis exilio, & spoliatis opibus & voluptatibus, vindemiata fuit Hierosolyma viris, diuitiis, & oblectationibus, sicut vinea racemis, Vindemiat Deus non solùm vitam hominum infimo loco natorum, sed magnarum & principum. Id quod de illo ait Dauid Psalm. 75. *Terribili,& ei,qui aufert spiritum principum.* Verti etiam potest: *Terribili,& ei,qui vindemiat vitam principum.* Cæterùm pro vindemiauit me dominus: vertunt nonnulli:*Afflixit me Dominus.* Sensus est idem: sed verbum vindemiare aptiorem importat similitudinem ad exaggerandam calamitatem. Ideò ait paulò pòst:*Vindemia eos,sicut vindemiasti me propter iniquitates meas.* Et capite secundo harum lamentationum: *Vide Domine,& considera, quem vindemiaueris:* hoc schemate vtitur psalmographus intuens animo Hierosolymæ calamitates,cùm ait: *Vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. Exterminauit eam aper de sylua,& singularis ferus depastus est eam.* Impias & immanes nationes vocat apros & feras bellum Hierosolymæ inferentes, eámque crudeliter vastantes. *Psal. 79.*

i *Vt locutus est Dominus.* Nimirum per diuinos suos vates.

מ k *De excelso misit ignem in ossibus meis: & erudiuit me.* Deum cum magistro,qui otiosum & improbum discipulum grauiter castigat, vt illum erudiat, & ad meliorem frugem conuertat. Sensus est: Deus misit de excelso, hoc est,de cælo calamitatem nomine ignis significatam,vt me combureret, & supplicio hoc erudiret. Cap.31 ait idem Ieremias:*Castigasti me domine,& eruditus sum quasi iuuenculus indomitus.* Esaias etiam cap. 28. *Domine*, inquit, *in angustia quæsierunt te.* Et paulò pòst. *Sola vexatio intellectum dabit auditui.* Et Dauid Psalm.82.*Imples facies eorum ignominia & quærent nomen tuum Domine.* Et Psalmo 118. *Bonũ mihi,quia humiliasti me.* Intuere calamitatis vtilitatem ea est instructio nostra è cælo diuinitus missa, quæ mirum in modum conducit ad vitam immortalem consequendam. Peritus colonus desiderat in Ianuario niues,frigora,& glacies,vt in æstate multa sit copia frumenti. Vita hæc est hyems,altera est æstas:si in hoc Ianuario fuerint frigora calamitatum, erit in æstate cæli abundantia gaudiorum. Quantò hic fuerimus propter Deum acerbiorum ærumnarum angu-

Mem.

similitudo

stiis

A ſtiis afflicti,tantò illic erimus maioribus gaudiis cumulati.Nam vt Diuus ait Paulus capite 8.ad Romanos:*Heredes quidem Dei,coheredes autem Chriſti,ſi tamen compatimur,vt & glorificamur.* Et cap.2.1.ad Timothæum:*Si commortui ſumus,conuiuemus: ſi ſuſtinemus,conregnabimus.* Mœror æquo animo toleratus conuertitur in oblectationem, iuxta illud ſeruatoris
ſimilitudo noſtri apud Ioannem ſextodecimo: *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Quemadmodum lauri baccæ & herbæ nonnullæ amaræ quidem ſunt, ſed ad ſalutem mirum in modum conducunt:ſic calamitates quamuis aſperæ ſint,ſalutares tamen ſunt.Sed hoc intelligitur,niſi apud homines obſtinatos,qui illis fiunt deteri-
ſimilitudo ores. Vt vina excellentia infuſa in vaſa è texo facta reddũtur mortifera: ita afflictiones alioquin vtiles in hominibus teterrimis,ſcelerúmque maculis notatiſſimis,ſunt ſæpenumero peſtilentes,non earum culpa,ſed illorum. At à Deo nobis ad commodum noſtrum generaliter infliguntur. Meritò ergo ſcriptum eſt cap.5.Iob:*Beatus homo qui corripitur à Deo,* increpationem ergo Domini ne reprobes: quia ipſe vulnerat,& medetur: percutit,& manus eius ſanabunt. Ac vt ait hoc loco Ieremias: Deus de excelſo mittit ignem, quo erudiat. Significari autem calamitatem nomine ignis indicat diuina ſcriptura Pſalmo ſextodecimo:*Igne me examinaſti:* B *& non inuenta eſt in me iniquitas.* Pſal.65. *Tranſimus per ignem & aquam.* Ieremię 15.*Ignis ſuccenſus eſt in furore.* Capite Ezechielis vigeſimo:*Ecce ego incendam in te ignem* Oſeæ octauo: *Mittam ignem in ciuitatem eius,* Amos primo: *Mittam ignem in domum Aſael.* Nahum tertio:*Comedet te ignis.* Fortaſſe hoc Ieremiæ loco per ignem de cœlo miſſum intelligitur ignis naturalis, quo Deus permiſit, vt templum, & alia munita ac fortia Hieroſolymæ mœnia, quæ erant velut oſſa corporis, flagrarent. Narrat enim Ieremias cap 52. fuiſſe ciuitatem flammis expoſitam. Huic explanationi fauet paraphraſis Chaldaica,quæ habet:De cœlis miſit ignem in caſtella mea fortiora,& ſubegit illa.Poteris rectiſſimè per ignem intelligere iram Dei, cuius grauitatem exaggerat diuinus vates, comparans illam cum emiſſione ignis de cœlo,& ſtatim cum emiſſione retis, quo Deus Hieroſolymam illaqueauit & irretiuit,propter flagitiorum vincula,in quæ ſe ipſa coniecerat.

l *Expandit rete pedibus meis.)* Hoc eſt miſit in me iram ſuam,qua me traderet irritam Babyloniis. Vel accipitur rete pro exercitu Babyloniorum,quo Hie-
C roſolyma fuit illaqueata. Ita accipitur apud Ezechielem capite duodecimo:*Extendam rete meum ſuper eũ, & capietur in ſagena mea.* Similiter capite decimoſeptimo, & trigeſimoſecundo. Poteſt hic locus ita explanari: Cùm ego currerem ad flagitia, ligauit me Deus laqueo calamitatis,ne longius progrederer:ſed retro reuerterer, & ad me ipſam redirem. Sequitur enim:Conuertit me retrorſum.Ac ſi dicat:Calamitas mea fuit impedimentum,ne vltrà abirem, quo Deus me à ſceleribus retraxit. Hæ ærumnæ meæ fuerunt ſpinæ,quibus iter meum intercluſit, Apud Oſeam enim ait Deus ca.2.*Sepiam viam tuam ſpinis:& ſepiam eam maceria, Et ſemitas tuas non inuenet.*

m *Poſuit me deſolatã.)* Id eſt,nullum mihi præbuit ſolatium: luctum meum continuum nulla conſolatione leuauit.Apud Baruch ait illa cap.quarto: *Adduxit Deus mihi luctum magnum.*

n *Vigilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius.)* Hoc eſt,aduenit tempus diuinæ vltionis, quam *Num.* Deus diu diſtulerat. Iugum iniquitatum ſuarum appellat calamitatem &caſtigationem,quam ob peccata ſua ſuſtinebat. Hoc debitum ſupplicium dicitur dormiſſe in manu domini, quandiu ille ſcelera ipſius D Hieroſolymæ diſſimulauit,& pœnam diſtulit, &illa impunè quieſcebat. Tunc autem dicitur vigilaſſe in manu eius, cùm ipſe ingratæ atque impiæ ciuitati pœnam hanc inflixit,& ipſa illam ſenſit,& ad ſe quodammodo rediit. Seruitutem Babylonicam,pœnáſque omnes, quas tunc luebat ſcelerum ſuorum, & iram Dei,qui eas ab illa expetiuit, comparat cum aſpero iugo,quemadmodum paulò antè cum igne de cœlo comparauerat.Huiuſmodi iugum poſuerat Sennacherib decem tribubus diuina ita exigente iuſtitia, quando Samariam euertit. Ac voluit ponere Hieroſolymæ,quæ tunc fuit à Deo mirabiliter liberata: vt libro quarto Regum capite decimonono: & capite Eſaiæ trigeſimoſeptimo diuina refert ſcriptura.Ideo ait Eſaias decimo: *Computreſcit iugum a facie olei.* Hoc eſt, dura ſeruitus quam Sennacherib conabatur inferre Hieroſolymæ,diſſipabitur à facie olei,hoc eſt, à facie Ezechiæ regis,qui erat vnctus oleo. Sed multò rectiùs & altiùs per oleum illud intelligitur Chriſtus verus Deus,& verus homo, vnctus oleo gratiæ: de quo ait Dauid Pſalmo quadrageſimoquarto:*Vnxit* E *te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Quẽ locum Diuus Paulus in epiſtola ad Hebræos cap.1. de Chriſto interpretatur. Iugum enim diaboli ſolutum ac diſſipatum fuit per Chriſtum: de quo paraphraſtes Chaldęus locum illum Eſaiæ explanauit. Poteris hoc Ieremiæ loco per iugum hoc intelligere ſeruitutem peccati; de qua ait Chriſtus capite 8. Euangelij Ioannis:*Qui facit peccatum,ſeruus eſt peccati.* De qua ſuprà locuti ſumus.

o *Conuolutæ ſunt, & impoſitæ collo meo.)* Nimirum iniquitates meæ explanatio eſt ſuperioris. Appellauerat iniquitates ſuas iugum, nunc appellat eas catenas impoſitas collo ſuo. Quod poteſt de vtraque intelligi ſeruitute corporis ſcilicet,& animi.Fortaſſe alludit ad illorum morem, qui ſolent ad collum latronis coniicere prædam, cùm eum in furto ipſo deprehendunt.

p *Infirmata eſt virtus mea.)* Id eſt,decidit robur meũ Deo me deſerente. Accipitur virtus pro vi & fortitudine.Eodem modo pſalmo trigeſimo:*Infirmata eſt* F *in paupertate virtus mea.* Ac ſi dicat: Debile & fragile eſt factum eſt in calamitate mea robur meum. Pro, in paupertate, poteris etiam vertere in ſuplicio, vel in pœna. Quidam vertunt, in peccato:& rectè quidem:ſed accipitur peccatum pro pœna peccati:quam interpres noſter paupertatem appellauit.

q *Dedit me dominus in manum.* Attribuit Hieroſolyma victoriam Babyloniorum non ipſis,ſed diuinæ iuſtitiæ. Senſus eſt:Tradidit me, Deus,ita exigentibus flagitiis meis in Babyloniorum poteſtatem. Tradi in manum alicuius, phraſis eſt in diuinis literis vſitata. Qua de re ea poteris videre,quæ diximus in explanatione in primo capite. Danielis, cum verba illa exponeremus: *Tradidit dominus in manum eius Ioachim.*

De qua non potero ſurgere. Subaudi,virtute mea.Indicat magnam Chaldæorum poteſtatem. Nulla te teneat admiratio, cùm videas me hoſtes illos Hieroſolymæ aliquando Babylonios,aliquando Chaldæos vocare:nã hæc duo nomina confundũtur.Cùm enim Babylon vrbs quõdam celeberrima eſſet in Chaldea, totius regni caput & metropolis, effectum eſt, vt omnes Chaldæi Babylonij vocarentur:vt aliis in locis copioſe indicauimus.

Abſtulit omnes magnificos meos dominus de medio mei. D *Samech.* Proſequitur miſeriã,in quã Deo ita volẽte inciderat. Ac ſi dicat:Abſtuli Deus à me principes ſacerdotes,

omnes

omnes viros dignitate, fortitudine, ſapientia, & generis claritate præſtantes: eos relinquens, qui ſunt infimo loco nati, nulla illuſtri laude celebrati, nulla ſapientia, nulla fortitudine muniti, nullam nominis amplitudinem conſecuti. Id prædixerat Eſaias ca. 3. his verbis: *Ecce enim dominator Deus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda validum & fortem*, &c. Lege caput vltimum Ierem. c. 52. & libri 4. Reg. 25. vbi hæc inuenies literis mandata. Pro abſtulit vertunt nonnulli conculcauit: vt ſit ſenſus: permiſit Deus, vt in medio mei omnes viri magnifici Hebræi à Babyloniis conculcarentur. Cùm enim mortui iacerent in viis, eos Babylonij pedibus terebant. Perpende: Babylonij auferebant & conculcabant Hebræos, & Ieremias ait hoc loco Deum hoc feciſſe, quia illud volebat. Eodem modo *Iob ca. 1. Dominus dedit, dominus abſtulit.* Abſtulerant ei prædones boues & camelos: & ille dicebat: Dominus abſtulit. Eſt enim Deus author mali pœnæ, ſed non mali culpæ. Diuus Ambroſius in pſalmum centeſimum decimum octauum hæc Ieremiæ verba de tempore aduentus Chriſti explanat, quando eum obſtinati Iudæi recipere noluerunt. Quare fuerunt merito à Romanis victi, interfecti, conculcati & in calamitoſum exilium coniecti.

Vocauit aduerſum me tempus. Nimirum aptum ad exitium meum, vt eos deſtrueret, quos ego ob eorum merita ad gloriam meam elegeram. Sed quia tempus accipitur aliquando pro ſeculo, ſeculum autem pro hominum cœtu, poteſt eſſe ſenſus huius loci: Vocauit Deus contra me gentes, & hominum congregationem, qui me ad perniciem & vaſtitatem vocarent.

Torcular calcauit dominus virgini filiæ Iudæ. Hoc eſt, confecit me Deus vehemente calamitate: & ſummo ærumnarum pondere me oppreſſit. Comparat miſeriam ſuam grauiſſimo torculari, quo Deus tanquam aſpero ſupplicio illam puniuit. Apud Eſaiam cap. 63. ait Deus: *Torcular calcaui ſolus: & de gentibus non eſt vir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea.* De illo ait Ioannes ca. 19. Apocalypſis: *Ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.* Quibus in locis per torcular ſupplicium ſignificatur. Appellat ſe Hieroſolyma virginem, quia nondum fuerat ante vaſtitatem illam euerſa: vel quia vnum Deum coluerat: vel ob delicias, quibus fuerat nutrita. Virginem vocat eam Eſaias capite trigeſimo ſeptimo: Et Ieremias Threnorum ſecundo. Illa autem vocat ſe filiam Iuda, qui ab illo originem ducebat: à quo Iudæi denominabantur. Vel loquitur ad literam de puellis Hieroſolymæ in illa vrbis vaſtitate mirum in modum afflictis. Ac ita accipitur numerus ſingularis pro plurali: vt ſit ſenſus: Oppreſſit Deus torculari calamitatum virgines Hebreas, inſtar vuarum, quę torculari torquentur, & conculcantur. Quidam vertunt: Torcular extendit dominus aduerſus virginem filiam Iudæ. Vt ſcilicet exprimeret ſanguinem virginum Hieroſolymę quemadmodum torcular exprimit ſanguinem vuarum. Vult ſignificare illa expugnatione non ſolùm iuuenes, ſed etiam puellas periiſſe: iuxta illud Pſalmi 77. *Iuuenes eorum comedit ignis, & virgines eorum non ſunt lamentatæ.* Hoc eſt, Iuuenes populi Iſraelitici fuerunt acerbè afflicti, & vita priuati, & virgines non deplorauerũt illos, quia ſimul fuerunt interfectæ. Quidam vertunt locum illum: Et virgines non ſunt laudatæ. Hoc eſt, poſt earum interitum non erat, qui eas læudaret: tanta enim erat clades, vt nõ remaneret, qui poſſet mortuorũ laudes celebrare. Vel, virgines non fuerunt laudatę epithalamiis ſcilicet nuptialibus. Hoc eſt innuptæ perierunt. Solebant enim antiqui laudibus efferre virgines, cùm eas parentes in matrimonium collocabant.

Hain. ע [a] Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longè factus eſt à me conſolator conuertens animam meam: [b] facti ſunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus.

Phe. פ [c] Expandit Sion manus ſuas, non eſt, qui conſoletur eam: [d] mandauit dominus aduerſum Iacob in circuitu eius hoſtes eius: [e] facta eſt Ieruſalem quaſi polluta menſtruis inter eos.

Tſade. צ Iuſtus eſt dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui. [f] Audite obſecro vniuerſi populi, & videte dolorem meum: virgines meæ, & iuuenes mei abierunt in captiuitatem.

Coph. ק [g] Vocaui amicos meos, & ipſi deceperunt me: [h] ſacerdotes mei, & ſenes mei in vrbe conſumpti ſunt, quia quæſierunt cibum ſibi, vt refocillarent animas ſuas.

Res. ר C [k] Vide domine, quoniam tribulor: [l] conturbatus eſt venter meus: ſubuerſum eſt cor meum in memetipſa, quoniã amaritudine plena ſum: [m] foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt.

Xin. ש [n] Audierunt, quia ingemiſco ego, & non eſt, qui conſoletur me: [o] omnes inimici mei audierũt malum meum, lætati ſunt, quoniam tu feciſti: [p] adduxiſti diem conſolationis, & fient ſimiles mei.

Thau. ת [q] Ingrediatur omne malum eorum coram te, & [r] vindemia eos, ſicut vindemiaſti me propter omnes iniquitates meas: multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens.

ע a *Idcirco ego plorans.* Eam ob cauſam ego fleo, & oculi mei lachrymas profundunt, quia careo conſolatore, qui conuertat animum meum à mœrore ad lętitiam: qui vitam meam à preſente miſeria reſtituat in priſtinam felicitatem. Per conſolatorem qui eam deſeruerat, regnum intelligit Aegyptiorum. Sed quia ſequitur: Conuertens animam meam: videtur per conſolatorem, qui ei deerat, ſignificare Deum, ipſe enim eſt, qui hominum animas ad ſeipſum conuertit. Sed quia conuertere animas idem eſt aliquãdo quod eas placare, & quietes reddere, vt Pſalmo decimooctauo: *Lex Domini immaculata conuertens animas*: poteſt verti locus hic: Propterea ego ploro, & oculus meus lachrymas profundit: quia longè à me abeſt conſolator, qui animas agitatas & fluctuantes poteſt reddere placatas atque tranquillas. Deus vbique eſt per eſſentiam præſentiam & potentiam: ſed abeſſe dicitur ab impiis, quia non eſt in illis per gratiam, nec per diuinam conſolationem. Ideò ait Dauid Pſalmo 118. *Longè à peccatoribus ſalus.* Et Salomon Prouerbiorum quintodecimo: *Longè eſt dominus ab impiis.* Nec ſolùm impios, ſed viros etiam iuſtos relinquit aliquando per conſolationis abſtractionem. Id ſentiebat Dauid: cùm pſalmo nono aiebat: *Vt quid domine receſſiſti longè? deſpicis in opportunitatibus: in tribulatione.* Id efficit Deus, cum viros

A ros pietate,religione,& sapientia præstantes permittit grauiter vexari ab improbis hominibus,& in acerbas calamitates venire. Sed non ideo debent cadere animo:nam id illis ad illustriorem meritorum cōronam conducit.

b *Facti sunt filij mei perditi.* Habitatores suos filios vocat.cap.50.ait Ieremias:*Grex perditus factus est populus meus.*

c *Expandit Sion manus suas, non est, qui consoletur eam.* Hoc est, implorauit Hierosolyma misericordiam ab amicis & vicinis populis, à quibus auxilium petiuit sed nullus fuit, qui ei opem ferret, qui eam ab obsidione eriperet, & dolore leuaret. Extendere siue expandere manus est preces fundere, & præsidium postulare. Id indicat Esaias capite primo, vbi Iudæis, impiis Deum obsecrantibus dixit ipse Deus: *Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. At cùm pius Moses leuaret manus, vincebat Israel:* vt capite decimoseptimo Exodi est literis mandatum. Manus enim illæ, quas iustus vir ad cœlum extollebat, contentionem orationis significabant. Extendere etiam manum ad aliquem est illum vocare. Vocauit Hierosolyma amicos, cum quibus erat fœdere con-

B iuncta, sed eam audire noluerunt. Vel extendit manus ad Deum illum vocans & obtestans, vt eam à Babyloniis liberaret: sed id ita peccatis eius exigentibus diuinam non sensit consolationem. Aequum fuit, vt quæ Deum illam vocantem, & ad eam manus extendentem neglexit audire, ipsa postea Deum vocans, ad illúmque manus extendens non inuenire consolantem nec respondentem. Ipse enim Deus capite Prouerbiorum primo: *Vocaui*, inquit, *& renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis, aduenerit: cum irruerit repentina calamitas: quando venerit super vos tribulatio & angustia.* Capite quinto harum lamentationum ait Ieremias: *Aegypto dedimus manum, & Assyriis.* Sed ibi dare manum est inire fœdus & subiectionem promittere, hic autem expandere manum est vocare, & auxilium petere. Cæterúm pro expandit manus suas poteris etiam vertere: Fregit manibus suis. Ac tunc erit sensus: Ipsa Hie-

C rosolyma in monte Sione sita sibimet fregit panem manibus suis, neminem habens qui illum frangeret ipsi. Solent enim consolatores frangere & porrigere cibum illis,qui in luctu & lachrymis versantur. Significat his verbis, neminem habuisse, qui eam consolaretur.

d *Mandauit dominus aduersum Iacob in circuitu eius hostes eius.* Id est,iustè voluit Deus,vt venirent Chaldæi aduersus Hebræos,qui ideo vocātur Iacob,quia ab illo originem ducūt. vt essent in circuitu eius:hoc est,vt eos obsiderent,& oppugnarent. Vel ideo dicit in circuitu eius, quia hostes Hierosolymæ qui habitabant in circuitu eius, venerunt cum Chaldæis aduersus illam.

e *Facta est Ierusalem quasi polluta menstruis.* Ad quā scilicet nemo accedit. Hoc ideo ait, quia Aegyptij amici eius noluerunt ei opem ferre, ne accedere quidem ad illam. Vel comparat secum muliere mēstruis contaminata, quia hostes eius illam sanguine, cædibus, & flagitiis polluerunt. Vel tantam ait esse miseriam suam,vt eam hostes vilem,pollutam,& execrādam reputarent. Quot nominibus appellata quondam fuerit Ierusalem, diximus in commentariis in primum caput Danielis. De eius acceptionibus vide Origenem in Iosue homilia 21. & in Cantica homi- D lia 3.& in Ezechielem homilia 5. Hieronymum in Esaiam 49. Cyrillum de adoratione Spiritus Sancti, Arnobium in psal.78.& 121.Rupert.7.de diui.Offi. Georgium Venetum in Harmonia cantu primo, tomo 7. cap. 32.

Iustus est dominus,quia os eius ad iracundiam prouocaui. Sensus est: Deus qui mihi pœnam hanc inflixit, iustus est:& ego meritò hæc patior, quia eum ad iracūdiam meis sceleribus lacessiui. Idem dicebat Dauid Psa. 118 *Iustus es domine,& rectum iudicium tuum.* Et Daniel capite nono: *Iustus dominus Deus noster in omnibus operibus suis,quæ facit.* Idem est, os domini ad iracundiam prouocaui, atque ipsum dominum ad iram lacessiui. Os enim Dei accipitur pro ipso Deo, vt capite Ecclesiastici.24. *Ego ex ore altissimi prodiui.* Verba sunt filij Dei, qui ex altissimo Deo procedit. Vel ideo Hierosolyma dicitur os domini ad iracundiam prouocasse, quia nec eius verba voluit audire, nec eius præcepta seruare. Quā ob causam ipse Deus apud Ieremiam cap.35.*Populus iste,* inquit,*non obediuit mihi: idcirco hæc dicit dominus exercituum, Deus Israel:* Ecce ego adducam super Iudam,& super omnes habitatores Ierusalem vniuersam afflictionem,quam locutus sum aduersus illos: eo quòd locutus sum ad illos, & non audierunt. Vnde Theodoretus hæc verba:*os eius ad iracundiam prouocaui,* interpretatur: latas ab eo leges transgressa sum. Potest tota hæc oratio ita explanari: Iurè hæc patior, quia meis flagitiis iudi- E cem iustum & natura clementem compuli durā contra me ore suo ferre sententiam. Sed quia os domini accipitur aliquando pro diuino vate, per quem tanquam per os Deus loquitur: vt capite nono Iosue: *Os domini non interrogauerunt:* Esaiæ trigesimo: *Os meum non interrogastis:* fortasse hoc loco per os domini intelligitur Ieremias quem Hierosolyma audire recusauit. Tunc os domini lacessiuit, quando diuinum vatem contempsit, & grauibus contumeliis affecit. Vel per os domini eius voluntas significatur. Nam capite Geneseos vigesimoquarto vbi nos habemus: *vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem*: est in Hebræo: Vocemus puellam: & interrogemus os eius. Membra humana, sicut humani affectus tropicè Deo ascribuntur, non propriè: nam incircunscriptum lumen & immensa maiestas nullis lineamentis corporis circunscribitur. Aspicis quàm variè possit accipi os domini hoc Ieremiæ loco, si hoc ad Hierosolymæ euersionem per Babylonios intelligatur. Sed graues authores aiunt, his lamentationibus deplorasse Ieremiam non solùm præteritam vastitatem per Babylonios, sed etiam futuram per Romanos. Hac ratione ductus diuus Au- F gustinus in libro de essentia diuinitatis,per os domini hoc loco intelligit Christum Deū nostrum, quem Iudæi crudelissimis iniuriis lacerarunt:quam ob causam exitium sibi conflarunt, & ciuitatem suam funditus euerterunt.

f *Audite obsecro vniuersi populi, & videte dolorem meum.* Prouocat omens ad misericordiam sui, inuitans illos ad audiendam & videndam ipsius calamitatem.

g *Vocaui amicos meos, & ipsi deceperunt me.* Vocaui Aegyptios mihi fœdere coniunctos: & alios, qui me vnicè diligere videbantur,vt mihi opem ferrent, & à Babyloniis liberarent:ipsi autem fefellerunt me.Permisit ita Deus, quoniam ipse præceperat Iudæis, ne cum gentibus infidelibus haberent familiaritatem.id quod illi seruare noluerunt. Capite Exod. 34. dicebat Deus populo Israelitico.*Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias.* Et Numer.16.

Rece

A *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent: ne inuoluamini in peccatis eorum.* Et Deuteron. cap. 12. *Cùm habitaueris in terra earum, caue, ne imiteris eas.* Subaudi gentes idolorum cultrices. Pro quo Paraphrasis Chaldaica habet: Caue tibi, ne offendas post eas. Potest etiam verti: Caue, ne illaqueeris illis. Aut vt transtulit Pagninus: Cane tibi, ne illaquees te post eas. Vbi vides esse iniquorum familiaritatem pestiferum laqueum. Id quod Deus præcepit Hebræis capite 11. Leui. ne tangerent animalia contaminata: interpretatur Eusebius Cæsariensis lib. 8. euangelicæ præparationis, de improborum hominum familiaritate & consuetudine. Qui autem sint homines, qui illis animalibus significentur, Isychius Hierosolymitanus, & Radulphus Flauiacensis in cõmentariis in Leuiticũ, & Clemens Alexandrinus in quinto Stromatum sapienter explanarunt. Quemadmodum qui manibus terit atque tractat carbones extinctos, etiam si candidas habeat manus, eas tamen polluit & contaminat: sic qui familiaritate complectitur homines improbos scelerum maculis inustos tametsi virtutum nitore antea fuerat insignis, in labes tamen animi & impuritatem incurrit. Ait enim Eccl. c. 3. *Qui tetigerit picem,* *similit.* *inquinabitur ab ea.* Vt exiguum venenum totã potio-

B nem aliàs salutarem deprauat: sic solus vnus homo totam rempublicam euertit. Est veluti pestilens aer, qui tametsi exiguus in totam regione pestilentiã diffundit. Ac vt verbis vtar apostoli in priore ad Corinthios, *modicum fermentum totam massam corrumpit.* Si *similitudo* stella illa, quam vocant caniculam, cùm est Soli coniuncta, illum inficit, eiusque calorem auget: dicta canicula, quòd corpora hominũ morbo afficiat, & nimio calore mordere videtur: quid mireris, si vnus deprauatus homo totam rempublicã perturbet? Atqui si vnus hoc efficit, qui facient multi? Ideo Iudæi Samaritanorum famililiaritatem declinabant. Ait enim diuus Ioan. cap. 4. sui euangelij dixisse Samaritanam Christo: *Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim contuntur Iudæi Samaritanis.* Quemadmodum taxus sola vmbra necat dormientes, vt dioscorides ait: ita impius familiarita te & contagione inficit, & perdit incautos. Ideo ait *similitudo* Psalmographus: *Cum sancto sanctus eris, & cũ peruerso peruerteris.* Vt hædera si arborem declient ei nihil affert detrimẽti, sin eã amplexatur, mirum in modũ ei nocet: sic impuri & facinorosi homines si à te fuerint alienati, non te lædent, sin autem te familiaritate comprehẽderint, senties eos noxios & pestilentes. Nam vt Salomon ait c. Prouerbiorum 16. *Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam.* Vbi lactare idem est quod decipere, & blandis verbis allicere, vt eũ possit ad vitia incitare. Quare per-

C ditorum hominum familiaritatẽ, & omnia, quæ nocitura videntur, fugere debemus: obsunt enim morum & sermonũ corruptelis, tetrasq; labes, & animo, & nomini nostro inurunt. Prætetea non sunt a- *similitudo* mici nisi ad tempus, quorum amicitia in vtilitate propria consistit. Vt locustæ & nõnullæ aues tẽpore verno & æstiuo præsto sunt, frigore pulsæ recedunt: sic falsi fictique amici tranquillo prosperitatis tẽpore apparent: sed simulatque rerum aduersarum hyemem vident, deuolant, & fugiunt. Nam cùm apud ipsos vtilitas amicitiam conglutinet, eam commutata dissoluit. *Est amicus socius mensæ,* inquit Eccle. cap. 6. *& non permanebit in die necessitatis.* Inconstantes & perfidi amici sunt, qui amicitiam commodo metiuntur, cuius spe adempta statim ab amicitia recedunt. Huiusmodi fuerunt, qui Hierosolymam amore prosequi videbantur. De illis ait hoc loco: *Vocaui amicos meos: & ipsi deceperunt me.* Ostendit hic locus spem nostram non esse in mundo figendam, sed in Deo: de D quo canit Dauit psal. 45. *Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.* Mundi auxilium vocat Esaias ca. 36. baculum arundineum, qui facilè frangitur, & manus vulnerat, quo niti haud quaquam debemus. Ait enim Iere. c. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine.*

h *Sacerdotes mei, & senes mei in vrbe consumpti sunt, quia quæsierunt cibum sibi.* Exaggerat Heroselyma famem & inopiam, qua laborabat. Nam sacerdotes quibus non deberet deesse victus, cùm etiam Pharao tempore famis Ægypti illis alimenta ministrauerit, *Gene. 47.* vt in lib. Geneseos scriptum legimus, tempore expugnationis Hierosolymæ per Chaldæos fame perierunt. Similiter & senes inedia consumpti ex vita demigrarunt. Id prædixerat his verbis Esai. 5. *Nobiles perierunt fame.*

i *Vt refocillarent animas suas.* Hoc est, ad sustentandam vitã: ac si dicat: non delicias & epulas exquisitas, sed aliquid ad vitæ necessitatem quæsierunt. Fortasse vertit hoc vitio sacerdotum & præsidum, quorum vnusquisq; sibi, non autem populo cibos quærebat. De illis ait Ezech. c. 34. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges à pastoribus pascuntur?* *similitudo* Bonus pontifex est pellicanus, qui proprio sanguine E filios reficit & sustentat: pro quorum salute vitam amittit: iuxta id quod ait pastor cœlestis apud Ioann. 10. *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.* Vbi anima accipitur pro vita, quæ propter Deum est pe- *similitudo* riculis exponenda, cum opus fuerit. Quemadmodum pluris æstimanda est fulgentissima annulli gemma, quã annullus ipse sine illa: sic pluris facienda est anima ad similitudinem Dei creata, & immortalitate munita, quàm corpus terrenum & caducum, vbi illa continetur.

k *Vide domine, quoniam tribulor.* Apostrophe est ad ℸ Deum, quem vult ad misericordiam prouocare. Ostendit ad illum esse in omni dolore & calamitate confugiendum. *Res.*

l *Conturbatus est venter meus.* Hoc est, conturbata sunt viscera mea. Poteris per ventrẽ intelligere cor: nã volens significare, quid per ventrem intelligeret, addidit: *Subuersum est cor meum.* In eandem significationem accipitur 4. cap. Ieremiæ: *Ventrem meum ventrem meum doleo.* Sicut enim proles in vtero concipitur, ita in corde cogitatio.

m *Foris interficit gladius, & domi mors similis est.* Extra domum est gladius inimici iugulans, domi autem est fames instar mortis interficiens. Vel ita: foris est hostis immanis, in animo autem vehemens dolor & timor. Ita diuus Paulus cap. 7. epist. 2. ad Cor. *Cùm veniissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra: foris pugnæ, intus timores.*

n *Audierunt, quia ingemisco ego: & non est, qui consoletur me.* Audierunt Aegyptij, & aliæ nationes mecũ Ψ Xia. fœdere coniunctæ gemitus meos, & nullũ mihi per- F fugium præbuerunt: nulla in re me mœrore leuarũt. Si verè fuissent amici, Deumque timuissent, non tam impiè Hierosolymam derelinquerent. Nam vt Iob ait cap. 6. *Qui tollit ab amico misericordiam, timorẽ Domini derelinquit.* At fidelis amicus nunquam amicum deserit: sed in mediis calamitatibus opitulatur illi, aut certè eum aliqua consolatione permulcet. Ideò ait Ecclesiasticus sexto: *Amicus fidelis protectio fortis:* *qui inuenit illum, inuenit thesaurum.* Pulegium iuxta *similitudo* Dioscoridis sententiam vtile est ad morsus serpentium venenatorum, & ad animi defectiones: & brumali tempore quando aliæ exarescunt plantæ, floreseit. Idem ait etiam Plinius: & temporis floreseendi meminit Cicero in libro de diuinatione. Ita verus amicus est vtilis ad calamitates ab impiis illatas ho-

A minibus penitus auferendas, aut vtcunque leuandas: & mederur cordis defectionibus: & in medio hyemis procellarum & dolorum, quando alij viriditatẽ amittunt, silent & fugiunt, ipse floresci, loquitur, & integer apparet. At amici Hierosolymæ eam in gemitu & mœrore versantem deseruerunt.

o *Omnes inimici mei.* Audientes hostes mei perniciem meam fuerunt lætitia affecti, quòd tu Domine me deseruerís. Huiusmodi est illud Dauidis psalmi septuagesimi. *Qui custodiebant animam meam, consiliũ fecerunt in vnum, dicentes: Deus dereliquit eum: persequimini, & comprehendite eum, quia non est, qui eripiat.* Verba illa: *Qui custodiebant animam meam,* idem valẽt atque: qui insidiabantur vitæ meæ.

p *Adduxisti diem consolationis, & sient similes mei.* Ponitur præteritum pro futuro more prophetarum, qui ad certam suorum verborũ veritatem significãdam verbis præteriti temporis sæpe vtuntur. Sensus est: adduces tu Domine tempus consolationis meæ, & exitij illorum: & tunc similes mei erunt: quemadmodum ego nunc in miseria versor: sic illi tũc in miseria versabuntur. Perpende, quàm impium sit afflictorum pernicie lætari: quandoquidem eam ob causam permittit Deus, vt qui insultant calamitosis, in
B similes incidant calamitates. Et ita fit, vt patiẽtia iustorum coronetur: & impietas improborum puniatur. Id voluit Apostolus significare ca. 1. epistolæ secundæ ad Thessalonicẽses, cùm ait: *Si iustum est apud Deum retribuere tribulationem his, qui vos tribulant: & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum.* Vbi particula, si, accipitur pro siquidem: & retributio pro afflictione: nam Græci codices habent θλῖψιν, hoc est, calamitatem, seu afflictionem. Potest hic Ieremiæ locus ita explanari: Adduxisti Domine Babyloniis tempus consolationis & lætitiæ: sed veniet tempus exitij eorum, & tunc gerent mei afflicti status similitudinem: nunc ob partam victoriam lætantur: sed futurum est, vt vincantur, & tunc mœrore afficientur. Pro consolationis, poteris etiam vertere, prædictionis, vt sit sensus: Adduxisti tempus, quod per diuinos tuos vates prædixeras, vt hostes nostri ingrederentur templum, quemadmodum nos Israelitæ ingrediebamur. Harum explanationum prima videtur rectior & germanior: & verbis sequentibus accommodatior.

ת q *Ingrediatur omne malum eorum coram te.* Hoc est,
Tau. introeant Domine in conspectum tuum omnia Babyloniorum flagitia, vt eos mulctes debitis supplíciis. Petit à Deo non ob vltionem, sed ob iustitiam,
C vt impios puniat, & memor eorum scelerum in illos animaduertat. Ita Dauid Psalmo 108. aduersum impium loquẽs: *Episcopatum eius, inquit, accipiat alter.* Et paulò pòst: *In memoriam redeat iniquitas patrũ eius in conspectu Domini, & peccatum matris eius no deleatur. Sint contra Dominum semper, dispereat de terra memoria eorum.* Vbi particula contra, idem est quod coram: vt sit sensus: Sint peccata illa semper coram D
Deo, ne illa vlciscí, eorumque pœnas expetere obliuiscatur. Sed tam ea quæ hic ait Ieremias, quàm quæ ait psalmo illo Dauid, vaticinationes sunt, & non deprecationes aut execrationes. Saltem de verbis Dauidis nulla est dubitatio: nam diuus Petrus apostolus cap. 1. Actorum Apostolorum ea de Iuda proditore interpretatur de quo asserit prædicta fuisse: ita enim ait: *Oportet impleri scripturam, quam prædixit spiritus sanctus per os Dauidis Iuda.* Nõ igitur Dauid perniciem deprecabatur alicuius, sed de illa, quam Iudas erat perpessurus, vaticinabatur. Eodem modo multa alia loca diuinorum vatum intelliguntur. Qua de re vide Hieronymum in cõmentariis in hunc Ieremiæ locum, Anacletum summum pontificem epistola secunda, Augustinum de sermone Domini in monte, Euthymium in titulum psalmi 108. Thomã Aquinatem 2. 2. qu. 83. art. 8. Simili modo Ieremias hoc loco prædicit Babyloniorum exitium, de quo etiam aliis in locis vaticinatus fuerat. Ideò ait: *Ingredietur omne malum Chaldæorum coram te, & destrues illos.* Vbi malum accipitur pro malo culpę: hoc est, pro peccatis. Vel pro malo pœnæ, quod Chaldæi Hierosolymæ intulerunt. *Hieron. Anacle. Augusti. Euthy. Theom.*

r *Vindemia eos sicut vindemiasti me.* Hoc est, affliges eos propter eorum scelera, quemadmodum me propter mea afflixisti. Ponitur imperatiuus modus pro E
futuro indicatiui. Accipi vindemiare pro affligere ostendimus supra verum illum explanantes: *Quoniã vindemiauit me Dominus.* Reddẽs autem hic Ieremias causam quare Babylonij essent affligendi: quia, inquit, multi gemitus mei. Hoc est, quia ipsi me crudeliter vexarunt, suntque causa meorum gemituum & dolorum. Ideò eorum ciuitatem euertes. Hoc accidit tempore regis Balthasaris, vt ait Daniel capite 5. Tunc enim, cùm Babylon summa mundi potiretur felicitate, fuit à Persis & Medis oppugnata & eversa & eius rex interfectus, & ciues laniati. & acerbissimis calamitatibus affecti. Vt arbores, si quãdo præter opinionem vberrimos fructus ediderint, solent statim exarescí: si vita præter morem fœcunda, honoribus & diuitiis inopinatis affluens perniciem imminere sæpenumero significat. Docet hic locus, Deum in eos animaduertere, qui alios affligunt, eosque eadem pernicie mulctare, quam ipsi aliis machinantur. Id intelligens diuinus citharœdus ait psalm. 7. *Arcum suum tetendit, nimirum* Deus, *& parauit illum & in eo parauit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit.* Vasa mortis sunt funestæ sagittæ, exitia, & acerbæ calamitates, quibus Deus vulnerat ardentes, hoc est illos, qui odio ardent, & viris iustis exitium moliuntur. Quare verba illa: *Sagittas suas ardentibus effecit:* verti etiam possunt: Sagittis suis ardentes transfixit. *Supra.* *similitudo* F

OBSERVATIONES EX Hebræo in

Lamentationes. I.

1 Eo quòd non sint, qui veniant ad solennitatem. *Pro solennitate est in Hebræo* מועד *Mohedh, à verbo* יעד *Iahadh, quod significat parare, testificari, congregare, constituere tempus, seu conuenire ad tempus constitutũ. Vnde Mohed significat apparatum, solennitatem, testamẽtum, congregationem, tempus constitutum sepulchrum, terminum, diem festum, & templum, vbi omnes congregantur. Capite Exod. 9. vbi nos habemus:* Constituítque dominus tempus, dicens: Cras faciet dominus verbum istud in terra. *Pro, tẽpus, est in Hebræo nomen hoc Mohedh. Pro quo Septuaginta verterunt ὄρον, hoc est terminum. Posuit namque Deus certum tempus constitutum. Capite 24. libri secundi Regum, vbi vulgata editio habet.* Immisítque Dominus pestilentiam in Israel de mane vsque ad tempus constitutum. *Pro, constitutum, est in Hebræo vocabulum hoc Mohedh. Vnde quidam vertunt: Vsque ad tempus solemnitatis vespertinæ: nam tempus illud quo fiebat sacrificium vespertinum, tem-*

A *tempus constitutum vocabatur. Et quoniam vocabulum hoc significat congregationem, & qui per ciuitatem dispersi erant, solebant tempore prandij in domiciliis suis congregari, verterunt Septuaginta: Dedit Dominus mortem in Israel à mane vsque ad horam prandij. Illud Esaiæ* 14. Sedebo in monte testamenti: potest transferri: *Sedebo in monte congregationis. Mohedh enim, vt diximus, & testamentum significat, & congregationem. Ac si dicat: Sedebo in monte Sione, vbi est templum, quò omnes conueniunt ad sacrificia facienda, & diuinas laudes celebrandas. Pagninus transtulit: Sedebo in monte Ecclesiæ: & rectè quidem, Ecclesia enim congregatio appellatur. Sed recta est & excelsa lectio versionis nostræ vulgatæ: nam in templo illo seruabatur liber diuinæ legis, quæ illic docebatur, quæ dicitur testamentum Dei. Ac in templo illo docuit Christus Deus noster nouum testamentum, quod egressum de Sione, fuit latè longéque per diuersas mundi oras propagatum. Et impletum fuit illud Esaiæ capite secundo:* De Sion exibit lex verbum domini de Hierusalem. *Quare mons Sion vbi templum Dei erat situm, mons testamenti meritò vocatur. Potest etiam verti locus ille: Sedebo in monte solennitatis. Hoc est, in monte templi vbi solennia celebrantur. Vel in monte*

B *constituto. In hanc significationem accipitur Mohedh capite trigesimo Iob:* Scio quia morti trades me, vbi cõstituta est domus omni viuenti. *Sed quoniam nomen hoc sepulchrum significat, vbi congregantur mortales, potest verti locus ille: Scio te esse me traditurum morti, vbi sepulchrum est domus omni viuenti. Vel & sepulchro, vbi est domus omni viuenti. Vbi vides sepulchrũ esse omnium hominium domicilium. Et vt dicitur in Psalmo quadragesimooctauo.* Sepulchra eorum domus eorum in æternum. *Accipitur pro tempore apud Danielem duodecimo.* Per tempus, & tempora, & dimidium temporis. *Hoc est per tres annos cum dimidio: nam per tempus significatur annus vnus, per tempora duo anni, per dimidium temporis anni dimidium. Hoc nomine vtitur quoque Ieremias secunda lamentatione, pro quo Latinus noster interpres vertit festiuitatem, dicens:* Obliuioni tradidit dominus in Sion festiuitatẽ & abblatũ. *Et psalmographus Ps. septuagesimotertio pro quo nos habemus*

C *solennitatem:* Gloriati sunt, qui oderunt te in medio solennitatis tuæ: posuerunt signa sua signa. *Quibus verbis populus Hebræus deplorat incendium templi, vastationem Hierosolymæ, & Babyloniorum victorias, qui cum Deum odissent, gloriabantur adepta victoria in mediis solenniis & sacrificiis, quibus Hebræi diuinas laudes concinebant.* Et ponebant signa sua signa: *Hoc est vexilla & trophæa suarum victoriarum erigebant.* Pro in medio solennitatis tuæ, *poteris vertere: In medio templi tui. Eodem modo hoc loco Ieremiæ:* Viæ Sion lugent, eo quòd non sint, qui veniant ad solennitatem: *pro, solennitatem, poteris templum transferre: vt sit sensus: Lugent viæ Sionis, quòd non sint, qui se conferant ad templum, quod iam ruit, & incendio flagrauit. Destructo enim templo, & Iudæis partim mortuis, partim in exilium missis, viæ Sionis ad templum quondam ducentes plorare præ mœstitia videbantur.*

2 Inimici eius locupletati sunt. *Pro locupletati sunt in Hebræo est* עשׁלו *Xalu, à verbo* עשׁלה, *Xalah, quod significat in pace esse, prosperam esse, quiescere, errare, obliuisci, abundare. Vnde Septuaginta transtulerunt: Inimici*

Pagnin. *eius* ἐυθυνόθησαν, *hoc est, abundant. Et Pagninus: Inimici eius prosperati sunt. Quidam vertunt: Feliciter habent: quod idẽ est. Verti potest, Hostes eius obliuiscuntur, nimirum Dei: magna enim mundi prosperitas solet Dei obli-*

Genes. 4. *uionem generare. Id indicant nomina duorum filiorum Ioseph, quorum vnus vocatus est Ephraim, hoc est incremẽtum & abundantia, alter Manasses, hoc est abliuio. Hæ enim duæ res sunt plerúmq; copulatæ, nempe nimia prosperitas, & Dei, ac propriæ fragilitatis obliuio. Ab hoc*

D *verbo est illud psal.* 29. Ego dixit in abundantia mea: non mouebor in æternum. *Pro quo alij vertunt: Ego dixi prosperitate mea. Potest verti: Ego dixi cùm quietus essem: vel cum felicitatis potirer. Ac si dicat: cùm omnia mihi prospera cederent, & ad voluntatem fluerent, dixi apud me, nihil esse, quod me posset de illo florente rerum statum deiicere. Sed spem illam & cogitationem meam varij casus fefellerunt. Nam cùm tu domine paulisper auertisti à me oculos misericordiæ tuæ, statim sensi incredibilem rerum mearum mutationem. Potest verti locus ille: Ego dixi in errore meo: non mouebor in æternum. Vel in obliuione mea. Ac si dicat: Ego demens, mundi varietatis & vicissitudinis oblitus existimabã nihil esse, quod me posset labefactare, & de felicitate mea dimouere: sed planè deceptus eram. Ab hoc etiam verbo est illud cap. decimosexto Iob, pro quo nos habemus opulentus:* Ego ille quondam opulentus repente contritus sum. *Ac si dicat Iob: Ego qui olim locuples, quietus, diuitiis & honoribus affluens eram, repente decidi, & fui de prosperitate deiectus. Idem accidit Hierosolymæ, quæ ad maiorem sui*

E *mœroris cumulum videbat inimicos suos quietos, locupletes, lætitia gestientes, honoribus florentes, omni prosperitatis genere abundantes.*

Facti sunt principes eius veluti arietes non inuenientes pascua. *Pagninus habet: Fuerunt principes eius velut cerui, qui non inuenerunt pascua. Et ita vertunt nonnulli alij. Comparantur magnates Hierosolymæ in illa vastatione ceruis timidis, qui formidine debilitantur vel ob eorum fugam è ciuitate: Narrat enim diuina scriptura 4. li. Reg. 35. & vlt. cap. Ieremiæ, regem & magnates in bello illo metu perterritos se in fugam contulisse. Est enim perspicuum, eos qui timore perculsi fugiunt, per cernos hieroglyphicè significari. Eam ob causam Achilles apud Homerum volens ignauiam Agamemnonis obiurgare, eum ait cor habere ceruinum. Hinc egregium illud Chabriæ Athenienſium ducis apophthegma, quod Philippus vsurpare solebat, formidabiliorem esse ceruorum exercitum leone duce, quàm leonum duce cerua: vt refert Plutarchus. Quare non ineptè Pagninus cum nonnullis aliis pro arietibus hoc loco ceruos transtulerũt. Præsertim cum in Hebraico sit nomen* אילים, *quod & ceruum significat & arietem, puncto quodam mutato. Sed Septuaginta nobiscum arietes legunt, qui cum pastum non inueniunt, fragiles ac stupidi redduntur. At tu extat iam consideratio-*

Pagnin. Homer. Plutarch.

nem aries Christi imaginem gerebat, vt cap. 22. Geneſis, vbi Abraham arietem inter vepres hærentem cornibus vidit, quem in monte illo immolauit. Simili modo cernus, de quo ait sponsa vltimo versu capitis secundi Canticorum: Reuertere: similis esto dilecte mi capreæ, hinnulóque ceruorum super montes Bether. *Sponsa filium Dei vocauit, vt de cæli fastigio descenderet ad terram, & naturam sumeret humanam, cùm diceret:* Osculetur me osculo oris sui. *Et iterum:* Veniat dilectus meus in hortum suum. *Sed peractis redemptionis humanæ mysteriis, illum orat, vt ad cælum vnde exierat, reuertatur. Hinc voces illæ:* Fuge dilecte mi. *Et ille:* Reuertere: similis esto dilecte mi capreæ, hinnulóque ceruorum super montes Bether. *Bether enim idem est quod diuisio, quo nomine appellatur cælum, quòd mortales diuidat ab immortalibus. In quibusdam codicibus pro Bether loco illo est Bethel: sed vitium est typographorum. Verba*

Cant. 1. Cant. 5. Cant. 8. Cant. 2.

F *sunt sponsæ de Christi in cælum ascensu: de quo ipse dicebat apud Ioannem:* Expedit vobis, vt ego vadam. *Cum enim figurarũ omnium perfectissima sit circularis, voluit Christus illam conficere. Descendit de cælo, sumpsit humanam naturam, natus est ex virgine, ostendit viam ad vitam immortalem tendentem, immolatus in crucis ara omnia peccata nostra sanguine suo purissimo deleuit, rediit ad vitam, & tandem ascendit in cælum, vnde descenderat, efficiens admirabilem circulum, qui ibi vndè incipit, finitur. Et ibi sedet ad dextram patris. Ita enim*

A *ait Diuus Marcus:c.16.* Dominus Ieſus poſtquam locutus eſt eis,aſſumptus eſt in cœlum: & ſedet à dextris.Dei.*Aſſumptus eſt non aliena virtute,ſed propria:ac verſus Orientem : iuxta illud diuini vatis* : Aſcendit
Pſal.67. ſuper cœli ad Orientem.*Tunc impletum eſt illud cœleſtis citharœdi :* Aſcendit Deus in iubilo,& dominus
Pſal. 46. in voce tubæ.*Et illud* : eleuata eſt magnificentia tua
Gene. 11. ſuper cœlos.*Et illud Michææ:c. 2.* Aſcendit pendens iter ante eos.

3 Propter inſtabilis facta eſt.] *Pro inſtabilis , eſt in Hebraico: Lenidhah,à verbo Nudh,quod ſignificat mouere. Quam ob cauſam Septuaginta verterũt εἰς σάλον,hoc eſt in commotionem , ſeu in vacillationem. Id quod rectè Latinus noſter interpres expreſſit hoc nomine inſtabilis. Ac ſi diceret,non ſtetit firma, & quieta , ſed fuit mundi fluctibus exagitata, & eius tranquillitas in perturbationem conuerſa. Vnde Nodh idem eſt quod fluctuatio , & fluctuans,& profugus. Hoc vocabulo vtitur Moſes capite quarto Geneſis, pro quo noſter vulgatus interpres vertit,profugus,ita enim habet.* Egreſſúsque Cain à facie domini habitauit profugus in terra. *Pro quo Septuaginta habent. Habitauit in terra vaid.* Et *aly:Habitauit*
B *in terra Nodh.Hoc eſt in terrr fluctuam te,ſeu fluctus,ſeu commotionis. Aut ipſe fluctuans habitauit in terra.Impij enim nõ cælorũ ciues,ſed terræ habitatores nuncupantur: & non quieti & tranquilli,ſed inſtabiles & perturbati dicuntur.Cùm enim ſe à Deo ſeparent , confeſtim agitantur fluctibus ſeculi : & moti ab Oriente turrim ſcelerum aduerſus Deum,& impia dogmata conficiunt. Sed confunduntur , quia volunt inuito Deo in cœli faſtigium penetrare. Aſpicis ex peccato ortam eſſe inſtabilitatem, & ex ea confuſionem.* Nam *ex vno malo naſcuntur alia. Id quod nos habemus Pſalmo nono :* Inquinatæ ſunt vitæ illius in omni tempore:*poteſt etiam verti:Parient via eius in omni tempore.Nã ex vna procedunt aliæ:quemadmodum ex vno bono alia bona. Id quod eſt capite quinto Iob:* Nihil permanebit de bonis eius:*poteſt transferri:* Nihil *parient bona eius. Sunt enim bona quæ pariunt alia bona quemadmodum opes viri iuſti,ex quibus eleemoſynæ & aliæ pia opera dimanant,quæ ex opibus diuitis auari haudquaquam deducuntur.Sed quia* Nidhah *ſignificat mptionem & qui aliquem irrident, ſolent mouere caput:ideo Pagninus vertit : In deriſionem fuit.Et Brixianus : Ludibrio expoſita eſt. Sed quia verbum* Nudh *ſignificat migrare : poteſt rectè verti locus hic : Eam ob cauſam migrauit:vt ſit ſenſus : Quia Hieruſalem impia*
C *ſcelera admiſit , ideo migrauit in Chaldæam , eiecta in exilium.*

4 De cœlo miſit ignem, & erudiuit me.] *Pro eruditiuit , eſt in Hebræo verbum Rudhah , quod ſignifiact dominari , conterere , ſuſpicere , & erudire. Hanc vltimam ſignificattionem ſecutus eſt noſter interpres : Pagninus vertit: Et dominatus eſt ipſe ignis. Brixianus:Et ſæuit in Benedictus : Et dominatus eſt eis. Poteſt verti: Et contriuit ipſum:hoc eſt , vnum quemque ex ipſis Hebræis. Ac ſi dicat:Miſit Deus ex cælo ignem calamitatis, quo Iudæos mulctauit. Sed inter omnes has lectiones illa eminet,quam vulgata verſio expreſſit.*

5 Vigilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius.] *Pagninus habet : Ligatum eſt iugum iniquitatum mearum. Alij habent impreſſum eſt iugum præuaricationum mearum in manu eius. Senſus eſt. Vinculum flagitiorum meorum alligatum eſt in manu Dei , vt illius recordetur. Solent enim qui rem aliquam volunt memoria tenere ponere ſignum aliquod in manu , ne illius obliuiſcantur.Volens Deus,vt populus Iſraeliticus perpetuò recordaretur Admirabilis exitus ab Aegypto , dixit illi, Exodo tertiodecimo* : Erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monimentum ante oculos tuos. *Et apud Eſaiam quadrageſimonono.* Ecce,*inquit*,in manibus meis deſcripſi te. *Quidam hunc Ieremiæ locum ita ver-* D *tunt : Punctis deſignatum eſt , &c. Quod in idem recidit.*

6 Abſtulit omnes magnificos meos dominus.] *Pro abſtulit eſt in Hebræo verbum Salah , quod ſignificat auferre , quam ſignificationem ſecutus eſt noſter interpres. Significat etiam calcare & contemnere : quam ob cauſam vertit Pagninus : Calcauit omnes validos meos dominus. Septuaginta nobiſcum legunt. Vnde illud Pſalmo 118.* Spreuiſti omnes diſcedentes à iudiciis tuis: *poteſt verti Conculcaſti omnes declinantes à legibus tuis. Vel abſtuliſti, nimirum à vita gratiæ & gloriæ , omnes ab inſtitutis tuis aberrantes.*

7 Expandit manus ſuas.] *Pro expandere eſt in Hebreo Paras, quod verbum ſignificat extendere:vt hoc loco:Et Exodi nono :* Expendam palmas meas ad dominum.*Id eſt,orabo,& preces fundam ad Deum. Et pſalmo* 142.Expandam manus meas ad te : anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. *Ac ſi dicat: Auxilium tnum Deus ſancte implorabo:vt enim terra ſitiens pluuiam auidiſſimè expectat:ſic anima mea præſidium tuum. Significat etiam percutere,& diſcernere , vt Pſalmo* ccxageſimo ſeptimo. Deum diſcernit cœleſtes reges ſuper eam E niue dealbabuntur in Selmon. *Pro deſernit vertunt nonnulli percutit : vt ſit ſenſus : Dum cœleſtis rex percuteret reges externos in terra promiſſionis,congregatio Iudæorum , quæ antea erat nigra ob mœrorem , effecta fuit candida ob lætitiam, & cum niue montis Salmon collata. Sed rectiùs habet verſio vulgata , cuius eſt ſenſus : Cùm Deus Apoſtolos ſuos diſcernat & conſtituat reges ac principes ſuper eccleſiam,ita puri ac candidi reddentur fideles vt cum niue,quæ eſt in monte Selmon, poſſint comparari. Et quia verbum hoc ſignificat percutere , poteſt hic Ieremiæ locus ita transferri:Percuſſit manus ſuas : more ſcili cet mulieris lugentis.*

8 Mandauit dominus aduerſum Iacob in circuitu eius hoſtes eius.] *Pro hoſtes , eſt in Hebræo nomen* צַר, *quod ſignificat hoſtem,& calamitatem.Pro hoſte accipitur hac prima lamentatione :* Viderunt eam hoſtes , & deriſerunt ſabbata eius. *Pro afflictione & tribulatione Pſalm.*4. In tribulatione dilataſti mihi. *Ac ſic dicat Dauid : Cum in acerbibus doloris & ærumnarum anguſtiis verſarer , clamaui ad te Deum authorem & iudicem iuſtitiæ meæ : tu autem me à periculis liberaſti , in tuto &* F *tranquillo collocaſti, & viam ſalutis meæ latam effeciſti. Dilatari ailcui in tribulatione viam & campum , eſt illum ex anguſtiis & periculis liberare. Poteſt etiam ita explanari locus ille: Tu me domine clamentem exaudiſti: non quòd mihi auferres calamitatem ſed quod aliud præſtantius bonum in me conferres:cor enim meum mihi dilaſtati,& amplum feciſti , vt poſſet ærumnas omnes toleranter ſuſtinere. Simili modo tribus pueris non extinxit flammas fornacis , ſed ardente illa , illi difficultatis moleſtiam non ſenſerunt. Itaque hæc dilatio non aufert afflictionem,ſed animum amplificat , diuino ſolatio mulcet , & mirabiliter conſolatur. Deriuatur nomen hoc à verbo Tſur , quod ſignificat fingere,formare : vt Pſalmo* 138. Tu formaſti me : & poſuiſti ſuper me manum tuam. *Hoc eſt,tu Deus ſancte me in vtero matris meæ effinxiſti & formaſti , & manu tua me totum perfeciſti. Fortaſſe ideo ait : & poſuiſti ſuper mè manum tuam , vt metaphoram ſumat ab eo,qui conficit caſeum, cui manus imponit , vt illum aptè figuret & conficiat. Hac enim tranſlatione vtitur Iob decimo capite, cum ait* : Nonne ſicut lac mulſiſti me , & ſicut caſeum me coagulaſti? *Significat etiam verbum hoc affligere , vt capite Exodi vigeſimotertio. Affligam affligentes te. Vnde nomen Tſar ſignificat afflictionem , & hoſtem affligentem,& generaliter inimicum.Eo vtitur Pſalmographus,cùm ait* : Quos *Pſal.106.* redemit de manu inimici.*Pro quo alij transferunt: Quos*

redemit

A redemit de manu calamitatis. Illud psalm. vigesimiquarti. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: potest verti: Inimici cor meum multiplicarunt: Vel afflictiones cor meum roborarunt: vel sursum ferri fecerunt. Ac si dicat: Cor meum non solùm depressum non fuit calamitatum magnitudine, quin potius earum pondere instar palmæ sursum se extulit, & constantiam suam mirabiliter ostendit. Cùm autem nomen hoc & hostem significet & calamitatem, potest verti locus hic Ieremiæ: Mandauit dominus aduersum Iacob calamitates eius, vt illum obsiderent. Populus Iudaicus appellatur Iacob & Israel & circumcisio: antea appellabantur homines illi Hebræi: at posteà Iudæi dicti sunt ex die, qua ex Babylonica seruitute exierunt, vt ait libro vndecimo antiquitatum Iosephus. Sed semper gloriati sunt nomine filiorum Abrahę, & Israelis. Est autem aduertendum Abram fuisse nomen naturæ, Abraham verò mysterij. Iudæi infideles sunt filij Abræ, sed non Abrahæ: illi solùm sunt filij Abrahæ, qui sunt fideles, siue sint ex Gentibus, siue ex Hebræis, dummodo in Christum credant: diuus enim Paulus in epistola ad Romanos quatuor eum vocat patrem omnium credentium. Et capite 9. eiusdem epistolæ ait: Non omnes qui ex circuncisione sunt Israel, hi sunt Israelitæ: nec qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen. Id est non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Idem etiam dicit capite tertio epistolæ ad Galatas. Duplex est Israel, alter secundùm carnem, alter secundùm spiritum, vt colligitur ex capite decimo prioris ad Corinthios, Hebræi infideles sunt Iudæi & Israelitę & filij Abrahæ secundùm carnem: & omnes fideles sunt veri Iudæi, Israelitæ, & filij Abrahæ secundùm spiritum. Id significauit Deus, cùm dixit Abrahæ Geneseos vigesimosecundo. Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & sicut arenam maris. Filij Abrahæ sunt stellæ cœli, filij verò Abræ arenæ maris.

similitudo

Ioseph.

D

Argumentum lamentationis. II.

E

Argumentum huius secundi capitis est idem atque superioris, imò omnium harum lamentationum idem est propositum, & vnicus scopus. Quam ob F *causam argumentis deinceps supersedebo.*

CAPVT II.

א Aleph. [a] QVomodo obtexit caligine [b] in furore suo dominus [c] filiam Sion: proiecit de cœlo in terram inclytam Israel: [a] & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui.

ב Beth. [c] Præcipitauit dominus, nec pepercit omnia speciosa Iacob: [f] destruxit in furore suo munitiones virginis Iuda, & deiecit in terra: [g] polluit regnum, & principes eius.

ג Gimel. [h] Confregit in ira furoris omne cornu [i] Israel: [i] auertit retrorsum dexteram suam à facie inimici: [k] & succendit in Iacob quasi ignem flammæ deuorantis in gyro.

ד Daleth. [l] Tetendit arcum suum, [m] quasi inimicus, firmauit dexteram suam quasi hostis: & [n] occidit omne, quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion: effudit quasi ignem indignationem suam.

ה He. [o] Factus est dominus velut inimicus: [p] præcipitauit Israel, præcipitauit omnia mœnia eius, [q] dissipauit munitiones eius: [r] & repleuit in filia Iuda humiliatum & humiliatam.

ו Vau. [s] Et dissipauit quasi hortum tectorum suum, [t] demolitus est tabernaculum suum: [v] obliuioni tradidit dominus in Sion festiuitatem & sabbatum: & in opprobrium & in indignationem furoris sui [x] regem & sacerdotem.

ז Zain. [y] Repulit dominus altare suum, [z] maledixit sanctificationi suæ: tradidit in manu inimici muros turrim eius. [aa] vocem dederunt in domo domini sicut in die solenni.

ח Cheth. [bb] Cogitauit dominus dissipare murum filiæ Sion: [cc] tetendit funiculum suum, & non auertit manum suam à perditione, luxitq; antemurale, & murus pariter dissipatus est.

ט Teth. [dd] Defixæ sunt in terra portæ eius: perdidit & contriuit vectes eius: regem eius & principes eius in gentibus: [ee] non est lex, & prophetæ eius [ff] non inuenerunt visionem à domino.

C

EXPLANATIO.

א Aleph. a *Quomodo obtexit caligine.* Particula, quomodo, hoc loco admirantis & dolentis est, vt in principio capitis superioris: totáque oratio hæc exclamatio est admirationis doloriſque pleniſſima. Quam ob causam mœstissimus noster vates eandem sententiam repetit sæpenumero diuersis verbis, quæ ei dolorem offerebat & administrabat. Prosequitur Hierosolymæ calamitatem, & euersæ vrbis ruinas. Deus qui ei legem tulerat, eamq; summo amore fuerat prosecutus: de quo ait Dauid: *Qui annuntiat verbum suum Iacob, iustitias & iudicia su a Israel: non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Eam in bello Babylonico obtexit caligine ignorantiæ & mœroris. Permisit enim, vt illa esset tenebris dementiæ cooperta & ictibus rerũ aduersarum lacerata. Obtegere re aliquem caligine est illum obscurare, eíq; tenebras offundere. Sed caligo & tenebræ accipiuntur aliquando pro ignorantia, aliquando pro mœstitia. Pro ignorantia, vt capite secundo Ecclesiastis. *Sapientis oculi in capite eius: stultus in tenebris ambulat.* Acsi dicat: Sapiens diligenter videt, quid agendũ sit: insipiens verò nihil videt, ambulãs errorum caligine

Psal. 147

A circunfusus, acsi non in capite, sed sub pedibus oculos haberet, quibus nihil intueretur. Poteris per caput Christum intelligere, qnem Diuus Paulus in epistola ad Ephs. c. 2. & in epist. ad Colossenses, caput nostrum appellauit. Vt sit sensus, oculos sapientis in Christum respicere, stulti autem in terram: quoniam qui vera sapientia præditi sunt, ad cœlum aspirant, stulti verò in tenebris versati solam terram consectantur. Vbi vides nomine tenebrarum ignorantiam significari. Eodem modo Psal 81. ait ita de principibus & magnatibus insanis diuinus ac regius vates: *Nescierunt, nec intellexerunt: in tenebris ambulant: mouebuntur omnia fundamenta terræ.* Acsi dicat: cùm principes in erroribus versantur, vacillat & fluctuat respublica: nec solùm homines inconstantes, sed etiam illi qui ita sunt stabiles, vt cum fundamentis terræ aliàs immobilibus comparentur, commouentur &
B concitantur. Et diuus Paulus cap. 4. epist. ad Ephes. *Tenebris*, inquit, *obscuratum habentes intellectum.* Accipi autem tenebras & caliginem pro mœrore & calamitate, indicat Esai. cap. 5. cùm ait: *Ecce tenebræ tribulationis lux obtenebrata est in caligine eius.* Et Iob. 3. *Occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine.* Quēadmodum nomine lucis significatur prosperitas, ita nomine tenebrarum calamitas. Vnde idem Iob cap. 17. *Rursum*, inquit, *post tenebras spero lucem.* Eam ob causam Sopho. 1. & Ioel. 2. tempus calamitosum appellant diem tenebrarum & caliginis. His duobus fuit obscurata Hierosolyma ob eius scelera, id ita exigente diuina iustitia. Sed proprius loquitur hic Ieremias de caligine & tenebris mœrorum acerbitatum, quibus ærumnosa ciuitas angebatur. Ac quamuis illis nonnulli fortasse peiores redderentur, aliquos tamen credibile est se ad meliorem frugem re-
similitudo cepisse. Vt nerij folium quod alij rhododendrum vocant, capris ac ouibus est venenum, hominibus autem est aduersus venenum ferarum remedium, vt ait Dioscorides: sic calamitas quæ hominibus ira & insania concitatis perniciem affert viris tolerantia & sapientia munitis est medicina salutaris. Ait enim apostolus capite octauo epistolæ ad Romanos: *Scimus,*
C *quoniam diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonum.* Hæc est plana & vera huius loci expositio. Verùm quoniam Deus fauorem suum solebat ostendere nube & caligine, potest esse sensus horum verborum: Quomodo fauit Deus olim Hierosolymæ, tegem eam nube & caligine aduersus æstus rerum aduersarum: sed posteà euertit illam. Significari autem diuinum fauorem ostẽsione nubis & caliginis ostendit diuina scriptura multis in locis. Volens Deus indicare amorem, quo filios Israelis complectebatur, cùm eos in terram duceret promissionis, præcedebat eos per diem in columna nubis, vt capite 13. & 14. Exod. & Psal. 77. literæ diuinæ memoriæ prodiderunt. Et capite 16. eiusdem Exodi, gloria Dei apparuit in nube, cùm Deus cum Mose loqueretur. Et capite 19. dixit Deus ipsi Mosi: *Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi.* Volens etiam ostendere placere sibi tabernaculum, operuit illud nube: & ait scriptura capite 40. Exodi. *Operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria domini impleuit illud.* Quæ sententia refertur etiam Numer. nono. Id effectum est etiam templo Salomonis, vt capite octauo, libro tertio Regum & quinto, secundo Paralipomenon licet videre. Cùm Christus se in monte coram tribus ex discipulis suis transfiguraret in medio Mosi & Elię, nubes lucida o-
Marc. 9. bumbrauit eos, vt euangelistæ testificantur. Et in Christo domini ascensu: *cœlum nubes suscepit eum ab oculis discipulorum*, vt capite Actorum primo narrat Diuus Luc. Aspicis igitur diuinum fauorem per nu- D
bem significari. Quare cùm Ieremias ait, Deum operuisse nube seu caligine Hierosolymam, vult significare fuisse illum vrbem eam quondam fauore prosecutum. At tunc verba hæc ita sunt disponenda: *Quomodo obtexit caligine dominus filiam Sion: Infurore suo proiecit de cœlo in terram inclytam Israel.* Pro obtexit caligine est in Hebraico vnicum verbum, quod significat operiret nube & caligine, obscurare, & obũbilare. Significat etiam extollere ad nubes, & vsque ad nubes efferre: vt ait Rabbi Dauid Chimhi in libro radicum, & Sanctus Pagninus in Thesauro. Quare potest rectè explanari locus hic: Quomodo Deus extulit vsque ad nubes Hierosolymam, & posteà in furore suo proiecit illam in terram: Ita hunc locum explanat Rabbi Abraham doctus inter Hebræos. Dicens Ieremias fuisse Hierosolymam summè, felicem, exaggerat summam eius infelicitatem. Nam in rebus aduersis nihil est infeliciùs, quàm fuisse felicem. Est igitur sensus: Quomodo extulit Deus Hierosolymam ad honorum, opum & dignitatum fastigium, vt quantò altior esset ascensus, tantò maior esset ruina: Ideo verba hæc in furore suo possunt cum prima parte coniungi. Tunc enim Deus furorem suum in E
flagitiosos homines ostendit, cum eos permittit ad excelsũ, sed falsam mundi gloriã euehi, vt inde ignominiosiùs præcipitentur. Magna enim ira vtitur Deus cùm ea vti non videtur, cùm in impios non animaduertit: quando eorum scelera non castigat, sed inulta dimittit: vt posteà duriùs puniat: quósque ad mundi prosperitatem eius indignos ascendere permittit: vt ex altiore loco dignitatis in infimum ignominiæ deiiciantur. Eam ob causam dicebat ipse apud Ezechielem 16. *Zelus meus recedet à te, & non irascar tibi amplius.* Et apud Ose. 4. *Non visitabo super filias vestras, cùm fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras, cùm adulterauẽrint.* Loquens Iob capite 21. de impiorum prosperitate in hac vita: *Ducunt*, inquit, *in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Acsi dicat: Quid illis prodest mundi felicitas breuis & fallax, cùm tandem moriantur, & ad æternos inferorum ignes relegentur? Vel accipitur illic infernum pro sepulchro: & tunc sensus est: Hoc accedit ad eorum prosperitatem, quod postquam in toto vitæ curriculo rebus vtuntur secundis & ad voluntatem fluentibus, & in exitu vitæ non laborant longa & molesta ægrotatione, sed breui morbo affecti ex vita discendunt. Sed quoniam particula pro qua Latinus noster F
interpres vertit punctum, significat etiam quietem, potest verti locus ille: & in requie ad sepulchrum deducuntur. Ac ita habet paraphrasis Chaldaica. Ac si dicat: tanta est nonnullorum hominum sceleratorum prosperitas, vt non solùm in pace viuant, sed etiam in pace moriantur. Sed eorum felicitas cum flagitiis coniuncta terra res est, detestabilis, misera, ærumnosa, omni contentione, velis, vt ita dicam, remísque fugienda, quoniam secum affert perniciem sempiternam. Et plerunque ita extoluntur in sublime, vt etiã in hac vita ad imum dedecus præcipitentur. Id accidit Hierosolymæ, quam Deus in furore suo permisit efferri ad excelsum dignitatis gradum, vt inde caderet, & omnia eius ornamenta per summum dedecus & ignominiam diriperentur.

b *Infurore suo.)* Hoc est, in seueritate iustitiæ suæ: in ira, ad quã ingrata ciuitas eum prouocauerat flagitiis suis. Effectum diuinæ iustitiæ iram Dei, & furorem, & vltionem appellant diuini vates.

c *Filiã Sion.)* Hoc est, cõgregationẽ montis Sionis. Sic appellat Hierosolymam, quòd in monte illo sita fuerit. De hoc schemate locuti sumus in explanatio

in pri-

A in primam lamentationem & fusiùs in nostris in Danielem commentariis.

c *Proiecit de cœlo in terram inclytam Israel.* Hoc est, deiecit Deus de excelsa dignitate, & honorum vertice in summam miseriam & ignominiam Hierosolymam, quæ erat inclyta filia Israelis, egregia Israelitarum congregatio, & totius Iudææ regia, & caput. Vel quæ erat decus, ornamẽtum, pulchritudo, & gloria Israelis. Omnia enim hæc significat vocabulum Hebræum, pro quo nos inclytam habemus. Esse in cœlo dicitur, qui authoritate, gratia, honore, potentia, cæterisque rebus secundis valet: efferri in cœlum qui summis laudibus celebratur: detrahi de cœlo, & decidere ex astris, qui ex altissimo illustris gloriæ gradu præcipitatur. Omnibus his locutionibus vtitur M. Tullius, qui omnes viri eloquentes eloquentiæ palmam sine controuersia tribuerunt. Quare ne mireris, si hoc orationis ornamento noster Ieremias vtatur.

d *Et nõ est recordatus scabelli pedum suorum.* Hoc est, non se ostendit memorem templi sancti sui, in quo colebatur tanquam rex in scabello pedum suorum. Non meminit illius, vt illud scilicet à Babyloniorum furore liberaret. De templo suo ait ipse Deus apud
B Ezechielem 42. *Locus solij mei, & locus vestigiorum pedum meorum, vbi habito in medio filiorum Israel.* Itaque per scabellum pedum Dei intelligitur templum, vt hoc loco ait Theodor. Vel intelligitur arca fœderis, quam Deus præcepit fieri, super quam sessurum se promisit in medio propiciatorij, vt inde loqueretur: quemadmodum Moses cap. 25. Exodi scriptum reliquit. Vocari autem arcam illã scabellum pedum Dei, indicat ca. 28. lib. 1. Paralipomenon: vbi Dauid: *Cogitaui*, inquit, *vt ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis, & scabellum pedum Domini Dei nostri.* Vbi particula, &, accipitur pro id est. De arca illa fœderis intelligitur illud Psalmi 98. *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius.* Hoc est, adorate Deum ante arcam testamenti: in ea enim Deus præsentiam suam exhibebat. Adorare scabellum pedum eius idem est, quod colere ad scabellum vel versus scabellum pedum eius. Ita illud intelligitur psalmo 131. *Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.* Pro quo alij vertunt: Prosternemus nos ad scabellum pedum eius: hoc est, ad arcam fœderis, super quam erat propiciatorium, vbi Deus sedebat, habens pedes super arcam
Exo 40. 3. Reg. 8. fœderis, quæ prius fuit in tabernaculo Mosis, postea in templo Salomonis. Dicitur Deus habere pedes & & manus, & alia membra tropicè: est enim eius natura incorporea. Sed solet scriptura aliquando & membra & affectus hominis tribuere summæ ac diuinæ
ד Beth. maiestati, vt se modo nostro loquendi accomodet.

C e *Præcipitauit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Iacob.* Id est Deus, qui olim erigere solebat omnia ornamenta Israelitarum, modò euertit atque destruxit omnia illa: non enim pepercit ciuitati, nec ædificiis, quamuis pulchris, & industria elaboratis. Omnia speciosa Iacob vocat cuncta ornamenta pulchra & egregia Iudæorum, qui significantur nomine Iacob, à quo tanquam à fonte deducuntur.

f *Destruxit in furore suo munitiones virginis Iuda.* Id est, mœnia & arces munitas Hierosolymę deleuit per Babylonios: nemo enim erat ex Iudæis, qui eis posset resistere. De illis namque ita vaticinatus fuerat Esa-
Gene. 49. 1. Par. 5. ias capite primo: Erit fortitudo vestra vt fauilla stupæ. Hierosolymam appellat virginem ob rationes, quas attulimus capite superiore. Est virginem Iuda seu filiam Iuda, quia Iudæi à Iuda filio quarto Iacob denominantur, tanquàm à nobiliore, quoniam ei fuit regnum promissum & tributum. D

g *Polluit regnum, & principes eius.* Id est, permisit Deus, vt regnum Iudaicum & principes ac magnates eius contaminarentur ab impuris Babyloniis: à quibus fuerunt aspersi sanguine, maculis affecti, & cõtumeliis lacerati. Ac in regno Iudeæ vbi solùm Deus colebatur, colebantur Babyloniorum idola, & impuræ ac profanæ gentium superstitiones obseruabantur Id prædixit psalmographus cum Deo ita loquens ps. 88. *Auertisti testamẽtum, serui tui, profanasti in terra sanctuarium eius.* Vbi pro auertisti potest scribi euertisti: existimo enim esse librariorum errorem, qui pro vno alterum posuerunt. Sensus est: Tu Deus sancte videris euertisse fœdus, quod pepigeras cum seruo tuo Dauide de gloria regni Iudaici: permisisti enim, vt pollueretur in terra regnum eius: quod ideò dicitur sanctuarium, quia tu in illo sancte colebaris. Pro, sanctuarium eius, vertit Hieronymus & diadema eius, quod in idem ferè recidit: nam nomine diadematis regnum significatur. Verbum hoc Hebraicum pro quo Latinus noster interpres in lamentatione hac vertit, polluit, est idem, pro quo in psalmo illo transtulit profanauit: pro quo ca. 43. Esa. vertit contaminare. Ita enim habet: *Contaminaui principes sanctos.* E
Verba sũt Dei de peccato loquẽtis Mosis & Aaronis, quos vocat principes sanctos. Vbi contaminaui idem est quod ostendi esse contaminatos, nimirum apud aquas contradictionis: quam ob rem in terram sanctam ingredi non potuerunt. Quare huius loci Ieremiæ hic potest esse germanus sensus: Ostendit Deus pollutum esse & vitiis contaminatum regem Sedechiam & magnates eius, cùm illos tradidit Babyloniis grauiter affligendos & lacerandos. Rex enim ille qui tunc gubernaculum reipublicæ tractabat, & multi ex nobilibus Hierosolymæ se terris flagitiis im- *similitudo*
buerant, & falsi honoris specie decepti in dedecore volutati dignitatibus intemperanter abutebantur. Quemadmodum qui Persicum malũ comedunt, solùm pomum deuorant, duram autem nucem eius foras proiiciunt: sic multi ex magistratibus & reipublicæ muneribus accipiunt honorem & commodum *similitudo Psal. 72.*
tantùm, labores autem dignitati copulatos reiiciunt. Itaque per regnum intelligitur rex, & per principes viri generis nobilitate clari. Nec mirum eos fuisse flagitiosos, siquidem rex erat flagitiis contaminatus. *Psal. 91.*
Nam quemadmodum vmbra corporis obliqui obliqua etiã est: ita magnates regis impietatem sequuntur. Contrà verò de iusto rege ait psalmographus: *Orietur in diebus eius iustitia.* Vel vt transferri etiam potest ex Hebræo: Florebit in dieb. eius iustus. Nam vt alio psalmo dictum est: *Iustus vt palma florebit.* Ve- ג
ra est enim illa Ecclesiastici sententia: *Qualis est rector ciuitatis, tales, & habitantes in ea.* *Gimel.*

h *Confregit in ira furoris omne cornu Israel.* Hoc est, F
Deus in ira sua magna, in effectu iustitiæ suæ perrupit ac confregit omne robur Iudæorum nomine Israelis significatorum. Cornu accipitur pro robore, fortitudine, potentia, gloria, regno, protectione: propterea quòd animalia cornigera habeant cornua pro *1. Reg. 16*
viribus, armis, ornatu, & defensione: & quòd reges olim oleo ex cornu vngebantur. Pro fortitudine accipitur psalm. 74. vbi Deus ait: *Omnia cornua peccatorũ confringam, & exaltabuntur cornua iusti.* Et psal. 43. vbi fideles robore septi aiunt: *In te inimicos nostros vẽtilabimus cornu.* Ac si dicant: Freti domine auxilio tuo hostes nostros fortitudine nostra feriemus. Et cap. 48. Ieremiæ: *Abscissum est cornu Moab.* Et hac eadem lamentatione: *Exaltauit cornu hostium tuorum.* Pro rege accipitur 1. Reg. 2. *Sublimauit cornu Christi sui.* Et Luc. primo *Erexit cornu salutis nobis in domo*

A *Dauid pueri sui.* Eam ob causam hoc Ieremiæ loco per omne cornu quod Deus confregit, intelligunt nonnulli duo cornua, hoc est duo Hebræorum regna, nimirum Iudææ & Samariæ. Accipitur cornu pro re eminente & excelsa, quoniam nihil est in quadrupedibus altius cornibus. Ita sumitur ab Esaia ca. 5. *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei.* Vinea est Hierosolyma sita in cornu hoc est in loco alto, & in filio olei, id est in terra pingui & frugifera. Nam paraphrasis Chaldaica habet: In monte excelso, & in terra pingui. Et Pagninus: In colle, in loco pingui. Fortasse appellatur locus ille filius olei propter oliuarum, quibus abundat, multitudinem & proceritatem. Vel propter reges & sacerdotes, qui ibi oleo
1.Reg.16. 4.Reg.11 vngebantur. Vel quia inde exiuit euangelica doctrina, quæ longè latéque propagata vniuersum terrarũ orbem perunxit, & pinguem reddidit, qui antea aridus erat, & ob penuriam doctrinæ cœlestis siccitate laborabat. Fortasse alludit diuinus vates ad antiquũ Prouerbium, cornu copiæ, vberrimorum fructuum referto, vt sit sensus: Sita est Hierosol. in loco, ex
B quo tanquam ex Amalthææ cornu omnem pinguem & fœcundam fructuum vbertatem depromere possis.
Exod.3. Num.13. Perspecta fuit enim, & cognita terræ sanctæ fertilitas, quæ ob eam lacte & melle fluere dicebatur. Significari autem fertilitatem cornu illo copiæ indicant numismata Iulij Cæsaris, Musidij, M. Antonij, Domitiani quæ Antonius Zantanus, Aeneas Vicus, & Hubert. Herbiopolita descripserunt, & excudi curarũt. Insuper accipitur cornu pro radio & splendore. Quã ob causam Moses cornibus insignitus depingitur, cum deberet splendidus depingi: cuius facies diuino lumine illustrata adeo fulgentibus radiis micabat, vt populus Israeliticus eius splendorem ferre minimè valeret. Ita literæ diuinæ ca. 34. Exod. memoriæ prodiderunt. Id enim voluerunt significare cornibus hoc est splendoribus, quibus Mosis facies fulgebat: de quo ibi scriptum est: *Ignorabat, quòd cornuta esset facies sua.* Quæ verba præclarè septuaginta ita transtulerunt: Nesciebat Moses glorificatum esse aspectum cutis faciei suæ. Has & alias significationes habet cornu: de quibus vide August. in Psal. 117. & in Apoc. homilia 11. Hieronymum in Habacuc 3. & in Ezechielem 43. Arnobium in psal. 68. & 111. Aretam in Apoc. 9. Basilium in psal. 21. Ricardum de sancto
C Victore de vitio mutabilitatis. Sed hoc loco pro robore, seu regno accipitur à Ieremia.

i *Auertit retrorsum dexteram suam à facie inimici.* Id est, subduxit Iudæis auxilium, cùm peruentum fuit in hostium conspectum. Accipi dexteram pro auxilio indicat locus ille psal. 73. *Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam, de medio sinu tuo in finem?* Subaudi, tolle illam. Acsi dicat diuinus vates. Quare domine retrahis à me præsidium tuum? Profer ex sinu tuo manum adiutricem, & nobis fer opem. Et psal. 118. *Fiat manus tua, vt saluet me.* Vel accipitur manus pro supplicio: vt sit sensus: Auertit Deus supplicium & castigationem à Iudæorum inimicis. Accipi autem manum pro flagello indicat Iob cap. 13. cùm ait: *Manum tuam longè fac à me.* Et cap. 19. *Manus domini tetigit me.* Et psal. 31. *Grauata est super me manus tua.* Et Sophoniæ 1. *Extendam manum meam super Iudam.*

k *Et succendit in Iacob quasi ignem flammæ deuorantis in gyro.* Id est, & accendit in populo Israelitico calamitatem instar ignis ardentis, qui non ex vna aut altera parte, sed vndique omnia circumquaque consumit.

ל l *Tetendit arcum suum.* Arcus est instrumentum iaDaleth. culandi, quo hostis solet in prælio pugnare. Tunc autem eum tetendit, cùm sagittas emittit. Comparat Ieremias calamitates Iudæorũ sagittis, quibus Deus D eos transfigebat. Ita psalmographus: *Arcum suum tetendit, & parauit illum & in eo parauit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit.* Vasa mortis appellat sagittas, quas ait. Deum in ardentes odio, & ira, & cæteris flagitiis emisisse. Vltionem Dei impiis proximam describit his verbis Dauid.

m *Quasi inimicus.* Quia pœnam inferebat: cùm tamen illud ex iustitia, charitatéque ad animarum vtilitatem efficeret.

Firmauit dexteram suam quasi hostis. Firmauit & roborauit dexteram suam, vt instar hostis grauiter vulnerantis nos duriùs feriret. Diuinam indignationem comparauit proximè arcui à longè percutienti, nunc manui è prope flagellanti. Diximus paulò antè, manum accipi pro flagello. Vnde firmare manum super aliquem, est illum graviter percutere. Sensus est: non solùm manum suam à nobis retraxit, vt non staret pro nobis, sed etiam stetit ab hoste contra nos. E

n *Occidit omne quod pulchrum erat in tabernaculo filiæ Sion.* Hoc est, perdidit, quicquid pulchrum erat in templo Hierosol. Accipitur tabernaculum pro templo, vt psal. 131. *Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.* Et Ieremiæ 10. Tabernaculum meum vastatum est. Vel accipitur tabernaculum pro vrbe. Et tunc idem est, in tabernaculo filiæ Sion, ac in ciuitate Hierosolimæ. Accipi autem tabernaculum pro vrbe indicat ca. 12. li. 3. Regum: *Vade in tabernacula tua Israel.* Et psal. 86. *Diligit dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Hoc est plusquam omnes Iudæorum ciuitates. Vel vtitur hic Ierem. singulari pro plurali, & per tabernaculum intelligit domos, vt 4. Regum 8. Populus autem Israel fugit in tabernacula sua. Et Iob decimooctauo: *Habitent in tabernaculo illius socij eius, qui non est.* Id est, habitent in domo illius socij eius, qui iam non extat, qui iam ex vita migrauit. Vel vt potest etiam verti: Habitent in domo illius socij eius, quia illius non est. Acsi dicat: Habitent alij in eius domicilio, quoniam illud ex rapinis construxit. Vel accipitur ibi tabernaculum pro sepulchro, vt sit sensus: F Sepeliatur ipse, & in sepulchro illius socij eius simul condantur. Ipse humo iniecta in tumulo contegatur & amici eius eodem loco mandentur.

ה o *Factus est dominus velut inimicus.* Iuxta illud E- He. saiæ 63. *Ipsi ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt spiritum sanctum eius: & ipse conuersus est eis in inimicum, & debellauit eos.*

p *Præcipitauit Israel.* Id est, perdidit Deus populum Israeliticum.

q *Dissipauit munitiones eius:* Id est, diruit arces munitas Hierosolymæ.

r *Repleuit in filia Iuda humiliatum & humiliatam.* Auxit in vrbe Hierosolyma afflictos vtriusque sexus. Poteris vertere: Propogauit mœrorem & tristitiam filiæ Iudæ. Ioannes Benedictus habet ad marginem: Multiplicauit in filia Iudæ luctum & lamentum: Isidorus Brixianus vertit: Repleuit filiam Iuda lamentione & luctu.

ו s *Et dissipauit quasi hortum tentorium suum.* Hoc est, euertit Deus templum suum, acsi esset hortus fragili maceria septus. Nomine tentorij templum significatur. Poteris per tentorium intelligere Hierosolymam, vt sit sensus: Destruxit quasi horti tugurium ciuitatem suam. Vel sic: dissipauit Hierosolymam, quæ instar horti amœnissimi iucundissima erat. Vau.

t *Demolitus est tabernaculum suum.* Euertit ciuitatẽ suam. Eadem est sententia cum superiore. Diuus tamen Hieronymus per tentorium intelligit tabernaculum Mosis, per tabernaculnm verò templum Salomonis.

A v *Obliuioni tradidit dominus in Sion festiuitatem & sabbatum.)* Cessare fecit Deus in templo sollennia legalia. Cùm enim non esset templum, nulla sollennia celebrabantur. Idem dixit cap. superiore: Viæ Sion lugent, eo quòd non sint, qui veniat ad solennitatem. *Sup. 1.*

x *Regem & sacerdotem.)* Ad regem pertinebat ciuitatem regere, & defendere, & populum tueri. Sacerdotis autem præcipuæ partes erant, populum docere, Deo in templo ministrare, legem eius interpretari, & omnes iuxta illam erudire. Vt natura humorem ac vim vitalem arboris posuit in eius radice & medulla, vt inde ad ramos deduceretur: sic Deus voluit, vt in sacerdotibus vis esset sapientiæ, vt inde tanquã ex radice in populum permanaret. Et quemadmodum sanguis est inhepate, ex quo tanquam ex fonte deriuatur ad penas explendas, membráque nutrien da: sic vera ac salutaris doctrina debet esse in eo, qui fungitur sacerdotio, ex quo in populũ deriuetur, & circun fundatur. *Labia enim sacerdotis*, vt ait Mala- *similitudo*
B chias capite secundo. *custodiunt scientiam, & legem exquirunt de ore eius.* Idem vult significare Aggæus cap. 2. cùm ait: *Interroga sacerdotem legem.* Et Diuus Paulus ad Ephesios 4. *Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem pastores & doctores.* Non ait: alios autem pastores, alios verò doctores: sed alios autem pastores & doctores, quia qui pastor est, magister esse debet. Ideo ait Deus apud Ieremiam 3. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum: & pascent vos scientia & doctrina.* Sacerdos sine scientia est sol sine luce, nauis sine gubernaculo. Tu autem aduerte: Non ait Malachias: c. 2. Labia sacerdotis proferunt scientiam: sed custodiunt. Custodire enim scientiam est non solùm illam habere, sed iuxta illa viuere. Nam vt ait apostolus capite 4. prioris ad Corinthios: Nam in sermone regnum Dei est, sed in virtute. Dæmones multa sciũt, dicuntur enim à verbo dæmo, quod idem est Græcè, quod scio Latinè. Vnde Plato in Cratylo ait dæmones à peritia rerum esse nuncupatos: quem secutus est Lactantius & Capella, & Chalcidius in Timæum Platonis. At quid illis prodest scientia, quandoquidem supplicio æterno cruciantur? Habent scientiam à charitate disiunctam, ideo sunt superbia elati: nam vt Diuus ait Paulus cap. 8. prioris ad Cor. *Scientia inflat.* Quod Diuus Aug. libro. 9. de ciuitate Dei inter- *similitudo*
C pretatur, quando est à charitate separata. Quemadmodum seracium, quod alij cerniculum vocant puràm proiicit farinam, furfures autem retinet: ita magistri docti sed impij bonam proferunt doctrinam, sed retinent impietatem. Sunt scientia prædíti, sed maleficiis pascuntur. At veri sacerdotes debent habere scientiam cum virtute copulatam: præsertim scientiam diuinę legis, in qua sunt alios instructuri. Nec rex debet esse ab hac scientia alienatus: nam quondam eum ei diadema regium capiti imponebãt, supra illud diuinæ legis librum collocabant. Cap. enim 11. li. 4. Reg. scriptum est: *Produxitque, primum Ioiadas, filium regis, & posuit super eum diadema, & testimonium: feceruntque eum rege.* Vbi nomine testimonij diuina lex significatur. Et cap. 17. Deut. præcipiebat Deus, vt rex describeret sibi legem Dei, quam secum haberet legerétque omnibus diebus vitæ suę. Aspicis igitur oportere non solùm sacerdotes, sed etiam principes esse instructos scientia, ne cæci duces cæcum populum ducentes, alios præcipitent, & omnes in foueam cadant.

y *Repulit dominus altare suum.)* Deseruit Deum aram sacrificiorum, quæ erat in templum Salomonio.

z *Maledixit sanctificationi suæ.)* Id est aspernatus est templum suum, vbi ipse olim colebatur. Ita accipitur 1. Machab. cap. 4. *Viderunt sanctificationem deser-* *Zain.*
tam, altare profanatũ. Vel maledixit, hoc est permisit, D
vt hostes maledicerent, templúmque sanctum execrarentur.

aa *Vocem dederunt in dòmo domini sicut in die solenni.)* Id est Babylonij vociferati sunt in templo, facto strepitu & clamore, quemadmodum cùm olim ad illud omnes Hebræi religionis gratia conuenirent, laudésque diuinas celebrarent.

bb *Cogitauit dominus dissipare murum filiæ Sion.)* ה
Decreuit Deus cogitatione æterna, quæ tempore *Cheth.*
stetuto processit euertere murum Hierosolymæ. Libro decimoquinto de ciuitate Dei cap. 25. ait in hunc modum Augustin. Cogitatio verò Dei & recogitatio mutandarum rerum est immutabilis ratio. Neque enim sicut hominem, ita Deum cuiusquam facti sui pœnitet: cuius est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quàm certa præscientia. Tu interim aduerte. Non ait: Dissipauit dominus: sed cogitauit dissipare non enim id temerè fecit: sed de exitio hoc cogitauit. Volens Sennacheribum mulctare, ait apud Esai. cap. 14. *Hoc est consilium, quod cogit aui.* De illo ait Zach. 1. ca. *Sicut cogitauit dominus exercituum facere nobis.* Id quod nos sumus imitaturi: non enim inconsideratè & inconsultè, sed facta summa cogitationum sumus supplicium aliis nobis subiecti iniaturi, & negotia nostra aggressuri. Vt sartor prius pannũ *similitudo*
cubito & palmo metitur, & norma gypsóque describit & delineat, & postea scindit: ita nos E
debemus cogitationem & consilium prius adhibere: rémque sapienter rationis regula dimetiri: ac postea abscindere & amputare. Sed etsi in aliis negotiis adhibenda est deliberatio, multò magis tamen in pœnis inferendis. Cùm enim iustitia ad se rapere, misericordia contrà reuocare ad se videtur, fit, vt distrahatur in deliberando animus afferátque ancipitem curam cogitandi. Sed debet se ad illam iuclinare partem. Vbi rationem præponderare intuetur. Itaq; nihil agendum nobis est, quin prius de Deo & iudicio præcedat cogitatio. Cap. 3. Prouerbiorum ait Salomon: *In omnibus viis tuis cogita Deum.* Et vigesimo octauo: *Viri mali non cogitant iudicium.*

cc *Tetendit funiculum suum.)* Id est, expandit æquitatis suæ mensuarum super improbos Iudæos, vt pœna culpæ æquaretur: iuxta illud Esaiæ 27. *In mẽsura contra mensuram, cùm abiecta fuerit, iudicabis eã. In mensura iustitiæ tuæ contra mensuram flagitiorum eius.* Theodoretus legit: Extendit mensuram, eamque ait esse iustiam atque æquam sententiam. Alij pro funiculo vertunt normam, nimirum iustitiæ: quod in idem recidit. Ita potest intelligi Esaiæ illud cap. 34. *Extendetur super eam mensura, vt redigatur ad nihilum,* F
& perpendiculum in dessationem. Nam funiculus accipitur pro linea plumbeum cylindrum appensum habente, quod perpendiculum appellatur: quo lapides à fabricatorib. sint necne recti examinantur. Ita accipitur Psalmo 138. *Semitam meam & funiculum meum inuestigasti.* Acsi dicat: Tu domine nostri viam vitæ meæ, & quicquid perpendo, cogitationis perpendiculo examino, Potest locus ille ita etiam intelligi: Tu Deus sanctè perspicis & cognoscis, quando ambulo, & quando sisto gradum. Solent enim, qui præclare currunt, sistere ad funiculum & terminum: quod Lusitanè dicimus, parar à risca Funiculi etiam & funes dicuntur diuisiones mensuræ, quibus agri & hæreditates diuiduntur. Hinc effectum est, vt ipsam significent hæreditatem: vt Psalmo 15. *Funes cecidérunt mihi in præclaris.* Hoc est, preclara mihi venit hęreditas. Est autem hoc depromptum ex historia Iosue, funia agros metitus, est, quos populo diuidebat. Id cecinit his verbis diuinus ac regius vates Psal. 77. *Sorte diuisit eis terrã in funiculo distributionis.*

Et

A Et quoniam mittere seu extendere funiculum est hæreditatem & possessionem tradere, fortasse id voluit Ieremias hoc loco significare, cùm dixit: Tetendit funiculum suum: hoc est, tradidit Deus Babyloniis Hierosolymæ possessionem. Poteris & rectissimè quidem nomine funiculi hoc loco intelligere flagellum, quod Deus ad percutiendam ingratã Hierosolymam tetendit. Sequitur enim: Et non auertit manum suam à perditione. Hoc est, non abstraxit manum suam à verberibus. Nihil omisi de iusta ac debita pœna. Funibus enim significantur flagella & supplicia & dolores, vt psalmo 118. *Funes peccatorũ circumplexi sunt me.* Hoc est molestiæ quibus ab improbis hominibus affectus sum, me vndique exagitarunt.

Luxitque antemurale. Hoc est, præ euersione lugere videbatur. Sic prima lamentatione: Viæ Sion lugent. Destructa mœnia ad luctum eos prouocabant tu, qui ad illa aspiciebant. Simili modo Esai. 24. *Lux, inquit, & defluxit terram.* Antemurale est paruus vrbis ambitus lapideus extra murum. Quidam pro antemurali intelligunt arces & propugnacula.

ה dd *Defixę sunt in terra portę eius.* Fuerunt eius portæ à locis suis amotæ, & in terram proiectæ. Particula eius refertur ad murum, de quo proximè locutus est. Vel per portas intelligit iudicia, quę ad vrbis portas quondam exerceri solebant. In hanc significatio-

B nem accipitur porta à Salomone cap. Prouerbiorum 22. cùm ait: *Nec conteras egenum in porta, quia iudicabit dominus causam eius.* Et Thronorum 1. *Omnès portæ eius destructæ.* Est igitur sensus: Omnia iudicia Hierosolymæ iacent in terra fixa: quia iudices non ad cœlum aspirant, sed ad terram: rebus terrenis implicantur, & propriis emolumentis omnia metiuntur. Huiusmodi iudices similes sunt stateræ, quæ ad eam partem deprimitur, vbi maius pondus imponitur: nam obliti iustitiæ pro illis ferunt sententiam, à quibus maiora munera suscipiunt. Illos obiurgans psalmographus: *Vsquequo, inquit, iudicatis iniquitatem, & faciem peccatorum sumitis?* Sumere faciem peccatoris est improbis fauere, eorum gratiam pecuniámque aucupari, ob eámque causam innocentes opprimere. Fortasse per portas intelligit regẽ, qui in portis iudicia exercebat: per *vectes* autem principes & magnates, quibus rex confirmatur, sicut porta vectibus. Id quod statim exponit dicens: *Regem eius*, & principes eius in gentibus. Subaudi, abduxit Deus, quando regem Hierosolymæ Sedechiam, eius q; nobiles ac optimates in Chaldæam relegauit.

ee *Non est lex*, Id est, non est legis obseruantia: vel non est, qui legem doceat. Paraphrastes Chaldæus cõiungit hæc cum superioribus: ita enim habet: Rex eius & principes abducti sunt inter gentes, eo quòd verba legis non custodierunt.

ff *Non inuenerunt visionem à domino.* Id est, non inuenerunt prophetiam à Deo: non erant verè diuini E vates, quibus Deus ventura indicaret.

similitudo

Pſal. 81.

D

י Iod. [a]Sederunt in terra, [b]conticuerunt senes filiæ Sion, [c]conspersérunt cinere capita sua: accincti sunt ciliciis: abiecerunt in terram capita sua virgines Ierusalem.

כ Caph. [d]Defecerunt præ lachrymis oculi mei, [e]conturbata sunt viscera mea, [f]effusum est in terra iecur meum [g]super contritionem filiæ populi mei, [h]cùm deficeret paruulus & lactens in plateis oppidi.

ל Lamech [i]Matribus suis dixerunt: vbi est triticum & vinum? [k]cùm deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis, cùm exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.

מ Mem. [l]Cui comparabo te? vel cui assimulabo te filia Ierusalẽ? cui exequabo te, & consolabor te, [m]virgo filia Sion? [n]magna est enim velut mare contritio tua: [o]quis medebitur tibi?

נ Nun. [p]Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta: nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent: [q]viderunt autem tibi assumptiones falsas & eiectiones.

ס Samech. [r]Plauserunt super te manibus omnes trãseuntes per viam, [s]sibilauerunt, & mouerunt capita sua super filiam Ierusalem: hæccine est vrbs dicentes [t]perfecti decoris, [v]gaudium vniuersæ terræ?

פ Phe. [x]Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilauerunt & fremuerunt dentibus suis, [y]& dixerunt: deuorabimus: an ista est dies, quam expectabamus, inuenimus, vidimus.

ע Ied. a *Sederunt in terra.* Senes Hierosolymæ qui olim in excelso dignitatis gradu sedentes gaudio exultabãt, nunc abiecti & mœrore cruciati in terra sederũt. Signum erat abiectionis & luctus sedere in terra.

C b *Conticuerunt senes filiæ Sion.* Obmutuerunt senes Hierosolymæ. Hoc etiam signum erat mœroris & squaloris. Id ostendit scriptura capite Iob secundo, cùm ait ipsum Iob, & tres amicos eius sedisse in terra septem diebus, neminémque ei verbum locutum fuisse. Contrà sedere in solio est regnare, aut esse in excelsa aliqua dignitate constitutum: vt capite primo lib. tertio Regum: *Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit super solium meum.* Eam ob causam dicimus: Talis summus pontifex sedit annos tot. Simili modo loqui est authoritatem ostendere. At illi conticebant loqui non audentes. Permisit Deus, ne loqui auderent, quia multa vana, falsa, inutilia, & noxia locuti fuerant, quibus stultitiam suam indicauerant. Vt vasa inania longissimè tinniunt; sic vani homines vera sapientia destituti maximè garriunt, sũntque loquacitate pleniſſimi. Fieri non potest, vt garruli sint docti: nam vt vasa quę semper effundunt liquorem, non implentur: sic qui F semper loquuntur, haud quaquam possunt scientia repleri. Ac plerunque aliquid dicunt noxium, aut saltem otiosum & inutile. Nam vt Salomon ait Prouerbiorum capite decimo: *In multiloquio non deerit peccatum.* Vbi diuus Augustinus libro primo contrà Cresconium annotauit, non dixisse Salomonem: In multa eloquentia, sed in multiloquio, quod ait esse superuacaneam locutionem. Capite septimo Iosue vbi nos habemus Achan abstulisse à Iericho regulam auream, secumque asportasse: quam ob rem fuit iurè interfectus, & lapidibus obrutus: pro regula est in Hebræo laxon, quod nomen & regulam significat & linguam. Qua ratione ducti septuaginta linguam verterunt. Ac ita legit Origenes cum cęteris Gręcis. Ille meritò interficitur, & lapidibus obruitur, qui linguam Iericho, hoc est mundi loquacitatẽ sibi sumit, etiam si aurea sit: qui dulcibus vtitur verbis ad mũdi vani-

similitudo

similitudo

A vanitates amplificandas, réſque peſtilentes ſuadendas. Quantò quis eſt impurior, & flagitioſior, tantò pernicioſior eſt eius copia, & dicendi facultas. Ac generaliter nimia verborum vbertas nocet. Quam ob cauſam viri ſapientes ſilentio ſæpenumero vtuntur. Illud pſalm. 101. *Simili factus ſum pelicano ſolitudinis, verti etiam poteſt*: Silui, vt pelicanus ſolitudinis. Verbum enim damah & ſimile eſſe ſignificat, & tacere. Cap. 13. Prou. ait ſapiens: *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam.* Et 17. *Qui moderatur ſermones ſuos, doctos & prudens eſt: qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiat mala.* Et 18. *Mors & vita in manibus linguæ.* Et Eccl. 14. *Beatus vir, qui non eſt lapſus verbo ex ore ſuo.* Et 22. *Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, vt non cadam in ipſis, & lingua mea non perdat me?* Id intelligens diuus Paulus cap. 4. epiſt. ad Epheſ. *Omnis ſermo*, inquit, *malus ex ore veſtro non procedat.* Et Iacobus capit. 1. canonicæ ſuæ: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autẽ ad loquendum.* Et 3. *Si quis in ſermone non labitur, hic perfectus eſt vir, qui poſſit freno moderari totum etiã corpus.* Et Petrus apoſtolorum princeps cap. 3. prioris epiſtolæ ſuæ: *Qui vult vitam diligere & dies videre bonos, coerceat linguam ſuam à malo, & labia ſua, ne loquantur dolum.* Vt rupes obiicitur flumini, ne ſe effundat: ſic ratio obiicienda eſt linguæ, ne temerè diffluat. Eam ob cauſam illam natura in ore poſuit, & tanquam in carcere concluſit, vbi eſt labiis ac dentibus circumſepta. D. Ambr. lib. 1. de Officiis: Quam B plures, inquit, vidi loquendo in peccatum incidiſſe, vix quemquam tacendo: ideóque tacere noſſe: quam loqui difficilius eſt. Bernar. in quodam ſermone: Tenerum membrum eſt lingua, & tamen vix teneri poteſt. Hugo Victorinus lib. 2. de anima: Mores hominis lingua pandit: qualis ſermo oſtenditur, talis animus approbatur. Caſſio. in pſalmum: *Dixi cuſtodiam*: Facilius culpa tacendo refugitur, quam loquendo. Aſpicis, quam periculoſa ſit loquacitas. Idem externi philoſophi teſtantur. Seneca in epiſtola quadam: Summa, inquit, ſummarum hæc erit tibi: tardiloquẽtem te eſſe iubeo. Et Aul. Gell. lib. 8. Sapiens ſermones ſuos præcogitat & examinat prius in pectore, C quàm proferat in ore: Chilon Lacedæ. vt refert Laerti. non committendum eſſe dicebat, vt lingua animũ præcurreret, Anacharſis, apud Bruſon. lib. 3. interrogatus quid eſſet in homine peſſimum, & quid optimum, reſpondit: lingua. Theoc. ita à loquacitate abhorrebat, & ſilentium amabat, vt interrogatus à quodam loquaci poeta, qui multa recitauerat, quænam ei magis placerent, quæ, inquit, omiſiſti. Melius enim quod dixerat, erat id, quòd non dixerat. Ita refert Antonius in Meliſſa, Euripides apud Stobæum. Decorum ſilentium, inquit, corona eſt viri: loquacitas autem nec iucundum aliquid habet, & mala eſt familiaritati, & inutilis, vrbi. Aegyptij crocodilum quod elinguis eſſet, venerabantur. Ego certè ne plures citem authores, experientia ductus aſſeueranter affirmo vltiſſimum eſſe ſilentium, & periculoſam loquacitatem, ac ſæpenumero me pœnituiſſe locutum eſſe. Sed quid homines commemoro, cũ animalia rationis expertia ſilentij nobis oſtendant vtilitatem? Grues cùm ex Cilicia deuolant, montem Taurum aquilis rapaciſſimis plenum nocte tranſuolantes ferũt in ore lapides, vt ait Plut. ne eas vox prodat, & ab aquilis ſentiantur. Vt tutæ euadant, ſilentio vtuntur. Eſt igitur ſæpenumero tacere tutiſſimum. Fateor tamen, opus eſſe aliquando loqui, & noxiũ tacere: nam Eſai. ait cap. 6. *Væ mihi quia tacui.* Et 26. *Propter Sion non tacebo.* Et 56. eos qui tacebant, quando oportebat loqui, appellat canes mutos non valentes latrare. Et Iere. cap. 61. *Nolite inquit, tacere ſuper iniquitatem eius.* Et ſapiens Prou. 12. *Lingua ſapientium ſanitas.* Vt ſerpentis lingua venenata eſt, ita lingua canis ſalutaris. Id intelligens Eccl. ait ca. 3. *Tempus loquendi, tempus tacendi.* Qui ea quæ dicenda ſunt, ſilentio præterеunt pecunia corrupti, bouem in lingua habere dicuntur. Nam Numus quidam Athenienſium habebat ex vna parte ſculptam figuram bouis, quam ob cauſam bos appellabatur, vt refert Iulius Pollux libro de rerum vocabulis nono. Meminit huius prouerbij Theognis, & Philoſt. in vita Apollonij. Et Aeſchylus in Agamenone. Quare non eſt omnino opprobãdum inſtitutum Pythag. qui quinquennium ſilentium indicebat, cùm flagitium ſit aliquando vti ſilentio. Generaliter tamen illud eſt tutum & vtile. Vnde vetus illud ac tritum dimanauit prouerbium à magnis viris vſurpatum: Silentij tutum præmium. Eo vtitur Ariſtides in defenſione Periclis, Plutarchus in Auguſti Cæſaris apotehgmate, Horatius lib. Odarum tertio, Valerius Maxim. lib. 7. cap. 2. Dies mè deficeret, ſi narrare vellem authorum nubem, qui ſilentium laudant, loquacitatem autem vituperant. Sed illud velim tibi perſuadeas, non eſſe loquacitatem multùm loqui, quando neceſſaria dicuntur. Illam verborum copiam improbamus, quæ pernicioſa eſt, aut inutilis, cuius maculis multi ex Iudæis fuerunt notatiſſimi. Quare permiſit Deus, vt qui olim loquaciſſimi D erant, tunc loqui minimè auderent, vt hoc loco ait noſter Ieremias.

c *Conſperſerunt cinere capita ſua.* Hoc erat magnum doloris & luctus & pœnitentiæ ſignum: vt ca. 13 li. 2. Reg. *Aſpergens Thamar cinerem capiti ſuo.* Et Iudith. 4. *Erat cinis ſuper capita eorum.* Et Iob. 14. *Ago pœnitentiam in cinere & fauilla.* Idem eſt indui cilicio. Ideo addit: *Accincti ſunt ciliciis.* Ad cõſuetudinem illam alludit Chriſtus Deus noſter, cùm apud Matt. 11. ait: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.*

Abiecerunt in terram capita ſua virgines Ieruſalem. Puellæ Hieroſolymæ vt oſtenderent mœrorem ſuũ, capita in terram abiiciebant. Erat illud etiam ſignum veræ humilitatis, quam omnes amplecti debent. Vt enim corpora glaboſa facilè mouentur deorſum, difficulter autem ſurſum: ita Chriſtianus ad res humiles & abiectas, ſed pias debet ſua ſponte moueri, ad mundi verò honores & dignitates non niſi coactus, ac quaſi per vim. Eum imitemur, qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, verus Deus, & verus homo, apud Matt. 11. *Diſcite*, inquit, *à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Et 20. *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* De illo ait apoſtolus in epiſtola ad Philippenſes cap. 2. *Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* Et paulò pòſt: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Præterea obiicere in terram caput, erat honeſti pudoris iudicium & ſignificatio: qui in omnibus præſertim in adoleſcentinus laudatur. Eſt quoque pudor quidam vitioſus, qui infringendus eſt, ſed cautè, ne laudabilis pudor amputetur. Vt peritus agricola dumos & arbores ſylueſtres & inutiles omnino reſecat & euellit, vites verè amputat attẽtè & cum circumſpectione, ne fortaſſe circumcidens ſuperuacaneum lædat vtile: ſic parentes, magiſtri, & præſides ex animis eorum, quos tenentur inſtruere auaritiam, libidinem, & cætera huiuſmodi vitia circumſecare debent, & funditus delere, verecundiã autẽ ſultam & deprauat am cautè vituperare, ne ſimul eã euellant, quæ eſt ornatus vitæ, & magnopere appetenda. E F

Eſt

A Est enim honesta verecundia custos virtutum dedecus fugiens, laudémque maximè consectans. Chrysostomus in Matthæum homilia 33. pudorem vocat vitiorum frenum. Et Ambrosius lib. 1. de officiis. Est verecundia, inquit, pudicitiæ comes, cuius societate castatitas ipsa tutior est.

ב d *Defecerunt præ lachrymis oculi mei.* Ostendit Ieremias pietatem suam erga patriam, quam videbat euersam & summoperè afflictam. Cap. 9. dicebat: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?* Et prima lamentatione. *Ego plorans, & oculus meus deducens aquas.* Anastasius, Nicenus in li. quæstionum in scripturam quæst. 8. comparat pias lachrymas cum sanguine martyrum, quoniam vtrunque ex nostra substantia Deo offertur. Cæsarius Arelatensis homil. 34. quartam remissionem ait esse lachrymarum profusionem. Marcus Eremita in libro de lege spirituali ait Deum esse, qui tangit oculos cordis nostri, cum in oratione lachrymas profundimus. In sanctorum scriptis passim piæ lachrymæ laudantur.

Caph.

e *Conturbata sunt viscera mea.* Subaudi propter acerbissimum dolorem. Cap. 31. dixerat eadem fere verba. Sed hæc perturbatio à pietate dimanans, & à B ratione non discedens potest cum animi tranquillitate coniungi. Perturbatio fugienda est illa, quæ rationi non parens animi quietem & securitatem diuellit, & nullo modo cum vera constantia copulatur. Quemadmodum remora in mari procellis agitato non sinit moueri nauem: sic constantiâ in mari calamitatum non patitur animum à rationis gradu dimoueri. Est autem remora exiguus piscis à remorãdo dictus, quòd nauem cui affixus fuerit, remoretur. Author est Plin. lib. 32. Quanquam ruant venti, sæuiántque procellæ, tamen cogit stare nauigia, atque tempestatum vires compescit. Est quidem constantia veluti anchora firma, quam nullum ferrum potest præcidere inuito viro constante, nulla tempestas labefactare. Hanc oportet amplecti, & nunquam derelinquere. Nam vt Ecclesiasticus ait ca. 2. *Væ his qui perdiderunt sustinentiam:* Et apostolus in priore ad Cor. cap. 15. *Itaque*, inquit, *fratres mei dilecti stabiles estote, & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper.* Et Christus Deus noster apud Matthæum 10. & Marcum 13. *Qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit.* Hac constantia munitus erat Ieremias, quamuis eius viscera conturbarentur.

similitudo

f *Effusum est in terrâ iecur meum.* Id est, tanto angor dolore, vt videar iecur in terram profundere. Iecur est veluti fons sanguinis, in quo vita consistit. Vnde iecur effundere apud Hebræos est vitam amittere, aut saltem deficere & exanimari. Ac rumpere iecur alicuius est illum interficere: vt apud Oseam 13. *Rumpam interiora iecoris eorum.* Sed effusum esse iecur in terram, est nihil ex vita velle, sed mortem & sepulchrum dil gere: iecur enim est affectuum receptaculum. C

g *Super contritione.* Hoc est, propter dolorem, quo afficitur Hierosolyma.

h *Cum deficeret paruulus & lactens in plateis oppidi.* Cùm infantes in plateis Hierosolymæ præ fame morerentur.

i *Matribus suis dixerunt: vbi est triticum.* Mouet affectus describens puerorum famem ac interitum. Ita infrà cap. 4. *Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.*

k *Cum deficerent.* Id est, cùm fame & angore implicati animam efflarent. Quidam publicè in foro, alij priuatim in sinu & amplexu matrum vitam amittebant. Ideo ait: *Cùm exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.* Hoc est, cùm inter brachia matrum vitalia lumina linquerent. Vel accipitur anima pro desiderio, quod effundebant in earum gremio, quæ eos genuerunt & educarunt. D

ל l *Cui comparabo te? vel cui assimilabo te filia Ierusalem?* Sensus est: Non inuenio Ierosolyma, cui te possim in ærumnis tuis comparare. Solent afflicti quodammodo leuari mœrore, cùm alios aspiciunt simili calamitate torqueri. At cùm non inueniant sibi similes, summopere cruciantur. Id accidebat Hierosolymæ, quæ in calamitatibus omnes alias ciuitates superabat. Opprimebatur mirum in modum, nullóque modo resistebat dolori, quòd ea solatia illam deficerent, quæ cæteris quarum sibi exempla proponebat, in eadem calamitate non defuerunt. *Mem.*

m *Virgo filia sion.* Hoc est Hierosolyma. De hoc schemate locuti sumus paulò antè, & capite superiore.

n *Magna est enim velut mare contritio tua,* Comparat dolorem Hierosolymæ cum mari propter magnitudinem tempestatem: mare enim omnes fluuios, & aquarum congregationes & quantitate superat & sæuitia. Imò ipsum mare pro calamitate accipitur Psal. 68. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* E

o *Quis medebitur tibi?* Quasi dicat, nullus præter Deum, Ideo ait c. 31. *Insanabilis plaga tua.* Et Michæas 1. *Quia desperata est plaga eius.*

נ p *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta.* Non ait: prophetæ Dei: sed prophetæ tui, quia de falsis prophetis loquitur, qui non spiritu Dei vaticinabantur. Hi fallebant Hierosolymam, dicentes se videre res prosperas esse ei venturas, illámque non esse scelerum pœnas daturam. Quod erat planè falsum & stultum. Ideò ait, viderunt tibi, quia diuini vates mentis oculis diuino lumine illustratis futura videbant. Quam ob causam videntes appellabantur: vt liquet ex capite nono lib. 1. Regum, & 9. lib. 2. Paral. & 8. ac 28. Esa. & multis aliis ex locis: Vnde visio idem est quod prophetia, & videre idem quod vaticinari, vt cap. 1. Esa. *Visio Esaiæ filij Amos, quam vidit super Iudam & Hierusalem.* Et hoc loco: *Viderunt tibi falsa & stulta.* De his falsis prophetis ait Ezech. ca. 13. *Nunquid non visionem cassam vidistis, & diuinationem mendacem locuti estis?* Et paulò pòst: Vident ei visionem pacis, & F non est pax. *Num.*

Nec aperiebant iniquitatem tuam. Hoc est, flagitia tua nó reprehendebant, nec te de illis obiurgabant. Quin potius efferebant laudibus, quæ erant improbanda. Fingebant se amicos, cùm essent adulatores. Vt Patroclus belium illaturus omnia Achillis arma sibi vsurpauit præter hastam, quòd esset grauissima: sic adulatores omnes amicorum qualitates imitari videntur præter reprehendendi libertatem. Huiusmodi erant illius temporis prophetæ, & præsides, & concionatores non omnes, sed illi, in quos hoc loco inuehitur Ieremias. Quos vtinam nonnulli nostri tẽporis non imitarentur. Ad eos pertinet docere veritatẽ, cohortari ad virtutem, reuocare à flagitiis, monere & reprehendere improbos, laudare virtute prẽditos, falsam lætitiam frangere arguendo, nimium mœrorem leuare consolando. Sunt enim sal terræ & lux mundi, ob eámq; causam debent alios condire, & illuminare. Quare sunt ad munus hoc eligendi viri virtute & sapientia præstantes, quos postea nõn pœniteat elegisse. Quemadmodum mulier quæ citta laborat, malos quosdam cibos cupit, & ingerit, quos non multò pòst euomit: sic populus temeritate aut improbitate ductus nonnullos euehit aliquando ad dignitates & magistratus, quos paulò pòst reiicit & aspernatur. Nec enim merita habebant, nec per ostium ingressi fuerant. ostium autem Christus est, vt ipse

similitudo

similitudo

ipſe apud Ioannem 10. teſtificatur. Ac diuus Paulus ca. 5. ad Hebræos: *Nec quiſquam*, inquit, *ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* De bonis præſidibus illud inteligitur, quod ait Deus apud Ieremiam tertio: *Dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.* Et apud Ioann. 10. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* De flagitioſis autem ait apud Ezec. 34. *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos.* Et apud Eſaiam 56. *Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam ſuam declinauerunt.* Et apud Zach. 11. *O paſtor & idolum derelinquens gregem.* Qui ſint ad gubernandi munus eligendi indicat Moſes capite. Deut. 1. cùm ait: *Date ex vobis viros ſapientes & ignaros, quorum conuerſatio ſit probata in tribubus veſtris, vt ponam eos vobis principes.* At propter populi peccata permittit Deus principes impios clauum reipublicæ tenere. De illis ita ipſe Deus apud Oſeam 8. *Ipſi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.* Vbi cognoſcere idem eſt quod approbare. Volens Dauid oſtendere ſe non vſurpaſſe regnum, ſed fuiſſe à Deo in regia dignitate conſtitutum, Pſal. 2. ait: *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius.* Sed hæc multò proprius de Chriſto, quàm de Dauide dicuntur. Et pſal. 4. ait idem Dauid: *Quoniam tu domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* Sed quid refero Dauidem fide præcellentem, & ſanctitate præſtantem? Iulius Cæſar fide veri Dei deſtitutus nitebatur ſuadere populo ſe eſſe à Ioue, quem ſummum Deum
P eſſe exiſtimabat, in ſuprema imperij dignitate collocatum. Excudi enim fecit numiſma, vbi ſculpta eſt aquila afferens è cœlo à Ioue coronam ad ipſum Cæſarem miſſam: quæ erat imperij hieroglyphicũ. Quod numiſma deſcribit in ipſius Cæſaris hiſtoria Hubertus Herbipolita. Dabat operam, vt oſtenderet, ſe eſſe diuinitus in ſumma dignitate conſtitutum: innuẽs eum tantum, qui ob meritorum ornamenta fuerit magiſtratum adeptus, reipublicæ gubernaculum iuſtè ac ſapienter tractare. At præſides Hieroſolymæ falſi vates non populum gubernabant, ſed fallebant: & tamen eos populus ſequebatur, miriſque laudibus efferebat. Hæc eſt enim impiorum conditio & conſuetudo, flagitioſos præſides nimio obſequio tueri, &
C magnis laudum præconiis celebrare, eos autem qui iuſtitiam colunt & religionem, qui & ſapiẽtia & virtute ſunt præditi, volúntque omnia ad certam rationis normam digere, reiiciunt ſæpenumerò, & odio proſequuntur. De illis detrahunt, eis inuidiam conflant, & perniciem machinantur.

q *Viderunt tibi aſſumptiones falſas & eiectiones.* Id eſt, vaticinati ſunt tibi, alios aſſumendos eſſe à Deo, & ab illo protegendo, nimirum Hebræos, alios verò eiiciendos ſuperandos, nimirum Babylonios. Quorum vtrumque multò aliter euenit. Aſſumptio accipitur pro defenſione ſeu clypeo: nam pſalmo 88. vbi nos habemus. *Quia eſt aſſumptio noſtra*: habet tranſlatio Hieronymi: Quia à domino eſt protectio noſtra. Acſi dicat: Defenſionem noſtram Deo debemus. Vel per aſſumptiones falſas intelliguntur vaticinationes. Nam apud Malach. cap. 1. editio vulgata habet: *Onus verbi domini ad Iſrael*: habet trãſlatio ſeptuaginta interpretum: Aſſumptio verbi domini ſuper Iſraelem. Vbi aſpicis vaticinationem quæ onus dicitur, aſſumptionem appellari, quòd eam diuini vates à Deo aſſumant. Eſt igitur ſenſus: Prædixerunt tibi vaticinationes falſas, & deiectiones à recta via: fefellerunt te falſis oraculis, quibus te à via recta deiecerunt. Brixianus habet: Viderunt autem tibi prophetas falſas, & eiectiones. Hoc eſt, tibi falſa prædixerunt, propter D
quæ eiecta es in calamitoſum exilium.

r *Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per* ס
viam. Omnes viatores ruinas & calamitates tuas vi- Samech.
dentes lætitia geſtiebant, tibíque inſultabant. Plaudere manibus eſt gaudium plauſu manuum exprimere. Ita accipitur pſal. 46. *Omnes gentes plaudite manibus: iubilate in voce exultationis.* Verba ſunt apoſtolorum, quos diuinus vates inducit loquentes, omnéſque nationes ob Chriſti regnum, eiúſque aſcenſum in cœlum ad lætitiam cohortantes. Sed duplex eſt hic plauſus, alter cum laude & gratiarum actione coniunctus, qualis eſt hic, de quo loquitur pſalmographus: alter cum ludibrio & irriſione: de quo ait Eccleſia. 12. *Suffodiet plantas tuas, caput ſuum mouebit & plaudet manu, & multa ſuſurrans commutabit vultum ſuum.* Et huiuſmodi eſt plauſus, de quo hic loquitur Ieremias.

s *Sibilauerunt, & mouerunt capita ſua ſuper filiam* E
Ieruſalem. Id eſt, illudentes irriſerunt Hieroſolymã. Sibilare & mouere caput ſigna ſunt iocantis, & per ludibrium contemnentis. Ita accipitur ſibilare cap. 9. lib. 3. Reg. *Omnis qui tranſierit per eam ſtupebit, & ſibilabit.* Eodem modo Sophoniæ 2. Similiter mouere caput: vt pſal. 21. *Omnes videntes me diriſerunt me: locuti ſunt labiis meis, & mouerunt caput.* Id quod hoc loco ait Ieremias, prædixerat regius ac diuinus vates his verbis pſal. 43. *Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem & deriſum his, qui ſunt in circuitu noſtro. Poſuiſti nos in ſimilitudinem in gentibus, commotionem capitis in populis.* Vbi per ſimilitudinem ſignificatur prouerbium: ac ſi dicat: traduxiſti nos gentibus in fabulam. Et pſalm. 78. *Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio & illuſio his, qui in circuitu noſtro ſunt.* Eos hoc loco notat Ieremias, qui prauo ingenio ducti aliorum calamitatibus exultant, nullaq; erga alios benignitate vtuntur. Vt non nullæ ſimilitudo
arbores cõplectentem ſe vitem præfocant & exiccant, ne fructuoſa: ſic improbi homines & ſuapte natura malefici viros excellentis ingenij, & ad excelſas res natos premunt & extinguunt, ne quando effloreſcãt, & ad honores dignitates euehantur.

t *Perfecti decoris.* Hoc eſt pulcherrima & ornatiſſima, & celeberrima. De illa ait Eſaias capite. 22. *Vrbs frequens ciuitas exultans.*

v *Gaudium vniuerſæ terræ.* Subaudi Iudææ. Id voluit pſalmographus his verbis ſignificare: *Fundatur* Pſal. 47.
exultatione vniuerſæ terræ, mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni. Sed ego exiſtimo ideo diuinum citharœdum appellaſſe Hieroſolymam gaudium vniuerſæ terræ, quia in illa Chriſtus dominus docuit euangelium, quod ex illa in omnes terrarum oras effluxit. Vnde vera religio & oblectatio mortalibus F
immortalis dimanauit.

x *Aperuerunt ſuper te oſſuum.* Hoc eſt conuiciis, פ
ludibriis & maledictis te vulnerarunt. Phe.

y *Dixerunt deuorabimus.* In Hebræo eſt, deuorauimus: ſed ponitur præteritum pro futuro more linguæ ſanctæ: vel pro imperatiuo: Ac ſi dicat: Dixerunt: deuoremus. Hoc eſt penitus deſtruamus. Deuorare aliquem eſt illum penitus perimere, vt cap. 7. Deut. *Deuorabis omnes populos, quos Deus tuus daturus eſt tibi.* Et pſal. decimotertio. *Qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam ſicut eſcã panis.* Et primo Eſaiæ: *Regionem veſtram coram vobis alieni deuorant.* Et do- Marc. 12.
minus Ieſus de ſcribis loquens: *Qui*, inquit, *deuorant* Luc. 20.
domos viduarum.

A

ע Hain. [a]Fecit dominus,quæ cogitauit,compleuit ſermonẽ ſuum,[b]quem præceperat à diebus antiquis: deſtruxit,& non pepercit:& lætificauit ſuper te inimicum,[c] & exaltauit cornu hoſtium tuorum.

צ Tſade. [d]Clamauit cor eorum ad dominum ſuper muros filiæ Sion:[e]deduc quaſi torrentem lachrymas per diem & noctem,non des requiem tibi,[f] neque taceat pupilla oculi tui.

ק Coph. [g]Conſurge,lauda[h] in nocte[i] in principio vigiliarum:[k] effunde ſicut aquam cor tuum ante cõſpectum domini:[l]leua ad eum manus tuas[m]pro anima paruulorum tuorum,qui defecerunt in fame in[n] capite omnium compitorum.

ר Res. [o]Vide domine & conſidera, quem vindemiaueris ita, [p] ergo ne comedent mulieres fructum ſuum,paruulos ad menſuram palmæ?[q] ſi occiditur in ſanctuario domini ſacerdos & propheta?

ש Xin. [r]Iacuerunt in terra foris puer & ſenex: virgines meæ & iuuenes mei ceciderunt in gladio: interfeciſti[s] in die furoris tui,pecuſiſti,[t] nec miſertus es.

ת Tau. [u]Vocaſti quaſi ad diem ſolennem, qui terrerent me de circuitu:[x] & non fuit in die furoris domini,qui effugeret,& relinqueretur:quos educaui & enutriui,inimicus meus conſumpſit eos.

a *Fecit dominus.* Hoc eſt, euertit Hieroſolymam quemadmodum ſtatuerat. Nemo igitur poterat defendere illam. Cap. decimoquarto. ait Eſaias, *Deus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare?*

b *Quem præceperat.* Subaudi per diuinos ſuo vates: nimirum per Moſem capite vigeſimoſeptimo & 28. Deuter. Et per Eſaiam,& Ieremiam, & alios, multis

B in locis.

c *Exaltauit cornu hoſtium tuorum.* Extulit potentiam & fortitudinem inimicorum tuorum.

צ Tſade. d *Clamauit cor eorum ad dominum ſuper muros filiæ Sion.* Cor Babyloniorum clamauit aduerſus Deum, quòd non potuiſſet eripere muros Hieroſolymæ. Sibi Babylonij victoriam tribuebant non Deo: imò illum execrabanutr. Vel refertur hoc ad Iudæos: vt ſit ſenſus: Clamores profuderunt ex corde ad dominum propter murorum Hieroſolymæ euerſionem.

e *Deduc quaſi torrentem lachrymas per diem & noctem.* Subaudi, ô tu Ieremia. Secum loquitur diuinus vates, qui cap. 14. dicebat: *Deducant oculi mei lachrymã per noctem & diem, & non taceant: quoniam contritione magna contrita eſt virgo filia populi mei.* Vel loquitur cum viatore, quem ad lachrymas fundendas inuitat. Sunt, qui totam hanc orationem ſic ordinant. Clamauit cor eorum ad dominum: O mure filiæ Sion profunde lachrymas inſtar torrentis die ac nocte. Et ita eſt perſonæ fictio, quæ dicitur proſopopœia, figura in diuinis literis vſitata. Muro enim tribuit ſenſum,& lamentationem, & humanos affectus. Simili modo Eſaias vrbem Babylonem alloquens cap. 47.

C *Deſcende*, inquit, *ſede ſuper terram virgo filia Babylon.* Et pſal. 18. *Cœli narrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Sed ibi per cœlos poſſunt intelligi viri pij ad cœlum aſpirantes, qui cœlũ ipſum repræſentant inſtar ſpeculi verſus cœlum poſiti, in quo cœlum ipſum conſpicitur. Nã paraphraſis Chaldaica habet: Qui cœlum ſuſpiciunt, cognoſcunt gloriam Dei: & opera manuum eius annuntiãt, quæ in aere apparent. Itaque nomine cœlorum illi intelliguntur, qui in terris vitam cœlitum imitantur. Nam id quod ſequitur: *In omnem terram exiuit ſonus eorum*: diuus Paulus cap. 10. epiſt. ad Romanos de apoſtolis viríſque apoſtolicis interpretatur. Loquitur igitur Ieremias cum muro vrbis, aut ſecum, aut cum viatore. Sed rectius eſt, meo quidem iudicio, dicere, voces has eſſe ad ipſam Hieroſolymam emiſſas, propter verba quæ verſu proximo ſequuntur: Conſurge, lauda in nocte: quæ ſine dubio ad ipſum diriguntur.

similitudo

f *Neque taceat.* Id eſt, non ceſſet plorare: non deſiſtat à lachrymis: non quieſcat. Tacere enim idem eſt aliquando quod quieſcere: vt Exod. 14. *Dominus pro vobis pugnabit, & vos tacebitis.* Et pſalmo 49. *Hæc feciſti, & tacui.* Et Threnorum 3. *Sedebit ſolitarius, & tacebit.* Et Marc. 4. *Dixit mari: tace.*

ק Coph. E g *Conſurge, lauda in nocte.* Hieroſolymam alloquitur quam inuitat ad conſurgendum ex deſidia & vitiis: & ad laudes diuinas concinendas. Eam hortatur, vt in mediis calamitatibus ad Deum aſpiret, cui gratias agat, quòd eam in hoc ſeculo iuſtè & miſericorditer caſtigauerit.

h *In nocte.* Hoc eſt, in calamitate tua. Vel tempore nocturno, quod eſt ad preces & contemplationem aptiſſimum: tũc enim quietiores ſunt ſenſus, & mens aptius fertur in Deum. Vnde Eſa. capite 26. *Anima mea inquit deſiderauit te in nocte.* Et Mich. 7. *Surgam, cùm ſedero, in tenebris Dominus lux mea eſt.* Et Dauid pſal. 118. *Memor fui nocte nominis tui Domine.* Et iterũ: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Et pſal. 76. *Meditatus ſum nocte cum corde meo.* Et 41. *In die mãdauit dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius.* Hoc eſt, dixit Deus, vt die opera miſericordiæ exerceamus, nocte autem canticis ſpiritualibus precibus & meditationibus operam demus. Vel ponitur præteritum pro futuro, vt ſit ſenſus: nunc angor calamitatibus & moleſtiis: ſed veniet tempus felix, cũ Deus in die, hoc eſt, in illa proſperitate mittet ad me miſericordiam ſuam, hoc eſt rerum ſecundarium abundantiã. Sed interim hac ærumnarum nocte nõ intermittam canticum eius: Deum meum hymnis & laudibus celebrabo. Vbi nox accipitur pro calamitate: vel pro tempore nocturno ad Deũ quærendum & inueniendum accommodatiore: nam à negotiis humanis abſtracti melius Deũ quærimus, quàm cũ illis implicamur. Sed dices ſponſam 3. Canticorũ capite dixiſſe: In lectulo meo per noctẽ quæſiui, quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni. Verum eſt: ſed ibi accipitur nox pro tenebris ignorantiæ, de qua

F Sap. 7. ait Sapiens: *Vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti.* Et apoſtolus 13. cap. ad Romanos: *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* Et Ioan. 1. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Magna enim fuit Iudæorum ignorantia Chriſtum non recepiſſe. Eam ob cauſam tunc ſponſa non inuenit ſponſum, quia eum nocte ignorantiæ, & in lectulo ſuo, hoc eſt, prudentia carnis non ſpiritus quæſiuit. Quandiu enim Iudæorum ſynagoga legis literæ adhæſit, in vmbris veterum ceremoniarum quieſcens Chriſtũ non inuenit, quia illum in ſpiritu & veritate non quæſiuit. Poſſunt tamen verba illa non ad veteris ſynagogæ ſtatum referri, ſed de ſtatu fidelium animarum explanari, quando ab illis dilectus ſponſus

A ſus Chriſtus videtur ſe ſubducere, ad maioris deſiderij flammas in illis excitandas & accendendas. Ac tunc ſenſus eſt: In lectulo conſcientiæ meæ, in nocte afflictionum mearum quæſiui Chriſtũ, qui me à moleſtiis liberaret: ſed ille viſus eſt tunc me reliquiſſe, vt me ardentiore deſiderio inflammaret.

i *In principio vigiliarum.* Hoc eſt celeriter & expeditè. Solebant veteres noctem in quatuor vigilias excubiáſque diuidere, iuxta quatuor cuſtodias eorum, qui ciuitatem ſeruabant: de quibus dictum eſt Canticorum tertio: Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiebant ciuitatem. Monemur hoc loco, vt in mediis ærumnis, & tempore oportuno diligenter ſurgamus, ad Deum mentem extollamus, & ardenter aſpiremus. Ipſe enim eſt, vt diuus ait Paulus in 2. ad Cor. *pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos omni in tribulatione noſtra.*

k *Effunde ſicut aquam cor tuum in conſpectu domini.* Hoc eſt, aſpira toto animo, ſummáque deuotione ad Deum. Effundere ſicut aquam cor ad Deum, eſt animum quodammodo contractum dilatare, & ad Deũ cum impetu emittere inſtar aquæ concluſæ, quæ aperto foramine tota vehementer effunditur. Id tum fit, cùm laxatis habenis ómnem amorem, omnia deſideria, omnes affectus ad Deũ ipſum profundimus.

B Ira accipitur apud pſalmographum pſal. 41. *Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam.* Et 61. *Effundite coram illo corda veſtra.* Et cap. 1. lib. 1. Reg. vbi ait Anna. *Effudi animam meam in conſpectu domini.* Fortaſſe hoc Ieremiæ loco effundere ſicut aquâ cor, eſt lachrymas ex intimo corde deducere, & ipſum cor veluti in fontem piarum lachrymarum conuertere. Id fecit Maria Magdalena, quãdo lachrymis pe-
Luc. 7. des domini noſtri rigauit in domo phariſæi, vbi dominus ad prandium ſedens pias illas Magdalenæ lachrymas magis quàm phariſæi epulas approbauit.

l *Leua ad eum manus tuas.* Hoc eſt, ora Deum affectu vehemẽte. Leuare manus ad dominum eſt fundentium preces diſpoſitio, quæ deuotionem conſeruat & auget. Cap. Exod. 17. *cùm leuaret Moſes manus, vincebat Iſrael.* Apud Eſaiam 1. dicebat Deus impiis Iudæis: *Cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis.* Dauid pſal. 142. *Expandi*, inquit, *manus meas ad te.* Et pſal. 62. *In nomine tuo leuabo manus meas.* Et apoſtolus cap. 2. prioris ad Timot. *Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione.*

m *Pro anima paruulorum ſuorum.* Hoc eſt pro vita. Vel ad literam pro anima: vt qui iam vitam amittebant corporis, animas ſaltem ſaluarent. Senſus eſt: Ora Deũ vt eorũ animæ in ſinu Abrahæ recipiantur. D

n *In compitis*: Hoc eſt in quadriuiis. Viæ ſunt, ad quas quatuor viis itur, quæ dicuntur compita, quòd à multis petantur.

o *Vide domine, & conſidera, quem vindemiaueris.* Superiore dixerat: Quoniam vindemiauit me dominus. Vbi poteris videre, quæ ibi obſeruauimus. ד Res. Sup. 1

p *Ergo ne comedent mulieres fructum ſuum?* Quaſi dicat. Nunquid hoc ſuſtinebis, vt mulieres fame coactæ comedant filios ſuos infantes vnius palmi? Fortaſſe nonnullæ mulieres pepererunt ante tempus fœtus imperfectos, quos præ fame comederunt. In Samaria tempore regis Ioram mulier quædam comedit filium ſuum, vt cap. 10. libr. 4. Reg. proditum eſt memoriæ. Idem accidit in obſidione Hieroſolymæ per Romanos. vt Ioſephus & Egeſippus teſtantur.

q *Si occiditur in ſanctuario domini ſacerdos & propheta!* Hoc ait per admirationem: quaſi dicat: Fuit ne hoc vnquam auditum, interfectos eſſe in templo domini ſacerdotes & diuinos vates!

r *Iacuerunt in terra foris.* Iacuerunt inſepulti extra domos. Poteſt verti: Iacuerunt humi in plateis.

s *In die furoris tui.* Id eſt in tempore ſeueritatis diuinæ tuæ iuſtitiæ. ש Xin.

t *Nec miſertus es.* Subaudi differendo pœnam. Aliàs tamen illorum miſertus eſt: eſt enim eius iuſtitia cum E miſericordia coniuncta. Et in omnibus operibus miſericordia vtitur. Vnde Dauid pſal. 144. *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Vbi pro ſuper vertit Hieronymus in. Et Habacuch: *Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Vel vt verti etiam poteſt. Cùm iratus fueris, amoris recordaberis: nimirum eius, quo omnia diligis, quæ feciſti.

v *Vocaſti quaſi ad diem ſolennem, qui terrerent me de circuitu.* Verba ſunt Hieroſolymæ, quorum hic eſt ſenſus. Tu domine vocaſti ad bellum hoc ad exitium meũ tanquã ad feſtum ſolenne inimicos meos, qui erant in circuitu mei, vt me terrerẽt, & vaſtarent. Hoc ideo ait, quia ex regionibus vndiq; Hieroſolymæ vicinis venerunt multi cum Chaldæis eã euertere cupientes, tanto gaudio exultantes ac ſi ad ſolennia celebranda venirent. Verba illa: *Qui terrerent me de circuitu*: poſſunt hunc habere ſenſum. Qui mihi terrorem incuterent in circuitu, hoc eſt in obſidione. Ita ei dixerat Deus apud Eſa. 29. *Circundabo quaſi ſpharam in circuitu tuo: & faciam contra te aggerem, & monumenta ponam in obſidionem tuam.* ת Tau.

x *Et non fuit.* Subaudi de Hebræis Hieroſolymæ, qui euaderet.

y *Inimicus meus.* Hoc eſt exercitus Chaldæorum.

C

F

OBSERVATIONES EX Hebræo in

Lamentationem. II.

1 Non eſt recordatus ſcabelli pedum ſuorum. *Pro recordari eſt in Hebræo verbum* זָכַר *Zacar, quod ſignificat recordari, & memorem eſſe, vt Ionæ 2.* Domini recordari ſum. *Et Cantic. 1.* Exultabimus, & lætabimur in te memores huberum tuorũ ſuper vinum: *pro quo poteris vertere: Memores amorum tuorum, qui ſunt ſuauiores vino. Sed quia verbum hoc ſignificat quoque redolere, vertunt nonnulli: Redolent amores tui pluſquam vinum. Et quia ſignificat etiam prædicare, vertunt alij: Prædicabimus amores tuos vino præſtantiores. Et vtitur Dauid pſal. 37. cùm in eius inſcriptione ait: Pſalmus Dauid in rememoratione. Pro quo poteris rectè etiam transferre. Ad commemorandum, ſubaudi peccata ſua, & ſupplicia, quibus ob ea cruciabatur: vt ex pſalmi contextu videre licet. Hinc Zecer ſignificat memoriam, vt pſal. 111.* In memoria æterna erit iuſtus: ab auditione mala non timebit. *Acſi dicat: vir iuſtitia & pietate munitus nunquam decidet à memoria Dei: ſemper Deus illius recordabitur: eam ob cauſam non ita timebit auditionem rerum aduerſarum, vt ab animi tranquillitate depellatur. Qui enim iuſtitiam colunt & pietatem nullis calamitatum fulminibus, nullis improborum hominum oppugnationibus franguntur, quia ſciunt Deum eſſe perenuò ipſorum memorem, eorumque ærumnas, & tolerantiam, & animi firmitudinem intueri. Sed dices, diuinum pſalmum 43. Pſalm. inducere viros iuſtos & pios ita*

A *Deum alloquentes:* Exurge, quare obdormis domine, exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis: obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ. *Et ipſe Dauid omni iuſtitia & ſapientia præſtanti Pſalm. decimoſecundo periculis vndique cinctus, & in acerbis calamitatibus verſatus has voces ad dominum emittit:* Vſque quo domine obliuiſceris mei in finem? vſque quo auertis faciem tuam à me? *At etſi Deus videtur ad tempus hominum obliuiſci virtute præcellentium, quòd eos permittat à ſceleratis affligi, rerumque aduerſarum ictibus vulnerari, ſemper tamen eos memoria complectitur, omniumque rerum eorum recordatur. Sed vult eos aliquando illuſtri orem meritorum coronam exercere, atque per varios caſus & acerbas calamitatum anguſtias ad vitam ducere ſempiternam. Ipſe enim ait apud Eſai. quadrageſimonono.* Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantis ſui, vt non miſereatur filij vteri ſui? Etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui: ecce in manibus meis deſcripſi te. *Hoc vltimum dicit, quia quando aliquid volumus memoriæ mandare, filum ligamus in digito, vel in*

B *manu ſignum aliquod deſcribimus, vel in libro memoriæ exaramus. Ex quo effectum eſt, vt memoria quam Deus habet electorum ſuorum, liber monimenti vel memorialis appelletur. Eius meminit Malac. capite quinto cùm ait:* Scriptus eſt liber monumenti coram eo timentibus dominum, & cogitantibus nomen eius. *In eo enim ſcripti erant timentes Deum, & de illius nomine ac gloria cogitantes. Vbi pro libro monumenti eſt in Hebraico Sepher Ziccaron, hoc eſt liber memoriæ, ſeu memorialis: Ziccaron enim à verbo hoc zacar deriuatur. Impij videntes viros pios affligi & lacerari, exiſtimant Deum nullam eorum tenere memoriam. Contrà verò diuinus vates teſtificatur, eum nunquam illorum memoriam deponere, qui illos diligit, illorum gemitus audit, & numerat, & ſcribit, eorumque perpetuò recordatur. Eſt enim ante oculos eius liber monumentorum, in quo eos habet ſcriptos, quos nulla vnquam delebit obliuio. Quare non debent in calamitatibus & doloribus*

C *ſpem amittere, ſed illam in Deo figere atque locare. Hoc autem loco ait Ieremias, Deum non eſſe recordatum ſcabelli pedum ſuorum, hoc eſt templi ſui, quia propter Iudæorum ſcelera illud permiſit à Babyloniis euerti. Sed quia verbum hoc, vt diximus, ſignificat redolere & ſuffumigare, poteſt verti locus hic:* Non redoluit, *vel non ſuffumigauit ſcabellum pedum eius. Non enim iam in templo thura & thymiamata redolebant.*

2 Præcipitauit dominus, nec pepercit omnia ſpecioſa Iacob. *Quidam vertunt deglutiuit: alij deuorauit, quod idem eſt. In Hebraico eſt verbum* עלב *Balagh, quod ſignificat præcipitare, deglutire, deuorare, abſcondere, perdere. Eo vtitur Eſa. capite vigeſimoquinto cum ait:* Præcipitabit mortem in ſempiternum nimirum *Chriſius, qui ait apud Oſeam* 13. Ero mors tua ô mors.

1. Cor. 15 *Pro quo Apoſtolus in priore ad Corinthios vertit:* Abſorpta eſt mors in victoria: *ad Oſeam alludens & ad Eſaiã: nam verbum hoc ſignificans præcipitare, ſignificat etiam deglutire & abſorbere. In hac eadem lamentatione paulò pòſt, vbi nos habemus:* Dixerunt deuorabimus: *pro deuorare eſt hoc idem verbum Balagh: pro quo capite ſecundo Ionæ, Latinus noſter interpres vertit deglutire: ita enim habet:* Præparauit dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam. *Et Pſalm.* 106. *deuorare.* Omnis ſapientia eorum deuorata eſt: *Hoc eſt periit, & euanuit, vel præcipitata eſt. Hinc balagh ſignificat præcipitationem: v. pſal.* 51. *vbi Dauid cum impio Doeg loquens:* Dilexiſti, *inquit,* omnia verba præcipitationis lingua doloſa. *acſi dicat: Amas loqui omnia verba perniciem afferentia. Sed quia verbum balagh ſignificat quoq; abſcondere, poteſt eſſe ſenſus: Gaudes, cùm loqueris omnia verba occultationis ſeu fraudis: qui enim doloſe loquitur, cor ſuum abſcondit. Acſi dicat, mirum in* D *modum delectaris verbis fraudulentis & doloſis, illa cupis ſemper loqui. At quoniam verbum hoc perdere ſignificat, poteſt verti locus hic Ieremiæ: Perdidit Dominus, nec pepercit omnia pulchra Iacob.*

3 Et diſſipauit quaſi hortum tentorium ſuum. *In Hebraico eſt:* ויחמס כגן שכו *Vaiachmes Caggam Xucco. Verbum eſt chamas, quod ſignificat diſſipare: quam ſignificationem ſecutus eſt noſter interpres. Significat etiã transferre. Quare poteſt verti locus hic: Et tranſtulit quaſi hortum tentorium ſuum. Vt ſit ſenſus: Tranſtulit Deus in Chaldæã populum ſuum, acſi eſſet tugurium horti. Significat inſuper rapere & ſpoliare: quæ ſignificatio huic loco mirabiliter conuenit: commiſit enim Deus direptioni ciuitatem ſuam, eamque per Chaldæos ſpoliauit. Præterea ſignificat contemnere, in quam ſignificationem accipitur cap. Ezech.* 22. Sacerdotes eius contempſerunt legem meam. *Pro quo poteris etiam vertere: Sacerdotes eius diripuerunt, vel ſpoliauerunt legem meam. Cùm enim illam perperam interpretarentur, dicebantur verum eius ſenſum diripere, eámque germana intelligentia ſpoliare. Ad hæc ſignificat lædere, & perdere, vt Prouer.* 8. Qui autem in me peccauerit, lædet animam E ſuam: *vel perdet animam ſuam. Quod verti etiam poteſt: Qui in me peccauerit, ſpoliabit animam ſuam: nimirum bonis gratiæ perfectiſque virtutibus. Illud capite* 15. *Iob Lædetur quaſi vinea in primo flore botrus eius: poteſt verti: Perdet, quaſi vinea in primo flore botros eius: Hoc eſt, amittet filios ſuos ſtatim in prima pueritia. Vel ſpoliabitur quaſi vinea in primo flore botris ſuis. Hoc eſt privabitur filiis, cum adhuc fuerint infantes. Eadem eſt ſententia licet diuerſis verbis. Ab hoc verbo deducitur nomen* חמס *chamas quod ſignificat rapinam & iniquitatem: vt Geneſis ſexto.* Corrupta eſt terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate. *Vbi paraphraſis Chaldaica pro iniquitate habet, rapina. Rectiſſimè tamen habet editio vulgata, quemadmodum Pſalmo ſeptimo:* Super verticem ipſius iniquitas eius deſcendet. *Vbi iniquitas accipitur pro pœna iniquitatis: vt ſit ſenſus: Et ſupplicium maleficij illius in eius caput redundabit. Læſio enim qua quis alium lædit, iniquitas illic appellatur. Verbum enim hoc noſtrum lædere ſignificat & perdere. Quare poteſt verti locus hic: Læſit, ſiue perdidit quaſi hortũ tẽtoriũ ſuũ*

4 Demolitus eſt tabernaculum ſuum. *Pro tabernaculo eſt in Hebræo nomen* מועד *Mohedh quod ſignificat* F *tabernaculum, eccleſiam, & templum, quò multi conueniunt: & feſtum & ſolennitatem, vbi populus congregatur. Nam pro eo vertit interpres noſter Threnorum* 1. *ſolennitatem, dicens: Eo quòd non ſint, qui veniant ad ſolennitatem. Pro quo R. Abraham vertit: Propterea quòd non ſint, qui veniant ad ſanctuarium: hoc eſt, ad templum. Quare poteſt verti locus hic: Demolitus eſt, ſiue perdidit templum ſuum, vel congregationem ſuam. Deducitur enim à verbo* יעד *iahadh, quod ſignificat conuenire, congregare, conſtituere tempus. Septuaginta habent* ἑορτην αὐτῆς, *hoc eſt, feſtiuitatem ſuam. Et ſtatim pro eodem hoc nomine vertit interpres noſter feſtiuitatem, dicens eodem verſu: Obliuioni tradidit Dominus in Sion feſtiuitatem.*

5 Maledixit ſanctificationi ſuæ. *Pro maledicere eſt in Hebraico* נאר *naar, quod verbum ſignificat maledicere, eiicere, antiquare, abrogare, relinquere, auferre, attenuare, euertere, auferre à corde. Quæ omnia huic loco conueniunt. Septuaginta habent:* Eiecit ſanctificationem ſuam. Pagninus: Proiecit à corde ſanctuarium ſuum. R. Ioſeph in commentariis: *Abrogauit ſanctuarium ſuum. R. Abraham: Abſtulit & dereliquit templum* R. Iehud. *ſuum. Illud capite tertio Malach.* In penuria vos ma- R. Ionah. ledicti eſtis: *eſt ab hoc verbo, vt R. Iehuda, & R. Ionah teſtantur. Et hanc ſignificationem ſecutus eſt hoc loco noſter interpres.*

Effu-

A 6 Effusum est in terra iecur meum. *Quid hoc significet, in explanatione ostendimus: Septuaginta interpretes habent: Effusa est in terram gloria mea. Hoc est, cecidit omnis honos meus, ruit in terram celebritas mea & amplitudo. Sed dices. Quæ est hæc discrepantia? Quæ st inter iecur & gloriam conuenientia? Velim tibi persuadeas, In Hebræo esse nomen* כבד *Cabedh, quod significat iecur, & rem eminentem & gloriosam, & honorem, & gloriam. Pro quo vocabulo Septuaginta transtulerunt* Δόξα, *quod significat gloriam, splendorem, & opinionem celebrem. Quare rectè interpres noster, & rectè Septuaginta verterunt. Cùm enim nomen æquiuocum sit, vnusquisque illud potest in eam accipere significationem, quæ est scriptoris instituto accommodata: huic autem literæ vtraque significatio est accommodatissima. Nec solum cabeth, sed etiam cabodh gloriam significat, & animam, quòd sit corporis gloria & ornamentum: vt psal. 29.* Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar. *Quod potest verti: Vt cantet tibi anima mea, & non sileam. Acsi dicat: Vt anima mea te celebret præconiis bonitatis tuæ, de tuisque laudibus non conticescat.*

7 Cõpleuit sermonẽ, suũ quem præceperat. *Septuaginta interpretes habent:* συνετέλεσεν ῥήματα αὐτῶ. *Hoc est, compleuit verba sua. Sed idem sensus est: est enim in versione communi singularis numerus pro plurali: quod Septuaginta indicarunt: Ac profermone posuerunt rimata, hoc est verba seu sermones. Eodem vocabulo vtuntur cap. Iob 19. pro quo nos habemus* sermones. *Ita enim est in editione vulgata:* Quis mihi tribuat, vt scribantur
B sermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro Stylo ferreo, & plumbi lamina, vel certè sculpantur in silice? *Acsi dicat Iob: Tantùm abest, vt existimem verba mea, quibus meam tuor iustitiam, falsa esse & inania, vt optem in materia incorruptibili, qualis est durus lapis, scripta esse, vt ea semper posteritas intueatur. Pro certè habent nonnulli codices celte, sed error fuit libeariorum. In codicibus enim antiquis, & in versione complutensi scriptum est certè. Non me fugit quam multà barbari quidam interpretes super vocabulo celtè fingant & incptè philosophentur: sed vera lectio est certè.*
Hieron. Philip. Gregor. Hieron. *Nam nec in Hebraico, nec in Græco est nomen aliquod, quod celtem significet. Nec Hieronymus, nec Philippus, nec Gregorius graues & antiqui Iob interpretes celtis meminerunt. In Hebraico est particula laad, quæ significat adusque: pro qua Hieronymus vertit certè. Et quia particula adusque significat etiam continuationem, verterunt*
C *Septuaginta interpretes: In seculum; sed hoc paulò antè posuerunt. Et nonnulli vertunt: In perpetuum. Acsi dicat: Vtinam sculpantur in duro marmore, vt perpetuò durent. Cùm hæc sententia scripta sit carminibus Hebraicè, non est mirum, quædam verba transponi. Ego existimo horum verborum ordinem hunc esse. Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei in papyro? Quis mihi det, vt exarentur in libro tabularum ceratarum? Vel certè quod magis opto, vtinam sculpantur in silice & duro lapide stylo ferreo, mox plumbi lamina formandi. Solent enim qui literas in marmoribus scribunt, primum stylo ferreo eas excauare, deinde laminis plumbeis aut æneis vacua literarum spatia replere vt earum notæ euidentius appareant, magisque perspicuæ reddantur. Id in multis antiquis molibus & structionibus, ac veterum monimentis hodie conspicitur: quemadmodum Romæ in Marci Agrippæ inscriptione, quæ adhuc extat in frontispicio rotundi templi, nunc sanctissimæ virgini Mariæ dedicati, quod quondam in honorem omnium falsorum deorum constructum Pantheon vocabatur. Tu verò aduerte, & id quod hoc loco ait Ieremias perpende.* Compleuit Deus sermonem suum: *de quo ait Christus apud Ioannem capite decimoseptimo:* Sermo tuus veritas est. *Et Iacobus primo.* Genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius: *hoc est: vt simus in hoc mundo præstantissima omnium creaturarum: cùm* D *antea essemus comparati iumentis insipientibus, & similes facti illis: vt verbis vtar Psalmographi quadragesimo octauo.*

8 Consurge, laudi in nocte. *Pro lauda est in Hebraico verbum* רנן *Ranan, quod significat laudare, clamare, meditari, exultare. Ex hac verbi æquiuocatione fluxit interpretum varietas. Hieronymus vertit laudare. Pagninus, & Brixianus clamare. Septuaginta meditari. Sed hæc in idem ferè recidunt. Nam laudare hoc loco est præconiis Deum efferre, & clamoribus laudis celebrare. Sed quia hi clamores possunt esse in animo sine vocibus externis, vertunt Septuaginta meditari, siue ad meditandum. Mosi enim nihil ore clamanti dixit Deus, Exodi decimoquarto:* Quid clamas ad me? *Pro laudare accipitur Esaiæ quinquagesimoquarto:* Lauda sterilis, quæ non paris. *Pro quo Septuaginta habent: Exulta siue lætare sterilis, quæ non paris. Loquitur diuinus vates cum gentium populo, siue cum gentilitate, quæ, cum antea sterilis esset, recepit fidem, & multis filiis abundauit; plures enim ex gentibus, quàm ex Iudæis in Christum crediderunt, qui filij Dei nuncupantur. Quotquot autem eum receperunt, in-* Ioann. 1. *quit Ioannes, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Significat etiam verbum hoc delectare, vt Psalm. 64.* Exitus matutini & vesperæ delectabis. *Hoc est, tu Deus sancte*
E *partes Orientis & Occidentis afficies gaudio, cum eas ad veram fidem tuam conuerteris. Cùm Orientem & Occidentem vellet dicere, dixit, exitus auroræ & vesperæ, quod ex altera parte dies, ex altera nox oriatur. Poteris per exitum matutini intelligere solem & diem, per exitum autem vesperæ lunam & noctem, vt sit sensus: Tu domine non solùm in die prosperitatis, sed etiam in nocte rerum aduersarum iustorum animos oblectas. Potest verti: Exitibus matutini & vesperæ laudaberis.* Dani. 3. *Nam dies & nox modo suo Deum laudibus efferunt: iuxta illud trium puerorum:* Benedicite noctes & dies domino. *Vt enim ait diuinus ac regius vates psalm. decimooctauo.* Dies diei, *hoc est successio ordinatissima dierum, eructat verbum, hoc est loquitur Dei potentiam & bonitatem:* & nox nocti, *hoc est noctium vicissitudo & perpetua constantia indicat ipsius Dei sapientiam, Aspicis verbum hoc ranan significare laudare, rectéque hoc loco versum fuisse ab interprete nostro Latino.*

9 Leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum. *Septuaginta interpretes habent: pro animabus. Sed sensus est idem. Ponitur enim Hebraicè sæpenumero singulari: numerus pro plurali. Monemur hoc loco fundere preces ad Deum pro animabus mortuorum, vt Deus eas ducat ad gloriam sempiternam: non pro illis, quæ sunt in cœlo, nec pro illis, quæ æternis inferorum* F *pœnis cruciantur, sed pro illis, quæ in purgatorio detinentur. Capite decimosecundo lib secundo Machabæorum scriptum ita legimus.* Facta collatione duodecim mille drachmas argenti misit Hierosolymam, *nimirum Iudas Machabæus* offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiosè de resurrectione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, supersluum videretur & vanum, orare pro mortuis. Et quia considerabat quòd hi cum pietate dormitionem acceperant, primam haberent repositam gratiam. Sancta ergo est & salubris cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. *Hactenus ibi. Deploranda profectò est hæreticorum cæcitas & obstinatio, qui negant purgatorium & pro mortuis preces & suffragia: cum hoc loco contrarium apertissimè asseratur. Nec possunt dicere hunc librum canonicum non esse: si quidem diuus Augustinus cum cœtu doctorum* Auguſt. *sanctorum asseueranter affirmant eum esse canonicum. Et ita assertum est in concilio Carthaginensi, & in concilio Tridentino. Deinde diuus Paulus capite tertio prioris ad Corinthios.* Vniusquisque opus, *inquit*, quale sit, ignis

A probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. *Hoc est saluabitur, sed perpurgatus igne purgatorij gloriam cælestem consequetur. Ita locum illum Hiero. Augustin. Ambro. Gregorius, & cæteri patres vetustate, sanctitate, sapientia admirandi explanarunt. Idem apostolus capite ad Philippenses secundo.* In nomine, *inquit*, Iesu omne genu flectatur cœlestium, & terrestrium, & infernorum. *Vbi per infernos eos intelligit, qui in purgatorio ad tempus pœnas luunt peccatorum suorum. Perspicuum est enim, qui æternis inferorum pœnis torquentur, non flectere genua nomini Iesu, quod perpetuò execrantur. Sunt ergo in purgatorio, qui Christum colunt, cui genua flectunt. Idem depromitur ex capite quinto Apocalypsis, vbi omnes creaturæ, quæ sunt subtus terram, dicuntur Deum laudare. Augustinus quæstione prima de Dulcitij quæstione purgatorium esse testatur. in libro de cura pro mortuis agenda, idem asserit. Sed ante Augustinum hoc affirmauit Dionysius Areopagita capite septimo ecclesiasticæ hierarchiæ, & post illum Gregorius in epistola ad Bonifacium, & in dialogis multis in locis. Hæc veritas fuit in concilio Cabilonensi asserta, & in sacros canones relata de consecratione dist. primo capite. Visum præterea. Et Damascenus atque Isi-*

B *dorus consuetudinem in ecclesia Christi orandi pro defunctis in purgatorio existentibus à tempore apostolorum aiunt emanasse. Itaque esse purgatorium animarum illisque ecclesiæ suffragia prodesse est verissimum: & ita tenet ac docet sempérque tenuit ac docuit S. Rom. ecclesia catholica, quæ vt* D. *ait Paulus in epistola priore ad Timotheum,* est columna & firmamentum veritatis. *Sed postquàm animæ exeunt ex purgatorio, aut tanta sunt prædita sanctitate, vt cum ex hac vita migrant, nihil habent, quod purgent, statim cælestem gloriam consequantur, an spectent vsque ad vniuersale iudicium, magna inter viros sapientia præstantes quæstio quondam fuit Hieronymus explicans illud Psalm. sexagesimooctauo:* Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem: *videtur asserere animas sanctorum ante diem vltimi iudicij beatas esse, & in cœlo cum Christo aggregatas diuinam essentiam videre, eáque frui, & habere vitam æternam. Idem videtur sentire Ambrosius verba illa apostoli explanans in epistola ad Philippenses:* Cupio dissolui, & esse cum Christo. *In eadem sententia est Augustinus explicans illud Apocalypsis capite sexto.* Datæ

C sunt illis singulæ stolæ albæ. *Et Gregorius in explanatione eiusdem loci. Et Anselmus in expositione capite quinto posterioris ad Corinthios. Et multi alij magni nominis authores. Et hæc est vera sententia, firmitérque tenenda. quemadmodum epistolis decretalibus Innocentij tertio & Benedicti decimoprimo summorum pontificum sancitum & assertum est: & œcumenij concilij Florentini decreto confirmatum. Sunt autem concilij Florentini sub Eugenio quarto pontifice maximo hæc verba: Definimus illorum animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superiùs dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intuere clarè ipsum dominum trinum & vnum, sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius. Hæc concilium Florentinum. Benedictus decimoprimo de consilio pontificum, quos cardinales appellant, & summi pontificis collegas, magnorúmque theologorum consensu ait huiusmodi animas ante sumptionem suorum corporum & iudicium generale esse in cœlo & paradiso cælesti, cum Christo sanctorum angelorum consortio aggregatas, videréque diuinam essentiam immediatè se bene & clarè & aperte illis ostendentem, eademque perfrui, esséque in vita æterna beatas. Quare hoc est verum, & de fide tenèndum. Armeni tamen quondam asserebant nullam animam ante diem iudicij esse beatam, nec Deum videre: contra quos scripsit Guido Carmelita, & diuus Thomas in quodam opusculo, quod inscribitur contra Græcos & Armenos. Fuerunt tamen multi authores grauissimi & doctissimi, qui in erronea Armenorum opinione fuisse videntur, quos iuxta temporum seriem in quibus floruerunt, recensebo, vt eos prudenter legas, & piè ac sapienter interpreteris. Irenæus episcopus Lugdunensis in fine libro quinto aduersus hæreses: Iustinus philosophus & martyr in libro quæstionum à gentibus positarum quæstione septimagesimosexto. Tertullianus Florens libro aduersus Marcionem quarto & libro de anima capite antepenultimo & vltimo. Origines homilia septimo in Leuiti. & libro secundo & quarto Periarchon. Lactantius Firmianus libro septimo diuinarum institutionum capite vigesimoprimo. Victorinus martyr episcopus Pitabionensis in commentariis in Apocalypsim explicans illud: Vidi sub altari Dei: Ioannes Chrysostom. homil. trigesimonono in priorem ad Corinth. explicans verba illa: Si in hac vita tantùm sperantes sumus. Theodoretus Cyrenensis episcopus in commentariis decimoprimo capite epistolæ Pauli ab Hebræos: Arethas episcopus Cæsariensis in commentariis in Apocalypsim collectis ex Andreæ Cæsariensis episcopi monumentis in explanatione horum verborum: Vsquequò domine non vindicas sanguinem nostrum: Oecumenius in caput decimoprimo epistolæ Pauli ad Hebræos: Theophilactus episcopus Bulgariæ in eodem loco. Euthymius Zicabenus in commentariis in caput vigesimotertio euangelij authore Luca: Bernardus sermone tertio in festo omnium sanctorum. Hi sunt qui videntur asserere animas ante generale iudicium non esse beatas. Sed illud intelligendum est de corporum resurrectione, quam Deus sanctis suis repromisit. Ea enim adhuc differtur, vt simul omnes resurgamus, & non sine nobis consummatam animę & corporis beatitudinem percipiant. Et quoniam sancti non adhuc corporis immortalitatem receperunt, non habent beatitudinem omnino perfectam, omnibusque numeris absolutam, nihilominus tamen iam sunt beati in gloria cælesti, vbi Deo auo sempiterno fruuntur. Ac ita intelligendi sunt patres aientes animas sanctorum, qui è vita migrarunt, esse quidem in requie, non autem beatas esse nisi post reditum corporum ad vitam. Et hoc modo sententiæ patrum, quos citaui, possunt ad decretum concilij Florentini reduci. Verum si aliqua catholicorum doctorum dicta non potuerint hanc recepere interpretationem, non ideo debes tam illustrium patrum eruditionem pietatémque contemnere, quoniam ecclesia illorum temporibus nondum aliquid hac in re statuerat credendum. Semper tamen verum fuit sanctorum animas è corporibus egressas, eo modo quo sacrum decreuit & docuit concilium, beatas esse, Deumque videre, esséque purgatorium animarum, quibus viuorum preces prosunt, vt ex hac Ieremiæ loco colligitur.*

10 Vide domine. *Pro vide est in Hebraico verbum* ראה *Raah, quod significat videre, & misereri: vt Genesis capite vigesimonono.* Vide dominus humilitatem meam. *Vel vt potest etiam verti: Vidit Deus afflictionem meam. Simili modo Psalmo trigesimo.* Quoniam respexisti humilitatem meam. *Humilitas enim sæpe pro molestia & afflictione vsurpatur. Tunc autem Deus eam videre dicitur, cum eius qui illa angitur, misereatur. Videre eius misereri sæpenumero est.* Præteriens vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine: & ait illi: Sequere me. Et præteriens vidit hominem cæcum à natiuitate, *quem mirabiliter curauit. Hinc Dauid Psalmo septimogesimonono misericordiam Dei implorans:* Domine Deus virtutum, *inquit*, conuerte nos: ostende faciem tuam, & salui

Thom. Irenæus Iustinus. Tertul. Aug. Dionys. Ambr. Aug. Hiero. 2. Tim. 2. Oecume. Theoph. Euthy. Matt. 9. Mar. 2. Luc. 5. Ioan. 9.

A salui erimus. *Imò ipse Deus appellatur Deus visionis, hoc est Deus misericordiæ: illud enim capite 16. Geneseos.* Vocauit autem Agar nomen domini, qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidisti me: *potest verti: Tu Deus visionis: est enim in Hebræo* ראי *Roi, quod nomen visionem significat: Acsi diceret: Tu es Deus qui mei misertus es. Vel qui omnium misereris. Vel qui omnia vides. Eam ob causam antiquissimi Aegyptij volentes Deum significare, pingebant sceptrum rectum cum oculo in fastigio, intelligens per sceptrum regiam dignitatem, diuinámque iustitiam, per oculum autem circumcirca prospicientem Dei prouidentiam omnia videntis & gubernantis. Ita hunc hieroglyphicum interpretatur Cyrillus Alexandr. lib. 9. aduersus Iulianum, & Pierius Valerianus in hieroglyphicis. Vel appellatur Deus visionis, quia viris iustis calamitate confectis apparebat. Vel quia videndus erat ab hominibus humana assumpta natura: de quo vaticinatus est Baruch dicens ca. 3. In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Vbi more prophetico præteritis vtitur pro futuris. De illo ait ca. 53. Esaias:* Vidimus eum, & non erat aspectus. *Vidit enim illum oculis lumine vaticinationis illustratis in monte Caluariæ crucifixum, & vulneribus saucium: iuxta id quod dictum fuerat cap. 22. Geneseos iuxta septuaginta interpretum versionẽ,* ὡν τῷ ὄρει κύριος ὤφθη. *Hoc est, in monte dominus visus est. Pro quo editio nostra vulgata ex Hebræo transtulit: In monte dominus videbit. In monte nanque Caluariæ vim ac magnitudinem misericordiæ ostendit, non solum pro amicis, sed etiam pro inimicis anginem profundens, sẽque hostiam constituens. Quare verissimum fuit dictum illud: In monte dominus videbit, hoc est miserebitur. Et illud: In monte dominus visus est: nimirum multò antè à diuinis vatibus, & tempore mortis eius corporis oculis à populo circunstante. Mons enim ille sacrificij Isaac fuit mons postea Caluariæ appellatus, vt in commentariis nostris in caput 11. Danielis ostendimus: qui mons Moria, hoc est mons visionis quondam appellabatur. Cùm igitur videre ad Deum relatum & aspicere significet, & misereri, potest verti locus hic Ieremiæ: Miserere domine, & perspice, quem vindemiaueris.* D

E

CAPVT III.

B

א Aleph
- [a] Ego vir videns paupertatem meam [b] in virga indignationis eius.
- [c] Me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem.
- [d] Tantùm in me vertit, & conuertit manum suam tota die.

ב Beth
- [e] Vetustam fecit pellem meam, & carnem meam, contriuit ossa mea.
- [f] Aedificauit in gyro meo, & circundedit me felle & labore.
- [g] In tenebrosis collocauit me, quasi mortuos sempiternos.

ג Gimel
- [b] Circum ædificauit aduersum me, vt non egrediar, aggrauauit compedem meum.
- Sed & cum clamarem, & rogarem [k] excluſit orationem meam.

ד Daleth
- [l] Concluſit vias meas lapidibus quadris: [m] semitas meas subuertit.

ה He
- [n] Vrsus insidians factus est mihi, leo in ab[f]condito.

ו Vau
- Semitas meas subuertit, [o] confregit me, posuit me desolatam.

ז Zain
- [p] Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.

ח Heth
- [q] Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.
- [r] Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.

ט Teth
- Repleuit me amaritudinibus, [s] inebriauit me absynthio.

י Iod
- [t] Et fregit ad numerum dentes meos, [v] cibauit me cinere.

כ Caph
- [x] Et repulsa est anima mea, [y] oblitus sum bonorum.

ל Lamed
- [z] Et dixi: [aa] periit finis meus: [bb] & spes mea à domino.

מ Mem
- [cc] Record[a]re paupertatis & transgressionis meæ, absynthij & fellis.

נ Nun
- [dd] Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.

ס Samech
- [ee] Hæc recolens in corde meo, in Deo sperabo. F

ע Ain
- [ff] Misericordiæ domini, quia non sumus consumpti, [gg] quia non defecerunt miserationes eius.

פ Phe
- [hh] Noui diluculo, multa est fides tua.

צ Sade
- [ii] Pars mea dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum.

C

EXPLANATIO.

א [a] *Ego vir videns paupertatem meam.* Duo superiora capita duob. alphabetis scripta tres versiculos sibi cõnexos ab vna litera incipientes commate concludũt. In hoc autem 3. cap. quilibet versiculus à sua eadémque incipit litera ordine alphabeti seruato. Et ita omnes primi tres versiculi incipiunt ab aleph, alij tres à beth & sic deinceps: ita vt vnus integer versus tres continens versiculos, ternas literas eaſdémque contineat. Sed iam ad literæ explanationem accedamus. Ego vir videns paupertatem meam. Hoc est, ego sum vir ille, qui meam intueor inopiam, qui meam experior & intelligo egestatem. Hoc caput referunt nonnulli, & rectè quidem, ad populum Hierosolymitanum spoliatũ à Babyloniis, & calamitatibus oppressum, quem aiunt Ieremiam hoc loco inducere afflictũ, direptioni cõmissum, & ęrumnas suas lamentatem. Alij totum hoc de Ieremia in carcerem coniecto interpretantur. Potest de Ieremia intelligi à carcere abducto, sed afflicto & spoliato. Cùm enim ærũnas suas aspiceret, & in gemitibus & querelis Hierosolymæ versaretur, aliquando ipse loquitur, aliquãdo ipsam vrbem loquentem facit, aliquando populũ

A quemadmodum duobus fecit ſuperioribus capitib. Ac ita nos caput hoc explanabimus. Loquitur igitur hoc loco de inopia & familiæ difficultate ob ciuitatis direptionem: vel ob regis, magnatúmque Hieroſolymæ tyrannidem, qui eum in carcerem coniecerant, & rebus domeſticis ſpoliauerant. Vt aquilarum pennæ aliarum auium pennis admiſtę eas conterunt, & abſumunt: ſic tyranni vim videntur habere inſitam homines lædendi & ſpoliandi. Vel accipitur hoc loco paupertas pro calamitate, vt pſal. 30. *Infirmata eſt in paupertate virtus mea.* Et cap. Eſai. 48. *Elegi te in camino paupertatis.* Hinc effectum eſt, vt pauper interdum pro afflicto accipiatur: vt cap. 36. Iob: *Eripiet de anguſtia ſua pauperem.* Et pſal. 9. *Factus eſt dominus refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Et pſa. 24. *Quia vnicus & pauper ſum ego*: Hoc eſt, quia ſolus, & afflictus ſum ego.

ſimilitudo

b *In virga indignationis eius.* Id eſt, in ſupplicio iræ Dei, & vehemente eius furore. Senſus eſt: Ego ſum ille, qui meam inopiam & calamitatem vſu tractando cognoſco in hac Hieroſolymæ euerſione, diuinęque iuſtitiæ ſeueritate. Prudens eſt, qui calamitatem & miſeriam ſuam conſiderat & perpendit: ſtultus autem, qui illam minimè perſpicit & cognoſcit. Et ait

B cap. 3. Apoc. beatus Ioannes: *Neſcis, quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Solet autē perſpici virga furoris Dei, quando Deus hominibus diuitias aufert, potentiam, & lætitiam, ne eum contemnant, ſéque efferant in ſublime. Vt enim auibus ſolemus pennas reſecare, ne longius auolent, & fugiant: ſic Deus quibuſdam alas poteſtatis, opum, & voluptatum confringi, ne extollantur, ipſúmque Deum aſpernentur. Aliquando tamen hoc efficit Deus ob alias cauſas iuxta iudicia eius nobis interdum abſcondita, ſed ſempar iuſta: quæ quando ſeueritatem præ ſe ferunt, nomine virgæ, vt hoc loco, ſignificantur. Perſpicuum eſt enim per virgam intelligi flagellum & caſtigationem: vt cap. 9. Iob: *Auferat à me virgam cadens.* Et pſalmo 88. *Viſitabo in virga iniquitates eorum.* Et ca. 4. prioris ad 1. Corint. *In virga veniam ad vos, an in charitate?*

ſimilitudo

ℵ c *Me minauit.* Subauditur Deus. Et adduxit in tenebras: hoc eſt in afflictiones & rerum aduerſarum caliginem. Et non in lucem; hoc eſt, non autem in gau

C dium & proſperitatem. Significari nomine tenebrarum calamitatem, & nomine lucis felicitatem, indicant verba illa Iob cap. 17. *Poſt tenebras ſpero lucem.* Et trigeſimo: *Præſtolabar lucem: & eruperunt tenebræ.* Hoc totum: *Me minauit, & adduxit in tenebras*: poteſt referri ad tyrānum, qui ipſum Ieremiam ad ſeipſum duxit, & in obſcurum carcerem coniecit. Sumitur minare pro ducere.

ℵ d *Tantùm in me vertit, & conuertit manum ſuam.* Hoc eſt, me duntaxat flagellauit. Accipitur manu, pro flagello, vt capite oſtendimus ſuperiore. Conuertere & admouere manum in aliquem, eſt illum percutere, & moleſtiis conficere. Eam ob cauſam ait. *Vertit & conuertit*: quia eum tyrannus non ſemel, ſed iterum atque iterum percuſſit. Sunt, qui exiſtiment, hæc referri ad Deum, cuius permiſſione tyrannus Ieremiam affligebat. Loquitur more afflictorum, qui ſuas tantùm calamitates conſiderant, acſi alij calamitoſi non eſſent. Quam ob cauſam vtitur particula *tantùm*. Vel refertur ad manum: vt ſit ſenſus: Me afflixit ſolùm, nulláque conſolatione leniuit. Nam reipſa non ipſe ſolùm quin potius plerique mortales calamitatibus interdum premuntur. Pauciſſimi ſunt qui perpetua felicitate potiantur. Vt fœnix non eſt niſi vnica, vixque credita cuiquam: ſic rara eſt perpetua rerum properarum abundantia. In omni enim re præſtantiſſimum quicque rarum eſt. Cæterùm pro tantùm poteſt verti profectò, vel vtique: & tota hæc litera ita D ordinari: Profectò contra me verſus eſt, & admouit manuum ſuam tota die: Nimirum Deus, vel tyrannus eius permiſſione.

ב e *Vetuſtam fecit pellem meam & carnem meam.* Hoc eſt, ita me virga flagellauit, vt conſuetudo calamitatis diuturna callum obduxerit cuti atque carni meæ, & fregerit oſſa mea. Vel fecit verteraſcere cutem meam, quæ præ dolore & anxietate vetus ac nigra reddita eſt. Eodem modo Iob cap. 30. *Cutis mea denigrata eſt ſuper me.* Vel inducit Ieremias hoc loco Hieroſolymam loquentem, atque per pellem intelligit homines plebeios, per carnem deliciis deditos, per oſſa viros fortitudine præſtantes: qui omnes in vrbis vaſtitate fuerunt grauiter afflicti, pagninus vertit, Conſumpſit, carnem meam, & pellem meam: cōfregit oſſa mea.

ב f *Aedificauit in gyro meo.* Hoc eſt, collocauit Deus exercitum Babylonicum in circuitu murorum meorum: méque felle & labore, id eſt acerbiſſimis miſeriis circumſepſit. Poteſt referri ad ipſum Ieremiam, vt ſit ſenſus: Oppugnauit me Deus vndique, & doloribus ac moleſtiis circumvallauit. Fel accipitur pro angore & moleſtia, vt cap. Iere. 23. *Potabo eos felle.*

ב g *In tenebroſis collocauit me quaſi mortuos ſempiternos.* Coniecit me in carcerem, vnde non exirem, quemadmodum mortui perpetuis tumulis mandantur. Vel coegit me, vt deliteſcerem in caliginoſa ſpe lunca illorum inſtar, qui iam pridem è vita exceſſerunt. Hoc fecit Ieremias inimicorum metu coactus. E

Eodem modo Dauid pſal. 142. *Collocauit me*, inquit, *in obſcuris, ſicut mortuos ſeculi.* Ita appellat ſpeluncas & latebras, in quas ſe abdebat metu Saulis. In illis collocat Deus afflictos homines quaſi mortuos ſempiternos, quando ita eos deſtituit ſolatio, vt nullam eos in hac vita conſolationem ſperare ſinere videatur. Itaque per mortuos ſempiternos vel ſeculi illi intelliguntur, qui penitus mortui ſunt: vel qui ad æternas inferorum pœnas relegantur.

ג h *Circum ædificauit aduerſumme, vt non egrediar.* Id eſt, circundedit & circumſepſit me, vt non euaderem. Eodem modo Iob ca. 19. *Semitam*, inquit, *meam circumſepſit.*

i *Aggrauauit compedem meum.* Hoc eſt grauem fecit obſidionem meam. Vel loquitur Ieremias de neruo, quo alligatus fuerat in carcere. Quemadmodum de Ioſeph in Aegypti carcerem coniecto dicitur in pſalmo 104. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius: ferrum pertranſiit animam eius, donec veniret verbum eius.* Ferrum appellat vinculum ferreum, quo alligatus fuit donec veniret à Deo vis illa interpretandi F ſomnia: de quibus cap. Gen. 41. diuina loquitur ſcriptura. Et de ſeipſo ait Iob cum Deo loquens ca. 13. *Poſuiſti in neruo pedem meum.*

ג k *Excluſit orationem meam.* Clauſit aures ad preces meas: non mihi poſtulata conceſſit. Ita Dauid pſa. 21. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies.* Clementiſſimus Deus quid nobis vtile ſit intuens, diſſimulat interdum noſtras exaudire precas, vt augeat vtilitatem. Vult, vt vita ſupplicio purgetur, & vera tranquillitas, quæ hic non inuenitur, alibi quæratur. Vel refertur hoc ad regem Hieroſolymæ, qui tyrannicè Ieremiam tractans eum noluit audire.

ג l *Concluſit vias meas lapidibus quadris.* Hoc dicit propter obſidionem, qua intra vrbis mœnia populus Iudaicus ita obſidebatur, vt exire non poſſet. Vel loquitur Ieremias de proprio labore, & carcere, quò fuerat coniectus: acſi dicat: Clauſit vias meas grauibus impedimētis, ne poſſem fugere, & euadere. Quadrata vbi poſita fuerint, firma iacent, & minimè prolabuntur.

Semi-

A m *Semitas meas subuertit.* Repetitio est superioris. Nullam mihi reliquit viam, qua me possem in fugã coniicere,& perniciem declinare. Idem dicebat Dauid psal.141. *Periit fuga à me: & non est, qui requirat animam meam.* Hoc est, nullo modo possum fugere: nec est,qui velit aut desideret vitam meam.

n *Vrsus insidiatus factus est mihi leo in abscondito.* Nimirum hostis meus Nabuchodonosor,qui & insidiosè & fortiter,occultè & apertè me oppugnauit. Hierosolyma est,quæ loquitur. Comparat regem Babylonicum cum vrso & leone propter crudelitatem, & insidias,atque potentiam,& tyrannidẽ. Cap.28. Prouerbiorum ait Salomon: *Leo rugiens, & vrsus esuriens princeps impius super populum pauperem.* Et Amos 5. *Quomodo si fugiat vir à facie leonis,& occurrat ei vrsus.* Vbi vrsus & leo pro tyrannis accipiuntur. Acsi dicat diuinus vates: Affliget vos Deus ob scelera vestra: veniet super vos dies indignationis eius. Ac cùm existimaueritis liberos vos esse ab vno tyranno, in alium immaniorem incidetis.

o *Confregit me,posuit me desolatam.* Hoc est,euertit me,ac penitus vastauit. Lamentatur mœsta Hierosolyma exitium suum,& clades, quas acceperat à Nabuchodonosore. Potest totum hoc ad Ieremiam referri: acsi dicat: Fregit me Deus, & posuit me vt vrbem
B desolatam. Vel confregit me inimicus meus rex Hierosolymæ,quia Deus ita permisit. Frangitur calamitatibus & contumeliis vir iustus & pius,similiter sceleratus & impius: sed hic est vitrum,quod confractũ nihil valet: Ille verò est argentum, quod etiamsi frangatur, non tamen suum pretium amittit. Confringere idem est aliquando quod affligere & prosternere: vt psal.17. *Confringam illos, nec poterunt stare.* Et cap. 4. Amos. *Confringitis pauperes.* In quam significationem accipitur hoc loco Ieremiæ.

p *Tetendit arcum suum,& posuit me quasi signum ad sagittam.* Hoc est,grauiter me vulnerauit. In arcu enim quantò longius trahitur corda, tantò concitatior & furiosior exit sagitta. Hoc fuit capite præcedente explanatum. Quod autem ait fuisse se vt scopum constitutum, quo diriguntur sagittæ & iacula, significat se esse ab omnibus afflictum,multisque calamitatibus confectum. Ita Iob ca.16. *Confregit me, & posuit me sibi quasi in signum:* vt scilicet me sagittis
C configerent, mihique apertè repugnarent. Id voluit Simeon significare de puero Iesu, cùm dixit apud Luc.2. *Positus est in signum,cui contradicentur.* Et diuus Paulus molestiis & anxietatibus circunseptus ca. 3. prioris ad Thes. *Nemo,* inquit, *moueatur tribulationibus istis ipsi enim scitis,quod in hoc positi sumus.* Ac si dicat: Nemo ob calamitates meas perturbetur: nã ad hoc sum veluti scopus constitutus, vt iaculis traiiciar.

q *Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.* Id est, confixit me sagittis: quæ filiæ pharethræ dicuntur, quòd ex ea vt ex vtero matris egrediantur. Cap. 30. ait Iob: Pharetram suam aperuit, & afflixit me. Hæc dicitur Deus fecisse,quia illius voluntate & potestate & Ieremiæ,& Iob inimici faciebant.

r *Factus sum in derisum.* Idem ait cap.20. idem Ieremias,quem Iudæi irriserant,& in prouerbium atque cantilenam traduxerant.

s *Inebriauit me absynthio.* Id est, acerbissimis doloribus me confecit. Est enim absynthium herba fœtida & amara,quæ Lusitanicè appellatur alosna. Non dicit: Potauit me absynthio, quod ipsum erat acerbum: sed ipso me inebriauit, quod est acerbissimum. Acsi dicat: Tantus fuit dolor meus, vt mihi sensum ferè eriperet.

t *Et fregit ad numerum dentes meos.* Id est, contudit mihi numerum dentium: multos mihi dentes confregit. Frangere siue conterere dentes alicui est illum D affligere,& calamitatibus lacerare: vt psal.3. *Dentes peccatorum contriuisti.* Et 57. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum.* Pro ad numerum, vertunt nonnulli,lapide,aut silice,alij,arena. Ac dicunt,Ieremię in carcere datum fuisse panem mistum arenis & lapidibus ad comedendum. Et hoc voluisse illum hoc loco significare.

v *Cibauit me cinere.* Hoc est, dedit mihi cineram ad edendum. Significat se in maximo luctu & mœrore versatum fuisse. psal.101. ait Dauid: *Cinerem tãquam panem manducabam.* Potest verti: Operuit me cinere. Paraphrastes Chaldæus transtulit: Humiliauit me.

x *Et repulsa est anima mea.* Subaudi, à Deo, qui me noluit audire. Ita Dauid psal.43. *Nunc autem,* inquit, *repulisti,& confudisti nos.* Acsi dicat: Non solùm nos Domine non audis, sed etiam ignominia afficis,& repellis. Et psal.59. *Deus repulisti nos,& destruxisti nos.* Et 88. *Tu verò repulisti,& despexisti.* Quibus verbis suam & populi deplorat calamitatem. Emendatiores codices habent: Repulsa est à pace anima mea. E Et tunc sensus est: Vita mea proiecta est ab hominũ pace. Cùm enim Ieremias veritatem diceret, & scelera obiurgaret,erat iniurius obiectus, in hominúmque odium incurrebat. Id voluit ipse significare capite 15. cùm has voces emisit: Væ mihi mater mea, quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra? Hanc esse existimo germanam huius loci explanationem. Septuaginta enim,& Pagninus, & Brixianus habent à pace. Ac ita est in Hebræo.

y *Oblitus sum bonorum.* Id est,iam mihi omnino excidit ex animo memoria felicitatis. Tam longum temporis fluxit interuallum,postquam eam amisi, vt iam non sim memor,qualis illa fuerit.

z *Et dixi.* Nimirum in corde meo: hoc est mecum Cogitaui. Dicere aliquando pro cogitare vsurpatur: vt cap. Geneseos 27. *Dixit que in corde suo.* Et Iob.7. *Si dixero: consolabitur me lectulus meus.* Et psal.9. *Dixit enim in corde suo: oblitus est Deus.* Et Esaiæ cap.38. *Dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viuentium.*

aa *Periit finis meus.* Euanuit res, quã expectabam. Vel periit terminus vitæ meæ: iam amplius nõ viuã.

bb *Et spes mea à Domino.* Subaudi, periit. Sperauerat aliquid certo tempore, quod non adeptus est. Quare euanuit spes eius circa rem illam: nõ quòd de Deo desperaret,cùm dicat paulò post: Hæc recolens in corde meo in Deo sperabo: sed videns fluxisse F tempus,quo certum aliquid expectauerat,illius spem amisit.

cc *Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absynthij & fellis.* Id est, memoria tene Domine inopiã meã: & qualiter ex diuitiis ad illam transgressus sum: similiter omnes dolores meos, nomine absynthij & fellis significatos,memoria comprehende. Accipitur transgressio pro transitu de opibus ad paupertatem: vel pro transmigratione & exilio. In diuinis literis accipitur pro flagitio,diuinæque legis violatione, vt cap. Iosue 22. *Quæ est ista transgressio?* Et 1. Esdræ 10. *Lugebat enim transgressionem eorum.* Et 3. epistolæ ad Galatas: *Quid igitur lex? Propter transgressionem posita est.* At hoc loco transgressio idem est, quod exilium & transitus atque proscriptio. Verùm si literam Hebraicam consulueris,perspicies hoc nomen pro quo Latinus interpres vertit transgressionem, significare etiam plangorem & lamentum: quæ significatio mirum in modum conuenit huic loco. Potest verti: Recordare calamitatis & lamentationis meæ. Totam *Infrà 5.* hanc orationem voluit Ieremias significare, cùm dixit capite vltimo harum lamentationum: Recordare Domine,quid acciderit nobis.

Memo-

dd *Memoria memor ero, & tabescet in me.* Id est, in memoria hæc habebo: & deficiet in me anima mea. Vel sic: Recordando recordabor harum rerum, & lamentabitur me anima mea.

ee *Hæc recolens in corde meo in Deo sperabo.* Pro in Deo est in libris emendatioribus ideò: & hæc est vera lectio. Sensus est: Verso in mente mea hæc, quæ sequuntur, nimirum magnam esse Dei misericordiâ, ideò sperabo. Nauis vt consistat in mari proiicit anchoram: si anchora fixa est in terra firma, tuta est nauis: sin autem anchora manet in aqua agitata fluctibus, tunc nauis periclitatur. Nauis in mari est vita nostra in mundo, cuius anchora spes est. Si spes fixa est in cœlo, in tuto est nauis, sin autem est in fluxis ac concitatis vndis rerum humanarum, est vitæ nostræ nauis periculis certissimis proximè obiecta. Intuere quid dicat apostolus capite 6. epistolæ ad Hebræos: *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis.* Id est, vsque ad cælum. Et Iob. cap. 13. *etiamsi*, inquit, *occiderit me: in ipso sperabo.* Volens Esaias Deum ad diuinam mouere pietatem cap. 33. ei commemorat spem quam posuerat in illo: ita enim ait: *Domine miserere nostri: te enim expectauimus.* Et Ieremias capite 17. *Spes mea tu Domine in die afflictionis.* Et Dauid Psalm. 24. *Vniuersi qui sustinent te, non confundentur.* Et. 39. *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas.* De Abraham ait apostolus cap. 4. epistolæ ad Romanos: *Qui contra spem in spem credidit.* Ac si dicat: Qui cùm natura à spe decideret, spe tamen adductus Deo credidit promittenti. Vt imago cerea ad ignem applicata liquescit, & absumitur, aurea autem eadem incorrupta manet: sic homo fragilis & inconstans igne calamitatis tactus spem amittit, totúsque dissoluitur: ille autem qui virtute solidus est ac firmus, idem perseuerat: nunquam ei spes infringitur, nec constantia labefactatur. Viri sapientia muniti nunquam desperant omninò nam adhibere in consilium cogitationem desperationem hominum est insipientium, & in rebus magnis grauiter errantium: spes enim cum rerum omnium desperatione confligit. Id quodam modo intelligêtes veteres Romani templa spei & sapientiæ coniuncta ædificarunt. Qui fieri posset, vt homines vulneribus saucij, contumeliis confecti, & calamitatibus acerbissimis lacerati cupiditates temerarias coercerent, inanes solicitudines pellerent, & in virtute firmiter consisterent, nisi spem haberent in Deo fixam ac locatam? Hæc eos ita corroborat atque confirmat, vt nec rerum aduersarum ictibus debilitentur, nec variis ærumnarum oppugnationibus de gradu pietatis deiiciantur. Sed oportet firmam spem habere, etiam si Deus differat promissa: nam, vt Esai. ait: *Qui crediderit, non festinet.* Et Dauid psal. 26. *Expecta Dominum, & viriliter age.* Et diuus Paulus cap. 10. epistolæ ad Hebræos: *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Deus Dauidem in adolescentia regem designauit, sed tot támque acerbis fuit calamitatibus exagitatus vir ille, priusquàm regni possessionem adiret, vt nisi firmissimam haberet spem, posset ad dubitandum induci. At ipse dicebat psal. 25. *In Domino sperans non infirmabor:* Et ad eandem spem populum cohortans aiebat psal. 61. *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra.* Et Ieremias hoc loco: *Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo.* Et paulò pòst: *Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum.*

ff *Misericordiæ Domini, qui nõ sumus consumpti* Nonnulli Latinorum interpretum existimant hoc loco, misericordiæ, esse in genitiuo numeri singularis, cum re ipsa sit nominatiuus pluralis, vt ex litera liquet Hebraica. Sensus est: Misericordiæ Dei in causa sunt, vt viui relinquamur. Nisi illæ essent, omnes simul consumpti fuissemus. Idem ait cap. 1. Esaias: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus: & quasi Gomorrha similes essemus.*

gg *Quia non defecerunt miserationes eius.* Nos enim citra condignum puniuit, & viuos reliquit misertus nostri propter nomen suum. Iuxta id quod ipse Deus ait apud Esaiam cap. 46. *Propter nomen meum longè faciam furorem meum.* Id intelligens Habacuc ait ca. 3. *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Vt mare fons est humoris: sic Deus fons est misericordiæ. Sed quemmadmodum mare cum homore habet coniunctum saporem amarum: sic Deus admistam misericordiæ habet iustitiam, quæ nobis amara videtur.

hh *Noui diluculo: magna est fides tua.* Quidam interpretantur: apertè cognosco magnam esse fidem tuam. Existimant enim noui esse, verbum noui nouisti. At si Hebraicam consulas literam, videbis veram lectionem esse: nouæ diluculò, siue nouæ cotidiæ. Est igitur nomen adiectiuum numeri pluralis, nõ autem verbum. Nouæ etiam habent nonnulli codices correcti ad marginem. Ac ita existimo transtulisse Latinum nostrum interpretem: sed vitio librariorum effectum esse, vt pro nouæ scriptum sit noui. Est igitur sensus: Singulis diluculis, hoc est cotidie nouæ apparent diuinæ misericordiæ. Dixerat antea: Non defecerant miserationes eius. Et proximè addit: Nouæ diluculo: acsi dicat: imò cotidie eas nouas experimur. Et tunc conuertens ad ipsum Deum sermonem ait: *Multa est fides tua.* Hoc est, magna est ô Deus in verbis tuis veritas: firmus es & fidelis in promissis tuis. Id enim quod promisisti, vsurum te esse nobiscũ misericordia, sine dubio præstitisti. Accipitur hic fides non pro virtute theologica, quæ est, vt ait apostolus in epistola ad Hebræos, substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium, sed pro ea, quæ authore Cicerone libro primo officiorum, est dictorum conuentorúmque constantia & veritas, quæ fidelitas apellantur. Vnde Dauid psal. 144. *Fidelis*, inquit, *dominus in omnibus verbis suis.* Et apostolus cap. 10. prioris ad Corinthios: *Fidelis Deus est qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.*

ii *Pars mea dominus.* Hoc est, Deus est hæreditas ac possessio mea. Quoniam patris diuitiæ inter hæredes distribuuntur in partes, quarum quælibet est tota vniuscuiusque portio, accipitur pars pro tota hæreditate. Id intelligens Dauid psal. 15. *Dominus*, inquit, *pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Hoc est, Deus est tota hæreditas mea, & tota merces calamitatis meæ, nomine calicis siggnificatæ. Sed ego existimo hæc verba Christi esse, quem Dauid inducit loquentem, acsi dicat: Deus est hæreditas hæreditatis meæ, & crucia tuum meorum. Hæreditas Christi est ecclesia catholica: huius autem ecclesiæ hęreditas & prẹmium sempiternum Deus est, qui est etiam prẹmium laborum cruciatuúmque eiusdem Christi, quibus eadem manet merces sempiterna. Ita Athanasius & Theodoretus & Flaminius hunc locum explanarunt. Vbi vides partẽ pro tota accipi portione. Eodem modo psalmo septimosecundo. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Vel vt potest etiam verti: Rupes cordis mei, & pars mea Deus sempiterna: Vocabulum significans Deum significat etiã rupem, fortitudinem, & stabilitatem. Sensus est: Stabilitas robur & firmitudo mentis meę, vniuersa hęreditas mea, meę opes & copię, & ęterna possessio Deus est.

Dicitur

A Dicitur etiam hæreditas pars ſortis, quia ſortibus diuidebatur. Quamobrem apoſtolus ca. 1. epiſtolæ ad Coloſſenſes: *Gratias*, inquit, *agentes Deo & patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine*. Hoc eſt, qui dignos nos fecit hæreditatis ſanctorum, quæ D eſt in lumine gloriæ. Vel quæ lumine euangelicæ doctrinæ comparatur.

---

[a]Bonus eſt dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum.
[b]Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.
[c]Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.
[d]Sedebit ſolitarius & tacebit: [e]quia leuauit ſe ſuper ſe.
[f]Ponet in puluere oſ ſuum, [g]ſi forte ſit ſpes.
[h]Dabit percutienti ſe maxillam, [i]ſaturabitur opprobriis.
[k]Quia non repellet in ſempiternum dominus.
[l]Quia ſi abiecit, & miſerebitur ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum.
[m]Non enim humiliauit ex corde ſuo, & abiecit filios hominum.
[n]Vt conteret ſub pedibus ſuis omnes vinctos terræ.
Vt declinaret iudicium viri in conſpectu vultus altiſsimi.
Vt peruerteret hominem in iudicio ſuo, dominus ignorauit. E
Quis eſt iſte, qui dixit, vt fieret domino non iubente?
Ex ore altiſsimi non egredientur nec mala, nec bona?
[o]Quid murmurauit homo viuens, vir pro peccatis ſuis?
[p]Scrutemur vias noſtras, & quæramus, & reuertamur ad dominum.
[q]Leuemus corda noſtra cum manibus ad dominum in cœlos.
Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus, [r]idcirco tu inexorabilis es.
[s]Operuiſti in furore, & percuſsiſti nos: occidiſti nec pepercisti.
[t]Oppoſuiſti nubem tibi ne tranſeat oratio.
[v]Eradicationem & abiectionem poſuiſti me in medio populorum.

a *Bonus eſt dominus ſperantibus in eum.* Dixerat proximè: *Pars mea dominus*: propterea expectabo eum: B nunc oſtendit ſe hac in re duci ratione, quoniã Deus bonus eſt, clemens ac benignus erga eos, qui in illo ſpem ſuam collocant, à qua nequaquam auertuntur. Loquitur de ſpe formata, quæ eſt cum charitate coniuncta, & in Deum tendit: Ideo ait ſperantibus in eum: non autem ſperantibus in eo. Hi rectum cor habent: de quibus ait Dauid Pſalm. 72. *Quàm bonus Iſrael Deus iis, qui recto corde.* Acſi dicat: Beneficus eſt vtique Deus in eos, qui nec rebus piorum aduerſis, nec impiorum proſperis adducuntur, vt ex ſpe diuinæ bonitatis deturbentur. Dei natura eſt bonitas, vt diuinus ait Dionyſius: quam ob cauſam erga omnes bonus eſt, nam vt ipſe ait apud Lucam capite ſexto: *Deus benignus eſt ſuper ingratos & malos.* Sed quia eius bonitas clariùs erga nos oſtenditur, atque elucet, qui in ipſo ſpem figunt, qui nouam indies au-C gent fortitudinem, ait hoc loco Ieremias: *Bonus eſt dominus ſperantibus in eum.* De quibus ait Eſaias capite quadrageſimo: *Qui ſperant in domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt, volabunt, & non deficient.* Mutare fortitudinem eſt non cadere animo, ſed nouum robur indies recipere.

b *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutari Dei.* Coniungit ſilentium cum ſpe ad animi fortitudinem alendam & confirmandam: iuxta illud Eſaiæ trigeſimo: *In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra.* Vbi per ſilentium non ſolùm taciturnitatem intelligit, ſed etiam patientiam & tolerantiam: qua muniti ſperare debemus ſalutare Dei, hoc eſt, ſalutem à Deo tributam, diuinúmque remedium & auxilium. Poteris per ſalutare Dei hoc loco filium Dei intelligere, mundi ſeruatorem, Ieſum Chriſtum Deum noſtrum: de quo dicebat eximius patriarcha Iacob, in quo priſcis illis temporibus admirabilis fides mirabiliter eluxit, capite Geneſis quadrageſimonono: *Salutare tuum expectabo domine.* Pro quo antiquus Onchelus paraphraſtes Chaldæus habet: Salutare tuum expecto domine, dixit pater noſter Iacob, Non expecto ſalutare Gedeon filij Ioas, quæ eſt ſalus temporalis, nec ſalutare Samſon filij Manue, quæ eſt ſalus tranſitoria. Sed expecto redemptionem Chriſti filij Dauid, qui vẽturus eſt ad accerſendũ ſibi filios Iſrael: cuius redemptionem deſiderat anima mea. Hactenus ille. De ſalutari hoc ait Dauid pſalm. nono. *Exultabo in ſalutari tuo.* Et ſexageſimoquarto: *Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longè.* F Et octuageſimoquarto. *Oſtende nobis domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.* Et Eſaias capite vigeſimoquinto: *Exultabimus & lætabimur in ſalutari eius.* Et quinquageſimoſecundo: *Videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.* Illud animo & brachiis iuſtus Simeon apud Lucam ſecundo cecinit: *Nunc dimittis ſeruum tuum domine ſecundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Et ipſe Lucas 3. iuxta Eſaiæ vaticinationem: *Videbit*, inquit, *omnis caro ſalutare Dei noſtri.* Hoc eſt Chriſtum, qui nobis attulit ſalutem & cæleſte remedium. Illum expectabant antiqui patres, eius aduentum cupiebant fideles, de illo vaticinabantur diuini vates: cuius ſanguine erant mundi labes abluendæ, & iniquitates expiandæ. Eum expectabat Ieremias, cum has voces emitteret: *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.* De ſeruatore Hieroſolymæ ad totius mundi ſaluatorem ſermonem tranſtulit ſpiritu prophetico raptus noſter diuinus vates.

c *Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Oportet enim Deo non ſolùm fructũ tribuere prouectæ ætatis, ſed etiã florẽ offerre adoleſcẽtiæ. Nomine iugi lex Dei ſignificatur: vt ca. Eccleſiaſtici quinquageſi. 1. *Collum veſtrum ſubiicite iugo.* De illo

A illo dicebant impij psalmo 2. *Proiiciamus à nobis iugum ipsorum.* De illis ait Oseas 7. *Reuersi sunt, vt essent absque iugo.* Vnde appellantur filij Belial, hoc est sine iugo, vt est cap. Iudicum 19. explanatum. Eam ob causam appellat Christus dominus euangelium suum iugũ, cùm ait apud Matt. 11. *Tollite iugum meum super vos: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Nec lex diuina tantùm, sed humana etiam iugum appellatur: vt cap. Ieremiæ 27. *Quicunque non curuauerit collum suum sub iugo regis Babylonis, &c.* Et cap. 10. libr. 2. Paralipomenon: *Pater tuus grauissimo iugo nos pressit.* Huc alluisse videtur Pythagoras, cum dixit: Μὴ ζυγὸς ὑπερβαίνειν: hoc est, iugum ne transgrediaris: Acsi deceret: legem ne violes. Pro quo alij vertunt: Stateram ne transilias. Est enim statera symbolum æquitatis, vt Dorico illo Prouerbio indicatur: Iustior statera. Ita Demetrius Byzantius apud Athenæum libro dipnosophistarum decimo interpretatur. Nec mirum, nam zigos siue zigon, & iugum significat & stateram, vt ex Aeliano & Ammonio constare videtur. Iugum autem Dei oportet ab adolescentia portare, vt vitia coerceantur, & tenera ætas

B assuescat dare operam virtutibus, & ad æternitatem alatur. Nam vt ait in Prouerbiis Salomon capite 12.

similitudo *Adolescens iuxta viam suam etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Vt noua arborum virgulta facilè flectuntur, at vbi ligna effecta sunt dura & obliqua, flecti nõ possunt, nec in directum dirigi: sic tenera ætas flexibilis est, & facilè mouetur ad honestatem, sed senectus vitiis assueta vix ad rectam viuendi rationem contorquetur. Id animo percipiens Dauid aiebat

similitudo psalmo septuagesimo: *Deus docuisti me à iuuentute mea.* Et Ecclesiasticus septimo: *Filij tibi sunt, erudi illos, & curua illos à puritia eorum.* Vt tractabilis mollisque cera recipit impressionem, dura autem nequaquam: sic puer à teneris, vt aiunt, vnguiculis erudiendus est in lege Dei, vt cum lacta nutricis veram sincerámque doctrinam suxisse videatur. Nam postquã assiduitate vitiorum durescit, sigillum virtutum haud quaquam valet recipere. Et vt ait Horatius: Quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu. Eã ob causam præclarè monet Quintiliauus, vt statim

C optima discantur, quoniam nihil tenacius memoria complectimur, quàm quod rudibus annis percepimus. Id quod Aristoteles docuerat lib. Moralium Nicomachiorum 2.

d *Sedebit solitarius, & tacebit.* Subauditur vir, qui portauit iugum ab adolescentia sua, de quo proximè locutus fuerat. Solitudo enim & silentium maximè conducunt ad iugum domini æquo animo ferendũ. De solitudine ait Deus apud Oseam 2. *Ducam eam ad solitudinem, & loquar ad cor eius.* De silentio ait per Esaiam 32. *Cultus iustitiæ silentium.* De vtroque ait Dauid psal. 101. *Similis factus sum pelicano solitudinis:* Quod potest verti: Sibi similis sicut pelicanus solitudinis.

similitudo Quemadmodum pelicanus & aquila cæteræque aues nobiles solent hominum familiaritatem declinare, & ad loca deserta confugere: sic viri sapientia & animi altitudine præstantes solent hominum frequentiam euitare, & à cœtu amicorum, mundique tumultu tanquam in portum se in solitudinem recipere. Et

similitudo quemadmodum equus freno reprimitur & domatur: ita homo silentio in gyrum rationis ducitur. Poteris per hæc duo verba, sedere & tacere, abiectionem & calamitatem intelligere, vt ca. 47. Esaiæ: *Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum.* Vel verbo sedere significatur constantia, tolerantia & firmitudo, vt ait Theodoretus: accipitur enim sedere pro manere,

similitudo vt ca. 1. explicauimus. Vt vasa vacua faciliùs mouentur, quàm plena, sic homines stulti faciliùs mutantur quam sapientes. Quam ob causam viri iustitia & sapientia muniti nouitates fugiunt & mutationes, præ- D fertim in republica gubernanda. Nam quemadmodum corpora nostra solent in morbos incidere au- *similitudo* tumno ob temporis mutationem: sic respublica solet morum nouitate offendi ac lædi.

e *Quia leuauit se super se.* Non super alios se effert vir iustus, vt velit principatum obtinere, quod est superbiæ propium: sed super seipsum, quod ad animi pertinet humilitatem. Nam vt in statera quantò ma- *similitudo* gis pars vna deprimitur, tantò altiùs altera extollitur: ita in vera religione, quantò quis depressiùs se abiicit per humilitatem, tanto excelsiùs effertur per virtutem & contemplationem. Qui se leuant super se, ad altissimam diuinarum rerum contemplationẽ rapiuntur. Nonnulli codices correcti habent: Quia leuauit super se: subaudi iugum domini: vt sic sensus: Manebit in solitudine, & silebit, quia super se iugum domini portauit. Cæterùm leuare hastam est bellum mouere, vt cap. 11. lib. 1. Paralipomenon: *Iste leuauit hastam super tercentos.* Idem est leuare gladium, vt capit. Esaiæ 2. *Non leuabit gens contra gentem gladium.* Leuare oculos est contemplari: vt psal. 120. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Hoc est, in cœlos: vel vt Hieronymus & Augu- E stinus explicant, in sanctos, qui instar montium sole iustitiæ prius illuminantur. Sed quoniam sequitur: *Vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram:* videtur per montes Deum intelligere, qui cap. 2. Esaiæ, & 4. Mic hæc mons appellatur in singulari propter essentiæ vnitatem, hoc autem psalmo montes in plurali propter trium personarum distinctionem. Potest nihilominus hic locus ita etiam verti ex Hebræo: Leuaui oculos meos in montibus, vnde veniret auxilium mihi: auxilium meum à domino conditore cœli & terræ. Acsi dicat: Cùm essem in montibus constitutus, circunspexi vndique, omniáque oculis collustraui, num aliunde ad me præsidium veniret: ac nullum vidi ab hominibus, sed solùm à Deo totius vniuersitatis creatore. At hoc Ieremiæ loco leuare super se, est iugum Dei super se ferre, eiúsque legem seruare, animúmque eius iudicio & voluntati subiicere.

f *Ponet in puluere os suum.* Ponere os suum in puluere est suppressa voce loqui, & abiectè ac humiliter de se sentire, séque puluerem vocare. Contrà verò de superbis & arrogantibus scriptum est psal. 72. *Posuerunt in cœlum os suum.* Hoc est, excelsa de se prædicarunt, vitámque suam vanis laudibus extulerunt. Vel ponere in cœlum os suum est Deum ipsum execrari, & maledictis lacessere. Ponere solium est potentiam exercere, vt cap. 49. Ieremiæ: *Ponam solium meum in Aelam:* hoc est potentiam meam exercebo in Aelamitas Theodoretus existimat ponere os in puluere hoc loco esse non respondere ad conuicia, sed silere, acsi os esset plenum terra.

g *Si forte sit spes.* An se fortasse offerat spes aliqua à calamirate euadendi.

h *Dabit percutienti se maxillam.* Iuxta illud Esaiæ F cap. 50. *Ego autem non contradico: corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Id docuit Christus dominus apud Matth. 5. cùm dixit: *Si quis te percusserit in dextera maxilla tua, præbe & alterã.* Quod intelligitur de animi præparatione.

i *Saturabitur opprobriis.* Replebitur ignominiis & contumeliis, quibus veluti epulis oblectabitur. Ita diuus Paulus ad Rom. 5. *Gloriamur,* inquit, *in tribulationibus.* Diuus Petrus capit. 4. prioris epistolæ suæ. *Communicantes Christi passionibus gaudete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.* Beatus Iacobus primo. *Omne gaudium existimate fratres, cùm in va-*

A *in varias tentationes incideritis.* Et seruator noster Christus dominus apud Matthæum quinto. *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint: Gaudete, & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis.*

ב k *Quia non repellet in sempiternum dominus.*) Etiam si iustus molestiis aliquando & calamitatibus prematur, eámque ob causam dicatur à Deo repulsus & derelictus: nó tamen hoc erit perpetuò, sed ad tempus. Idem ait his verbis capite 28. Esaias: *Non in perpetuum triturans triturabit illum, nec vexabit eum rota plaustri.* Ac si dicat: Deus non affliget in perpetuum virum pium, nec eum supra vires intolerabili conficiet calamitate. Permittet eum interdum ad eius vtilitatem torqueri, sed illum tandem afficiet gaudio, & ad pristinam oblectationem reuocabit. Vnde ait Dauid Psalm. 76. *Nunquid in æternum proiiciet Deus, & non apponet, vt complacitior sit adhuc?* Quasi dicat nó.

l *Quia si abiecit, & miserebitur.*) Sensus est: Quo-

ב niam iustus Deus pius est pater, cuius est punire, & misereri: ideo si flagellat, consolabitur. Capite Tobię

B 3. est de Deo literis mandatũ: *Cũ iratus fueris, misericordiam facies.* Et paulò pòst de viro iusto: *Si in probatione fuerit: coronabitur: si autem in tribulatione fuerit liberabitur: & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.*

m *Non enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios*

ב *hominum.* Animaduertit Deus in homines, eósque mulctat, non vt ex animo velit perdere illos, sed ad maius illorum meritum, & illustriorem gloriam, ac alias ob causas iustas quidem, licet nobis aliquando nec cognitas, nec exploratas. Punire ad perdendum non est proprium eius opus, sed misereri, & peccata condonare. Id voluit ipse ostendere statim, cùm natus est: nam Romæ regione Transtiberina fons olei apparuit, qui diem integrum copioso fluuio manauit, quoniam ille in mundum veniebat, qui est fons misericordiæ. Authores sunt Eutropius in historia Romanorum. Orosius lib. 6. Addo Viẽnensis Archiepiscopus in Chronicis. Paulus Diaconus in historia, Gotifridus Viterbiensis in Chronicis parte 5. Sabellicus Ennead. 7. libro 1. Conradus abbas Vrspergensis, Platina in vitis pontificum, Guilielmus Spirensis in 1. centenario. Est quippe Deus pater misericordiarum, vt ait ad Corinth. Diuus Paulus. Cùm au-

C tem sit fons misericordiæ per oleum significatæ, punit nos, vt nostri misereatur: castigat enim, vt saluet. Id voluit Esaias significare, cùm dixit cap. 28. *Vt faciat opus suum, alienum opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Opus Dei appellat tribuere misericordiam hominibus, in eósque conferre beneficia, opus autem alienum & peregrinum ab eo irasci, & supplicium sumere. Sed percutit, vt sanet: ferit, vt medeatur. Ille enim est, qui ca. Deuteronomij 32. ait: *Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & sanabo.* De illo ait Iob. 5. *Ipse vulnerat & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.* Quemadmodum enim medicus infligit cauterium, non propter se, sed propter ægri sanitatem: sic Deus castigat, & vulnerat, non vt perniciem paret, sed vt medeatur. Ipse enim ait apud Ezechielem 19. *Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat.* Ex quo colligis. eius flagellum pietatem esse. Id significat ille versiculo illo Psalm. 88. *Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo, nec nocebo in veritate mea.*

similitudo

n *Vt conteret sub pedibus suis omnes vinctos terræ.*) Ostendit Dei misericordiam, verúmque esse id, quod dixerat, eum non humiliare & affligere ex corde homines. Ordo est: Deus ignorauit conterere tyrannicè pedibus suis afflictos in hoc seculo, qui vincti & pauperes terræ appellantur: iuxta illud Psalmi 68. *Exaudiuit pauperes dominus, & vinctos suos non despexit.* D Vel per vinctos terræ eos intelligit, qui vinculis peccati in terra alligati sunt terrestria, séque ad cœlestia minimè extollentes. Ignorauit etiam declinare à recto iudicio in conspectu suo: hoc est iniustè iudicare: & perdere homines in iudicio instar tyrannorum, impiorúmque iudicum, qui innocentes iniustè damnant. Cap. Iob 34. scriptum est: *Verè Deus non condemnabit frustra, nec omnipotens subuertet iudicium.* Ignorare hoc loco est scientia approbationis nescire. Ita accipitur cap. 8. Ose. *Principes extiterunt*, inquit Deus, *& non cognoui.* Id est, non illud approbaui. Eodem modo Matth. 25. *Amen amen dico vobis: Nescio vos.* Et 14. prioris ad Corinth. *Si quis ignorat, ignorabitur.* Et si Deus omnia scit, singulari tamen quodam modo illud scire dicitur, quod approbat: illud ignorare, quod reprobat: vt Psalm. 1. *Nouit dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit.* Hoc est, Deus virorum iustitia ac pietate præstantium sanctitatem ac viuendi rationem singulariter diligit, & approbat: nefariorum autem mores, vitam, & mortem E detestatur. Itaque vt illi perpetuò florentes erunt, atque felices: sic illi ad æternos inferorum ignes relegabuntur. Verùm vbi nos habemus hoc Ieremiæ loco: *Dominus ignorauit*: quidam legunt: Dominus non vidit, seu non cogitauit. Quasi dicat: Nec vult in homines tyrannidem exercere, nec hoc ei in mentem venit: nec hoc vnquam fecit, ne cogitauit quidem.

Quis iste, qui dixit, vt fieret domino non iubente?) Eos arguit, qui diuinam negant prouidentiam, Sensus est: Quis est tam stultus, qui dicat fieri aut euenire res sine diuina permissione, dispositione, & voluntate? Grauiter errant, qui humanas res omnes casu, aut fataliter ita contingere aiunt, vt Deus inferiora non curet. Falluntur sine dubio, qui existimant, nec bona nec mala egredi ex ore altissimi: hoc est, ex sententia & dispositione Dei. Apud Esaiam ait Deus cap. 45. *Ego dominus formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum.* Ac si dicat: Ego prosperitatem efficio & calamitatem, bonam & malum. F Dicitur Deus creare malum, non quòd malum culpæ efficiat, sed quòd fieri permittat, dicitur verò facere malum pœnæ, quod nefarios homines supplicio cõstringat, in eósque aliquãdo grauiter animaduertat. Ita intelligitur, quod ait diuinus vates Amos cap. 3. *Si erit malum in ciuitate, quod Deus non fecerit?* Quasi dicat, non. Id voluerunt veteres Aegyptij significare Dei imagine, quam pingebant tenente manu zonam, qua cœlum & terram cingebat: intelligentes per zonam diuinam prouidentiam, qua Deus omnia colligat, continet, & moderatur. Qua de re vide Eusebium in libris de præparatione euangelica, & Cœlium Augustinum hieroglyphicis. Theodoretus autem, & prisci alij theologi diuinam hanc prouidentiam per scalam, quam vidit Iacob Genesis 28. cœlum terrámque attingentem, significari asserebant. Deus enim prouidentia sua cœlum copulat cum terra: & ipse prospera & aduersa emittit. Quare magna debet esse in omni calamitate consolatio considerare prouidentiam Dei, nihilque euenire hominibus, cuius ipse non sit author aut actiuè, aut permissiuè: eúmque omnia & singula perspicere, & ad salutem nostram moderari. Fuerunt tamen, qui dicerent Deũ immortalem non curare mortalia, nec singularia regere, aut prouidere. Et ita diuinam prouidentiam auferebant. Sed eius assertor fuit Dauid, qui Psalm. 22. cecinit, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocabit.* Et Psalm. 35. *Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gen-*

A *tes quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.* Et Sapiens cap. Sipientiæ 6. *Quoniam pusillum & magnum ipse fecit: & æqualiter cura est illi de omnibus.* Et 14. *Tua ergo pater prouidentia ab initio cuncta guberna.* Et Diuus Paulus Acto. apostolorum. 7. de Deo loquens: *In ipso*, inquit, *viuimus, mouemur, & sumus.* Et Christus Deus noster apud Matth. 10. *Nonne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadit super terram sine patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Aspicis igitur nihil fieri sine Dei prouidentia. Id quod Ieremias hoc loco testatur: vbi duæ hæreses refutantur: Vna asserantium omnia euenire casu sine vllo diuino numine, quam tribuunt Diagoræ: altera affirmantium omnia fatali & ineuitabili necessitate venire: quam Diuus Augustinus tribuit Bardesani Syro. cuius assertor fuit Priscillianus. Hæc hæresis fuit damnata in concilio Bra

B carensi 1. capite 9. Aduersus eam scripsit Diuus Augustinus libro 5. de ciuitate Dei, Gregorius Nyssenus in lib. de fato, Leo papa huius nominis primus in epistola ad Astoricensem episcopum, Thomas Vvaldensis lib. 1. doctrinalis fidei antiquæ, Alfonsus à Castro aduersus hæreses, Genesius Sepulueda in libro de libero arbitrio: Eam iam mortuam voluit suscitare Martinus Lutherus in libro, quem edidit de seruo arbitrio, qui ipsa inscriptionis insolentia indicat impiam authoris arrogantiam & temeritatem. Vt autem religionem Christianam funditus euelleret, ipsius citat authoritates, sed depravans ipsam diuinam scripturam, volens illa falsò adducta, perperâ ac impiè explicata, suâ hæresim cõfirmare. Vt enim si quis excellentẽ regis imaginẽ ex auro gemmisque fulgentibus accuratè compositâ dissoluens, efficiat ex illa materia figuram canis malè fabricatam, est grauiter obiurgandus: sic qui veram ecclesiæ Catholicæ doctrinam ex locis diuinæ scripturæ verè & sapienter constructam euertens: velit ex illis hæresim turpiter conflare, fieri non potest, quin in varias hominum sapientium reprehensiones incurrat. Si omnia fataliter & necessariò venirent, quis votis, quis precibus, quis sacrificiis, quis legibus, quis præceptis, quis mo-

C nitis, quis virtutum actionibus locus relinqueretur? At Lutherus homo factiosus, audax, intemperans, temerarius, impius, & rerum nouarum ac pestilentium cupidus errorem hunc multis persuasit hominibus dissolutis, scelerúmque conscientia profligatis, qui ad ipsum confugerunt. Vt enim quondam Catilina, vt Sallustius & Cicero testantur, patriæ tyrannidem occupante flagitiosi omnes scelerumque maculis notati, qui stantibus Romanorum legibus de salute propria desperabant, ad illius amicitiam auidissimè confugiebant: sic quicunque se vitiis contaminauerant, totósque sese libidinibus dediderant, & republica violanda fraudes inexpiabiles conceperant, eamque ob causam stantibus republicæ Christianæ legibus, saluti suæ diffidebant, ad Lutherum detestabilem hę resiarcham conuolarunt, eiúsque fraudes & impietates receperunt. At contra eos pugnat diuina scriptura multis in locis, quorum pauca quædam recitabo. Ecclesiasticus cap. 15. *Deus*, inquit, *ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Hactenus ille: qui apertè & perspicuè asserit & tuetur arbitrij libertatem. Quid dicam: Si quis velit testimonium ex industria contingere ad liberum tuendum arbitrium, non aliud dilucidius & clarius poterit excogitare. Alterum est huic simile cap. 30. Deuteronomij, cuius ad literam hęc sunt verba. *Considera, quòd hodie posuerint* D *in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum: vt diligas Dominum Deum tuum & ambules in viis eius, & custodias mandata illius, & cerimonias, atque iudicia, vt viuas, & multiplicet te, benedicatque tibi in terra, ad quam ingredieris possidendam. Si autem auersum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque deceptus adoraueris Deos alienos, & seruieris eis, prædico tibi, quod pereas, & paruo tempore moueris in terra, ad quam Iordane transmisso ingredieris possidendam. Testes inuoco hodie cælum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam vt & tu viuas, & semen tuum.* Hæc ibi. Aspicis quàm distinctè & apertè locus hic ostendit arbitrij libertatem. Si enim omnia ineuitabili necessitate venirent essent verba hæc ridicula & stulta, ac prorsus homine sano indigna. Apud Esaiam primo ait Deus, *Si volueritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.* Ipse Christus Deus noster apud Matthæum 32. *Hierusalem*, inquit, *quoties voluit congregare filios tuos, quemadmodum galina congregat pullos suos sub alis, & noluisti.* Et ca. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et apostolus 7. prioris ad Cor. *Qui statuit in corde* E *suo firmus, non habens necessitatem: potestatem autem habens suæ voluntatis.* Nonne hæc loca ostendunt clarius luce meridiana arbitrij libertatem? Huius libertatis arbitrij assertor est Ambros. lib. 1. de vocatione gentium Augustinus lib. 3. hiponosticon, Cyprianus li. 1. epistola tertia. Bernardus libro de arbitrio & gratia: Hieronymus multis in locis. Similiter Origines, Chrysostomus, Basilius, Athanasius, Theophylactus: & omnes denique doctores Catholici, qui de hac re locuti sunt, qui fontes vtriusq; philosophiæ, diuinæ & humanę aperuerunt, & nomina sua æternitati cõmendarunt. Nec solùm Christiani, sed etiam externi philosophi Socrates, Plato, Xenocrates, Pseusippus, & Aristoteles qui in lib. de interpretatione de futuris contingentibus grauiter disseruit, idem testantur. Et ne singulos citem, vniuersi Academici, & Peripatetici omnes animorum mortis à ratione profectos à fatali necessitate constantissimè vendicarunt. Plebeij autem philosophi, qui ab hac discreparunt doctrina, semper apud viros sapientes in silentio iacuerunt. Sed quia nonnulli hæretici solent ad portas confugere, in quibus aiunt fati necessitatem omnibus in rebus inuenire, duos afferam ex illis contrarium asserentes, vnum Græcum, alterum Latinum, qui poesim illustrarunt. Prior esi Homerus, cui primas eru- F ditionis Græcæq; eloquentiæ omnis semper tribuit ætas: Posterior Virgilius, cuius voce musas quasi locutas ferunt, qui longè omniũ quicunque Latinum poema condiderunt extitit & elegantia & grauitate facilè princeps. Homerus itaque in primo Odysseæ libro Iouem ita inducit loquentem: Quam temerè incusant mortales numina, eósque authores faciunt, si quid sensere malorum: cùm præsertim fatum his pariat mens stulta dolores. Nonne vides Homerum apertè tollere fati necessitatem? Virgilius libro quarto. Eneid. cùm mortem Didodis describeret, has voces emisit: Nam quia nec fato, merita nec morte peribat. Quid poterat dici manifestius contra fati necessitatem? quid dilucidius? quid clarius. Nec obstat dicere Deum esse primam causam, omnéque datum optimum, vt Iacobus apostolus ait, & omne donum perfectum de sursum esse, descendens à patre luminum: nam liberum arbitrium bonas recipit inspirationes; & concurrit actiuè ad merita, & cooperatur gratiæ. Pulsat enim Deus cor nostrum, sed non necessariò cogit: quin potius electiones nobis relinquit suppositio tamen diuino auxilio. Vt enim terra sine

similitudo

similitudo

similitudo

aqua

A aqua nullum ferret perfectum fructum, nisi esset influentia cæli: sic anima nostra, nisi esset diuinum auxilium. Nam vt Dauid ait Psal. 142. *Anima nostra sicut terra sine aqua tibi.* Hoc explicuit Diuus Ioannes ca. 3. Apocalypsis, vbi ita Deum inducit loquentem: *Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.* Aspicis Deum ipsum pulsare, sed huic pulsationi acquiescere, vel non acquiescere est in arbitrij nostri potestate constitutum. Vt enim sol ianuam tangit, qui, si illam aperueris, domum illustrabit: sin autem non aperueris, haud quaquam ingredietur: sic Deus tangit cor nostrum, in arbitrio nostro relinquens illud ei aperire, vt ab eo illustretur, aut non aperire, vt in tenebris relinquatur. Quē-
B admodum salutaris medicina medetur morbo, sed in manu ægroti est illam applicare, aut reiicere: ita diuinum monitum est admirabile remedium, sed in libertate arbitrij nostri est ei acquiescere, aut illud aspernari. Verum est illud libri Sapientiæ cap. 16. *Ad quod quisque volebat, conuertebatur.* Nam nisi homo liberum haberet arbitrium, & ad voluntatem suam conuerteretur, nec homo esset, nec mereretur præmium nec pœnam. Qui liberum tollunt arbitrium, hominem ex hominibus tollunt, & leges dissipant, sed ipsi potius dissipantur. Nam hæreticorum cœtus nauis est gubernaculo destituta, caligine cooperta, procellis contrariis exagitata. Est coniuratio Madianitarum, Amalechitarum, & Philistæorum aduersus Israelem, qui omnes perierunt: & ædificatorum turris Babylonicæ, qui omnes confusi sermonem conturbarunt. Qui arbitrij libertatem contendunt de medio tollere, omnia miscent, veritatem opugnant, totam Philosophiam, & vniuersam scripturam sanctam radicitus euellunt. Quid plura? Peruertunt ea, quæ sunt fundamenta naturæ, qui arbitrij libertatem extinguere conantur. Est igitur liberum arbitrium nostrum. Sed quæcunque facimus, Deo facimus permittente, aut cooperante qui est prima causa, ex cu-
C ius ore, vt hoc loco ait Ieremias, bona & mala egrediuntur.

ם o *Qui murmurauit homo viuens, vir pro peccatis suis?* Sensus est: Cur igitur queritur homo de pœnis, quas luit peccatorum suorum, quandoquidem Deus qui omnia regit & prouidet, est ille, qui eum supplicio afficit? Imò pœnis ac molestiis sibi à Deo iusto iudice pio patre, & sapiente medico tanquam remediis vtilibus, & medicinis salutaribus gaudere deberet? Si detrahere de hominibus non decet, quanto magis de Deo? Cap. 1. lib. Sapientiæ ait Sapiens: *Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ.* Et apostolus cap. 10. prioris ad Corinth. *Nec murmurauerit is, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Et 2. ad Philippenses: *Omnia facite sine murmurationibus & hæsitationibus: vt sitis sine querela.*

נ p *Scrutemur vias nostras.* Inspiciamus & inuestigemus, quomodo vixerimus, & multa inueniemus peccata. Quam ob causam de nobis debemus queri, qui impiè agimus, non de Deo qui iustè punit.

נ q *Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum.* Extollamus ad Deum animos & opera. Vel, fundamus ad illum pias ardentésque preces ex intimo corde productas. Extollere manus ad Deum est gestus & actio preces fundentium vt capite secundo prioris ad Timotheum: *Volo viros orare in omni loco, leuantes manus puras*: hoc est, nullis rapinis, nullis libidinibus, nullis impiis pugnis contaminatas. Eam ob causam ad Deum manus efferimus, vt ipse eas suis manibus accipiat, nósque præsidio suo sustentet & tueatur. De hoc schemate locuti sumus capite superiore. D

ר r *Idcirco tu inexorabilis es.* sumit populi personam: acsi dicat: Quia flagitiis nos contaminauimus, quibus te grauiter offendimus, & noluimus debitos gemitus ex animo emittere, nec vera contritione insignes scelerum maculas delere, sed illis in dies polluimur: eam ob causam Deus nos minimè audisti, quin potius afflictionibus laceraſti. Pro idcirco tu inexorabilis es: vertunt quidam, Ideo tu non fuisti propitius.

ש s *Operuisti in furore, & persecutus es nos.* Posuisti tentorium tui furoris, ne videremus, quo essemus ituri: & afflixisti nos. Vel posuisti iram tuam inter te & nos. Vel operuisti nos flagitiis nostris: hoc est permisisti, vt essemus sceleribus nostris cooperti & obcæcati: quam ob causam nos puniuisti. Vel operuisti nos nube calamitatum in furore tuo: hoc est, ita exigente iustitia tua. Accipitur furor Dei pro iustitiæ eius seueritate.

ת t *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Oppositi peccata nostra veluti nubem in conspectu tuo, ne preces nostræ ad aures tuas peruenirent. Maleficia nostra sunt causa, quare tu preces nostras non exaudis, quoniam instar densæ ac terræ nubis diuidunt nos à te, & placidum ac serenum vultum tuum abscōdunt. Simili modo ait Dauid Psalmo octuagesimonono: *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo.* Et Esaias quinquagesimonono, *Iniquitates vestræ diuiserūt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret.* E

ם v *Eradicationem & abiectionem posuisti me in medio populorum.* Posuisti me eradicatum à diuitiis, & abiectum in medio Chaldæorum: hoc est, pauperem & contemptum. Nam suprà dixerat hoc eodem capite. *Ego vir videns paupertatem meam.* Et paulò pòst: *Recordare paupertatis & transgressionis meæ.* Quæ omnia sub persona populi Israelitici dicuntur. Nec mirum, populum illum ingressum esse Babylonem inopem & abiectum, cùm Deus ipse assumpta humana natura ingressus sit in mundum pauper & inops & abiectus. Princeps qui ingreditur in vrbem cum pom- F
pa & maiestate, indutus vestib, aureis, multis gemmis & pretiosis monilibus ornatus vult vt oculi hominum diuitias illas aspiciant, non illum, Christus autem introiuit pauper in mundum, quia voluit, vt in ipsum non in diuitias oculos poneremus. De eo ait Diuus Paulus cap. 8. posterioris ad Corinthios: *Scitis gratiam domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, vt illius inopia vos diuites essetis.* Huius ingressionis paupertatem & abiectionem describit Diuus Lucas cap. secundo his verbis. *Reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.* Fortasse hoc Ieremiæ loco per eradicationem intelligitur expulsio è patria, vt sit sensus: Posuisti me domine inter Chaldæos patria pulsum & eradicatum, & abiectum. Pro eradicatione vertunt nonnulli ex Hebræo abrasionem, hoc est, sordes, quæ à pauimento abraduntur. Quasi dicat: Posuisti me domine inter populos omnino vilem & sordidum.

---

[a] Aperuerunt super nos os omnes inimici.

ד c Diuisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei. D
ד d Oculus meus afflictus est,nec tacuit eo quod non esset requies.
ד e Donec respiceret,& videret Deus de cœlis.
ד f Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ.
ד g Venatione ceperunt me quasi auem inimici mei gratis.
ד h Lapsa est in lacum vita mea,& posuerunt lapidem super me.
ד i Inundauerunt aquæ super caput meum dixi,perij.
ד k Inuocaui nomen tuum domine de lacis nouissimis.
ד Vocem meam audisti:ne auertas aurem tuam à singultu meo & clamoribus.
ד Appropinquasti in die,quando inuocaui te:dixisti,ne timeas.
ד l Iudicasti domine causam animæ meæ,redemptor vitæ meæ.
ד Vidisti domine iniquitatem illorum auersum me:iudica iudicium meum.
ד Vidisti omnem furorem,vniuersas cogitationes eorum aduersum me.
ד m Audiuisti opprobium eorum domine,omnes cogitationes eorum aduersum me.
ד Labia insurgentium mihi,& meditationes eorum aduersum me tota die.
ד n Sessionem eorum & resurrectionem eorum vide:ego sum psalmus eorum.
ד o Reddes eis vicem domine iuxta opera manuum suarum.
ד Dabis eis scutum cordis laborem tuum.
ד Persequeris in furore tuo,& conteres eos sub cælis domine. E

ם a *Aperuerunt super nos os suum omnes inimici.* Hoc est, cuncti hostes nostri nos irriserunt, & maledictis vulnerarunt. Vel aperuerunt super nos os suum instar ferarum deuorare cupientium. Ita accipitur Psal. 21. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.* Tu interim aduerte. Non ait: Et nos aduersus illos aperuimus os nostrum. Toleranter enim
similitudo conuicia & iniurias iuxta Dei legem ferebat propheta. Ostendit propriam tolerantiam, & legis Dei obedientiam. Homo enim debet esse vasi figulis similis:
B oportet enim vt alienis manibus in celeri patientiæ rota formetur.

b *Formitudo & laqueus facta est nobis vaticinatio & contritio.* Hoc est, prophetia mea facta est mihi timor, & carcer, & afflictio. Hoc ait Ieremias quia cùm prædixisset futuras, atque imminentes Hierosolymæ calamitates, timebat impios homines, qui ei minitabantur loqueum & carcerem, in quem eum coniecerunt, & molestiam, qua illum lacerarunt. Sed nullum obtimotem à vaticinatione desistebat. His enim terribilis est mors, quibus cum vita extinguitur memoria: non his, quorum laus emori non potest. Pro vaticinatione est in Hebræo שׁאת deriuatum nomen à verbo נשׂא quod significat vaticinari, & assumere: vnde assumptio significat vaticinationem, quòd eam diuini vates à Deo assumant: pro qua Latinus noster interpres frequenter vertit vnus, quòd sit prophetia
C grauis denuntians venturam calamitatem. Capite quippe primo Nahum pro eo quod nos habemus: *Onus Niniue*: habent Septuaginta: Assumptio Niniue. Hac rationes forsitan interpres noster hoc loco pro שׁאת vertit vaticinationem. Significat etiam verbum hoc nasa efferre. Quam ob causam pro vaticinatione est in translatione septuaginta ἔπαρσις, hoc est elatio: vt sit sensus: Ascendi, sed corrui: elatus sum in sublime, sed cecidi, & fractus sum in terra. Quantò quis altiùs extollitur, tantò ignominiosiùs cadit. Hæc fuit septuaginta interpretum intelligentia, & recta quidem. At plerique Hebræi deducunt hoc nomen non à נשׂא cum puncto in cornu sinistro, sed à נשׂא cum puncto in cornu dextero, quod significat vastate: & vertunt hunc locum: Timor & laqueus venerunt nobis & vastatio & afflictio. Aiunt enim Ieremiam commemorare ac numerare quatuor malorum genera, quæ illi & populo Israelitico venerunt. Fortasse ita erat in Latina versione: sed librariorum vitio effectum est, vt pro, vastatio, scriptum sit vaticinatio. In versione Brixiani est quidem vastatio, & eodem modo in versione Pagnini. Hanc existimat esse germanam lectionem Ioannes Reuchlinus in lexico Hebraico in verbo נשׂא. Sed dices: Quare Deus tot molestiis & angoribus Ieremiã conficiebat, verum omni sapientia & honestate insignem, similíque modo viros pios virtute & nobilitate præstantes exercet? Quia profectò ita illis conducit ad illustriorem no- similitudo
minis amplitudinem consequendam, & gloriam immortalem in patria cœlesti comparandam. Vt qui in sterili & iniucunda insula sunt, non possunt ad amœnam frugiferámque terram accedere, nisi se mari committant fluctibus agitato, & procellis ac periculis obnoxio: sic ex suaui huius seculi insula vbi exulamus, ad beatas cœlitum sedes, æternámque gloriam non peruenimus, nisi per mare laborum & calamitatum. Ideo ait cap. Apoca. 7. Diuus Ioannes de beatis loquens in cœlesti domicilio: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna.* Et apostoli Actorum 14. *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum* F
Dei.

c *Duisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei.* Hoc est, riuos lachrymarum profundunt oculi mei ob Hierosolymæ calamitatem. Simili modo Dauid Psalmo 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi*

ע d *Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quòd non esset requies.* Oculus meus deflet, quòd nulla sit lachrymarum intermissio.

ע e *Donec respiceret.* Id est, donec Deus de cœlis me oculis pietatis aspiciat, misereatur mei.

ע f *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ.* Id est, oculus meus spoliauit gaudio animam meam videns euersionem omnium oppidorum, subiectorum Hierosolymæ. Ciuitas regia & præcipua dicitur vrbs cæteræ illi subiectæ & cuncta oppida ditionis eius filiæ illius nũcupãtur. Sẽsus est: Oculi mei animam meam affligunt, quia vident vastãtas ciuitates Iudææ, quæ olim erant filiæ Hierosolymæ appellatæ: nam quæ alij audiunt, ipsi intueri coguntur. Paraphrastes Chaldæus habet: Fletus oculi mei ascendit, vt noceat animæ meæ propter desolationem regionis populi mei, & deturbationem filiarum Ierusalem vrbis meæ. Accipi autem filias pro oppidis indicat cap. 13. lib. 2. Paralip. *Accepit Bethel, & filias eius: & Iesana cum filiabus suis.* Et cap. Ierem. 48. *Clamate filiæ Rabba.* Et 5. primi Machab. *Cepit Iazer ciuitatem: & filias eius.*

g *Venatione ceperunt me quasi auem inimici mei gratis.*

Hostes

A Hostes mei Babylonij me quasi auem aucupati sunt immeritò,nam illos non læseram. Venatores appellantur Babylonij & Chaldæi nõ solùm hoc loco, sed etiam c.16.apud eundem Ieremiam, vbi Deus ait: *Post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos.* Vel,& rectius meo quidem iudicio,loquitur hoc loco Ieremias de Iudæis illis, qui eum persequebãtur odio:illi enim comprehenderunt eum, & in carcerem coniecerunt. Si volaret,& ab illis discederet, non illum instar auis caperent .Magno se obiiciunt periculo, qui in hominum nefariorum familiaritate
similitudo versantur. Quemadmodum qui eunt ad Meridiem, non se coniungunt cum iis, qui iter conferunt ad Septentrionẽm: sic qui pergunt ad cœlos, non debent illis familiariter vti, qui ad inferos proficiscuntur. Vt tutum non est habitare agnum cum lupis:ita nec virum iustum cum impiis res suas communicare, & familiariter vitam degere. Vnde ait Ecclesiasticus 7. *Discede ab iniquo & deficient mala*
similitudo *abs te.* Quemadmodum apes quæ venenata viscera viperæ mortuæ comederunt,eos interficiunt,quibus infligunt aculeum:sic qui cum flagitiosis hominibus sunt intima familiaritate coniuncti,eos lædunt,cum quibus sermones aut consilia conferunt, quibus acceptum ab improbis venenum propinant. Vide quã
B pernicios a sit nefariorum hominum consuetudo atque communicatio. Id intelligens apostolus capite 3.posterioris ad Thessalonicẽses: *Rogamus*, inquit, *vos fratres, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulãte inordinatè.* At aliquando opus est apud impios commorari ad eos instruendos,& à vitiis separãdos. Id quod fecit diuinus vates Ieremias, qui apud nefarios Iudæos habitabat, vt illis ventura prædiceret, eósque à flagitiis abduceret, & ad verbum decus excitaret. Sed illi ingrati & impij eum conuiciis & iniuriis vulnerarunt. Hoc lamentatur ille hoc loco. Ideo sequitur.

h *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.* Id est,cõiectus sum in carceris foueam, vnde exire non possum. De hoc lacu ait ille capite 38. *Submiserunt Ieremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua,sed lutum. Descendit itaque Ieremias in cœnum.* Hactenus ille. Eodem modo Dauid psalmo 87. *Posuerunt me*, inquit, *in lacu inferiore, in tenebrosis & in vmbra mortis.* Sed tam verba hæc Dauidis, quàm ea quæ hoc ait Ieremias, possunt de Christo saluatore nostro intelligi posito in sepulchro. Interpretans enim diuus Cyprianus verba hæc: Lapsa est in lacum
C vita mea: ait in symbolo apostolorum: Euidentissima hæc sepulturæ eius indicia propheticis vocibus designata sunt. Ac grauissimi ac sapientissimi scriptores totam hãc tertiam lamentationẽ de Christo Deo nostro interpretantur. Et rectè quidem. Sed nos sensum historicum secuti,ita, vt diximus, eam ad Ieremiam referimus, vt interdum ipsum, interdum populum Israeliticum, interdum ipsam vrbem loqui asseramus.

i *Inundauerunt aquæ super caput meum.* Hoc est,oppresserunt me mœstiæ & calamitates,aquarum nomine significatæ. Ita Dauid Psalmo 68. *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Et 143. *Liberauit me de aquis multis.* Et Canticorum 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Et Iob 22. *Putabas te tenebras non visurum, & impetu aquarum non oppressum iri.*

k *Inuocaui nomen tuum domine de lacu nouissimo.* Cũ essem in profunda fouea,te inuocaui, & tu me exaudisti. Ostendit Dei misericordiam, qui afflictis ad ipsum confugientibus opitulatur. D. Hieronym. hoc refert ad Christum dominum:& per lacum nouissimum,limbum patrum interpretatur.

l *Iudicasti domine causam animæ meæ.* Id est, ostendisti innocentiam meam. Extraxit enim illum Deus de D
ima carceris fouea,& ostendit eum esse diuinum ac verum vates.

m *Audisti opprobrium eorum domine, omnes cogitationes eorum aduersum me.* Audiit domine quot ignominiis & contumeliis me lacerauerint inimici mei:& quoties de pernicie mea cogitauerint. Cap. ipsius Ierem. 18. dixerant: *Venite, & cogitemus contra Ieremiã cogitationes.*

n *Sessionem eorum & resurrectionem eorum vide.* Id est,intuere domine,quoties inimici mei sedent consultantes aduersum me, & quoties surgunt ad impia sua consilia exercenda. Sed quia sequitur: *Ego sum psalmus eorum:* potest esse sensus: Vide domine me esse eorum cantilenam, quando sedent,& quando surgunt & stant: traducunt enim semper me in canticũ & fabulam & irrisionem. Ita Iob trigesimo: *Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum illis in prouerbium.* Et psal. 78. *In me psallebant, qui bibebant vinum.* Hoc est, In conuiuiis suis carmina in meum
dedecus facta concinebant. Idem dixerat suprà Ieremias: *factus sum in derisum omni populo, canticum tota die.* Itaque per sessionem & resurrectionem intelligitur diuturnitas & continuatio: vt sit sensus: Continuò me irrident. Eodem modo accipitur psalm. 138. *Domine probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meã, & resurrectionem meam.* Hoc est,nota tibi sunt,quæcunque siue sedens,siue stans aut ambulans efficio. Quibus verbis prædicat diuinus ac regius vates admirabili orationis magnificentia Dei prouidẽtiam & cognitionem.

o *Reddes eis vicem domine iuxta opera manuum suarum.* Hoc est,retribues illis meritũ supplicium iuxta eorum maleficia: pro peccatis enim suis iustam pœnam persoluent. Quidam codices habent: Redde eis. Sed vtcunque sit,oratio hæc non est imprecatio malorum,sed vaticinatio. Ita illud intelligitur psalmi 27. *Da illis secundùm opera eorum, & secundùm nequitiam adinuentionum ipsorum. Secundùm opera eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.*

p *Dabis eis scutum cordis laborem tuum.* Non quòd labor sit Dei,sedà Deo inflictus. Sensus est, Circundabis eos labore,vallabis cor eorum calamitate. Quidam vertunt: Dabis eis tegumentum cordis,& laborem: hoc est,permittes, vt eorum cor sit tenebris ignorantiæ coopertum,& labore defatigatum. Alij per scutum cordis intelligunt obstinationem & impiam animi contumaciam. Alij dolorem cordis: Vox enim F
Hebræa dolorem etiam significat, & funestum morbum. Potest etiam hoc multò aliter intelligi: nam scutum in diuinis literis in bonam partem accipitur: vt capite Deuteronomij 33. *Qui saluaris in domino, scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ.* Hoc est, qui est clypeus,vnde prouenit tibi præsidium,& gladius, quo tibi gloria & nominis amplitudo comparatur. Capite vigesimosecundo lib. 2. Regum ait Dauid: *Deus dominus fortis meus, sperabo in eum, scutum meum, & cornu salutis meæ.* Et psalm. 5. *Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum.* Acsi dicat: Tu domine beneuolentia tua tanquam scuto firmissimo virum iustum ac pium protexisti,& ab omnibus insidiis telisque inimicorum incolumen conseruasti. Et 90. *Scuto circundabit te veritas eius.* Hoc est, verum Dei promissum erit scutum, quo liberaberis. Seruabit te Deus promissione sua fidei: ipse enim pollicitus est protecturum se esse viros pios ad ipsum confugientes. Et diuus Paul. capite sexto epistolæ ad Ephesios: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Tela ignea esse existimo opum & mundi gloriæ cupiditates, quæ scuto

A fidei retunduntur. Qui enim fidei clypeo munitus aspirat ad cœlestia facilè terram aspirantur. Capite 15. Genes. vbi Deus dixit: *Noli timere Abram, ego protector tuus sum*, pro protectore potest verti clypeus siue scutum. Eodem modo Psal. 83. *Protector noster aspice Deus.* Quidam enim vertunt: Clypee noster Deus aspice. Nec solùm ipse clypeus est, sed sermo eius: iuxta illud Prouerb. trigesimo. *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est omnibus sperantibus in se.* Cùm igitur scutum siue clypeus bonam accipitur partem aliis in locis, cur in hoc non poterit eandem admittere acceptionem. Alloquebatur Deum Ieremias, & intuens mentis oculis spiritu vaticinationis illustrafore, vt ipse Deus humanam sumeret naturam, & acerbissimos labores sustineret, séque in crucis ara pro hominum genere hostiam deuoueret atque constitueret, has voces emisit: *Dabis eis scutum cordis laborem tuum* Acsi diceret: Tu Christe sancte dabis hominibus laborem tuum, quem propter eos suscipies, vt sit illis scutum, quo intentationibus suis protegantur: Tua passio erit illorum protectio, tuus labor erit illorum clypeus. Hæc est horum verborum intelligentia. Nam in labore & vulneribus domini nostri Iesu Christi est remedium nostrum constitutum. At qui remedium hoc neglexerint, & in sceleribus erroribúsque suis permanserint, hîc affligentur, & posteà in æternos inferorum ignes relegabuntur. Eam ob causam ait statim Ieremias: *Persequeris in furore, & conteres eos sub cœlis domine.* Acsi dicat: iuxta seueritatem iustitiæ tuę domine eos calamitatibus opprimes: & affliges eos sub luce, hoc est, in tenebris inferorum: non solùm in hoc seculo, sed in altero cruciabuntur. Qui in cœlis esse noluerunt, sub cœlis pœnas ęternas luent scelerum suorum. Idem vult significare idem Ierem. cap. 17. cùm ait: *Induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos.* Hoc est, & in hac vita, & in altera. Vaticinatur de impiorum pernicie & temporali & ęterna, quemadmodum hoc loco. Et ita tertiam absoluit lamentationem. D

B

OBSERVATIONES

ex Hebræo in

Lamentationem. III.

1 Et circundedit me felle & labore. *In Hebraico exemplari est: vaiaccaph rox vthelaah. Septuaginta interpretes habẽt: καὶ ἐκύκλωσεν κεφαλήν μου καὶ ἐμόχθησα. Hoc est, Et circundedit caput meum, & laboraui. Rabbi Dauid in libro radicum vertit: Circundedit caput meum, & labore circundedit. Pro felle vertit caput, cum septuaginta interpretibus. Et ita ait Franciscus Vatablus posse verti ex Hebræo. Pagninus tamen, felle, transtulit cum editione vulgata. Sed nulla te teneat huius varietatis, & aliarum huiusmodi admiratio: nam cùm pleraque vocabula Hebræa æquiuoca sint, in varias possunt accipi significationes. Interdum vna tantùm vni loco seruit significatio, nec potest alias recipere: interdum multæ vnius vocabuli illi loco rectè accommodantur. Pro felle est in Hebræo Rox, quod nomen caput significat & fel & venenum. Pro capite accipitur capite tertio Genesis:* Ipsa conteret caput tuum: *vt referatur ad mulierem, hoc est, ad virginem Dei genitricem Mariam quemadmodum habet latina nostra communis versio: & ita Eucherius, Serapion, Leo papa, Rupertus abbas, & alij interpretantur.* Vel ipsum conteret caput tuum: *vt referatur ad semen eius, hoc est, ad Christum, vt Pagninus, & multi alij ex Hebræo transtulerunt. Quod volentes Septuaginta interpretes significare dixerunt:* Ipse tuum cõteret caput. *Et clariùs Onchel. Chaldeus, qui filium mulieris expressit, qui dæmonis caput esset contriturus. Semem igitur mulieris est Christus, semen verò diaboli zizania, & homines impij, vt ipse dominus cap. 13. euangelij authore Matth. explanauit Quare hi inter quos & Christum inimicitiæ sunt homines sunt sceleribus imbuti, qui cum vera pace & quiete inimicitias gerunt, omnique virtuti aduersantur. Qui autem caput diaboli confringit, Christus est. Vbi pro capite est nomen hoc rox, de quo disserimus. Pro felle accipitur capite Deuteronomij trigesimosecundo.* Vua eorum vt fellis. *Quod statim interpres noster vertit pro veneno, cum ait:* Venenum aspidum insanabile. *Significat etiam primũ præcipuum, ducem, & principem: vt cap. Michæa 3.* Audite principes domus Iacob. *Hac ratione ductus Paraphrastes Chaldæus vertit hunc Ieremiæ locum:* Circundedit ciuitatem, & eradicauit capita: *hoc est, duces populi & magnates. Vnde illud ca. 2. Geneseos.* Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita: *potest verti: Qui inde diuiditur in quatuor præcipuos, subaudi, fluuios. Pro quo Rabbi Ionah exposuit, in quatuor flumina magna. Hæc autem quatuor flumina magna ab vno fonte dimanantia, iuxta allegoriam sunt quatuor sacra euangelia à Christo fluentia, quæ ecclesiam irrigant & fœcundant. Vt enim granum intra spicam: est sic sensus allegoricus intra literam. Et quemadmodum gemma in ædib. obscuris non inuenitur sine candela: sic nec sensus mysticus sine literali. Huius sensus allegorici meminit Diuus Paulus c. 4. epistolæ ac Gal. cùm ait:* Quę sunt per allogariam dicta. *Aspicis igitur nomẽ rox & caput significare & fel, & vtranque significationem huic Ieremiæ loco conuenire.* similitudo similitudo E

2 Aggrauauit compedem meũ. *Pro compede meo est in Hebræo nechaxeti, à verbo nachax, quod significat augurari, inquirere, experiri, tentare: vt Genesis quadragesimo quarto.* Scyphus quem furati estis ipse est, in quo bibit dominus meus: & in quo augurari solet. *Pro quo paraphrasis Chaldæa habet: Et in quo inquirendo inquiret. Quidam interpretantur: Pro quo interrogando interrogabit, nimirum augures & diuinos. Alij existimant veram huius loci intelligentiam esse: Cuius amissionem putat malum sibi esse omen & augurium. Potest verti: Quo expuriendo expertus est vos: siue tantauit vos. Acsi dicat: Ideo Scyphum hunc reliquit, vt experiretur, vtrum vos illum essetis surrepturi. Inde nachax, quod significat augurium, vt capite Num. vigesimo tertio.* Non est augurium in Iacob. *Et quia in ære perpolito solebant fieri auguria inde effectum est vt* נחשת *significat æs: quo nomine compedes appellãtur, quòd ex ære confici solerent. In quam significationem accipitur hoc loco: vt sit sensus: Facit pedibus meis compedes grauissimos, ne aliquò ire possem. Interpres Theodoreti habet: Aggrauauit iugum colli mei. interpretatur: Crudilissimis hostibus me seruire coegit.* F

3 Semitas meas subuertit. *Pro subuertit est in Hebræo verbum sur, quod significat subuertere: quam significationem secutus est Latinus noster interpres.* Significat etiam declinare, peruertere, alienare, mutare; deficere, fœtere, putrescere, separare. *Eo vtitur pro declinare Oseæ capite quarto.* Sicut vacca lasciuiens declinauit Israel. *Subauditurà via recta. Potest verti: Vt iuuenca deficiens*

desciuit

A *defciuit Iſrael, expellendo ſcilicet à ſe iugum diuinæ legis. Vel ſeparauit ſe Iſrael, nimirum à Deo. Pro ſeparare enim accipitur Oſea quarto.* Separatum eſt conuiuium eorum. *Vbi conuiuium idem eſt quod cultus & communicatio: loquitur enim diuinus vates de decem tribubus, quæ ſe è duabus ſeparauerant, & vitulos Ieroboam coluerant. Vel ideo ait Iſraelitarum conuiuium eſſe ſeparatum, quia erat excommunicatum: excommunicati enim ſeparati ſunt. Poteſt verti: Fœtidum eſt conuiuium eorum: vt ſit ſenſus: Tantum veni potauerant conuiuæ, vt eorum compotatio grauiter oleret. Vel per eorum conuiuium intelligit illorum doctrinam, quam appellat putidam & fœtidam, quia docebant eſſe vitulos aureos colendos. Illud Pſalmo decimo tertio.* Omnes declinauerunt: *vertunt: nonnulli, Omnes fœtuerunt. Et alij: Omnes receſſerunt, nimirum à via, quam Deus illis oſtenderat. Ab hoc verbo eſt ſorerim, pro quo vulgatus interpres capite primo Eſaiæ vertit* infideles. Principes tui infideles. *Poteſt verti: Principes tui declinantes. Vel recedentes, nimirum à vera religione. Vel fœtidi: vel peruerſi. Pro quo Septuaginta habent: Non obediunt, ſiue non obedientes. Et Aquila, diſcedentes. Et Thargum: rebelles: quia à*

B *Deo defecerant, & falſis diis diuinum cultum tribuerant. Eodem modo illud intelligitur Oſeæ nono.* Omnes principes eorum recedentes. *Pro quo alij legendum putant: Omnes principes eorum ſubuerſi. Vel omnes duces eorum mutati: nimirum à vero Dei cultu. Diximus enim verbum hoc ſignificare ſubuertere & mutare. Quare locus hic Ieremiæ verti poteſt: Vias meas mutauit: nimirum priſtina conſuetudine. Vel poteſt eſſe à* בּיר, *quod ſpina: vt ſit ſenſus: Vias meas ſpinis ſepiuit. Ita hunc locum interpretatur Rabbi Iſchac filius Ghiath: iuxta id quod ait apud Oſeam ſecundo Deus:* Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria. *Vt ſcilicet non poſſis egredi, nec quo velis, proficiſci,*

4 Confregit ad numerum dentes meos. *Pro numero eſt in Hebræo* מתצו, *quod ſignificat calculum, lapidem minutum, & arenam: vt Proueb. vigeſimo.* Suauis eſt homini panis mendacij, & poſteà implebitur os eius calculo. *Hoc eſt, doctrina mendax ac falſa, etiamſi in principio ſit dulcis mollis, poſteà tamen inſuauis ac dura*

C *inuenitur. Et quia calculis ſolemus numerare, accipitur hoc nomen pro numero. Vnde apud Cicer. in lib. de amicitia, reuocare ad calculos amicitiam, eſt ita data & acceptа numerare, vt par ſit eorum ratio. Et in epiſtola quadam Plinij, ponere calculos idem eſt quod numerare. Hac ratione ductus interpres noſter pro chatſats, quod calculum propriè ſignificat, numerum hoc Ieremiæ loco interpretatus eſt, Septuaginta tamen pro calculo acceperunt: ita enim habent:* Ἐξεβαλεν ὡς φῶ ὀδόντας μου. *Hoc eſt, eiecit lapillo dentes meos. Hoc eſt accepto lapide euulſit mihi dentes, quos ex ore meo in terram proiecit. Poteſt rectiſſimè verti: Confregit inſtar arenæ dentes meos: ita enim eos minutatim concidit atque contudit, & in tot particulas infregit, vt eſſent inſtar arenæ minuti.*

5 Perijt finis meus. *Pro fine eſt in Hebræo* נגחי, *quod ſignificat finem: quam ſignificationem ſecutus eſt vulgatus interpres. Significat etiam victoriam, potentiam, ſanguinem, robur, & fortitudinem. Quare rectè verterunt Septuaginta* ἀπώλετο τὸ νικᾶν μου. *Hoc eſt: periit victoria mea. Et recte Pagninus & Brixanus: Periit fortitudo mea. Et recte* Ioannes Benedictus: *Periit robur meum. Poteſt quoque verti: Periit potentia mea: aut ſanguis meus. Quæ omnia poſſunt ad Chriſtum Deum noſtrum veriſſimè referri, cui omnia hæc conueniunt, cuius mortem in crucis ara contumeliis pleniſſimam Ieremias hoc loco lamentatur. Ipſe enim eſt finis, ad quem dirigendæ ſunt omnes actiones noſtræ, propter quem diuinam legem ſumus ſeruaturi, &*

D *ipſius legis conſummatio & profectio: id quod ait apoſtolus capite 10. epiſtolæ ad Romanos:* Finis legis Chriſtus eſt ad iuſtitiam omni credenti. *Ipſe eſt victoria noſtra, qui de ſe ait apud Ioannem decimo ſexto.* Confidite, ego vici mundum. *Quam ob rem ait apoſtolus capite decimo quinto ad Corinthios.* Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. *Ipſe eſt potentia noſtra: de quo ait apoſtolus capite quarto epiſtolæ ad Philippenſes:* Omnia poſſum in eo, qui me confortat. *Ipſe eſt ſanguis noſter & caro noſtra, quatenus homo eſt, noſtram enim aſſumpſit naturam: de quo ait diuus Ioannes capite ſui euangelij primo:* Et verbum caro factum eſt. *Ipſe eſt fortitudo noſtra: de quo ait Moſes capite Exodi decimo quinto:* Fortitudo mea & laus mea Dominus. *Et Dauid Pſalmo trigeſimo:* Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu. *Deriuatur nomen hoc à verbo natſach, quod ſignificat roborare & vincere. Vnde Iamnatſeach multis præfigitur pſal. Pro quo Septuaginta vertunt* εἰς τὸ τέλος: *hoc eſt, in finem quemadmodum habet editio vulgata. Hieronymus vertit: victori. Felix Pratenſis: Vincēti. Aquila* τῷ νικοποιῶ, *id eſt, præbenti victoriam. Alij ſonanti ſanguinem. Alij* E *danti æternitatem. Quæ omnia Chriſto Deo noſtro mirabiliter congruunt, cui pſalmi huius inſcriptiones dedicantur. Quidam exiſtimant, ideo præfigi pſalmis, In finem, quia erant implendi temporibus Meſſiæ, quæ appellantur nouiſſima & fines ſeculorum.*

6 Leuauit ſe ſuper ſe. *Pro leuare eſt in Hebræo verbum natal, quod ſignificat leuare, ferre, baiulare, inuoluere. Particula, ſe, non eſt in Hebræo, nec in Græco. Poteſt verti: Quia tulit ſuper ſe. Subaudi iugum Dei. Potest hoc intelligi de Chriſto Domino, qui tulit ſuper ſe crucem: de quo paulò poſt dicitur:* Dabit percutienti ſemaxillam, ſaturabitur opprobriis. *Omnia hæc verba explanat de Chriſto Rabbi Samuel in huius loci expoſitione. De percuſſione autem maxillæ Chriſti dixit ita Michæas quinto.* In virga percutient maxillam iudicis Iſrael. *Ipſe eſt, qui crucem baiulauit tanquam clauem, qua cælum aperiret, de qua dixit Deus pater apud Eſaiam vigeſimo ſecundo.* Dabo clauem dominus Dauid ſuper humerum eius. *Itaque verbum hoc natal ſignificat portare & baiulare. Inde netil idem eſt quod baiulus: ruo vocabulo in plurali vtitur capite primo. Sophonia, pro quo editio vulgata habet,* inuoluti. Diſperierunt omnes inuoluti argento. *Quod poteſt etiam verti: Diſperierunt omnes* ſimilitudo *baiuli argenti. Ac ſi dicat: Peribunt omnes diuites auari. Eſt enim præteritum pro futuro. Quemadmodum baiuli* F *arculas alienas ferunt argento plenas, nihil inde niſi laborem pondúſque reportantes, præter vilſſimam pariſſimamque mercedem: ſic qui auaritia & effrenata opum cupiditate ardent, nihil ex diuitiis quas poſſident, aut potius à quibus poſſidentur, habent, niſi laborem & ſolicitudinem, & flagitium. Nullum eſt enim officium tam ſanctum & laudabile quod non auaritia comminuere atque violare ſoleat,*

7 Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum, *pro,* cum manibus, *eſt, in Hebræo el capaiim. Nomen caph ſignificat volam, & manum: vt capite Ezechielis vigeſimo primo.* Perſtute manum ad manum. *Hoc eſt, mœrorem & dolorem oſtende. Significat etiam nubem. Vnde illud Exodi trigeſimo tertio.* Ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec tranſeam. *vertunt nonnulli: Et protegam nube mea. Eam ob cauſam poteſt verti locus hic Ieremiæ:* Leuemus corda noſtra verſus nubes ad Dominum. *Ita Rabbi Dauid Chimhi in libro radicum hunc locum interpretatur. Vnde illud Eſaiæ 49.* Ecce in manibus meis deſcripſi te: *poteſt verti:* Ecce in nubibus meis poſui te. *Hoc eſt, te*

A extuli in ſublime, in excelſaque dignitate collocaui. Ita Rabbi Ioſeph, & R. Sahadias locum illum explanarunt. Ionathas tamen Chaldæus nobiſcum vertit: Ecce in manibus meis deſcripſi te. Ne mereris, ſi aliquando citem Hebræos Rabbinos fide deſtitutos. Nam etſi in vera & arcana diuina um literarum intelligentia, & in myſteriis redemptionis humanæ per Chriſtum Deum noſtrum eos cæcos eſſe omninò non dubito, non parum tamen conducere arbitror ad veras verborum Hebræorum ſignificationes & proprietates depromendas eos legere, illos præſertim, qui linguæ ſanctæ phraſes & ſchemata explicarunt. Nam quemadmodum vir prudens lapidem pretioſum no eò contemnit, quòd ex capite venenati draconis exierit: ſic nec Hebraij morum peritiam & vocabulorum nationes, quòd ex Iudæorum prodierint officina. Præter has explanationes poteſt verti locus hic: Leuemus corda noſtra in manibus ad Deum Subaudi pro munere. Acſi dicat: Demus Deo animos, offeramus eos illi manibus noſtri loco muneris. Non ſolùm noſtra, ſed nos ipſos ei quaſi donum offerre non intermittamus. D

similitudo

8 Ne auertas faciem tuam ſingultu meo & clamoribus. Pagninus vertit: Ne abſcondas aurem tuam propter reſpirationem meam ad clamorem meum. Pro à ſingultu meo, eſt in Hebraico lerauchathi. Quod nomen ſignificat ſingultum, reſpirationem, & ſuſpirationem. Deducitur à verbo rauach, quod ſignificat reſpirare & dilatare. Poteſt verti: Ne auertas autem tuam a ſuſpiriis & clamoribus meis. Vel ſic: Ne auertas aurem tuam à clamoribus meis propter reſpirationem meam. Acſi dicat: Audi me Domine, vt poſſim reſpirare. Tanto enim dolore premebatur mœſtus Ieremias, vt aſpirare non poſſet ne, anhelare quidem.

CAPVT IIII.

B

א Aleph. a Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, b diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum? E

ב Beth. c Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli.

ג Gimel. d Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos ſuos: filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto.

ד Daleth. e Adhæſit lingula lactentis ad palatum eius in ſiti: paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.

ה He. f Qui veſcebantur voluptuosè, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.

ו Vau g Et maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubuerſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus.

ז Zain. h Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores

ח Cheth. i Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, k & non ſunt cogniti in plateis: adhæſit cutis eorum oſsibus, l aruit & facta eſt quaſi lignum.

EXPLANATIO.

N Aleph. a *Quomodo obſcuratum eſt aurum?* Totus hic verſus ſub litera Aleph, poteſt de euerſione templi intelligi in illa Babylonica vaſtitate. Erat enim templo auro tectum, vt cap. 6. lib. 3. Regum diuinæ literæ prodiderunt. Sed Ieremias, vt ego mihi ſtatuo, præcipuè deplorat amiſſam gloriam Hieroſolymæ: ac ſi dicat: Quomodo verſa eſt in ignominiam gloria noſtra? Tenebras dedecoris attulerunt Babylonij ſplendido auro honoris noſtri: cuius fulgentiſſimus color fuit in nigrorem mutatus. Quàm citò Hieroſolymæ ſplẽdor eiuſque nominis claritas & amplitudo ad opprobrium & abiectionem reciderunt: Accipitur hoc loco aurum pro mundi gloria, opibus, & magnificentia, vt capite. 2. Danielis, cùm dicitur caput ſtatuæ à Nabuchodonoſore conſpectæ ex auro fuiſſe. Pro charitate ſumitur capite Apocalypſis 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.* Sumitur etiam aurum pro

C oleo capite quarto Zachariæ: *Quid ſunt duæ ſpicæ oliuarum, quæ ſunt iuxta duo roſtra aurea, in quibus ſunt ſuffuſoria ex auro.* Pro quo nonnulli vertunt: Quæ ſunt iuxta duo roſtra aurea, quæ ſuffundunt ex ſe aurum. Vbi aurum aiunt pro oleo puriſſimo ſumi inſtar auri. Cùm autem oleo ſignificatur miſericordia, apertè liquet ipſam miſericordiam auro ſignificari. Sumitur præterea pro ſapientia capite Canticorum quinto: *Caput eius aurum optimum.* Demum ſumitur pro humilitate rerúmque humanarum tolerantia. Vt

similitudo enim illud eſt cæteris metallis grauius, & percuſſum non reddit ſonum: ſic vir animi humilitate & patientia ſeptus, ſeipſum præ cæteris deprimit & abiicit, & humilia munera inclinat: ac calamitate percuſſus nullos fundit iracundiæ clamores. Percipit enim animo id, quod ait diuinus ac regius vates: *Patientia pauperum,* ſiue afflictorum, *non peribit in finem.* Et filius eius in Prou. c. 15. *Gloriam præcedet humiliatas.* Hæc eſt vna virtus, quę cùm ſe occultet, eminet tamen inter omnes. Vt calx viua videtur frigida foris, cùm intus ferueat: ſic verè humilis cooperit virtutes ſuas, cùm flagret intus igne charitatis, & aqua calamitatis incendatur. Calx viua fernet cum aqua frigida, & humi F litas cum charitate & tolerantia coniuncta aqua calamitatis inflammatur. Omnes hę auri ſignificationes poſſunt huic Ieremiæ loco conuenire: obſcurata eſt enim Iudæorum charitas & miſericordia & animi humilitas, & patiẽtia. Vel quod mihi rectius videtur, per aurũ cęteris metallis præſtãtius intelligitur princeps, qui fuit in bello illo captus, & à dignitate ſua deiectus.

similitudo

b *Diſperſi ſunt lapides.* Id eſt, euerſum eſt templum domini, eiúſque fuerũt per plateas diſperſi atque diſſipati. Ita hunc locum paraphraſtes Chadæus interpretatur. Sed quemadmodum paulo ante nomine auri intellexit principem, ita modò per lapides ſanctuarij ſacerdotes, & viros pios, qui alios religionis cultu ſuperabant. Hi enim fuerunt è tẽplo expulſi, & per capita platearũ diſiecti, & ad diuerſas oras abducti. Fortaſſe deplorat ſacerdotũ diſtrationẽ, q cũ deberent in templo reſidere, ac diuino cultui opera dare, per plateas Hieroſol. negotiis humanis dediti vagabãtur. Quam ob cauſam fuerunt obſeſſi, & victi, & cruciati.

Platea

A platea enim est latitudo, qua significatur *lata* illa & *spatiosa via, quæ*, vt Christus Dens noster ait apud Matth. 7. *ducit ad perditionem.*

c *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo.* Hoc est, magnates Hierosolymæ ornati quondam auro optimo abiecti sunt modò, & veluti ac ducti. Sumitur vas siue lagena figuli pro re fragili, nulliúsquemomenti, vt cap. 30. Esaiæ: *Comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione perualida.* Et Ierem. 19. *Sic conteram populum istum, & ciuitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltrà instaurari.*

d *Sed & lamiæ nudauerunt mammam.* Sensus est: Etiam impiæ feræ alunt catulos suos, exponantes illis vbera sugenda, Hierosolyma filios suos non alit. Exaggerat calamitatem Iudææ comparatione ferarum, quæ lactant filios suos, quod Hierosolyma non faciebat. Aiunt nonnuli hoc impletum fuisse, cùm matres fame coactæ proprios filios coxerunt: Lamiæ figurá quodam habent humanam, cùm sint bestiæ crudelissimæ. Struthiones sunt aues miræ magnitudinis, sed minimè volantes, quibus hæretici & nefarij homines artificio simulationis eruditi, vt Hesychius ait, & Eucherius, significantur. Habere nanque videntur sapientiæ & contemplationis pennas, volare autem haudquaquam possunt. Eam ob causam sunt in lege
g veteri prohibitæ cap. 11. Leuit. & 14. Deut. Hæ aues crudeles sunt: quare cum illis comparat Iob homines immanes, cùm ait cap. 30. *Frater fui draconum, & socius struthionum.* Solet hoc animal in solitudine oua sua relinquere, & aliquando non curare: atque filiorum suorum obliuisci. Id significat Iob cap. 39. vbi de illo loquens: *Quando*, inquit, *derelinquit oua sua in terra tu forsitam in puluere calefacies ea: obliuiscitur, quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Induratur ad filios suos, quasi non sint sui.* Hæc ille. Eam ob causam ei hoc loco Hierosolyma comparatur. Fortasse non propter crudelitatem affectus, sed propter similitudinem actus: quia mulieres Hierosolymitanæ lac filiis propriis ob inopiam alimenti non præbebant.

e *Adhæsit lingua lactantis.* Ostendit sitim ac famem puerorum, quos cap. 3. harum lamentationum induxit matribus suis dicentes: *Vbi est triticum & vinum?*

f *Qui vescebantur voluptuosè.* Qui exquisitis epulis quondam vtebantur, perierunt fame in locis publicis. Et qui solent delicatè nutriri, & purpura, vestibúsque pretiosis indui, viles cibos auidè sumebant. Nam vt Iob ait cap. 6. *Animæ esurienti etiam amara dulcia esse videntur.*

g *Maior effecta est iniquitas filiæ populi mei.* Grauius fuit peccatum Hierosolymæ, quam Sodomæ: nam Sodoma non contaminauerat Dei sacrarium, quod non habuerat: nec habebat diuinos vates, qui eam à flagitiis deterrerēt, quemadmodum Hierosolyma. Præterea Sodoma violauerat legem naturalem, Hierosolyma autem naturalem & scriptam: & ingrati animi significationem multis in rebus ostenderat. His ratio nibus ductus ait Ezech. 16. *Non fecit Sodoma soror tua ipsa, & filiæ eius, sicut fecisti tu, & filiæ tuæ.* Et Christus noster apud Matth. vndecimo: *Terra Sodomorum remissius erit in die iudicij, quàm tibi.* Vel sumitur hic D iniquitas, quemadmodum peccatum pro pœna peccati: vt cap. 12. lib. 2. Reg. vbi Nathan dixit Dauidi *Dominus transtulit peccatum tuum*, id est, pœnam peccati in filium tuum: non enim morieris, sed ille. Et Threnorum 5. *Patres nostri peccauerunt, & non sunt: & nos iniquitates eorum portauimus.* Ita exponunt nonnulli illud Cain Genes. quarto *Maior est iniquitas mea quam vt veniam merear.* Vt sit sensus: Maior est pœna mea, quam ferre possim. Ideo Ieremias sic Hebræos fuisse punitos grauius Sodomis quia Sodomorum pœna minore tempore durauit, quamobrem fuit minus acerba, quoniam non fuerunt longa obsidione afflicti & lacerati, sed in puncto temporis consumpti. Ideo ait: *Et non ceperunt in ea manus.* Hoc est, non ceperunt Sodomam inimicorum manus. Sumuntur manus pro suppliciis humanis: vel pro castris & exercitibus quemadmodum cap. 33. Deuter. *Manus eius pugnabunt pro eo.* Et Actor. apost. 12. *Misit rex Herodes manus, vt affligeret quosdam de ecclesia.* Eam ob causam vertunt nonnulli locum hunc: Et non mutata sunt in ea castra. Quia in memento subuersa est. *Gen. 19. Esa. 12. Ier. 50.*

h *Candidiores Nazaræi eius niue.* Loquitur de Nazaræorum fame, luctu & calamitate in illa vrbis obsidione & pernicie. Hi erant Deo dedicati: de quorum consecratione loquitur Moses cap. Numer. 6. Nunc E autem Ieremias hyperbolicè eorum describit pulchritudinem & candorem ante obsidionem illam, vt post eam eorum ostendat & deploret deformitatem, maculas & luctus. Ebur est dens elephantis: sapphirus est lapis pretiosus coloris aerij, aureis punctis collucens: de quo disserit Plin. lib. 37.

i *Denigrata est super carbones facies eorum.* Præfame & miseria & luctu. Locutio est hyperbolica. Nigrore faciei significatur dolor & tristitia. Ita cap. 2. Nahum. *Facies omnium eorum sicut nigredo ollæ.* Et Ioel. 2. *Omnes vultus redigentur in ollam.*

k *Et non sunt cogniti in plateis.* Hoc est, non sunt à plebeis & abiectis hominibus distincti. At si virtute præditi erāt, in illa calamitate & abiectione ertā nobiles: eorum autem inimici honestate destituti in triumpho illo erant infames. Quemadmodum generosus *simile* equus etiam si ei ponatur clitella ad sarcinas ferendas, semper tamen generosus est, contra verò villis canterius etiam pretiosis phaleris ornatus est canterius: sic vir omni sapientia & nobilitate præstans quamuis abiectus, semper tamen est nobilis & illu- F stris, improbus autem infimo loco natus quamuis ad eximiam euectus dignitatem semper tamen est sordidus & obscurus, nulla commendatione famæ præclarus. Falsus honor non euehit ad verum honorem & calamitas nullum eximium virum pietate & sapientia præstantem potest vera dignitate priuare. Nam vt Diuus ait Hieronymus in epistola ad Celantiam: Sola apud Deum libertas est non seruire peccatis, summa nobilitas clarum esse virtutibus.

l *Aruit.* Scilicet ob calamitatem & nutrimenti inopiam. Eodem modo Iob 7. *Cutis mea aruit, & contracta est.*

ט [a] Melius fuit occisis gladio quàm interfectis fame. quoniam isti extabuerunt consumpti à ste-
Ter. rilita teterræ.

י [b] Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum in contritione
Iod. filiæ populi mei.

ב [d] Complenit dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ: & succendit ignem in
Caph. Sion, & deuorauit fundamenta eius.

Non

ל Lamech. [f] Non crediderunt reges terræ, & vniuersi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis & inimicus per portas Hierusalem. D

מ Mem [g] Propter peccata prophetarum eius, & iniquitates sacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum. A

נ Nun. [h] Errauerunt cœci in plateis, polluti sunt sanguine: cúmque non possent intrare, tenuerunt lacinias suas.

ס Samech. [i] Recedite polluti clamauerunt eis, recedite: abite: nolite tangere: [k] iurgati quippe sunt, & commoti: [l] dixerunt inter gentes: Non addent vltra, vt habitet in eis.

ש a *Melius fuit occisis gladio.* Hoc est, minus ærumnosi fuerunt illi, quos hostium gladius vita priuauit, quam qui fame interierunt: quoniam hi lenta tabe, & morte diuturna de vita decesserunt, illi autem subitò animam efflarunt. Nam vt Eccl. ait cap. 34. *Melior est mors, quàm vita amara.*

ר b *Manus mulierum misericordium.* Exaggerat famis vim, qua ita obsessi laborabant, vt etiam mulieres, quæ sunt naturaliter misericordes, filios proprios comederent. Vis famis intimum naturalémque amorem superauit. Id suprà tetigit cap. 2.

c *In contritione filij populi mei.* Id est, in obsidione & calamitate Hierosolymæ.

ב d *Complenit dominus furorem suum.* Hoc est, summum ac miserrimum sumpsit Deus de nobis supplicium. Ostendit debitam diuinæ iustitiæ in Hebræos seueritatem.

B e *Succendit ignem in Sion.* Sensus est: totam Hierosolymam Deus igne combussit: nec solùm tecta, sed ædificiorum fundamenta euertit, & cremauit. Vel per ignem intelligit vehementem famem, & acerbam calamitatem. Sumi autem ignem pro afflictione & cruciatu, indicat locus ille Dauidis Psal. 16. *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Et illud Ezech. 30. *Dabo ignem in Taphnis.* Et paulò pòst: *Cùm dedero ignem in Aegypto* Et illud Amos 1. *Mittam ignem in domum Asael.*

ג f *Non crediderunt reges terræ.* Nullus vnquam rex, imò nullus homo cuiuscunque fuerit nationis, credidit futurum Hierosolymæ exitium. Existimabant enim eam esse & muris, & dei præsidio munitam. Vel loquitur de rege & magnatibus Hierosolymæ, eiúsque habitatoribus, qui Ieremiæ eam esse capiendam à Babylonij, dicenti nullam fidem tribuebant. Iam hostes ingrediebantur portas ciuitatis, & illi dubitabant: iuxta illud Esa. 30. *Subitò dum non speratur, venit contritio eius.*

ד g *Propter peccata prophetarum eius, & iniquitates sacerdotum eius.* Ostendit præcipuam causam euersionis Hierosolymæ fuisse scelera falsorum prophetarum, & sacerdotum: qui cùm deberent illam iustè & sapiẽter gubernare, eam vitiorum suorum exemplo depraua runt, & ad exitium & vastitatem vocauerunt. Prin-
C cipum & pontificum maleficia populum corrumpũt & euertunt. Id quod non solùm literæ testantur diuinæ & humanæ, sed etiam vita communis, quæ nobis huius diræ pestis exempla prope quotidiana suppedita. In Hispania videmus Christi fidem vigere, quia eius reges sunt catholici: in Britania verò infiniti propè fidem repudiarũt, & ab ecclesia catholica desciuerunt, quia eius rex fidei nuntium remisit, séque turpi dedecore maculauit: & modò eius regina hæreticis fauet, quos deberet mulctare, & à regno deiicere, ne sermonibus impuris & moribus deprauatis tetram maculam cæteris inurerent. Dum in Aegypto regni clauum tenuit rex, qui nouerat Iosephum, iusti viri ex remotis oris magnis inuitebantur promissis: at cum fuerunt afflicti, & laboribus incredibilibus lacerati, Iosephus venditus in carcerem coniectus inter duos vinctos, quorum alter fuit damnatus, alter absolutus, Christum Deũ nostrum pro nobis venditum inter duos latrones constituturum adumbrabat: quorum alter periit, alter est vitam sempiternam cõsecutus. Nihil hodie magis principes incitat ad vitia, quam ignoratio Iosephi cœlestis. Si enim Christum summè diligerent, & in animo versarent, & eius beneficia cognoscerent, ad multò maiorem dignitatem & nominis amplitudinem eorum regna perducerentur. Fiorerent eorum curiæ viris sapientia, nobilitate, virtute, armorum excitatione præstantibus. At, vt aiunt, quemadmodum in mare flumina influunt: sic in nonnullorum principum aulas vitia prorumpunt. Gen. 45. Exod. 1. Gen. 37. Gen. 40 Luc. 23. E *similitudo*

ו h *Errauerũt cœci in plateis.* Illi quos falsi prophetę & impij sacerdotes & magnates percutiebant, quos oculis priuabant in plateis proprio sanguine contaminati. Qui cùm non possent domus suas introire per seipsos, ductorum fimbrias tenebant. Quidã vertunt: Polluti sunt sanguine: præ abominatione nemo poterat contingere lacinias siuę vestes eorum. ז

i *Recedite polluti.* Verba sunt eorum, qui percussis insultabant, dicentes: Recedite à nobis vos ô polluti, abite, nolite nos tangere. D

k *Iurgati quippe sunt, & commoti.* Sensus est, impij Iudæi qui se diuinos vates vocabant, & flagitiosi sacerdotes quòd cædibus & homicidiis forum Hierosolymæ impleuissent, fuerunt obiurgati à Babyloniis cum eis iurgio contendentibus, eósque mouentibus & cruciantibus.

l *Dixerunt intergentes.* Dicebant Babylonij inter seipsos: Non addet Deus vltrà, vt inter hos impios & calamitosos Iudæos habitet, vt solebat: quia iam eos penitus dereliquit. Idem de seipso aiebat Dauid psal. 70. *Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in vnum dicentes Deus dereliquit eum: persequimini, & comprehendit eum, quia non est, qui eripiat.* F

פ Phe. [a] Facies domini diuisit eos: non addet, vt respiciat eos: [b] facies sacerdotum non erubuerunt nec senum miserti sunt.

ע Ham. [c] Cùm adhuc substiteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum: cùm respiceremus attenti ad gentem, quæ saluare non poterat.

צ Tsade. [d] Lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum: [e] appropinquauit finis noster: completi sunt dies nostri, quia venit finis noster.

Velociores

ד Coph. א Res ש Xin. ת Tau.

f Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli super montes persecuti sunt nos: in deserto insidiati sunt nobis. D

g Spiritus oris nostri Christus dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus: *h* in vmbra tua viuemus in gentibus.

i Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix: inebriaberis, atque nudaberis.

k Completa est iniquitas tua filia Sion: *l* non addet vltra, vt transmigret te: *m* visitauit iniquitatem tuam filia Edom, discooperiet peccata tua.

ב a *Facies domini diuisit eos.* Verba sunt Babyloniorum Iudæis insultantium: quorum hic est sensus: Deus dispersit Iudæos inter gentes eósque à facie sua in diuersas terrarum oras diuisit, quos nunquam deinceps respiciet. Ita dictum est Psalmo 54. *Contaminauerunt testamentum eius diuisi sunt ab ira vultus eius.* Poteris hæc Ieremiæ verba ita vertere: Ira Dei separauit eos. Sumi autem faciem Dei pro ira indicat locus ille Gen. 4. *Egressus est Cain à facie domini.* Et 16. *A facie Sarai domine mea ego fugio.* Et Esaiæ. 37. *Ne timeas à facie verborum, quæ audisti.* Et Psalm. 50. *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Sed facies Dei sumitur aliquando pro Christo veri Dei filio, vt Psal. 79. *Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.* Quem locum non solum Christiani, sed nonnulli etiam ex Iudæis de Christo interpretantur. Hoc asserunt Rabbi Salomon, & Rabbi Moses Hadarsan, qui in caput Gen. 22. Veniemus, inquit, ad faciem eius, qui est rex Messias, quemadmodum dictum est in Psalmo. *Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.* Psalm. 16. ait Dauid: *Ego autem in iustitia tua apparebo conspectui tuo: satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Vel vt potest etiam verti: Ego autem videbo faciem tuam, satiabor, cùm resurrexit figura tua. Acsi dicat: Ego autem videbo Christum filium tuum, & summa afficiar gloria, cum resurrexerit ipse Christus, qui est figura substantiæ tuæ. De illo enim ait apostolus ca. 1. epist. ad Hebr. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & cæt.* Ipse autem Deus pater ait apud Malach. 3. *Ecce ego mittam angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis.* Hic angelus est Ioannes Baptista, quem pater cœlestis misit ante filium suum Christum Deum nostrum qui facies Dei appellatur, & dominator, qui ad templum suum venit. Intelligi autem locum illum de Baptista Christi præcursore indicat ipse Christus apud Matth. 11. & Marc 1. Quare hoc Ieremiæ loco poteris per faciem domini Christũ intelligere, qui Iudæos in varias nationes separauit. Ac tunc sunt B verba Ieremiæ non solùm de euersione Hierosolymę per Babylonios loquentis, sed etiam de eius euersione per Rom. duce Tito Vespasiano vaticinantis.

C b *Facies sacerdotum non erubuerunt, nec senum miserti sunt.* Reddit Ieremias rationem, quare Iudæi fuerunt in diuersas oras dispersi: quia nec facies sacerdotum fuerant venerati, nec senibus misericordiam tribuerant. Id prædixerat his verbis Esai. 3. *Tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem.*

ע c *Cum adhuc subsisteremus.* Cùm adhuc retineremus libertatem, priusquàm expugnati essemus, expectabamus ad Aegyptiis auxilium. At illud erat vanum & inutile, quandoquidem seruare nos non valebant. Deplorat Ieremias Iudæorum cæcitatem, qui Deo contempto & relicto, qui eos poterat eripere, ad homines confugerant, qui eis opem ferre non poterant. Idem prædixerat his verbis cap. 30. Esaias: *Aegyptus frustra & vane auxiliabitur.* Et 31. *væ qui descendunt in Aegyptum ad auxilium, in equis sperantes & habentes fiduciam super quadrigis, &c. dominum non requisierunt.* Non reprehendit diuinus vates quærere ab aliis auxilium, quando opus est, sed spem à Deo abducere, & in humano præsidio figere ac locare.

ד d *Iudicauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum.* Hoc est, præ lassitudine & imbecillitate non valebamus firmiter, stare. Labebamur, ac si viæ nostræ essent præcipites, & periculosæ, & tenebris circumfusæ. Hoc erat peccati nostri finum & supplicium. De illo ait idem Iere. cap. 33. *Idcirco via illorum erit quasi lubricum in tenebris: impellentur enim, & corruent in ea.* Et Dauid Psalmo trigesimoquarto: *Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum.* Et Prou. 4. *Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant.*

E e *Appropinquauit finis noster.* Hoc est, interitus noster. Ita Ezech. 7. *Finis venit, venit finis.*

ה f *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli.* Babyloniorum expeditionem in bello & diligentiã hyperbolicè significat, qui se in Iudæam celeriter contulerunt, & Hierosolymam expugnarunt. Cúmque rex Sedechias cum familiaribus suis exiret ex vrbe, seque fugæ mandaret, per montes transiens & solitudines non potuit eos declinare, quin esset ab illis comprehensus, & oculis priuatus: vt Ieremias vltimo cap. enarrauit. Ad hanc historiam videtur hoc loco præcipuè alludere. Volens Oseas cap. 8. hanc Hierosolymæ vastitatem prædicere: *Quasi aquila*, inquit, *contra domum domini.* Subauditur, veniet hostis. Quãdo aliquid fit celeriter: cum aquila volante comparatur. Ita cap. 1. Habacuc: Volabunt sicut aquila festinans ad comedendum. Et cap. 1. lib. 2. Regum: *Aquilis velociores, leonibus fortiores.* Et 4. Ier. *Velociores aquilis equi illius.* Pindarum legimus aquilam esse volucrum reginam, veluti delphinum piscium, admirabilémq; esse vtriusque velocitatem. Et Aristophanes: F Oraculum, inquit, acceperunt Athenienses fore, vt tanto vrbes reliquas post se interuallo relinquerent, quantò aquila reliquas aues celeritate superat. Quare pro homine diligente, & ingenij perspicacitate præstante solet sumi aliquando, qui munus cui præficitur, solerter, accuratè & diligenter exequitur. Vt *similitudo* in conflictibus illis & concursibus, quos Lusitani iustas vocant, quilibet decertans vnicam fert hastam, non duas, ac multò minus tres: nam vna conducit ad contentionem, mutæ verò illam impediunt: sic qui munere vno in republica fũgitur, potest illud rectè, accuratè, sapienterque explere: at si multis ac diuersis officiis præesse voluerit, nullum ex illis exequetur præclarè; etiam si cum aquila ingenij acumine comparetur. Eodẽ modo scriptor vnico calamo poterit literas pulchrè exarare, multis autem simul apprehẽsi totam scripturam mendis & turpibus lituris replebit. Quare non sunt omnia reipublicæ munera & officia vni soli deferenda, sed inter multos diuidenda, & cum viris aptis diligenter communicanda. Ac ita quilibet illorum diligenter munus suum conficiens, poterit cum aquila comparari. Et quia aquila cùm pullos suos ex loco ad locum mutat, eos non pedibus instar aliarum auium, sed super dorsum asportat, ne possint lædi sagittis, ideo ferre aliquem super alas aquilarum, est illum solicitè ac diligenter seruare, & ita ducere, vt nullo periculo opprimatur. Id voluit

Deus

A Deus ſignificare, cùm dixit Hebræis Exodi 19. *Vos ipſi vidiſtis quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum.* Aquila ſumitur aliquando pro Deo vt cap. 32. Deuter. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos, & ſuper eos volitans expandit alias ſuas, aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis dominus ſolus dux eius fuit.* Ac de Dei aſcenſu in cœlum intelligit Eucherius prouerbiorum illud capite 30. Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: *viam aquilæ in cœlum, &c.* Sumitur pro quocunque viro ſapientia & pietate præſtanti, vt apud Eſai. 40. *Aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Et apud Matth. 24. *Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Hoc eſt, vbi fuerit Chriſtus, illic erunt viri iuſti & excelſi congregati. Ita Ioan. Chryſoſtomus, Euthymius, & Theophylactus locum illum interpretantur. At Clemens

B Alexandrinus, Stromatum quinto ait, per aquilam capite. 11. Leui prohibitam intelligi rapinam. Et quoniam aquila ad prædam atque rapinam velociter cõcitatur, & volat, ideo pro velocitate in malam partem aliquando, vt hoc loco vſurpatur.

g *Spiritus oris noſtri Chriſtus dominus captus eſt in peccatis noſtris.*) Quidam referunt hoc ad Ioſiam regem, qui vulneratus eſt ab Aegyptiis, & ex illo vulnere poſteà mortuus eſt, vt literæ diuinæ cap. 24. lib. 4. Reg. teſtantur. Rex enim vngi ſolebat oleo: quare Chriſtus, hoc eſt vnctus dicebatur, vt conſtat ex cap. 24. & 26. libro 1 Regum. Sed hoc non poteſt defendi: nam Ioſias non eſt captus ab Aegyptiis, ſed vulneratus in prælio, ex quo euaſit, & poſteà domi ſuæ cauſit diem ſuum: vt ſcriptura teſtatur. Ea ratione ducti alij, hoc referunt ad regem Sedechiam, qui fuit à Babyloniis captus in ſolitudine Iericho, & ad regem Babylonium ductus, vt cap. 25. libro 4. Reg. & Ierem. 52. ſcriptum legimus. At nec hoc ſuſtineri poteſt: nam Ieremias in hac lamentatione loquitur de pio & ſancto rege, quem appellat ſpiritum oris hominum, cuius vmbra viri pietate præcellentes protegũtur: at Sedechias erat improbus, & maleficiis

C alebatur, & ipſum Ieremiam grauiter & iniuſtè afflixerat, & vulnerauerat, vt ex 4. libro Reg. & ex ipſo Ieremia conſtat apertiſſimè. Profectò locus hic intelligitur de Chriſto ſeruatore noſtro, & ita illum explanat Theod. hoc in loco: Auguſt. libro de ciuitate Dei. 18. cap. 33. Euſeb, Cæſarienſis lib. 4. de demonſtratione euangelica, Cypr. in ſymbolum Apoſtolorum, Origines homilia octaua in librum Ioſue, & lib. 2. Periarchon ca. 6. & homilia 3. in Cantica canticorum, Bernardus in ſermone primo de aduentu, & tertio de aſcenſione, & in natiuitate Mariæ de aquæductu, Dionyſius Carthuſianus in Chrenos, Petrus Galatinus libro 8. acanorum capite 10. & alij magni nominis authores. Imò vt ego mihi ſtatuo, de ſolo Chriſto hic locus intelligitur: nam, vbi nos habemus: *Chriſtus Dominus*, in Hebræo eſt, Meſiach Iehouah, hoc eſt, mexias Deus: eſt enim perſpicuum, hoc nomen Iehouah, ſoli Deo conuenire. Quare illud eſt certiſſimum Chriſtum hunc eſſe verum Deum. Iudæi verò hac ratione conuicti multa hoc loco miſcent, tenebraſque offundunt, ne de Chriſto Domino noſtro explanetur. Quemadmodum ſepia videns ſe peti, atrum ſanguinem ſiue fel effundit in aquam, vt eam obſcuret, quò poſſit manus effugere piſcatorũ: ſic illi, vt poſſint euadere apertiſſimas noſtras ac firmiſſimas rationes, omnia volunt tetra caligine cooperire. Aiunt enim nomen Iehouah hoc loco non eſſe in nominatiuo, ſed in genitiuo: quòd eſt apertè falſum, nam ſeptuaginta interpretes natione Hebræi vtraque lingua & Hebræa & Græca eruditi, ſapientia præcellentes, & virtute præſtantes in nominatiuo tranſtulerunt, dicentes: χριστὸς κύριος, hoc eſt, Chriſtus Dominus. Si autem ex Hebræo ad verbum tranſferamus, vertemus: Mexias Deus vel Chriſtus Deus. Et ita vertit R. Samuel in libro de aduentu Mexiæ capite ſeptimo: Idem enim eſt Chriſtus apud Græcos, quod Mexias apud Hebræos. Habemus hîc locum apertiſſimum in vetere teſtamento de Chriſti redemptoris noſtris apprehenſiones, quando in horto fuit propter ſcelera noſtra ligatus, & vinctus. Nec audiendi ſunt, qui illum aliter interpretantur. Deplorans diuinus vates Ieremias his lamentationibus euerſionem Hieroſolymæ per Babylonios, vidit mentis oculis diuino lumine illuſtratis euerſionem futuram per Romanos tẽpore Titi & Veſpaſiani, & perpetuam Iudæorum calamitatem & miſeriam, cuius cauſa fuit nefarium eorum ſcelus in Chriſti morte, & intolerabilis obſtinatio & perfidia. Ac raptus ſpiritu has voces emiſit: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris.* Vocat eum ſpiritum oris ſui, quia prophetæ ſpiritu Dei loquebantur. Vel quia ipſe eſt reſpiratio oris noſtri, quoniam in ipſo viuimus, ſpiritum ducimus, & reſpiramus. Nam vt verbis vtar Diui Pauli Apoſtoli capite 17. Actorum: *Ipſe dat omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia.* Et paulò pòſt: *In ipſo*, inquit, *viuimus mouemur, & ſumus.* De illo dictum eſt Geneſis 2. *Formauit Deus hominẽ de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Fuit Chriſtus captus, qui nos venerat liberatum, fuit vinctus, qui nos venerat ſolutum. Id prædixerat ille Pſalmo 21. *Circumdederunt me canes multi, conſilium malignantium obſedit me.* Et apud Ierem. capite 12. *Dedi animam meam dilectam in manu inimicorum.* Fuit igitur Chriſtus captus & vinctus, & à diſcipulis fugientibus relictus. Dixerat enim Deus pater apud Zach. 13. *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues.* Tunc impletum eſt illud Pſalmo 31. *Conſiderabant ad dexteram, & videbam, & non fuit, qui cognoſceret me.* Impij autem Iudæi eum falſis criminibus ad cædem vocauerunt iuxta illud Pſalmo 93. *Captabunt in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt.* De illius cruciatibus & morte vaticinatus eſt ita cap. 53. Eſaias: *vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Et nos putauimus eum quaſi leproſum, & à Deo percuſſum & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.* Hactenus ille. In crucis ara ſe innocens agnus Chriſtus ſeruator noſter hoſtiam cõſtituit, vt ſanguine ſuo pretioſiſſimo ſcelera noſtra expiaret, gratiámque nobis impertiret. Vt enim aer eadem mutatione lumen recipit, & tenebras depellit, ſic eadem re in animam noſtram & gratia infunditur, & ex ea peccatorum tenebræ expelluntur. Mortuus eſt enim, vt nos viueremus, & cæleſtis Eliſeus ſepultus generi humano mortuo vitam tribuit. Eum adumbrauerat agnus paſchalis immolatus, cuius ſanguis ſeruauit Hebræos eiúſque cætera legis ſacrificia imaginem gerebant. Sed hoc non Iudæis, ſed Chriſtianis eſt perſpectum & exploratum: elegans enim infans Moſes in ſiſcella poſitus legis eſt ſub cortice literæ contentus: quem filia Pharaonis, hoc eſt, eccleſia ex gentibus aperuit & inuenit. Nõ poteſt diuina ſcriptura intelligi, niſi Chriſti mors intelligatur: ea enim eſt *clauis Dauidis, quæ aperit, & nemo claudit.* Cùm Semeius regem Dauidem execraretur, & maledictis vulneraret, dixit Dauid capite 16. libro 2. Reg. *Dimitte eum, vt maledicat iuxta præceptũ Domini ſi forte reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac.* In antiquis exemplaribus aiunt fuiſſe: Si forte reſpiciat Dominus afflictionem ſuam. Ita illud aſſerit Petrus Galatinus li. 1. de arcanis catholicæ veritatis. Victoria in prima

parte

D E F *ſimilitudo*

A parte aduersus Iudæos, & Raimundus in Pugione. Omnes hi aiunt scribas locum hunc cum nonnullis aliis mutasse, vt ex priscis Hebræorum traditionibus constare videtur. Cùm enim non intelligerent fore, vt Deus pateretur, verba illa Dauidis: Si Deus respiciat afflictionem suam, in ipsius Dauidis afflictionẽ commutarunt. At verus Deus Christus redemptor noster afflictus pro nobis fuit & cruci affixus: vbi cœlestis ille pelicanus sanguinem suum fudit, vt nos aleret ad æternitatem. Ipse enim ait psalmo 101. *Similis factus sum pelicano solitudinis.* Ipse ait apud Ioannem decimo: *Animam meam pono pro ouibus meis.* De illo ait Apostolus ad Romanos 5. *Christus, cùm adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est. Secundum tempus*, ait, quia præfinito à patre tempore crucem subiit. Vel ad tempus scilicet triduum. Et in priore ad Corinthios 15. *Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas.* Et hoc loco ait Ieremias: *Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Hoc est propter peccata nostra fuit comprehensus & ligatus à cohorte & ministris pontificum & pharisæorum, vt Ioannes, & cæteri Euangelistæ testantur.

Matt. 26. Matt. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

h *In vmbra tua.* Hoc est, sub refugio tuo. *In gentibus*, id est, inter gentes te Christe sancte recipientes, in te credentes, nomẽque tuum sanctum celebrantes. In Ecclesia enim Christiani omnes tã ex Iudæis quàm ex gentibus congregantur. Viuere seu sedere in alicuius vmbra est sub eius fauore quiescere. Ita Canticorum 2. *Sub vmbra eius quem desideraueram, sedi.* Diuus Ambrosius in Psalm. 36. per vmbram hoc loco crucis vmbram intelligit, vmbram passionis Christi, cuius mors vita est. Itaq; locũ hunc ad Christum refert pro nobis immolatum, in cuius vmbra cum animi securitate & tranquillitate vitã degimus. Quemadmodum conferentes se ad vmbram fraxini illic sunt à serpentibus tuti, quoniam eam non attingunt: sic qui ad fauorem Christi toto animo confugerint, venena pestilentium cupiditatum euitabunt. Eam ob causam dicebat Dauid Psalmo sextodecimo: *Sub vmbra alarum tuarum protege me.* Et Psalmo 56. *In vmbra alarum tuarum sperabo.* In hac vita sumus in vmbra Christi, in altera verò erimus in eius splendore.

B

similitudo

ש i *Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus.* Imperatiuus est comminatorius, vt illud Ecclesiastis 11. *Lætare iuuenis in adolescẽtia tua.* Et illud Amos 4. *Venite in Bethel, & impiè agite.* Et illud Christi ad Iudam: *Quod facis fac citius.* Sensus est: Tu ô Idumæa quæ odio prosequeris Hebræos nunc audito eorum exitio, insultans illis gaudio afficieris. Sed tu quoq; euersa eris & vastata. Ad te veniet dolorum & cladũ calix, quo inebriaberis, & miseria repleberis. Et nudaberis, hoc est, eris bonis omnibus spoliata & destituta. Vaticinatur de Idumæorum pernicie nomine calicis significata: quemadmodum cap. 49. *Ecce quibus non erat iudicium, vt biberent calicem, bibentes bibent.* Vbi calicem vocat afflictionem & mortem. Eodem modo Dauid psalm. 115. *Calicem salutaris accipiam.* Et paulò pòst explicans quid intelligat per calicem: *Pretiosa*, inquit, *in conspectu domini mors sanctorum eius.* Et Christus dominus apud Matt. 20. *Potestis bibere calicem, quem ego biturus sum?* Hic est calix Ioseph inuentus in sacco electi fui Benjamin. Eos enim Christus solet afflictionibus afficere, quos admirabili prosequitur amore. Pro *inebriaberis*, *ac nuda eris*: vertunt quidam: Inebriaberis, & euacuaberis, seu euomes. Hoc est, tot tamque acerbis molestiis repleberis, vt eas non valens sustinere, euomere cogaris. Septuaginta habent: Et effundes. Quod in idem recidit. Paraphrasis Chaldaica per filiam. Edom hoc loco intelligit Romam, cuius exitium per Gotos ait hoc loco significari.

C D

k *Cõpleta est iniquitas tua filia Sion.* Id est, calamitatibus purgata est iniquitas tua ô Hierosolyma. Vel sumitur *iniquitas* pro pœna iniquitatis, vt suprà diximus verba illa huius capitis explanantes, *Maior effecta est iniquitas filiæ populi mei.* In diuinis enim literis sæpe peccatum pro peccati suppliçio accipitur, vt c. 4. Genes. *Nonne si bene egeris, recipi es.* subaudi mercedem: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuũ aderit. Hoc est, mulcta & pœna peccati præstò est. Et paulò pòst eodem capite: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Pro quo alij vertẽdum putant: Maior est pœna mea, quàm vt ea ferre possim. Eodem modo sumitur peccatum cap. 12. lib. 2. Regum, vbi Nathan dixit Dauidi: *Dominus transtulit peccatum tuum in filium, qui tibi natus est: non enim morieris tu, sed ille.* Et cap. 5. Threnorum: *Patres nostri peccauerunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portauimus.* Vnde Paulus in epistola ad Rom. 8. *Et de peccato damnauit peccatum.* Hoc est, Deus pater damnauit mundi peccatum per Christum immolatum pro peccato. Eodem modo cap. 5. posterioris ad Corinthios: *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis fecit peccatum.*

Sup leo.

E

l *Non addet vltrà, vt transmigret te.* Subaudi, pro præteritis flagitiis: non iterum pro iisdem sceleribus te exilij pœna mulctabit.

m *Visitabit iniquitatem tuam filia Edom.* Hoc est, Deus, ô Idumæa, vt seuerus iudex visitabit scelera tua, aperiet, vt manifesta sint, quando eorum dederis pœnas, fueríque afflicta & euersa. Eodem modo cap. 49. *Ego discooperui Esau, reuelaui abscondita eius, & celari no poterit.* Ita clauduntur, Ieremiæ lamentationes, quas ego breuiter explicaui, Timãtem imitatus qui quod exprimere penicillo non poterat, velo contegebat.

F

OBSERVATIONES EX Hebræo in Lamentationem. IIII.

1 Quomodo obscuratum est aurum? *Ita habet etiã paraphrasis Chaldaica. Pagninus verò habet: Quomodo occultatũ est aurũ! Sed idẽ est sensus. Ac verbum* עמם *quod est in Hebræo, vtrunque significat. Eo vtitur Ezech. c. 31. cũ ait:* Cedri non occultarunt illum, vel non obscurarunt illum in horto Dei. *Pro quo clarius Latinus noster interpres transtulit: Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei.*

2 Mutatus est color optimus. *Pro colore est in Hebræo:* כתם *cethem, quod nomen significat aurũ, & signũ, & notã, & colorem. Quare rectè vertit noster interpres. Et rectè etiã Pagninus, qui habet. Mutauit se aurũ optimũ.*

3 Lamiæ nudauerunt mammam. *Pro, lamiæ, in Hebræo est* תנין *tannin, quod nomen draconem significat: vt Exod. 7.* Proiecerunt virgas suas, quæ versæ sunt in dracones. *Hac ratione ducti septuaginta interpretes verterunt:* Δράκοντες, *hoc est, dracones. Chrysostomus Dion in intima Africa feras quasdam esse scribi si vultu muliebri præditas, quæ lamiæ vocantur, atque homines pulchritudine sua ad se alliciunt, captósque crudeliter deuorant.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

A rant. De huiusmodi feris locus hic intelligitur. Sumitur etiam lamia pro venefica, quæ Lusitanè bruxa vocatur. Sed de lamiis differit Philostratus in Apollonio, & Cælius Rhodiginus lib. 16. cap. 4.

4 Rubicundiores ebore antiquo. Pro ebore est in Hebræo עצם quod significat os ossis, vt Gen. 2. Hoc nunc os ex ossibus meis. Et psal. 138. Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto. Hoc est, ne vnum quidem ex ossibus meis te latuit cùm me in ventre matris meæ formares. Et quia ebur est os & dens elephãtis, vertit noster interpres ebur. Significat etiam speciem. Quare Rabbi Dauid Chimhi vertendum putat: Rubicundiores specie plusquam margaritæ. Et Pagninus: Rubicundiores fuerunt aspectu quaã gẽmæ, Nam pro antiquo est in Hebraico מכרנים quod nomen aiũt lapides pretiosos generaliter significare. Quare noster interpres posuit antiquum, hoc est, pretiosum. Alij dicunt, vt Ioannes Reuchlinus refert, præcipuè significare coralia: quam ob causam vertunt: Rubicundiores specie plusquam coralia. Est enim coralium rubicundum: & mirum in modum hæc significatio huic loco conuenire videtur. Nascitur in mari Rubro, & in mari Siculo circa Heliam & Drepanum: sed pretiosius & præstantius inuenitur in mari Oceano septentrionali iuxta Orchadas insulas. Dum est in
B mari, est corpus quoddam molle, sed extractum ex aquis, teste Theophrasto in tractatione de gemmis, lapidescit. Et quia hoc nomen עצם significat quoque corpus, vertit Pagninus in Thesauro: Rubuerunt corpore præ gemmis.

5 Iurgati quippe sunt. Verbum Hebraicum est יצת, quod significat iurgare, iurgio contendere, litem concitare. Qua ratione ductus Latinus noster interpres vertit: Iurgati quippe sunt. Et septuaginta interpretes ὅτι ἀνῳφθησαν, Hoc est, quia succensi sunt. Id est, quoniam irâ commoti sunt. Eodem modo habet translatio Chaldaica. Significat etiam inquinare. Eam ob causam Isidorus Brixianus vertit: Inquinati quippe sunt. Et ita habet Rabbi Menachem. Et Pagninus: Quia inquinati erant. Præterea significat volare & egredi. Ideo potest verti; Quia euolarunt. Siue quia egressi sunt. Hoc verbo vtitur Ieremias
C capite 49. vbi Moabitarum euersionẽ his verbis prædicit: Date florem Moab, qui florens egredietur. Acsi dicat: Dicite esse Moab similem flori, cuius pulchritudo subitò marcescit, & celeriter euanescit, & consumitur. Pro quo paraphrasis Chaldaica habet: Date alteri coronam Moab, quia egrediens egredietur. Vbi Moab est gignendi casus vt sit sensus. Regnum Moab dabitur alteri, & ipsi Moabitæ egredientur à regia dignitate. Potest rectè verti locus ille: Date alam Moab, quia volans volabit. Acsi dicat quemadmodum aues habentes integras alas facilè volant: sic Moabitæ ocyùs quàm cogitant, patriam suam amittent, & ab ea volabunt.

6 Facies domini diuisit eos. Septuaginta interpretes habent πρόσωπον κυρίου ἀυτῶν: Hoc est, facies domini. pars eorum. Hoc est, eos in partes separauit. Quod idem est. Pro facie est in Hebræo פני à verbo פנה, quod significat respicere, & sequi: vt Deuterono. 31. Quia secutus est Deos alienos. Quod potest verti: Quia respexit ad Deos alienos. Vnde פנים numero tantùm plurali idem est quod facies, sic appellata quòd huc atque illuc respiciat. Ac quia ira in facie seu vultu apparet sumitur pro ira, vt psalmo 34. Vultu domini super facientes mala. Hac ratione ducti Xantes Pagninus, & Isidorus Brixianus, & Ioannes Benedictus verterunt: Ira domini diuisit eos. Diuisit autem eos Deus illis iratus, quia ipsi se inter se diuiserunt, & discordiam concitarunt. Si enim amicitia coniuncti essent, permanerent in prospero statu, essentque
similitudo sine dubio egregia quadam gloria cumulati. Vt enim in corpore ex temperatione calidi & frigidi, sicci & humidi optima fit constitutio: sic in ciuitate ex diuersorum hominum concordia admirabilis conflatur firmitudo, rerumque prosperarum abundantia. Id voluit Vespasianus imperator in numo suo significare, vbi sculptæ sunt pulchræ plenæque spicæ ex duabus manibus datis simulque iunctis egredientes ad designandum ex concordia & fide rerum felicium abundantiam dimanare. Id quod Iulius Cæsar significauerat sculpens in numo quodam suo caduceum vnà cum cornucopia. Est enim perspicuum nomine caducei concordiam, nomine verò cornucopiæ rerum prosperarum affluentiam significari. Sed turbulenta Iudæorum dissidia eorum quietem dissiparunt, eósque ex dulci patria eiecerunt. D

7 Lubricauerunt vestigia nostra in itinere plateарum nostrarum. Existimo posuisse Latinum nostrum interpretem lubricauerunt pro insidiati sunt: vt sit sensus: Hostes nostri insidiati sunt vestigiis nostris in mediis plateis nostris: vbi nobis insidias instruxerunt. Pro lubricauerunt est in Hebræo verbum צור, quod significat insidiari & venari, vt Threnorum tertio. Venatione ceperunt me. Et Gen. 27. Cúmque venatu aliquid apprehenderis. Hanc significationem secuti sunt Septuaginta, & modò Pagninus. Rabbi Abraham hunc locum ita explanat: Non venerunt nisi ad venandum nos in plateis E
nostris. Vnde צור significat venationem, & cibum, & lucrum, vt cap. Prouerb. 12. Non inueniet fraudulentus lucrum. Vel, vt alij vertunt, venationem, aut escam.

8 Captus est in peccatis nostris. Septuaginta interpretes habent: Captus est ἐν τοῖς διαφθοραῖς ἡμῶν. Hoc est, in corruptionibus nostris. Quod in idem recidit cum editione vulgata, nam peccatum corruptio est. diaphthora enim corruptionem significat & mortem: peccatum etiam graue mors est. Ita accipitur Psal. decimoseptimo. Præoccupauerunt me laquei mortis. Et Prouerb. 11. Iustitia autem liberabit à morte. Ioan. Benedictus pro, in peccatis nostris: vertendum putat: in retibus eorum. Nec male: nam impij Iudei volentes Christum ligare, ligati sunt, fueruntque propriis retibus illaqueati. De illis dixerat capite octauo Esaias: Erit in laqueum & ruinam habitantibus Hierusalem. Ac si diceret: Christus, qui piis Hebræis vitam tribuet æternam, impios euertet, eo enim illaqueabuntur, & irretientur. Pagninus & Brixianus vertunt: Captus est in foueis eorum. Populus enim Iudaicus foueas Christo fecit, in quas ipse populus infeliciter incidit. iuxta illud psal. 7. Incidit in foueam, quam F
fecit: Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. Et illud psal. 56. Laqueum parauerunt pedibus meis, & incurauerunt animã meam: foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam. Tunc impletum est id, quod Christus psal. 17. prædixerat: Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos. Et psalm. 26. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt. At Christus dominus resurrexit tertia die, & obtinuit nomen, vt Paulus ait ad Philippenses secundo quod est super omne nomen: & sedet ad dexteram patris rex regum, & dominus dominantium, vt capite Apocal. decimonono eum vocat diuus Ioannes. Hoc voluit Deus pater Psalmo 131. his verbis significare: Inimicos eius induam confusione, super ipsum au- Mar. 16.
tem efflorebit sanctificatio mea. Vel, vt diuus Heb. 1.
transtulit Hieronymus. Super ipsum autem florebit diadema eius. Ac si dicat: Nunquam eius regnum marcescet, sed semper erit florens & glorioſum quod æternitas ipsa intuebitur. Itaque quantò magis nefarij Iudæi clarissimum Christi lumen voluerunt extinguere, tantò glorioſiùs illud illustrarunt: sibique æternam memoriam dedecoris reliquerunt. Id aliquo modo illis plerumque accidit, qui viros sapientia & nobilitate præstantes abiiciunt, & virtuti ac gloriæ inuidentes contendunt florem dignitatis eorum infringere,

A gere, nominisque celebritatem obscurare. Sed quemadmodum nonnulla herbæ conculcata altius crescunt: sic vera, clara, & excelsa virtus quantò magis proteritur & abiicitur, tanto altius ascendit, & longius atque illustrius propagatur. Verum est enim tritum illud & laudatũ prouerbium: Virescit vulnere virtus. Nihil enim magis conducit ad eximiæ honestatis gloriam magnificentius illustrandam, quàm calamitas ipsa. Contrà verò, qui magnorum virorum nominis claritati tenebras volucrunt offundere, semper in silentio iacuerunt, propriumque nomen turpi dedecore macularunt. D

similitudo

ORATIO IEREMIÆ.

CAPVT V.

REcordare domine, quid acciderit nobis: b intuere, & respice opprobrium nostrũ. c Hæreditas nostra versa est ad alienos: domus nostræ ad extraneos. d Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ. e Aquam nostram pecunia bibimus: ligna nostra precio cõparauimus. f 2 Ceruicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies. g Ægypto dedimus manum, & Assyriis, vt saturemur pane. h Patres nostri peccauerunt, & non sunt: & nos iniquitates eorum portauimus: i Serui dominati sunt nostri, nõ fuit, qui redimeret de manu eorum. k In animabus nostris afferebamus panem nobis, à facie gladij in deserto. l pellis nostra quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis. m Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda: n Principes manu suspensi sunt, facies senum non erubuerunt. E

B

EXPLANATIO.

2 *Recordare domine.* Postquam diuinus vates Ieremias 4. superioribus capitibus affectuũ plenissimis, deplorauit lamentabilibus vocibus miserabilẽ Hierosolymæ calamitatem & euersionem, nũc se ad suspiria piásq; preces conuertit, tanquã ad excellens refugiũ: quo possit diuinũ numen Hebræorum scelere violatum placare ac lenire. Vt corpus nisi respiret, similitudo viuere nequit: sic anima afflicta vt mœrore leuetur, suspiria ad Deum cum precibus copulata effundit. Primò exponit beatus Ieremias Israelitici populi ærumnas, deinde diuinã implorat misericordiã. Ait igitur. *Recordare domine, quid acciderit nobis.* Hoc est, memoriã tene Deus sancte, quæ vulnera, quam calamitatẽ & mortiferã plagã inflixerint nobis Babylonij, qui de nostro interitu, & huius verbis exitio cogitarũt. Loquitur sub persona totius populi Iudaici, non singula verba ad singulos referens, sed diuersa ad diuersos. In summo, simplicissimo, sapientissimo ac inuariabili Deo nec obliuio propriè esse potest, nec recordatio. Sed per similitudinẽ quandã ei more humano attribuuntur. Ita Dauid Psal. 12. *Vsquequo domine obliuiscēris me in finem?* Et Psalmo quadragesimotertio. *Quare faciem tuam auertis, obliuiscēris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ:* Et Iob c. 14. *Et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei.* Et Ier. 18. *Recordare, quòd steterim in conspectu tuo.* C

b *Intuere & respice opprobrium nostrum.* Nimirũ oculis tuæ clementiæ. Confert se ad portum diuinæ misericordiæ, cõstituens remediũ miseriarũ suarum in piis Dei oculis, quibus ille ad eos respicit, qui ad ipsum confugiunt in gemitibus, & lamẽtis, & molestiis versati. Sumitur enim aspicere hoc loco misereri, quẽadmodũ psal. 118. *Aspice in me, & miserere mei:* Et 137. *Excelsus dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Acsi dicat: Humiliũ miseretur Deus superbos autẽ contẽnit. Vel, vt quidam vertunt, & alta è longinquo frangit. Hoc est, ex cœlo cõterit homines insolentes & arrogantes. Vnde auertere faciem illamq; abscondere est irã ostendere: vt psal. 26. *Ne auertas faciẽ tuam à me.* Et c. Esaiæ. 64. *Abscondisti faciem tuam à nobis.* Videre autem & intueri est misericordiam ostendere, vt Thre. 1. *Vide domine, quoniã tribulor.* Et hoc loco. *Intuere & respice opprobriũ nostrũ.* Vnde psalm. 78. *Facti sumus opproprium vicinis nostris, subsannatio & illusio his, qui in circuitu nostro sunt.*

c *Hæreditas nostra versa est ad alienos.* Hoc est, Iudæa maioribus nostris diuinis data, deuoluta est modò ad Babylonios hostes nostros, qui eam vastarunt, & nos spoliauerunt. Quos alienos vocauit, statim vocat extraneos. Alieni dicuntur, nõ solum qui nõ sunt ex eodẽ genere, & eadem natione, sed qui sunt scelleribus contaminati, qui moribus & vita sunt à Dei lege abducti. In hanc significationem sumuntur ab Esai. 25. de euersione Hierosolymæ ita vaticinãte: *Posuisti ciuitatem in tumultum, vrbem fortem in ruinã, domum alienorum, vt non sit ciuitas.* Hoc est, tu Deus ex vrbe munita facies domũ Babyloniorum, qui & fide & actionibus sunt ab institutis tuis separati. Nam pro *alienorum* vertũt septuaginta interpretes ἀσεβῶν, hoc est impiorũ. Possunt hæc Ieremię verba de secũda expugnatione intelligi, quando Hierosolyma fuit per Romanos euersa. De qua dixerat Dominus Iesus Iudęis apud Matth. 23. *Ecce relinquetur vobis dominus vestra deserta.* Hæc est vinea illis quondã locata, quã ob Christi filij Dei mortem amiserunt, quemadmodũ ipse apud Matt. 21. prædixerat. Romani enim florentissimã quondam vrbẽ variis lamentabilibúsq; calamitatibus afflixerunt, illãq; cædibus crudelissimis, & sanguine passim profuso deformauerunt, & templũ admirabili religione consecratum flagitiis detestabilibus violarunt. Potest hoc intelligi de diuina lege ad gentes translata, quæ fidem receperũt: ex qua Iudæi nihil habent præter occidentem literam. Nos autem qui à gentilitate idolorũ quondam cultrice originẽ ducimus, diuinam legem habemus, ea erudimur, eiq; operam studiúmq; nauamus. Est enim diuina lex thesaurus admirabilis, quo Iudæis sunt spoliati. Illud psal. 18. *Iustitiæ domini rectæ:* potest etiã verti: Thesauri domini, seu opes domini rectæ, Dei enim præcepta & institutiones diuitiæ sunt, & admirabiles thesauri, quibus animus amplificatur, & diues efficitur. Dicũtur autem iustitiæ domini rectæ & iustæ, quia à Deo sunt recto iudice, eósque rectos efficiunt, qui eas amplexantur. His opibus carent infelices Iudæi, hac etiam in re infeliciores, quia infelicitatem hanc suam haudquaquam intelligunt. Vt qui priuatione sensus oculorum laborant, nulla gemmarum splendidarum pulchritudine mouentur: sic obstinati Iudæi animo F

similitudo

A cæco, tenebrisque circumfuso splendorem veritatis radios in mentes sapientium mittentis non vident. Excæcauit enim eos, vt sapiens ait, *malitia eorum*. Et quemadmodum qui se longè conferunt, si semel arrepto itinere contrario aberrauerint, quò longiùs processerint, non magis eò tendunt, quo volunt, quã recedunt, atq; fugiunt: sic illi sumpto errore in principio cùm asserunt rectè fecisse, cum Christum Iesum ad cædem crudelissimam vocarunt, quò magis ad veritatem existimant accedere, eò diuersius ab illa separantur.

Sap. 2 similitudo

d *Pupilli facti sumus*. Non solùm sine patribus in bello occisis, sed Dei consolatione destituti.

e *Aquam nostram*. Tam acerba tyrannide nos opprimunt hostes nostri, vt nec aquam nostram, nec ligna nobis dent, nisi ea pecunia emamus.

f *Cervicibus nostris minabamur*. Minantur nobis inimici ceruicum percussionem: qualibet occasione periculum nobis capitis ostentant. His verbis immanitatem suam Babylonij declarabant. Si vis aspicere, qualis sit liquor in vase inclusus, aperis os eius: ita si vis videre, quid sit in hominis animo, audi illum loqui. Verissimum est seruatoris nostri illud: *Ex abundantia cordis os loquitur*. Id Ieremiæ quidam vertendum existimant: Ceruicibus nostris impositũ est iugum. Potest verti: Ceruicibus nostris ducebamur. Vt

similitudo Matt. 12. Luc. 6.

B sit sensus: Hostes nostri nos funibus collo ligatis captiuos ducebãt: Minare enim idem est quod ducere. Et hic est germanus sensus.

g *Aegypto dedimus manum & Assyriis*. Hoc est, cùm abiecti essemus in terra prostrati, auxilium postulauimus extẽdentes manus ad Aegyptios & Assyrios, vt ipsi nos suis erigerent, nobisq; opem & præsidium ferrent. Idem est extendere manũ, vt psal. 87. *Extendi ad te manus meas*. Ille etiam qui adiuuat, manum dicitur dare. Hinc apud Vergil. clamat ad Aeneam Palinurus: Da dextram misero, & tecũ me tolle per vndas. Id voluit imperator Antoninus in numo quo dam significare, in quo est pietas sculpta, habens dexteram extensam, & ad adiuuandũ porrectã. Et Dauid psal. 64. Deum alloquens: *Tenuisti*, inquit, *manũ dexteram meam*. Sed quia manus significat seruitutem, vt Exod. 14. *Liberauit dominus in die illa Israelem de manu Aegyptiorum*: potest esse sensus: Aegyptiis ac Assyriis promisimus seruitutem ac obedientiam. Cum

Deut. 10. 2. Reg. 5.

arca Dei, in qua fuit diuina lex, esset ad Philistæos translata, cecidit idolum Dagon, fueruntque manus eius confractæ: quia futurum erat, vt cùm euangelica doctrina esset ad gentes propagata, caderẽt idola, eisque obedientia frangeretur. Præterea dare manus idem est quod fœdus sancire, vt ca. 10. li. 4. Regnum *Da mihi manum tuam: qui dedit ei manum*. Et 17. *Ecce dedit manum suam*. Quare potest esse huius Ieremiæ

C loci sensus: Fœdus cum illis fecimus, & societatem contrauimus.

h *Patres nostri peccauerunt, & non sunt*. Maiores nostri admiserunt flagitia, & iam excesserũt ex vita, nos autem pœnas scelerum eorum persoluimus. Idem voluit Deus cap. 20. Exod. significare, cùm dixit populo Israelitico: *Ego sum dominus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me*. Id asseritur etiam ca. 34. Exod. & 32. Ieremiæ. Et 4. Reg. 24. scriptum est fuisse Hierosolymam euersam propter peccata Manasse, qui multò antea è vita migrauerat. Sed oritur hinc quæstio: nam cap. 14. lib. 4. Reg. & 25. 2. Paralipomenon, & Ezech. 18. scriptum legimus, nec filium dare pœnas scelerum patris, nec patrem filij. At solues hanc quæstionem, si dixeris, supplicium dupliciter considerari, primò sub ratione supplicij pro scelere, deinde sub ratione medicinæ. Primo modo sumptum non infligitur nisi peccato, vt æqualitas D iustitiæ compensetur. Et ita intelliguntur authoritates asserentes neminem pro alio mulctari. Supplicium autem, vt est medicina, infligitur aliquando innocentibus, vt præseruet à flagitio, & virtutem tueatur. Et ita intelliguntur loca ostendentia, filios aliquando pro parentum peccatis mulctari. Sed tunc nec in spiritualibus, nec in æternis, vt diuus ait Augustinus quæst. 8. in Iosue sed in temporalibus & corporalibus puniuntur. Nisi filij scelera maiorum imitentur: tunc enim & in corpore & in animo castigantur. Id videntur innuere Dei verba cap. 20. Exodi mandata: *Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me*: Vbi verba hæc: *qui oderunt me*: intelliguntur de filiis, qui maiorum maleficia imitantes Deum odio prosequuntur. Qui autem à parentem maleficiis abhorrent, non debent iuxta Ezechielis sententiam propter illa puniri. Ita hoc Augustinus in tractatione cõtra Donatistas post collationem ca. 7. & in quæstionibus in Deut. quæst. 42. interpretatur.

i *Serui dominati sunt nostri*. Hoc est, serui Babyloniorum. Vel hoc dicit propter Moabitas & Idumæos qui quondam seruierant Iudæis, & in bello illo fuerunt cum Babyloniis coniuncti: Intolerandum quippe est videre seruum dominatum obtinere, clauumq; E reipublicæ tractare. Hinc Salomon Prouer. 30. *Per tria mouetur terra, & quartum, quod non potest sustinere*: per seruum cùm regnauerit, &c. Acsi dicat: Propter tria mala stomachantur homines, & propter quartum se non possunt ab ira temperare. Primũ est videre seruum regnantem. Et capite. 10. Eccl. Et *manum*, inquit, *quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis, positum stultum in dignitate sublimi: & diuites sedere deorsum. Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram quasi seruos*.

k *In manibus nostris afferebamus panem nostrum à facie gladij in deserto*. Id est, cum periculo vitæ nostræ fugientes è ciuitate per solitudinẽ à facie gladij Babyloniorum asportabamus escas ad comedendum. Cùm enim se in fugam conferrent portãtes victum, seipsos periculis obiiciebant. Vel in animabus nostris, hoc est, iumentis nostris. Sumitur anima pro iumento & quacunque bestia, vt Iacobus Vitodurensis in libro troporum ac schematum ait. In hanc significationem accipitur Genes. 1. *Producat terra animam viuentem*, hoc est, pecora & iumenta, & cætera animalia rationis expertia. Ita Laurentius Villauicentius in phrasibus interpretatur: & multò ante illũ eodem modo locum illum explanauit magnus Basilius in opificio dierum, ac Iunilius, & Seuerianus in Genesim. etiam intelligi potest Gene. illud cap. 12. *Tulitq; Abraham vniuersam substantiam, quam possederant, & animas, quas fecerant in Haran*. F

l *Pellis nostra exusta est*. Hoc est, igne calamitatis combusta, & instar clibani nigrore affecta, & fame disficata. Ita Iob 9. *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum*.

m *Mulieres in Sion humiliauerunt*. Nimirum Babylonij eas obscœna voluptate violantes. Id prædixerat Deus Iudæis, si eius legem violarent, ca. 28. Deut. *Vxorem accipies, & alius dormiet cum ea*. Et paulò pòst: *Filij tui, & filiæ tuæ tradentur alteri populo videntibus oculis tuis*.

n *Principes manu suspensi sunt*. Sensus est: Qui generis nobilitate præstabant, & principatum obtinebãt, fuerunt manu hostium patibulis affixi, & strangulati. Babylonij enim illi nec magnatibus parcebant, nec senes venerabantur.

OB-

A D

OBSERVATIONES ex Hebræo in

CAPVT V.

1 Aquam noſtram pecunia bibimus. *Quidam vertunt: Aquas noſtras. Sed parum refert, idem enim manet ſenſus: & vtraque translatio vera eſt. In Hebraico enim eſt* מים, *quod nomen ſemper in plurali reperitur: ſed aliquando in ſingulari vertitur, aliquando in plurali. Lingua autem Hebræa nunquam eo vtitur, niſi in plurali ob duplicem aquam, ſuperiorem ſcilicet & inferiorem, quas diuidit firmamentum, vt 1. Gen. cap. ſacra ſcriptura commemorat. Vnde cœlum dicitur* שמים *xamaim, quod ibi aquæ ſint, iuxta Rabbi Ioſi ſententiam, quam multi ſequũtur. Cap. Num. 24. vbi bis eodem verſu eſt hoc nomen, priore loco vertit Hieron. aquam, poſteriore aquas. Ita enim ait Balaam:* Fluet aqua de ſitula eius, & ſemen
B illius in aquas multas. *Hoc eſt, erit populus Iſraeliticus fœcundus, & ſemen eius magnum accipiet incrementum, inſtar arborum iuxta ductus aquarum & fluminum deriuationes. Erit felix, rebúſque omnibus ad vitam neceſſariis abundabit. Situla eſt inſtrumentum hauriendi aquam ex puteo, éamque effundendi. At ſeptuaginta interpretes totam hanc orationem ad Chriſtum referunt: ita enim habent:* ἐξελεύσεται ἄνθρωπος ἀπὸ σπέρματος αὐτοῦ, καὶ κυριεύσει ἐθνῶν πολλῶν. *Hoc eſt, exibit homo ex ſemine eius, & dominabitur gentibus multis. Ac ſi dicat: Chriſtus ſecundum carnem genus ſuum ducet ex Iſraele, erítque gentium dominus. Vnde ei dicit pſal. 2. cœleſtis pater:* Pete à me, & dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. *Onchelus etiam Chaldaicus paraphraſtes hoc de Chriſto his verbis interpretatur. Creſcet rex, qui vngetur de filijs ſuis, & dominabitur populorum multorum. Vbi priore loco, nomine aquæ ſignificatur Chriſtus, poſteriore autem nomine aquarum gentium multitudo. Eodem vocabulo vtitur Salom. Can. 8. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatẽ. Id eſt, ingentes calamitates non valebunt vim diuinæ amoris reſtinguere & delere. Et Amos 9.* Qui vocat aquas maris, effundit eas ſuper faciem terræ. *Ac ſi dicat: Deus vocat ſurſum ad aerem aquas maris verſas in vapores ſolis calore, qui in eam aeris regionem aſcendunt vbi concreſcunt in nubes, quæ in vmbres mutatæ ſuper terram effunduntur. Et Eſai. 48. Et de aquis Iudæ exiſtis. Hoc eſt, vos ò Iudæi, qui ex Iuda tanquam ex fonte diuinaſtis. De variis aquæ ſignificationibus vide Anobium in pſal. 22. & 32. & 73. Cyrillum de incarnatione vnigeniti 26. Cypria. epiſt. 13. Gregorium Nyſſenũ de vita Moſis.*

2 Ceruicibus noſtris minabamur. *Pro minabamur eſt in Hebræo vẽrbum* רדף *radhaph, pro quo cap. 5, Threnorum Hieronymus vertit percutere: Operuiſti in furore, & percuſſiſti nos. Quare poterat vertĩ locus hic ceruic. noſtris percutiebamur. Vel, ceruicibus noſtris paſſi ſumus perſecutionem. Significat enim verbum hoc perſequi, vt pſal. 142. Quia perſecutus eſt inimicus* E *animam meam. Et cap. Ezech. 35. vbi Deus ait Idumæorum populo:* Sanguini tradam te, & ſanguis te perſequetur. *Hoc eſt, tradam te occiſori, qui te perſequatur. Vel tradam te populo Iſraelitico, qui te affligat. Erant enim Idumæi & Hebræi ex eodem ſanguine, quoniam genus ducebant ab Iſaac, Idumæi per Eſau, Hebræi per Iacob. Hac ratione ductus Pagninus in Theſauro vertit hunc locum: Super ceruices noſtras perſecutionem paſſi ſumus. Et eodem modo Septuaginta: Super collum noſtrum perſecutionem toleravimus.*

C

a Adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt: b & pueri in ligno corruerunt. c Senes defecerunt de portis, iuuenes de choro pſallentium. d Defecit gaudium cordis noſtri: verſus eſt in luctum chorus noſter. e Cecidit corona capitis noſtri: væ nobis quia peccauimus. f Propterea mœſtum factum eſt in dolore cor noſtrum, ideo g contenebrati ſunt oculi noſtri. Propter montem Sion quia diſperiit, h vulpes ambulauerunt in eo. i Tu autem domine in æternum permanebis: ſolium tuum in
F generationem & generationem. k Quare in perpetuum obliuiſceris noſtri derelinquens nos in longitudine dierum? l Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: m innoua dies noſtros, ſicut à principio. n Sed proiiciens repuliſti nos iratus es contra nos vehementer.

a *Adoleſcentibus impudicè.* Loquitur de peccato turpiſſimo contra naturam. Poteſt tamen verti hęc oratio: Adoleſcentib. ad molas vſi ſunt: vt eas ſcilicet agitarent. *Senſus eſt:* Hoſtes noſtri Babylonij adoleſcentes Hieroſolymæ detrudebant ad priſtinum, vbi frumentum mola truſatili tundebatur. Erat quippe illud infimum officium: iuxta illud Exod. 11. *A primogenito Phæraonis, qui ſedet in ſolio eius, vſque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt ad molam.* Vnde Eſaias ad ignominiam & vile munus explicandum: *Tolle,* inquit, *molam & mole farinam.*

b *Et pueri in ligno.* Id eſt, & pueros vſque adeò onerauerunt lignis, vt deficientibus viribus ſub illis corruerent. Sed quia locutus fuerat de mola, fortaſſe per lignum intelligit manubrium ligneum, quo voluitur priſtini mola. Vel ita: pueri in cunis ligneis occidebantur.

c *Senes defecerunt de portis.* Id eſt, non ferebant ſententiam: publica non exercebant iudicia, quę in portis vrbis fieri ſolebant: vt Deut. 17. *Et iudicium intra portas tuas videris.* Et 22. *Ad ſeniores vrbis, qui in porta ſunt.* Et Amos quinto. *Conſtituite in porta iudicium.*

d *Defecit gaudium cordis noſtri.* Iuxta id quod dixit Deus per diuinum vatem Amos 8. *Conuertam feſtinitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum.* Et Iob ait cap. 30. *Verſa eſt in luctum cithara mea & organum meum in vocem flentium.*

e *Cecidit corona capitis noſtri.* Hoc eſt, ruit regnum noſtrum: & fuit ablatum à capite noſtro, hoc eſt, à rege Sedechia: tritum eſt enim per caput regẽ ſignificari. ſumitur corona pro regno, quod ſit regũ geſtamen, dicta, vt nõnulli aiunt, à cornu, quod pro regno in literis diuinis inuenitur: 1. Reg. 2. *Sublimabit cornu Chriſti ſui.* Et Lucæ 1. *Erexit cornu ſalutis in domo Dauid pueri ſui.* Vel accipitur corona pro honore, vt cap. 19. Iob: *Spoliauit me gloria mea, abſtulit coronam de capite meo.* Et Ieremiæ 13. *Deſcendet de capite veſtro*

A *veſtro corona gloriæ.* Vel ſumitur pro filiis: iuxta illud Prouerb. 17. *Corona ſenum ſunt filij filiorum.* accipitur hic corona pro diuitiarum abundantia, vt Prouer. 14. *Corona ſapientium diuitiæ eorum.* Hæ autem amittunt, *ſimilitudo* & facilè euaneſcunt. Vt aqua manibus hauſta quanto magis premitur, tanto citius elabitur: ſic mundi diuitiæ quanto tenacius reſtringũtur, tanto procliuius labuntur. Sed quia Ieremias ait: *Cecidit corona*, exiſtimo eſſe hoc de templo Hieroſolymæ intelligendũ quod fuit euerſum in expugnatione Hieroſolymæ per Babylonios.

f *Propterea mœſtum.* Iuſti & impij corda habebant mœrore confecta: ſed hoc erat inter eos diſcrimen & interiectum interuallum: quòd qui erant nefariis ſceleribus polluti. turbulentis perturbationibus conniabantur: viri autem iuſtitia ac pietate cæteríſque virtutibus tanquam mœnibus ſepti, in mediis ærumnis quiete, animíque ſecuritate gaudebant. Id ſentiens Dauid in calamitatibus verſatus: *Super aquam*, inquit, *Pſal. 22.* *refectionis educauit me, animam meam conuertit.* Quod poteſt ex Hebræo ita transferri: Ad aquas tranquillitatis adduxit me, animum meum ſedatum reddidit.

B Non ait: Ad aquas torrentis, quæ raptim ac turbulenter fluunt, ſed ad aquas lenes & tranquillas quietè defluentes. Qui legem Dei violant, ſunt perturbati: qui verò illam ſeruant, quieti. Illud pſal. 18. *Lex Domini immaculata conuertens animas*: poteſt ex Hebræo verti: Lex Domini perfecta tranquillas reddit animas. Vel ita: Philoſophia diuina omnibus numeris abſoluta animos quietos efficit.

g *Contenebrati ſunt oculi noſtri.* Hoc eſt, fuerunt ob nimias vigilias, & calamitates & lachrymarum multitudinem tenebris circunfuſi.

h *Vulpes ambulauerunt in eo.* Tanquam in ſolitudine. Vnde Michæas tertio: *Sion quaſi ager arabitur: & Hieruſalem quaſi aceruus lapidum erit.* Poteris per *vulpes* homines intelligere verſutos & malitioſos. In hanc ſignificationem aiunt ſumi Lucæ 9. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Cyrillus *vulpes* loco illo & *volucres* vocat malitioſas & aſtutas dæmonum poteſtates. Quaſi Chriſtus dicat: Cùm vulpes C & volatilia in re habitent, quomodo ego in te requieſcam? Nulla eſt enim inter lucem & tenebras ſocietas.

i *Tu autem Domine in æternum permanebis.* Senſus eſt: Periit ac euerſa eſt Hieroſolyma, quia mutabilis erat, & corruptioni ſubiecta: Tu autem Domine nũquam peribis: quin potius idem in omni æternitate permanebis. Idem cecinit diuinus atque regius vates pſal. 101. *Tu autem Domine in æternum permanes & memoriale tuum in generatione & generationem.* Et iterum: *Ipſi peribũt, tu autem permanes.* Et paulò pòſt, *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Docet hic locus omnia eſſe mutabilia præter Deum: qui Exodi ca. 3. *Ego*, inquit, *ſum, qui ſum.* Et apud Malachiã 3. *Ego Dominus, & non mutor.* Quare eum ſumus amore ſummo amplexuri, qui nunquam mutatur: non mundi ludibria, non terræ opes & vanitates, non ſeculi gloriam vanam & in caſu ſitam, non ea denique, ad quæ impij auiditate nefaria aſpirant, quæ mutantur, & conſumuntur. Ad id nos excitat diuus Ioan. cùm ait cap. 2. epiſtolæ ſuæ 1. *Nolite diligere mundũ, nec ea, quæ in mundo ſunt.* Et reddens paulò pòſt huius rei rationem: *Mundus*, inquit, *tranſit, & concupiſcentia eius. Præterit mundus, prætereunt regna eius: Dei verò regnum regnum ſempiternum eſt.* Id voluit hic Ieremias ſignificare, cùm dixit: *Solium tuum in generatione & generationem.* Solium enim Dei thronus eius eſt, & ſedes diuini numinis regia, quæ vigebit memoria omnium ſeculorum, quam ipſa æternitas ſempiternitate obtinebit. Id animo percipiens Dauid pſalmo D 44. *Sedes tua Deus*, inquit, *in ſeculum ſeculi.* Quibus verbis pronuntiat regnum Chriſti ſempiternum fore. Id quod poſteà dixit angelus: *Et regni eius non erit finis.* Intelligi autem verſum illum pſalmographi de Chriſto indicat D. Paulus ca. 1. epiſtolæ ad Hebræos: *Vbi aſpicis Chriſti diuinitatem, eum enim Dauid apertè Deum vocat, cùm ait: Sedes tua ô Deus in ſeculum ſeculi.* *Luc. 1.*

k *Quare in perpetuum obliuiſceris noſtri?* Ex his verbis conſtare videtur, non ſolùm ad præſentem illam vaſtitatem per Babylonios quem finem habuit reſpexiſſe Ieremiam, ſed ad futuram etiam per Romanos nullum finem habituram.

l *Conuerte nos domine ad te.* Nimirum gratia præueniente, & diuina inſpiratione, & mediis, quibus ad te homines trahis, & ad gratiam gratum facientem perducis. Sequitur: *Et conuertemur.* Non enim poterimus ad ipſum conuerti, niſi ipſe nos converterit. Qui eſt mortiferis labibus pollutus, auerſus à Deo eſt: ad quem ſine diuino auxilio conuerti nequaquam poteſt. Eſt enim perſpicuum neminem poſſe de condigno mereri gratiam, & à peccato mortifero ad illam reſurgere, niſi per Deum. Id vult hoc loco Ieremias ſignificare. Et capite trigeſimoprimo, E vbi ait: *Conuerte me Domine, & conuertar, quia tu Domine Deus meus.* Et Dauid pſalmo ſeptuageſimo ſeptimo: *Spiritus vadens, & non rediens.* Hoc eſt, gratia per flagitium mortiferum amittitur, ſed humanis viribus non reuertitur. Vt qui culpa ſua in profundũ ac irremeabilem lacum ruit, non poteſt per ſe aſcendere, & extrahi, ſed opus eſt alicuius auxilio: ſic, qui ſe in peſtilens præcipitat ſcelus, nequit inde niſi diuina ope adiutus ad Dei gratiam reuocari. Ideò Dauid pſalmo 88. *Conuerte nos*, inquit, *Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis.* Et pſalmo ſeptuageſimo. *Deus conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.* E ipſe Deus apud Oſeam decimo: *Perditio tua Iſrael, tãtummodo in me auxilium tuum.* Vnde ſpõſa Canticorum primo: *Trahe*, inquit, *me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Et apoſtolus capite quintodecimo prioris ad Corinthios: *Gratia Dei ſum id, quod ſum.* Et Chriſtus ſeruator noſter apud F Ioannem ſexto: *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum.* Et quintodecimo. *Sine me nihil poteſtis facere.* Id intuebatur Salomon, qui capite Prouerb. 2. loquens de via iniquitatis ait: *Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur.* Quod intelligitur, niſi per Dei gratiam conuertantur. Ob eã cauſam ouis quæ errauerat, vt Chriſtus ait apud Luc. 15. fuit ad gregem humeris pij cœleſtíſque paſtoris reducta. Ipſe eſt *lux mundi*, ſiue cuius lumine non poſſumus gratiã gratum faciẽtem adipiſci. Vt ſol quod in *ſimilitudo* ſe eſt, lunã ſpiẽdore ſuo illuſtrat, niſi ipſa ſe in vmbrã terræ immiſerit, propter terræ interpoſitionem inter ſeipſam & ſolẽ: ſic Chriſtus dominus nos illuminat gratia ſua: ſi autẽ nos non illuminamur, non eſt eius culpæ attribuendũ, qui lux eſt & ſol iuſtitiæ, ſed nobis, qui vmbrã quærimus, & eo contẽpto rerũ terrenarũ amore flagramus. Et quia ad impij iuſtificationem exigitur liberum arbitrium, ait Deus apud Zachariam 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Diſponimur enim ad gratiam eidem liberẽ aſſentiẽdo, & cooperando, & inſpirationem Dei recipiendo, quippe qui illam poſſumus abiicere. Itaque cùm dicitur in ſacris literis: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*: Libertatis noſtræ admonemur Cùm autem dicitur: *conuerte nos domine ad te, & conuertemur*: Dei nos gratia præueniri confitemur. Si autem in gratia & virtutibus perſeueramus, decimum numerum quo ſignificatur perfectio, adipiſcimur.

Nu-

A Numerus enim ab vnitate incipit, & in decimo absoluitur. Id videtur diuina scriptura innuere, cùm
Exo. 22. Num. 15. ait, & primitias & decimas Dei esse: ab ipso enim est, cùm ad bonum primò surgimus, & cùm vsque ad finem perseueramus. Tu autem aduerte: Non ait Ie-
Ieni. 27. remias: *Conuerte me solùm ad te*: sed *conuerte nos domine ad te*. Cain dicebat Genesis quarto. *Nunquid custos fratris mei ego sum?* At diuinus noster vates omnium salutem cupiebat. Qui aliorum bonum contemnit, non solùm est similis Caino, sed hac in re diuite in inferis sepulto pestilentior. Ille enim dixit Abrahæ:
Luc. 16. *Rogo te, vt mittas Lazarum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, &c.* Andreas non contentus propria salute, duxit Petrum ad Iesum, &
Ioann. 1. Philippus Nathanaelem. Vt sic cortina trahat cor-
Ioan. 1. Exod. 26. Luc. 10. Luc. 22. tinam: &, vt Ioannes ait Apocalypsis vigesimo secundo: *qui audit: Dicat: Veni.* Vnde discipuli bini mittuntur apud Lucam decimo: Et in lege pro primogenito par turturum offerebant, aut duos pullos columbarum. Vbi numero pari charitas designatur. Ea
Gene. 6. præditus Ieremias dicebat: *Conuerte nos domine ad te, & conuertemur.* Ad eum debemus conuerti, & confugere, in quo est salus nostra constituta, qui nos in vulnus lateris sui intromittet, qui in calamitatum eleuione est arca Noe, in cuius latere deorsum fuit ostium. Ac non sine mysterio ait fuisse deorsum, quia cum in Christo sint duæ naturæ, diuina & humana, in humana vulneratus est. De hoc ostio ait D
cap. 4. Apocalypsis diuus Ioannes: *Ecce ostium apertum in cœlo.*

m *Innoua dies nostros sicut à principio.* Id est, instaura dies nostros, & da nobis tempora prospera & felicia, vt olim. Prosequere nos fauore tuo, quemadmodum faciebas, cùm maiores nostros quondam libera-
Exod. 14. Iosue. 4. sti à dura Aegyptiorum seruitute tempore Mosis, & in terra promissa collocasti tempore Iosue. Desiderabat Ieremias antiquorum temporum prosperitatem, quemadmodum Iob, cùm dicebat cap. 29. *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me: quando splendebat lucerna eius super caput meum.* Hoc est, quãdo me fauore suo prosequebatur.

n *Sed proiiciens repulisti nos.* Id est, iustè nos relinquens in exilium & Babylonicam seruitutem eiecisti: quia te flagitiis nostris ad iram & supplicium mirum in modum prouocauimus. Perpend. Non ait: Repulisti me: sed *repulisti nos.* Non propriam tantũ, sed communem deplorat calamitatem: proximos enim sicut seipsum ordinato amore diligebat, iuxta illud Canticorum secundo, *Ordinauit in me charitatem.* E
Quod etiam potest verti. Vexillauit, vt ita dicam, me charitate. Acsi dicat: Charitate sua me Deus ad se traxit tanquam vexillo, quo in bello milites ad Ducem ducuntur.

ANNOTATIO.

B 1 Adolescentibus impudicè abusi sunt. *Pro adolescentibus est in Hebraico: בחורים, quod nomen & adolescentes significat, & electos. Priorem significationem secutus est Latinus noster interpres, alteram Septuaginta, qui habent: Electi fletum assumpserunt. Hoc est, viri nobiles & magnates vim lachrymarum profuderunt. Pagninus habet: Iuuenes ad molendum tulerunt. Brixianus: Adolescentes ad molendum rapuerunt. Sed quia interpres noster per molere & contundere actum obscœnum intellexit, posuit: Adolescentibus abusi sunt. Nam ca. 31. Iob, vbi nos habemus:* Scortum alterius sit vxor mea: *est in Hebræo: Molat alteri vxor mea.*

2 Propterea mœstum factum est in dolore cor nostrum. *Particula, in dolore, nec est in Hebraico, neque in Græco: sed est in vulgata nostra editione ad maiorem literæ explicationem. Pro corde est in Hebræo* לב, *quæ vox & cor significat & medium, quòd cor sit in medio corporis situm: vt Ionæ 2.* Proiecisti me in profundum in corde maris. *Accipitur pro voluntate, vt Cant. 3.* Vulnerasti cor meum soror mea sponsa. *Quod potest etiam verti: Rapuisti cor meum: siue abstulisti, siue vt alij transferunt: Transfixisti cor meum. Alloquitur Deus more humano* C *animam sibi deuotam, quam admirabili amore prosequitur. Et Cant. 8.* Pone me vt signaculum super cor tuũ. *Vbi pro signaculo est in Hebræo* חותם *chotam, quod nomen significat sigillum & annulum: solebant enim veteres in annuli gemma sigillum ferre: & quoniam annulo sigillum imprimebant, idem vocabulum vtrunque significat. Eo vtitur Iere. ca. 22. cùm ait:* Si fuerit Iechonias filius Ioacim annulus in manu dextera mea. *Et Salomon hoc loco, vbi pro signaculo poteris rectè vertere sigillum, aut annulum sigilli. Est enim sensus: Quemadmodum in digito est annulus, ita sim ego in corde tuo. Vt digitus sigillum imprimit annulo, ita cor tuum mecum, nihil animo cogitas, quod non sit sigillo diuini consilij sigillatum.* Nec solum me debes in corde, *hoc est, in cogitationibus portare, sed etiam in brachio, hoc est, in operibus nomine enim cordis cogitationes seususque reconditi, nomine verò brachij opera & acta significantur. Eam ob causam vbi dixit:* Pone me vt signaculum super cor tuum: *adiecit:* vt signaculum super brachium tuum. *Acsi dicat Christus: Da operam, vt me ponas ante oculos tuos, méque semper in meditationibus & actionibus respicias. Aspicis cor sumi pro cogitatione. Sumitur etiam pro intelligentia, vt cap. 1. ad Rom.* Obscuratum est insipiens cor eorum. *Quod cap. 4. ad Ephes. dixit:* Tenebris obscuratum habentes intellectum. *Furari cor alicuius est eo inscio aliquid agere, vt Genes. 31.* Furatus est Iacob cor Laban Aramæi, eo quòd non indicauit ei, quòd fugeret. *Pro quo vulgata editio habet:* Noluit Iacob confiteri socero suo, quòd fugeret. *Et paraphrasis Chaldaica: Celauit Iacob à Laban Syro, & non indicauit ei, quòd ipse proficisceretur. Præterea sumitur cor pro anima, vt cap. Iere. 4.* Laua à malitia cor tuũ Hierusalem, vt salua fias. *Ac eodem modo sumitur hoc Ieremiæ loco:* Propterea mœstum factum est in dolore cor nostrum.

3 Conuerte nos domine ad te, & conuertemur. *Cum ad Deum conuertimur, ipse nos conuertit: bona enim quæ* F
agimus, munera sunt, quæ Deus nobis impertit. Id videtur significare D. Paul. ca. 4. epist. ad Ephes, vbi citans versum illum psalm. 67. Ascendisti in altum, cepisti captuitatem, accepisti dona in hominibus: *ait* Ascendẽs Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. *Dauid ait Christum accepisse dona ab hominibus. Paulus verò ea illis dedisse: & vtrunque verum est: nam dona quæ Deo offerimus, ipsius Dei* Iacob. 1.
dona sunt, iuxta illud Iacobi apostoli: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum. *Et ita nulla est inter psalmographum & apostolum discrepantia. Nec inter Ieremiam hoc loco, & Zacharias primo vt in explanatione ostendimus. In quibus duobus locis pro conuertere est in Hebræo verbum* שוב, *quod conuertere significat, vt psalmo 22.* Animam meam conuertit. *Significat etiam reuertere, vt Canticum 6.* Reuertere, reuertere, Sunamitis. *Pro quo codices emendati habent Sulamitis: quæ vox pacificam significat, tranquillam & perfectam. Et Genesis 8.* Dimisit coruum, qui egrediebatur, & nõ reuertebatur, vbi pro *reuertebatur est hoc idẽ verbum.*

Sed

A *Sed quia in hunc incidimus locum, operæpretium duximus, discrimen repugnantiámque loci huius inter vulgatam editionem, & literam Hebræam, quæ modo extat, aperire. Iuxta communis editionis veritatem coruus missus ex arca à Noe egressus fuit, sed non reuersus: at exemplaria Hebræa quæ modò apparent, sensum contrarium produnt. Ita enim habent:* יצוא יצוא ישוב: *Id est & egressus ibat, & reuertebatur. Disparata sunt: reuertebatur: & non reuertebatur. Augustinus Eugubinus episcopus Chisamensis in annotationibus suis ait depravatam esse hoc loco editionem vulgatam, delendámque esse ex illa particulam, non, codices verò Hebræos veritatem continere. Idem quoque ait Xantes Pagninus in epistola sua nouæ emissioni prælata. Non possum negare, ægrè me tulisse, tam catholicos & eruditos viros fuisse hoc loco in vulgatam editionem vetustate veritate & magnificentia præstantem tam asperè & immeritò inuectos. Nam septuaginta interpretes natione Hebræi, lingua Græca periti cum negatione legerunt. Ita enim habent:* καὶ ἐξελθὼν οὐκ ἀνέστρεψεν. *Hoc est, & exiens non est reuersus. Eodem modo Flauius Iosephus Iudæus cap. 5. lib. 1. antiquitatum, cuius ad literam hæc sunt verba: Post paucos dies aqua*
B *ampliusrecedente misit coruum, volens cognoscere, si quid etiam terræ fuisset relictum ab aqua, & ad gradiendum iam tutum esse videretur: qui cuncta reperiens inundantia non reuersus est ad Noe. Hactenus ille. Illud velim existimes tempore diui Hieronymi codices Hebræos hoc loco negationem habuisse: imò tempore septuaginta interpretum: & ita Mosem scripsisse. Sed posteà Hebræi aut negligentia, aut malitia, vt versionem nostram calumniarentur, negationem ex contextu abstulerunt. Hieronymus enim ex Hebræo vertit:* Dimisit coruũ, qui egrediebatur, & non reuertebatur. *Et aduersus Luciferianos. Emittitur, inquit, coruus de arca, & non rediit: & posteà pacem terræ columba nuntiat. Et in epistola ad Oceanum: Statímque columba spiritus sancti expulso teterrimo alite deuolat ad eum. Vbi per teterrimum alitem coruum significauit. Nonne vides Hieronymum locum hunc legisse & vertisse cum negatione? Augustinus similiter tomo*
C *6. li. 12. contra Faustũ Manichæum ca. 20. cum negatione legit: ita enim ait. Quod post dies quadraginta emissus coruus non est reuersus, aut aquis vtique interceptus, aut aliquo super natante cadauere illectus, significat homines in immunditia cupiditatis teterrimos, & ob hoc ad ea quæ foris sunt, in hoc mundo nimis intentos. Et tomo 9. in tractatu 6. expositionis in Ioannem ita ait: Meritò de arca missus est coruus, & non est reuersus, missa est columba, & reuersa est. Vbi quid his duabus auibus significetur, mirabiliter explanat. Eodem modo legit Ambrosius libro* D *de Noe & arca ca. 17. vbi causam reddit, cur coruus emissus non redierit. Præterea Chrysostomus homilia 26. in caput Gen sis. 8. apertè cum negatione legit, & interpretatur, asseueranter affirmans nunquam coruum reuersum fuisse. Demum idem asserit glossa Græca per coruum populum intelligens Iudaicum, qui extra arcam, hoc est, extra ecclesiam mansit, per columbam verò populum gentilem, qui ad ecclesiam confugit. Cum igitur tot patres tãta vetustate, sanctitate, & sapientia praediti ita legerint, & explanauerint, vt nostra habet vulgata editio, credẽdum est, eam esse verissimam. Hebræam verò hoc loco depravatam. Nec mirum, cùm videamus vt Elias etiam fatetur doctus inter Iudæos, Hebræos codices huius temporis longè à priscis illis veteris synagogæ variari. Id quod perspicuè confutetur. Bruno Amerbachius trium linguarum eruditione celebris, in præfatione in psalterium, diui Hierony. vbi, asseuerat vetera psalterij exemplaria Hebræa, manu scripta à psalterio Venetiis impresso multis in locis discrepare. Sed quid cito recentiores scriptores, cùm antiquus Iustinus martyr in libro quem edidit aduersus Iudæos, qui inscribitur Colloquium cum Thriphone Iudæo, apertè ostendat iam tunc Iudæos aliquibus in locis diuinam scripturam deprauasse: quemadmodum versum illum psal. 95. Dicite in gentibus, quia dominus regnauit à ligno, vbi voces illas, à ligno deleuerunt. Et posteà, vt Lindanus Dordracenus in libris de optimo scripturas interpretandi genere ostendit, multa commutarunt. Quare iam nunc solida ac pura scripturarum veritas potius est à vulgata editione, quam à codicibus Hebraicis petenda. Est enim communis hæc nostra editio ab ecclesia catholica meritò approbata, quoniam est vetustissima, verissima, grauissima, & integerrima: de cuius laudibus nulla vnquam posteritas conticescet, quam ipsa perpetuitas semper intuebitur. Hæc est diuina ac vera scriptura, quæ vt* E *Salomon ait cap. Prou. 6. lucerna est, lux, vitæ via, correctio & castigatio. De qua ait apostolus cap. 3. posterioris ad Tim. 2.* Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, & arguendum. *Quare meritò Christus Deus noster apud Ioan. 5.* Scrutamini, *inquit,* scripturas. *Nos has Ieremiæ lamentationes scrutati sumus, & simpliciter pro ingenij tenuitate explanauimus, earum abstrusas sententias & profunda mysteria illis relinquen-* F *tes, qui mentem à sensibus abducentes, & cogitationem à rebus visibilibus separantes sapientiam amplexantur, & ad diuinarum rerum contemplationem rapiuntur. Illi se totos ad diuinas literas explanandas conferant propter Deum, cui sit gloria & honor in secula seculorum, Amen.*

Terminántur Ieremiæ lamentationes per doctorem Hectorem Pintum illustratæ.

FINIS.

RERVM ET VERBORVM, HEBRAISMORVM, SENTENTIARVM AC HISTORIARVM, QVÆ IN COMMENT. IN ESAIAM, ET THRENOS SIVE HIEREMIÆ LAMENTATIONES INVENIVNTVR, INDEX PLENISSIMVS, DENUÒ INSERTUS.

Ex quo multæ authoritates ad refellenda hæreticorum dogmata, præcipue nostræ tempestatis, vt Lutheri, Caluini, & aliorum, possunt expiscari.

Prior numerus paginam, posterior verò columnam indicat.

Aron à Deo obiurgatus. 4.2
Aaronis virga typus virginis Mariæ. 59.1. *in fin.*
Aaroni Sacerdotium à Deo tributum. 262. 2. *in Lutherum.* *ibid.*
Abagarus Edessenorum Rex, cui Christus suam imaginem misit. 278.1
Abbas dicitur præsul ab Abba quod est Pater. 102.2
Abel iustitia. 3.1
Abimelech vocantur omnes reges Palestinæ. 102.1
Abram nomen naturæ, Abrahæ verò mysterii. 307.1
Abraham cùm tres vidit, & vnum adorauit Trinitatis mysterium significauit. 205.2
Abraham descendentis in Ægypum, vbi vxor Sara illi rapta fuit, historia interpretatur. 20.1
Abram litera admirabilis nominis Dei tribuitur. 222.1
Abraham & Loth res appellantur, licet non fuerint ex iisd m parentibus geniti. 21.2
Abrahæ filij sunt Iudæi, Abrahæ verò fideles. 307.1.2
Absynthium herba amara. 323.1
Academici & Peripatetici etiam liberum arbitrium asseruere. 328.2
Achas coluber vocatur, & Ezechias Basiliscus. 75.2
Achas mortuo Palestini lætabantur. 75.2
Achas rex impius & flagitiosus. 36.1. *in fin.*
Achilles volens Agamemnonis ignauiam obiurgare, ait eum habere cor ceruinum. 305.2
Achitophelis consilium nihil Dauidi nocuit. 42.1
Actiones absque amore & charitate ad vitam æternam non prosunt. 139.2
Acus instrumenta muliebria quæ. 25.1
Ad particula ponitur pro contra. 142.2
Administrandi optima via vbi sit. 15.2
Adolescentia iustorum senectus appellatur. 279.2
Adolescens vitiosus dicitur. 279.2
Adolescentibus senes sunt admiscendi, vt vinum aqua miscetur. 20.2
Adoratio latria soli Deo debita. 278.1
Adriani Imperatoris sententia, afflictionem maxime iis grauem, quibus esset repentina. 217.2
Aduentum Christi quantopere patres antiqui exoptabant. 193.2
Aduersa æquo animo toleranda. 56.1
Adulator vmbræ comparatur, quę quidquid homines faciunt, imitatur. 23.2
Adulator per oleum creatoris intelligitur. 23.2
Adulatores omnes amicorum qualitates imitari videntur, præter reprehendendi libertatem. 314.2
Adulator à Platone bestia humano generi pestilens appellatur, item prestigiatori similis. 23.2
ab Adulatore laudibus extolli quam parum prosit. 24.2
Adulator Circe comparatur. 23.2
Adulatoris lingua plus nocet quam gladius acerrimi inimici. 23.2
Adulatores Patroclo Achilis arma sumenti comparantur 314.2
Adulatores quo pacto redarguantur. 23.2
Aduentus Christi non in hominum iudicium, ac damnationem, sed scelerum fuisse. 15.2
Ægyptus à Catadupis & Elephantina vrbe incipit, ex Herodoto. 86.1
Ægyptus vastata. 94.2
Ægyptij Deum significantes pingebant sceptrum rectum cum oculo. 321.1. & 132.2
Aemilius ait filium Dei esse verbum. 206.2
Aeris candentis natura est, vt is qui a serpente vulneratur in illoq; oculos, defixerit, statim moriatur. 278.2
Aegrotis quam vtili sit suadere, vt mortem impendentem considerent. 162.2
Aeschyles vmbrę fumi humanã vitam coparauit. 172.2
Aetas nostra peregrinatio est. 164.2
Aetas hominum cum bestiolis Hypanis fluuii comparatur. 235.1
Aethiopes ab Assyriis separati. 94.2
Aetatum aureæ argenteæ & ferreæ interpretatio. 102.2
Aetatem velare affirmat Cicero. 235.1
Afflictio & dolor calix compunctionis. 220.2
Afflictio homines ad Deum quærendum inducit. 119.1
Afflictio tranquillitatis animi, & quietis conseruatrix. 8.2
Afflictio dat intellectum. 129.1
Afflictio iis maximè grauis, quibus est repentina, & inopinata. 217.1. *Sententia Imperatoris Adriani.* *ibid.*
Afflictio æstui Meridiano comparatur. 79.1
Afflictio quã vtilis, & quam periculose prosperitas. 167
Afflictio bonorum parum durat, & succedit æterna voluptas. 120.1
Afflictio homini omnia obscura videntur. 149.1
Afflictio excellentissima hominis probatio. 201.2
Afflictio magna via est ad sedes beatorum. 62.2
Afflictio per nubem designatur. 27.1

Afflictio in lætitia, & lætitia in afflictione, columna dicitur. 27.2
Afflictio quàm salutaris sit. 119.2
Afflictionis magnæ tempus sacra Scriptura tenebrosum solet appellare. 69.2
Afflictionis vtilitas 117.2
Afflictionis & calamitatis commodum. 83.1
Afflictiones viæ sunt ad æternas voluptates. 185.1
Afflictionibus pressi aliquando conuertuntur. 4.1
Afflictionibus ærumnisq; constituti quid agendum. 37.1
in Afflictionibus & calamitatibus ad Sacram Scripturam recurrendum est. 45.1
Afflictionibus viri hoc in mundo teruntur, exemplo tritici. 97.1
Afflictionis humanæ proprium. 8.2
Afflictionis tempus, tempus visitationis vocatur. 55.2
Afflictionibus viri sapientes, virtute eque præstantes delectantur. 4.2
in Affliction one gloria, vt in semine fructus. 4.2
Afflictione iustos pressos Deus consolatur. 27.2
Afflicti & ærumnosi homines, semper in tenebris esse vidcantur. 253.2
Afflictorum pernicie lætari quàm sit impium 304.1
pro Afflictis Deum orare quam vtile 255.1
Affligit nos Deus vt terrenis relictis cœlestia contemplemur, & conuertamur. 4.1
Affricus ventus. 95.2. *id est Meridies.* 95.2
Agammenonis ignauia cordi ceruino similis. 305.2
Agesilai prudentia in testibus depranatis inquirendis. 39.2
Agnus Paschalis Christi figura. 233.2
emitte Agnum Domine dominatorem terræ. 81.1. *varia huius loci interpretatio.* 81.1
Ala significat equitum turmam, præter alias significationes. 65.2. *in fin. item vt ala nauium.* 86.1
Ala pro auxilio ponitur. 87.2
Alexander Magnus Persas & Mædos contriuit. 94.2
Alimentum panis & aquæ nomine intelligitur. 19.2
Alphabetum Hebraicum mirabiliter explanat D. Hieronymus. 292.2
Altare extra Hierosolymam fieri in veteri lege prohibitum. 92.2
Amaltheæ cornu. 310.1
Amare ad intellectum pertinet. 34.1
in Ambitiosos. 2.2
Amicitia quanti æstimanda sit. 108.1
Amicitia & vnione nihil vtilius. 89.2
ad Amicitiam renocare calculos, quid ex Cicerone. 333.1
Amicus veruis vtilis ad calamitates ab impijs illatas. 303.2
Amor & concordia Christianorum signum. 89.1
Amor Dei erga homines. 53.1
Amor Dei erga nos mirificè ostenditur. 30.2
Amorem claues omnium rerum esse dicebat Orpheus. 89.1
Angelos non fuisse creatos antequàm cœlum & terra crearetur, secundum quosdam. 191.2
Angulus quid significat. 91.1
Angeli dicentes, Attollite portas Principes vestras, qui sint iuxta D. Dionysium. 267.1
Angeli nuntij vocantur. 86.1
Angeli stant, Deus autem sedet, quomodo intelligatur. 33.2
Angeli spiritus sunt, nec alas nec corpora habent. 33.2
Angelorum lapsum cur Moyses præterierit. 74.1
Anaxarchus cum occideretur dicebat, Tunde Anaxarchi vasculum nam Anaxarchum nihil teris. 145.
Anima quandoque pro iumento, & quacunque bestia sumitur. 342.2
Anima Christum solem iustitiæ respiciens cèrea comparatur. 59.2
Anima peccans à Deo deseritur. 6.1
Anima pro ipso homine accipitur. 299.1
Anima nostra lampas est. 152.1
Animæ salus in ecclesia reperitur. 198.2
Anima pro vita accipitur. 232.1
Anima pro vita capitur. 250.2
Anima res mundi concupiscens vacua & inanis. 133.2
Anima sterilis solitudo appellatur. 171.2
Anima Iusti sedes Dei est 284.1
Anima regnante peccato in nulla versatur securitate. 35.1
Anima sceleribus contaminata non curret, sed desolata in terra sedebit. 25.2
Animæ nomine filiarum Sion intelliguntur. 25.1
Animæ volare cupientis duæ alæ, cognitio, & charitas. 34.1
Animæ post mortem quò perueniant. 320.1
Animas ante diem iudicij beatas qui authores tenere videantur. 320.2. *ideò cautè sunt legendi & prudenter interpretandi.* *ibid. quod intelligitur de corporum resurrectione.*
Animæ quæ ad dexteram non declinant, nec ad sinistram felices. 153.2
Animæ nostræ peccatorum onere succumbunt, vt nauis naufragio. 4.1
Animam mundant, qui se à mundo separant. 225.1
Animæ immortalitas ex Platone. 285.1. *& alijs*
Animæ peccantis descriptio. 25.2. *Hierosolymæ excidio aptatur.* 25.2
Animas asserentes esse mortales conuincuntur. 288.2
Animas Sanctorum in cœlo beatas esse Testimonijs sanctorum Patrum probatur. 320.1
Animi tranquillitatem summam mundi felicitatem dixit Democritus. 207.2
Animam potius quàm os vult Deus. 132.2
Animorum motus à ratione profectos à fatali necessitate vendicarunt Academici & Peripatetici. 328.2
Animantia terræ prona sunt, ventrique obtemperantia, solus homo erectus. 108.2
M. Anthonij numisma. 310.1
Antisthenes dicebat voluptatem omnium malorum causam. 23.2
Anthistenis præclarum responsum in quendam qui eum laudabat. 24.1
Antitheton quæ figura. 85.2
Apocalypsis liber an à D. Ioanne Euangelista fuerit scriptus. 111.1
Apelles præstantissimus pictor, sola linea cognoscebatur. 271.1
Apollinis templum Vticæ trabibus Cedrinis incorruptibilibus compactum. 181.2. *in fin.*
Apophthegma Chabriæ Athenienſum ducis formidabiliorem esse ceruorum exercitum duce leone, quam leonum duce ceruo. 305.2
Apostatarum excusatio. 283.1
in Apostatas. 283.1
Apostoli nubes appellantur. 30.2. *&* 31.1
Apostoli linguis inflammati cœperunt ardenter concionari. 36.1
Apostoli arboribus ramos suos paulatim extendentibus comparantur. 35.2
Apostolorum laus à Deo Iudæis ostenditur. 3.2
Apostolorū admirabilis paupertas vicit mundum. 238.2
Apostolorum & discipulorum dolor in Christi morte, dolori parturientis comparatur. 230.2
Apostolorum prædicatione mundus labefactatus & victus. 68.2
Apostolorum vita hora vocatur. 320.1
Appetitus veluti coruus, qui ei à quo nutritur, oculos eruit. 275.2

Aqua mundi quæ sit. 65.1
Aquæ nomine doctrina significatur. 31.1
Aquæ gratiæ non solum sedant sitim, sed etiam famem. 238.2
Aquæ Marach in deserto ligno in eas coniecto, dulces redditæ, cùm lignum esset amarum. 166.1
Aquarum nominis varia significatio, in Scriptura. 64.2
Aquarum nomine virtutes intelliguntur quæ sunt animæ pabulum. 147.1
Aquarum congregatio mare vocatur. 90.1
Aquas comedere quomodo intelligatur. 238.1
Aquila senescens quo pacto renouetur. 177. 1.2. *quam imitari debemus, & in fontem lacrymarum immergi.* ibid.
Aquila pullos ad Solem ponit. 9. 1. *eosque qui eum non intuentur, reijcit.* ibid.
Aquila pro rapina & in malam partem sumpta. 338.1
Aquila pro homine diligente sumitur. 337.2
Aquila auium regina, eiusque velocitas. 337.2
Aquilla pullos supra dorsum portat, non pedibus vt cæteri aues. 337.2
Ar ciuitas Moabitarum Metropolis nocte euersa est. 76.1
Arabia Chaldeæ vicina. 70.2
Arabia Regio Asiæ maioris. 98.1. *in tres partes distributa.* ibid.
Arabes populi agrestes. 70.2
liberum Arbitrium conseruatur gratiæ. 118.2
Arbitrium liberum, qui tollunt hominem ex hominibus tollunt. 319.1
Arbitrij libertas Scripturis probatur. 270.2
liberum Arbitrium qui Hæretici negarint. 11.1
Arbitrij libertas ostenditur. 209.1
Arbitrij libertas ostenditur, in hæreticos. 328.1.2
Arbitrij libertas testimonio tùm sacræ Scripturæ, & SS. Doctorum, tùm etiam Ethnicorum probatur, & asseritur. 283.
Arbitrij libertas asseritur, contra Manichæos. 270.1
Arca Dei figura Christi, qui de diabolo triumphauit, vt illa de Idolo Dagone. 224.2
Arca Noë concordiam denotat. 89.1
Architas Tarentinus animum cupidi vasi perforato comparat. 16.2
Architectorum instrumenta. 150.1
Arena femina mandare, prouerbium. 192.1
Aristoteles ait hominem flagitiosum ignorantem esse. 108.1
Aristoteles testatus est Arbitrij libertatem. 328.2
Aries Christi imaginem gerebat. 305.2
Ariel quid. 131.1
Arij hæresis. 64.2
Ariolus quis. 20.2. *in bonam partem accipitur.* ibid.
Arma spiritualia quæ sint. 254.2
Armamentarium domus à Salomone constructa, plena instrumentis bellicis. 100.1
Armeni asserebant nullam animam ante iudicij diem esse beatam. 320.2
Armillæ brachiorum ornamenta. 25.1
Arnon fluuius Moabitarum. 79.1
Aspectus prospe, & confidentia ponitur. 95.2
Aspis parnus serpens veneno occidens, somniculosus appellatur. 252.2
Assur à quo Assyria nomen accepit. 107.2
Assyrij spinis & vepribus comparantur. 57.2
Assyriorum reges appellantur Reges Babylonis. 166.2
Astrologia quæ licita sit. 201.2
Astrologi qui irrideantur. 201.2
Astrologi augures cæli appellantur. 201.2
Auaritia omne officium quantumuis sanctum & laudabile solet comminuere. 333.2
Auaritia idolorum seruitus. 18.2
Auaritia damnatur. 16.2
Auarus nunquam satiatur. 16.2
Auarus metalla in animo portans terræ auri fodinarum sterili comparatur. 16.2
in Auaros pauperes fame pereuntes nõ sustentantes. 16.2
Auari quo magis diuitiis abundant, eò ardentius eas appetunt. 16.2
Auari baiulis arculas argento plenas ferentibus similes. 333.2
Auarorum vbi thesaurus, ibi anima. 183.2
D. Augustinus in suis operibus connectit cathenam auream subtilissimam. 140.2
Auis quæ vna ala volare contendit, citò ruit. 34.1
Aurelij Balbi Ethnici hominis resurrectionem sperantis Epitaphium. 285.1
Auster ventus flat à meridie. 95.2
Azotus vrbs Palestinæ. 93.1. *in fin.*

B

Babel turris confusionis. 36.2
Babylon prius Babel vocabatur. 67.1
Babylon duplex. 79.2
Babylon mare appellatur, ob eius multitudinem habitantium. 95.1
Babylon idem quod confusio. 67.1
Babylon vbi sita. 68.1. *à quo condita.* ibid.
Babylon vbi fuit conditæ sunt ciuitates insignes Ctesiphon & Seleucia. 70.2
Babylon mons appellatur ob superbiam. 68.1
Babylon cur caliginosa. 68.2
Babylon principium Regni Nemrod. 67.1
Babylonis puerorum fornax afflictionem denotat. 12.1
Babyloni à Medis & Persis oppressi. 94.2
Babyloniorum clades & calamitas. 69.2
Balthasar Rex Babylonis post conuiuij noctem interfectus. 96.1
Balthasaris Regis Babylonis interitus. 97.2
Baptismus sordes, maculásque peccatorum abluit. 27.1
Baptismus. 67.2
Baptismus prædicitur. 152.2
per Baptismum nisi quis prius fuerit renatus, spiritualium donorum non potest fieri particeps. 9.1
post Baptismum nullam remanere peccatum. 191.1
Baptismi figura mare-rubrum. 9.1
Barbam radere magnum doloris ac luctus signum apud antiquos. 77.2
Bardesanus Syrus Hereticus. 328.1
Basan regio Arabiæ. 18.1
Bases in templo Præsules sunt Ecclesiæ. 142.1
Basiliscus i. regulus pestilens animal, cur ita vocetur. 262.2
Basiliscus serpens non solum homines veneno necat, sed arbores plantas & terram. 75.2
Beatus quis appelletur. 90.2
Beatorum sedes in cælo. 285.2
Beatitudo æterna per conuiuium intelligitur. 115.2
Beatitudinis diuinæ, & sempiternæ voluptas. 115.1
Bel Idolum Babyloniorum. 197.1. *id est Saturnus.* ibid.
Belial filij qui appellentur. 326.1
Bello nihil fœtidius atque turpius. 143.2
Bellum malum vocatur. 193.1
Bellum quantopere regna & imperia labefactet. 52.2. *in fin.*
Beneficiorum Dei contemptores obiurgantur. 3.1
Beneficium & præsidium ab indignis auferri. 31.1
Benefacta interdum tegenda sunt. 34.2
Beniamin calix iuuentus allegoricè interpretatur. 220.2
Bethlehem locus vbi Christus natus est, pulchrum encomium. 40.2

Bias dicebat duo esse consilio contraria. 4.1
Blasphemia audita Iudæi vestes scindebant. 158.1
Blasphemia Iudæorum in Christum impię. 4.1
in Blasphemo horribile exemplum Sennacherib. 161.1
Bonum est communicabile. 195.2
Bonum antea ignotum ab Apostolis nuntiatum. 222.2
Bona quę pariunt alia bona quæ sint. 306.1
per Bones labores significantur. 142.1
Bouem in lingua habere, Prouerbium. 313.2
Erachium Dei variis modis sumitur. 226.1
Bucerus Hereticus. 45.2
Bulla quid sit. 172.2

C

Cabala Iudæorum falsa. 204.2.& 205.1.2
Cabalistarum secta. 205.1
Cadens retrorsum quis. 126.2
Caducei nomine concordia designatur. 340.2
Caducis rebus mundi seruientium miseria ostenditur. 55.2
Cæcitate non solum infideles laborant, sed alij. 151.2.& & 152.1
per Cœlum quando aer intelligatur. 110.2
Cœlum mihi sedes est, pro quo calo capiatur. 281.2
Cœlum firmamentum primum mobile, secundum Orontium. 281.2. *aliter sentit Petrus Nonius.*
Cœlum diuisio appellatur, quòd mortales diuidat ab immortalibus. 305.2
per Cœlum viri iusti & pij intelliguntur. 281.2
Cœli descriptio. 281.1. *Dei sedes appellatur.* ibid.
Cœli proprium moueri in orbem. 85.1
Cœlibatus probatur contra Hæreticos. 283.1
in Cœlo esse, efferri in cœlum & detrahi de cœlo quid significet. 309.1
Cœlorum diuisio quæ. 281.2
ad Cœlorum regnum emendum, nullis pecunijs aut diuitiis opus est. 238.2
Cœlorum nomine homines intelliguntur. 2.2
Cain verba quæ Deus protulit, quomodo Thargum vertat. 270.2
Cain habitator terræ. 32.2.& 33.1
Calculos ponere idem quod numerare. 333.1
Calamitas viris deprauatis insaniam afferens, sapientibus est medicina. 308.1
Calamitates sagittis comparantur. 310.2
Calamitates sunt vasa mortis. 304.2
Calamitas quæcunque per gladium intelligitur. 11.1
Calamitas magna, quę venit de longinquo. 55.2
Calamitas quid vtilitatis in hominem conferat. 86.2
Calamitate ipsa nihil ad laudem illustrius. 85.2
Calamitatem qui considerat, prudens est. 322.1
Calamitates iter ad beatitudinem præbent. 62.2
Calamitosum tempus cur dies tenebrarum & caliginis appelletur. 308.1
Calix proprius Christi sanguis pro hominum salute fundendus. 240.2
Caluarię mons locus suppliciis delinquentium destinatus 232.1.
Caluariæ mons sic vocabatur propter damnatorum capita, quæ ibi truncabantur. 232.1
Caluariæ mons locus visionis. 81.2
Caluariæ mons, mons erat sacrificij Isaac. 321.2. *qui mos Moria appellabatur.* 321.2
Caluinus hæreticus refellitur. 284.2.& 64.2
Caluinus Luthero pestilentior. 278.1
Caluinus asserit Deum vsum Imaginum in diuinis literis apertè prohibuisse. 278.1
Camelus quale animal. 256.2
Camelus priusquam vinat, fontem obturbans, hominibus impijs comparatur. 254.1
Camelorum castitas. 41.1
Cananitide lingua loquentes ciuitates, tempore D. Hieronymi. 92.1
Canicies hominis prudentia & virtus. 20.2
Canticum laudis concinere quando solebant Hebræi. 64. *in argumento.*
Canticum parabola vocatur. 29.1
Caput in terram obiicere pudoris indicium. 313.2
Caput principium denotat, sicut pedes finem. 34.1
per Caput & caudam quid significetur. 54.1
Capitis nomine illustres viri notantur, caudæ verò Plebeij. 91.2
Carceris præfectus commentariensis dicitur. 157.1
Carolstadius hæreticus Ichonomachus. 278.1
Carmelus mons feracissimus. 80.2
Carnes immolare cur permiserit Deus Iudæis. 276.1
Catadupa sonitus Nili, homines surdos reddit. 86.2
Catadupæ loci incolæ obsurdescunt. 3.1
Castitatem seruantium Gentilium exempla. 283.1. *ad conuincendos hæreticos, dicentes castitatem non posse seruari.* ibid.
Caudæ extremitates vocantur. 37.1
Cedrina ligna inter omnia incorruptibilia. 181.2
Celeusma quid. 81.2
Celti sculpantur in silice, verba Iob, quo pacto intelligantur, in quibus non legi celte, sed certè demonstratur. 319.1
Centrum in medio sphæræ. 66.1
Cerberus canis apud inferos. 147.1
Ceruus imaginem Christi gerebat. 305.2
Cerui cor ignauiam significat. 305.2
Chabriæ Athenienſium Ducis Apophthegma, de fortitudine Ducis militum. 305.2
Chalazia gemma licet injiciatur in ignem, natiuum frigus retinet. 126.1
Chamos idolum Moabitarum. 77.1
Charitas animos inflammans. 27.1
Charitas ignis sursum tendens. 4.1
Charitas finis. 167.1
Charitas vestis quæ operit multitudinem peccatorum. 166.1
Charitas Deo coniungit. 146.1. *in fin.*
Charitas quædam vestis nuditatem tegens. 94.1
Charitatis præstantia. 94.1
Cherub sonat quasi magistrum. 102.2
Cherubim habuisse puerorum figuram. 278.1
per Cherubim scientiæ plenitudo intelligitur. 142.1
Chilo Lacedæmonius dicebat erga senes eandem reuerentiam adhibendam, quæ filiorum in parentes. 199.2
Choreæ ludi reprehendantur. 25.1
Christus vera hostia quæ delet nostra crimina. 188.2
Christus idem est quod vnctus, Græcè & Hebraicè. 260.1
Christus Dei filius sapientia vocatur. 281.2
Christus aliis fuit in sanctificationem, aliis in ruinam. 43.1
Christus cum dixit, Consummatum est, Lex antiqua cecidit. 7.1
Christus panis viuus. 20.1
Christus flos dicitur. 60.1. *cur potius campi, quàm horti.* ibid.
Christus positus mortuus in sepulchro, & exijt viuus. 114.2
Christus magna cum festinatione à dæmone mundum eripuit. 40.1
Christus in cœlum ascendens describitur. 267.1
Christus oleo gratiæ & latitiæ vnctus. 260.1
Christus in medio inuenitur. 65.2

Christus verus Deus & verus homo. 164.2
Christus noster murus, antemurale, & nostra gloria. 117.1
Christus Dei filius in duabus naturis vniusque personæ singulariter passibilis, & impassibilis. 230.2
Christus ab Esaia Deus vocatur. 26.01
Christus pastor, qui oues errantes super humeres adduxit. 228.1
Christus in Scripturis dilectus appellatur. 29.1
Christus Sol in decima linea id est in sacra virgine. 163.2
Christus cur gloriosam voluit habere sepulturam. 62.1
Christus medicus noster. 260.2
Christus Rex & Sacerdos, secundùm ordinem Melchisedech. 262.1
Christus in Diuinis literis brachiũ Dei appellatur. 218.2
Christus in diuinis literis appellatur, Saluator, Salus, & Salutare. 66.1 *in med.*
Christus missus. 41.1
Christus Deus est. 52.2
Christus lapis & petra vocatur. 43.1
Christus in diuinis literis iusti nomine significatur. 122
Christus nomine montis significatur. 14.2
Christus, Messias, vnctus, hæc tria nomina idem significant. 260.1
Christus pastor magnus, & princeps pastorum. 175.1
Christus cur in domo Præsidis interrogatus tacet, & in Cruce non requisitus loquutus sit. 233.1
Christus cur extra portam Ciuitatis pati voluerit. 228.1
Christus etsi ab impijs manducetur non contaminatur. 195.2
Christus lapis angularis vocatur. 128.2
Christus filij hominis nomen sibi assumit. 159.1
Christus conceptu de spiritu sancto. 192.2
Christus absconditus propter assumpti corporis sacramentum. 195.1
Christus quare, Scribis & Pharisæis mulierem in adulterio deprehensam adducentibus in terra scribebat. 27.1
Christus salus & vita. 161.1.2. *in fin.*
Christus lapis, super quem sunt septem charismata spiritus Sancti. 60.2
Christus Rex qui in summa & diuina iustitia regnat. 141.2
Christus seruus secundum humanam naturam. 181.2
Christus in passione virgulto comparatur. 226.1
Christus fructus terræ sublimis appellatur. 26.1.2
Christus non Princeps militum, nec Princeps belli, sed Princeps pacis. 52.2
Christus semen mulieris. 332.1
Christus germen Domini. 26.2
Christus lapis abscissus de monte sine manibus, quomodo intelligitur hoc. 14.1
Christus Ecclesiæ fundamentum. 14.1
Christus cælestis vnicornis. 193.2
Christus in cruce pendens supplicantem audiuit 79.2
Christus Messias, vnctus idem sunt. 194.1. *in fin.*
Christus cur in publicum, & extra ciuitatem pati voluit. 229.2
Christus agnus immaculatus. 78.1.2. & 79.1
Christus cum super solium Dauid non sederit cum verba dei Isaiæ, de illo intelligantur. 53.1
Christus solus vir dolorum appellatur. 227.2
Christi in mundi restauratione summa celeritas. 40.1
Christi nominum quanto maiestas. 52.2
Christi natiuitas humilis vt esset inanis mundi fortitudinis euersio. 40.1
Christi mors non solum à prophetis, sed etiam à quibusdam Rabinis prædicta. 229.1
Christi mors fuit exaltatio. 224.2
Christi nomen IESVS, 66.1. *eius interpretatio. ibid.*
Christi sanguis clauis aperiens scelerum carcerem. 119.1
Christi sepultura vaticinatio. 62.1
Christi humanitas Soli nube tecto similis. 230.1
Christi pectus aquarum viuentium. 218.1
Christi duæ natiuitates. 174.2
Christi tempus dies salutis vocatur. 66.2. *in med.*
Christi mors locis mutis vet. Testamenti adumbrata. 228.2
Christi vtraque generatio significatur. 174.1
Christi mors voluntaria. 228.1
Christi Sanguis clauis paradysi. 164.2
Christi diligentia in absoluenda petitione. 79.2
Christi apprehensio in horto in veteri Testam. notatur. 338.2
Christiana Religio excellentissima cythara. 144.1
ad Christum electi dicuntur ascendere. 14.2
Christum non fuisse notum à Iudæis. 3.2
Christianæ veritatis proprium quid sit. 26.1
Christianũ genus electum, & regale, &c. 218.2. *& gens Sancta.* 218.2
Christiani fortes & robusti vocantur. 112.2
Christianorum munus alios ad virtutem cohortari. 65.2
Cicero dicebat ciuitatem in seditione atque discordia beatam esse. 89.2
Cilicium pœnitentia à D. Hieronymo probatur. 100.2
Circe exteriora hominum in bruta transformabat, 23.2
Circinus instrumentum. 190.2
Circulus perfecta figura apud Mathematicos. 167.1
Circularis figura omnium perfectissima. 305.2. *ideò voluit Christus eam conficere. ibid.*
Cisternæ duæ Hierusalem propter fontium inopiam. 37.1
Cetharas in luctibus pulsandi modus. 80.2
Ciues coniungere sapientiam officium. 91.2
Ciuitas in seditione beata esse non potest. 89.2
Ciuitas omnibus bonis affluens in tres ordines distribuitur à Socrate. 102.2
Ciuitas tres habet partes. 126.1
Ciuitatem esse relinquendam tribus de causis dicebat Plato. 51.1
Ciuitatem bonis legibus fundari difficile dicebat Socrates. 55.1
Ciuitates filiæ vocantur ab Hebræis. 5.2
Coccinum color rubeus. 10.2
Codri Athemensis desiderium. 285.2
Cælibatus & continentiæ dignitas. 283.1
Concbylia quibus purpura efficitur, vbi reperiantur. 103.1
Cogitationes nostras à deo videri. 9.1
Cogitationes adhuc paruæ versus Iustitiæ solem dirigendæ, exemplo aquilæ, quæ pullos ad solem tentat. 9.1
Cognitio rerum diuinarum non absque diuino auxilio potest parari. 2.1
Cognoscere ad intellectum pertinet. 34.1
Cognoscere seipsum antiquorum sententia, quæ soli deo tribuebatur. 197.2
per Columnam nubis, qua Deus Hebræos in nocte illuminabat, quid intelligatur. 27.1
à Commentarijs, id est comentariorum scriptor. 157.1.2
Commentariensis præfectus carceris. 157.1
Communis omnium miseria, eademque imbecillitas. 72.2
ad Communionem indignè accedentes, quàm seuere reprehendantur. 37.1

Concio buccinæ comparatur. 248.2
Concioni veræ quæ conueniant. 127.2
in Conciones ſpernentes. 171.1
Concionatores Euangelici per calamum pulchrum,& ſonorum intelliguntur. 153.1
Concionatoribus diuinus ignis animos illuminans neceſſarius. 36.1
Concionatores vt muneribus rectè fungantur. 173.1
Concionatores incantatores vitiorum vocari poſſunt. 22.2
Concionator debet ad eleuatum Virtutis montem conſcendere. 173.1
Concionator populum non debet laudibus decipere. 24.1
Concionatores animas debent quærere,non autem ad humanas inaneſque opes aſpirare. 90.2
Concionator quantopere animos auditorum mouere debeat. 22.2
Concionatores vox eſſe debent. 171.1
Concionatoris os dicitur ſagitta. 208.2
Concionator nitatur vt eius concio ſit regula vitæque Chriſtianæ perpendiculum. 87.2
Concionatoris munus & officium. 22.1
Concionator debet prius gratia vngi,quàm munus accipiat concionandi. 260.1.2
Concionator ab omni peccato debet purgari. 35
Concionatores pro Chriſti gloria non veritatem tegant. 35.1
Concionatores non ſummiſſa voce vti debent,ſed aliquãdo clamare. 171.1
Concionatores Euangelia ſuper Chriſtum firmiſſimum fundamentum ædificare debent. 173.1
Concionatores improbi & depranati reprehenduntur. 143.2
Concionari ſine bonis operibus eſt vrbem oppugnare ſine pilis. 152.1
Concionator debet excitare ad laborem in præſenti,& ad gaudium in futuro. 248.2
Concionator non debet in ſuggeſtum conſcendere, niſi mittatur. 172.2
Concionatoris officium eſſe ſcelera reprehendere. 248.2
Concionatores aquam vino miſcere dicuntur,& quomodo. 11.2
Concionatores manifeſta ſcelera ſilentio non debent tranſire. 248.2
Concionatores multi non perſuadeant cùm dicant aptè ad perſuadendum. 152.1
Concionatoribus lacrymæ non debent deeſſe. 294.2
Concionatoris ſermo gladio comparatur. 208.2
Concionator vt Hieronymus dicere debet, licet Hydra ſibilet,&c. nunquam mentem adiuuante Chriſto ſilebit eloquium. 248.2
Concionatores à terra debent eſſe eleuati. 62.1
Concionatores intrepidè veritatẽ nuntiare debent. 248.1
Concionatorum verba ſcelera increpantium, non eſſe illorum,ſed Dei. 250.1.*in med.*
Concionator quid dicere debeat. 173.1
Concionatores vexillo in ſummitate montis naui ſimiles. 136.1
Concordia res paruæ creſcunt, diſcordia verò dilabuntur. 88.2
ex Concordia hominum admirabilis conflatur firmitudo. 340.2
Concordiæ laus eiuſque pulchri effectus. 88.2.& 89.1
Concordes homines cum Arca Noë in Diluuio ſeruata comparat Nazianzenus. 89.1
Confeſſio pro laudatione capitur. 116.2
Confeſſionem Iuda ſignificat. 116.1.*in fin.*
ex Confeßione fructum mirabilem percipimus. 116.2
Confiteri pro laudare capitur. 65.2
Confuſionis in ciuitate deſcriptio. 21.2
Confuſio cur duplex appelletur. 262.2.*cur ſic ſumatur.* 263.1
Conſcientiæ nullum theatrum maius. 34.2
Conſiderationis humanæ modus. 197.2
Conſilium ab hominibus impuris & inſanis non decet accipere. 21.1
Conſilium humanum tela vocatur. 134.1
Conſilium rei prius adhibendum. 311.2
Conſilium res ſacra vocatur à Platone. 21.1
Conſilium quo pacto eſſe debeat. 89.2
Conſilij temeritas & feſtinatio Dei eſt vltio. 89.2
Conſilio duo eſſe contraria dicebat Bias. 89.2
Conſiliarij Principum recti Dei ſunt beneficia. 12.2
Conſiliarij qui eligendi. 21.1
Conſiliarij nomine qui intelligantur. 12.2
in Conſiliariorum electione quæ cura ſit adhibenda. 21.1
Conſolationis diuinæ cauſa quæ ſit. 170.1
Conſolatore carere in calamitate intolerandum ſupplicij genus. 294.2
Conſtans vir Soli comparatur. 4.2
Conſuetudo in omnibus rebus tenax. 326.1
Conſuetudo nefariorum hominum quàm perniciosa. 331.1
Conſtantia veluti anchora firma. 314.1
Conſtantinus Imperator templum Romæ Petri & Pauli fundauit. 258.1.*duodecim corbulas terræ in honorem duodecim Apoſtolorum manibus ſuis aſportauit, ibid.*
Contemnendum non eſt quod mundus deſpicit. 59.2
Contemnentium verbum Dei pœna. 137.1
Contritio pro dolore & conturbatione prouenient ex calamitate nonnunquam accipitur: 279.1
Conuerſatio durior conſcientiam reddit molliorem, & tranquilliorem.Ex D.Bernardo. 119.2
Coralium quid,& vbi naſcatur. 340.1
Cor habet figuram pyramidalem. 16.2
Cor vruendum. 120.2
Cor pro cogitatione ſumitur. 345.2.*item pro anima. ibi.*
Cor fons omnium ſenſuum S.Sacerdotem & ſuperiorem denotat. ibid.
Cor hominis non implet totus mundus. 16.2.*& quare. ibid.*
Cor dilatare,eſt gaudio afficere. 256.1
per Cor quid intelligatur. 88.2
Corda noſtra lacrymis mollienda. 261.1
Coronata ciuitas quæ vocetur: 104.1
Cornu ſalutis regnum Ieſu Chriſti. 119.2
Cornu pro quibus accipiatur. 309.2.*&* 310.1
Cornu quomodo accipiatur in Sacra Scriptura. 29.1.*præcipuè pro fortitudine.* 29.2
Cornucopia vberrimis fructibus referta. 310.1
Corrumpentes Principes grauius percare, quàm priuatum hominem corrumpendo pulcra ſimilitudine oſtenditur. 12.2
Coruus ex Arca Noe egreſſus,& non reuerſus probatur interpret. Sanctorum patrum, quod tamen textui Hebraico contrarium eſt. 346.1.2
Coruus pullos ſuos in nido non cognoſcit. 258.1.*mundo comparatus. ibid.*
Coruus non redit ad nidum ſi in eo cinis vitri ponatur. 298.1
Creationem mundi verſu Scripturæ à Trinitate factam, probatur. 206.1
Crimẽ aliquod qui admiſerunt,non ſtatim interficiendi. 30.1
Crux Chriſti vexillum. 62.2
Crux Chriſti victoria,firmiſſimum præſidium,& iter ad cœlum,&c. 267.2

Crux vexillum & signum nostrarum victoriarũ. 265.2
Crux quare vocetur Principatus 51.2. *quare etiam Clauis Dauid.* ibid.
Crux per Principatum & sceptrum regale intelligitur. 51.1
Crucis Christi titulus. 66
Crucis Christi Tituli mysterium. 141.2
Crucis signum. 68.2
Crucifixi miraculum à D. Athanasio relatum. 278.2
Cupiditas rerum mundanarum nunquam extinguitur. 170.1
Cupiditas omnium malorum radix. 16.2
Cupiditatis sitis nunquam expletur. 16.2
Cupiditates malæ resecandæ. 30.2
Cupidi animus vasi perforato comparatur, à Platone & Archita Tarentino. 16.2
Curatio Dei fit rebus iudicio humano repugnantibus. 166.1
non Curantes alios in quàm deprauata opinione versentur. 9.2
non benè Currunt qui sunt argẽti põdere grauati. 238.1
Cyrus aquila. 104.1
Cyrus à Tomyri muliere occisus. 194.2
Cyrus secundum quosdam putatur pacem finxisse cum Rege Babylonis, eumq; in conuiuio interfecisse. 96.1
Cyrus thesauris Cræsi regis magni potitus. 192.2
Cyri vexillum Crux Christi. 62.2
Cyri nomen multis annis antequã nasceretur prædictum. 193.1

D

Dæmon pilosus in figura hirci. 150.2
Dæmones à verbo damo quod est fero, dicuntur, ideò multa sciunt. 311.1
Dæmones pilosi & hirsati ad instar hircorum apparentes. 70.2. *in fin.*
Dæmones à peritia rerum nuncupatos esse, asserit Plato 311.1
Dæmones sortes appellantur, à quibus Christus abstulit spolia. 232.2
Dæmones cœli militia & tenebrarum rectores. 110.2. & 111.1
Dagon Idolum. 224.2
Damascus euersa. 94.2
Damascus ciuitas Syriæ 82.1, *ab Assyrijs capta & euersa.* 82.1
Damascus cur euersa fuerit. 82.2
Damnatorum cruciatus in inferno. 288.2
Damnatorum verba Regem Babylonis alloquentiũ. 73.1. *in fin.*
Damnatorum in inferno verba. 73.2
Dauid Kimhi Iudæis suo tempore celeberrimus. 81.1
Dauidis victoria aduersus Goliath. 113.2
Decimas & primitias Dei esse, quo pacto intelligitur. 345.1
Decij Romani, ob immortalẽ animæ desiderĩu. 285.2
Defunctorũ merita viuis prodesse. 159.2. & 276.2. *in fin.*
pro Defunctis in purgatorio existentibus consuetudo orandi ab Ecclesia. 320.1
Deliberare vtilia mora tutissima est. 89.2
Delicioſi homines & voluptatibus dediti reprehenduntur. 51.2
Delphinus piscium rex eiusque velocitas. 337.2
Delphinus omnium piscium velocissimus. 89.2
Demetrius Phalereus Euripidem reprehẽdit, quòd dixerit humanam felicitatem vnum diem, non autem vnum instans durare. 172.2
Democles adolescens, se in feruentis aquæ lacum iniecit vt castitatem tueretur. 283.1
Democritus dicebat animi tranquillitatem summam esse felicitatem. 207.2
Dentes alicui confringere, est illum affligere, & calamitatibus lacerare. 323.2
ex Deprauato animo nihil potest exire nisi deprauatum. 296.1
Desertum veluti schola paradysi. 171.1
Desertum viri præstantes & sanctitate præditi dilexerunt. 171.1
Desperandum non est de peccatorum salute. 30.1
Desperandum nunquam de diuino præsidio. 37.1
Desperant nunquam viri sapientia muniti. 324.1
Desperare nemo debet de beatitudine, quamuis sit impius. 204.1
Deus ter nominatus in loco Deuteronomij, vnus esse dicitur. 206.1
Deus elohim appellatur. 205.2
Deus Psalmorum author. 2.1
Deus principium & prima causa. 167.2
Deus tectus cùm sit summè bonus. 34.2
Deus solus animam nostram implet, qui eam satiare potest. 133.2
Deus sedet, Angeli verò stant. 33.2
Deus verus Messias. 250.2
Deus totum mundum manu tenet. 176.1
Deus non est causa peccati. 131.2
Deus in personis trinus, in essentia vnus. 34.1
Deus in omnibus suis operibus vtitur misericordia. 12.1
Deus vbiq; est per essentiam præsentiã, & potẽtiã. 301.2
Deus sceptro cum oculo ab AEgyptijs pingebatur. 321.1
huius rei interpretatio. ibidem
Deus ignis est comburens impios. 146.2. *in fin.*
Deus tenens manu zonam apud AEgyptios pingebatur. 327.2
Deus Leoni comparatur. 139.1
Deus apud AEgyptios per oculum super sceptrum regnum significabatur. 132.2
Deus cur Deus visionis appellatur. 321.1
Deus impios opprimens potentiam suam ostendere dicitur. 17.2
Deus priusquàm puniat solet comminari. 30.2
Deus quis sit. 281.1
Deus toto animo quærendus. 135.1
Deus summè benefactor, & nihilominus tectus. 168.1
Deus author non est mali, sed dicitur indurare cor obstinatorum. 270.1
Deus finis omnium nostrarum actionum. 200.2
Dei opus misericordiam tribuere hominibus. 327.1
Dei opus misereri. 129.2
Dei voluntas quæ sit, debent Christiani inquirere. 275.1
Dei sapientia summa & sempiterna. 176.1
Dei officium est congregare. 62.2
Dei natura bonitas. 325.1
Dei quæ sunt permanentia esse. 60.1
Dei officiũ esse cõgregare, Diaboli verò dispergare. 89.2
Dei visus eos quos vult ad se mirabiliter rapit, vt magnes ferrum. 8.2
Dei opus alienum vltio, proprium verò misereri & parcere. 11.2
Dei visus homines reddit humiliores, visus Principum terræ superbiores. 35.2
Dei clementia inaudita. 52.2
Dei sapientia incomprehensibilis. 177.2
Dei imaginem non esse in annulo ferendam, sententia Pythagoræ explicatur. 214.2
Deum vnicum esse ostenditur. 191.1
Deum misereri nostri non solum quando confert beneficia, sed etiam cùm punit. 12.1
Deum qui relinquunt grauissimè increpantur. 4.1
ad Deum qua reuerentia, obseruantia, & veneratione de bea-

debeamus accedere. 36.1
Deum qui asserunt non curare mortalia taxantur. 327.2
Deum facti sui non pœnitet: sed de omnibus illi est fixè sententia. 311.2
Deo membra humana tropicè scribuntur, non propriè 302.2
à Deo omne bonum promanare. 270.2
Dextera iusta appellatur, quæ vnicuique tribuit iuxta opera sua. 180.2
Dextera pro auxilio accipitur. 310.1
per Assur Diabolus intelligitur. 138.1.*in fin.*
Diabolus Rex huius mundi, cui Tophet siue infernus præparatur. 138.2.*in fin.*
Diabolus exactor vocatur 51.1.*tyrannus.* *ibid.*
Diabolus cur potens dicatur 60.2.*calumniator.* *ibid.*
Diabolus Princeps mundi appellatur. 72.1
Diabolus per fabrum prunas accendentem intelligitur. 236.2
Diabolus mors vocatus. 122.1.& 156.2
Diabolus scripturam citauit, sed nihil illi profuit. 36.1
Diabolus per Leonem intelligitur. 153.2
Diabolus mercator. 106.1
Diaboli filij qui vocentur. 76.1
Diabolus illusor appellatur. 133.1
Diabolus huius seculi Deus appellatur. 76.2
Diaboli officium & dispergere. 62.2
Diabolum qui sequantur. 62.2
Diaboli casus descriptio. 74.1
Diaboli tentatio primæ mulieri. 74.1
Diaboli superbia incredibilis, & arrogantia incredibilis. 74.2
Dialectica Christi vno loco consistit, differens à Dialectica Aristotelis, in qua plures sunt loci. 152.2
Dianæ templum combustum ab Herostrato facinoroso homine. 101.2
Dies primus mensis celebris apud Iudæos. 285.1.*in fin.*
Dies pro virtute & gratia accipitur. 294.1
Dies nouissimi, qui. 14.1
Dies Iudicij dies iræ, tribulationis, angustiæ, calamitatis & miseriæ. 55.1
Diei nomine prosperitas intelligitur. 27.1
in Difficilibus rebus quo vtendum sit consilio. 89.2
Dilecta res desiderij vocatur ab Hebraïsmo. 97.1
Diogenes luce meridiana plateam perambulans hominem lucerna quærebat. 171.2
Disciplina pro flagello siue castigatione accipitur. 228.1
Discordia caput excidij. 89.1
Discordia nulla regnis pestilentior pernicies. 88.2
Discordia ne exigua quidem excitanda. 62.2
Discordiæ sunt opera dæmonis. 89.1
Discordans animus nulla voluptate frui potest: ex Ciceronе. 89.2
Dissidia & contentiones vitandæ. 42.2
Diuites solos esse qui essent virtute præditi, & ornati, ex Socratis Sententia. 167.1
Diuites nomine quercuum Basan significantur. 18.1
Diuitiæ idola talpæ & vespertiliones appellantur. 18.2
Diuitiæ mundi, quantò tenacius restringuntur, tantò procliuiùs labuntur. 344.1
Diuitiæ spinis comparantur, & cur. 75.1
Diuitiæ veræ quæ animum ditant. 167.1
Diuitiæ quæ comparandæ nobis sint. 82.2
Diuitiæ idola sunt. 250.2
Diuitiarum affluentia quàm sit periculosa. 284.1
Diuitiarum mundi inconstantia & instabilitas. 90.1
Diuitias amittere nonnunquam vtile. 123.1.2
Diuitias appetentes reprehenduntur. 16.2
Diuitias magnas insolētia & impietas cōsequūtur. 16.2
Diuitias amare parui & angusti animi est, & auaritia torqueri. 243.2
Docens coti comparatur. 9.2
Doctrina vera & salutaris vbi esse debeat. 311.1
Doctrina & veritas verba quæ erant in fronte Sacerdotis quid significabant. 117.1
Doctrina sine exemplo parum prodest. 175.2
Doctrinam falsam qui sectatur, linguam Ierico capit. 64.2
Doctores Catholici & sancti sunt aurifices. 140.2
Dolore ob peccata hominum & scelera afficiamur, necesse est. 112.1
Domitiani Imp. numisma. 310.1
Dominicus dies quare obseruetur potius octauus, quàm septimus. 241.2
Dominus fortis vocatur, & quare. 117.2
Domus Palestinorum, quæ habebant plana tecta, vbi deambulare poterant. 99.1
Dromedarius animal velox à currendi celeritate dictus. 256.2
Duces & viri nobiles Libani excelsis arboribus comparantur. 58.2
Dama, regio Idumeæ. 97.1

E

Ebur dens elephantis. 335.2
Ecclesia mons vocatur. 242.2
Ecclesia primitiua plaustrum vocatur. 180.2
Ecclesia arca est quæ ex diluuio euasit. 12.2
Ecclesia rectissima. 190.1
Ecclesia ex varietate hominum compacta, linteo D. Petri figurata, & arca Noe. 61.2
Ecclesia Catholica templum & ædificium nobilissimum. 128.2
Ecclesia in diuinis literis appellatur vinea Domini, spōsa, amica, columba, Sion, Ierusalem, mons, templum, domus Iacob, regnum Dei, ciuitas Dei firmamentum, & columna veritatis. 123.2
Ecclesia terræ fecundæ vno die magnam herbarum multitudinem producenti comparatur. 284.1
Ecclesia super Petrum ædificata. 236.2
Ecclesia Catholica templum pulcherrimum. 7.1
Ecclesia Catholica altera Hierosolyma, terrena melior. 53.1
Ecclesia Catholica permanens. 64.2. *columna & firmamentum veritatis.* *ibid.*
Ecclesia Christi quàm pacata & tranquilla. 41.2
Ecclesia per Iudam, id est, confessionem intelligitur. 116.1.*in fin.*
Ecclesia stat firma & constans contra incursiones hæreticorum. 155.1
Ecclesiæ congregatio. 62.2
Ecclesiæ laus. 117.1.& 155.2
Ecclesiæ gloria. 151.2
Ecclesiæ magnificentia, firmitudo, & felicitas describitur. 236.2
Ecclesiæ per totum terrarum orbem propagatio ostenditur. 234.2
Ecclesiæ triumphantis, & cælestis Hierusalem descriptio 258.2.*& laus.* *ibid.*
Ecclesia, cætus seu consilium, seu congregatio appellatur. 76.1
Ecclesiæ suę promittit Deus nunquam eam derelicturum. 235.2
Ecclesia habet potestatem iudicandi hæreticos. 237.2
Ecclesiæ felicitas prædicitur. 27.1
ad Ecclesiam Christi verba, contra hæreticos. 46.1
Ecclesiam tantum non esse societatem Sanctorum, vt hæretici affirmant. 259.1
Ecclesiam locum sanctificationis vocat Christus. 258.1

extra Ecclesiam nullus salutem consequitur. 12.2
Ecclesiam à Christo institutam contra Lutherum & alios Hæreticos ostenditur. 226.1
in Ecclesia sola esse fidei, & gratiæ splendorem. 256.1
in Ecclesia qui continentur, soli habent consilium & virtutem. 245.1.2
in Ecclesia Catholica solum Deus verè colitur. 72.1
ex Eclypsi Solis magna gignitur mortalibus pernicies. 188.2
Eclypsis lunæ quomodo fiat. 111.1
Elam ciuitas Persidis pro tota Perside accipitur. 96.1
Electorum gaudia inenarrabilia. 272.2
in Electione præsidum quid agendum sit. 134.2
in Electionibus non tantum corporis vtilitas, quàm animarum salus quærenda. 22.1
Elementa contra impios pugnabunt in die iudicij. 70.1
in Eleemosynam non dantes. 249.2
Elephantorum & Camelorum castitas. 41.1
Eligendi ex pluribus pauci, quorum consilio vtamur. 21.1. *exemplo Zeuxis.* 21.1
Eliseo pallium Eliæ quid profuerit. 94.1.2
Eloquentia cum virtute coniuncta quantum prosit. 21.1
Eloquentia multa bella restinxit, & firmissimas amicitias comparauit. 21.1
Emmanuel Lusitanorum Rex Indos Orientales ad Christi fidem conuertit. 285.2
Emanuelis iussu regis Lusitanorum, Lusitani longinquas terras lustrarunt. 235.1
Empedocles negabat libertatem Arbitrij. 270.1
Empedocles dicebat mundum constare concordia, & discordia dissipari. 89.1
Enuntiatio indefinita in contingentibus non vniuersali sed particulari æquipollet. 262.1
Epaminondæ Thebani æternitatis desiderium. 285 1
Epictetus Socraticus dicebat, Neminem lædere, nisi volentem. 146.1
Epicteti sententia, quo pacto in maledicentes nos gerere debeamus. 156.2
Episcopus debet esse in scientia, doctrina, & sapientia versatus. 142.1
Episcopus non tantum requiritur, vt sit senex quã prudens. 21.1
Episcopus charitate præstans esse debet. 262.1
Episcopi illustris commendatio. 183.2
Episcopi quidam & præsules oblurgantur. 143.1
Episcoporum officium est Euangelium nuntiare. 171
Episcoporum & prælatorum est arguere, obsecrare, & increpare. 243.1
Episcoporum munus & officium. 223.1
Epitaphium antiquum sepulchro ethnici cuiusdam hominis repertum: qui resurrectionem sperabat. 285
Equorum superuacaneam multitudinem & factum redarguit Deus. 16.2
Esaias fingitur à Iudæis congressum habuisse cum vxore coram duobus testibus. 40.2
Esaias ad munus concionandi subeundum purificatus igne charitatis. 36.1
Esaias vir doctissimus quare literam Hebraicam finalem ך in principio dictionis posuerit. 54.2. *in med.*
Esaiæ filius nomine Rapzaces. 37.1
Esaiam nudum per vrbem ambulasse, contra quorundã opinionem. 94.1
Esau plantam pedis fratris manibus tenens quid significet. 201.1
Esau, id est, vanus. 201.1
Essentia diuina à nemine in hac vita videtur. 33.2
Euangelium bonum nuntium significat. 222.2
Euangelium fœdus sempiternum. 110.1
Euangelium non literati homines sed simplices annuntiarunt. 147.2
Euangelium veritas est. 7.1
Euangelium Christi animarum cibus. 113.1
Euangelium Christi ortum habuit à suaui Angelorũ cantu. 34.2
Euangelij magna propagatio significatur. 61.2
Euangelij prædicationem ad Gentes propagandam esse prædicitur. 256.1
Euangelij prædicatio prædicitur. 124.2
Euangelij opera & fructus. 61.2
Euangelicus sermo quàm sit abbreuiatus. 58.1
Euangelica prædicatio pluuiæ comparatur. 240.1
Eucharistia manè recipienda, vt Manna manè colligebatur, non vesperi. 238.1
Eucharistiæ consecratio: in qua Deus absconditus. 195.2
Eucharistiæ panis non panis simplex est, sed vnitus diuinitati. 37.1
Eucharistiæ sacramenti dignitas, & probatio, contra Hæreticos. 284.2
Euilmerodach filius Nabuchodonosor. 74.2
Euilmerodach patris cadauer in ducentas partes diuisit, ne posset ad vitam redire. 74.2
Eunuchi qui se castrauerunt propter regnum cœlorum laudantur. 283.1
Euphrates Fluuius. 62.2
Euripides à Demetrio Phalereo reprehenditur, & quære. 28.2
Euripides ait vitæ felicitatem durare vnum diem. 172.1
Euripus vorago in Eubœa vbi aqua fluit & refluit. 247
Exactores qui pecuniam & reditus exigunt. 23.1
Examinatio suiipsius. 197.2
Exempla multorum qui castitatem seruarunt. 284.1
Ezechias Basiliscus vocatur. 75.2
Ezechiam apostemate quodam laborasse cum ægrotaret, secundùm quosdam, quod ficis aridis sanatũ est. 165.2
Ezechielis ægrotatio moraliter explicatur. 163.1.2

F

Faber prunas accendens, & instrumenta aduersus Ecclesiam conflans, diabolus est. 237.1
Faciem peccatoris sumere, est improbis fauere. 312.2
Fallacis hominis cogitationes vasa vocantur. 142.2
Famam æternam voluisse quosdam impios exemplis ostẽditur. 101.2
Fames in Hierusalem tempore obsidionis Titi, & Vespasiani. 19.2
Famis vis. 336.1
Familiaritas cum quibus sit ineunda. 142.2
Familiaritas iniquorum quàm perniciosa. 303.1
Familiaritatem hominum antequam ineamus, prius ij probandi sunt. 35.2
Fauor impiorum Principum hederæ comparatur. 37.2
Fauores mundi & prosperitates quàm mobiles sint, & inconstantes. 156.1
Ferrum frigidum contundere, Prouerbium. 140.2
Festos ab Ecclesia Catholica obseruare quàm piũ. 297.2
Festina lentè prouerbium. 89.2
Fertilitas cornucopia designata. 310.1
Fides pro dictorum conuentorumque constantia. 324.2
Fides non sat est vt sit in anima, sed debet esse in manu. 144.1
Fides viua quæ sit. 10.1
Fides sine charitate non prodest. 10.1
Fides nõ sufficit sola, vt vitã æternã consequamur. 10.1
Fidem habere non satis esse, sed necesse esse secundùm eam operari. 117.1
Fidelium verba qui Euangelium receperunt. 117.1
Fiducia nostra in Deo ponenda. 103.2

Filium non portare iniquitatem patris æquum est. 266.1
Filius hominis quis dicatur. 159.1
Filius, Principium per quod omnia facta sunt. 24.2
Filij nomen Christi diuinitatem denotat. 51.1
Filij desertores & præuaricatores qui appellentur. 120.1
Filia in diuinis literis idem est quod congregatio. 296.2
Filios ex imitatione appellare solet Scriptura. 76.1
Finis omnium nostrarum actionũ debet esse Deus. 200.2
Finis nomine Christus intelligitur. 298.1
Finis extremas literas Alphabeti Hebraici, & Græci significat. 261.2
Finis realiter bonus quando bonum est etiam principium. 167.1
Finis habet eandem vim mouendi, quæ habet principium in naturalibus. 167.1
Finem rerũ memoria tenere quàm sit vtile. 200.1
Fœdus pro pace accipitur, & pro lege. 108.1
Fœlix qui verè dicatur. 284.1
Fortis hominis verba. 19.2
Fons Epiri admirabilis, in quem immersæ faces ardentes extinguuntur. 114.2. *Christi sepulchro comparatus.* 115.1
Fons in medio collocari debet. 66.1
Fons admirabilis in Cyrenaica prouincia, media nocte feruens. 98.1
Fortes & potentia præstantes muri appellantur. 18.1
Fortium & validorum nomine qui notentur. 19.2
Fortitudo vera quæ sit. 112.2
Fortitudine mutare aliquem & nouum robur colligere. 177.1
Fortitudo vectium nomine intelligitur. 77.1
Fortitudo viris iustis tribuitur. 112.2
Fortunam diuersis nominibus & titulis vt Deum adorandi mos Gentilium. 277.2. *in fin.*
Fratres in Scripturis non tantùm dicuntur ex ijsdem parentibus ortis, sed ex eadem familia. 21.2
Fugientes timore perculsi per ceruum Hieroglyphicè significantur. 305.2
Fratres & consanguinei brachia vocantur. 54.2. *in med.*
Fugientes & relinquentes Deum increpantur. 4.1
Fumus pro gloria accipitur. 27.2. *item pro Dei præsidio.* ibid.
Fumus pro splendore sumitur. 34.2. *item pro odore.* ibid.
Fumuli quid sint. 311.2
Fumus cæcitatem Iudæorum exprimit. 34.2

G

Gades colonia Tyri. 104.2
Gaudendum non est vt tuti esse arbitremur. 200.1
Gaudia mundi quinquaginta annis comparata. 213.2
Gentium domini Assyrij vocantur. 80.1
Gentium ad fidem Christi vocatio prædicitur. 62.1
Gentilis populus filius est non primogenitus, sed secundo genitus. 3.1
Generatio spiritualis quæ sit. 36.1
Generatio pro quibus sumatur. 230.2. & 231.1
Gigantes non resurrecturos, quo pacto intelligatur. 118.2
Gigantum fabulæ Deo bellum inferentes. 146.2. *in fin.*
Gith seminis genus largius epotum enecat. 130.1.2
Gloria mundi in quibus sit constituenda. 159.1
Gloria vera in quibus constituatur. 56.2. *in fin.*
Gloria mundi occidens. 200.2
Gloria mundi nihil leuius. 55.2
Gloria mundi vera in quibus consistat. 74.1
Gloria qui perdantur. 56.2. *in fin.*
Gloria impiorum in dedecus conuertitur. 102.1
Gloria quæ sit quærenda. 55.2
Gloria fallax quæ sit. 56.2. *in fin.*
Gloria inanis vmbra & ventus vocatur, & apertum mendacium. 28.1.2
Gloria mundi quàm fluxa sit, & incerta. 105.1
Gloria mundi inanis. 90.2
In Gloriæ promissione magna vis ad homines amore pietatis inflammandos. 242.1
Gloriæ inconstantia quæ vnum diem durat, & statim extinguitur, vt Euripides cecinit. 28.2
Gloriam quòd diem vnum durare dicit Euripides à Demetrio Phalereo obiurgatur. 18.2
Gluma quid. 85.1
Gratiam cur in Turcarum manus venire Deus permiserit. 23.1
ad Gratiam se præparare in manu peccatoris esse, contra Lutherum & alios hæreticos. 170.2
sine Gratia pax esse non potest. 143.2
Gratia gratis & liberaliter datur. 65.1
Gratia aqua vocatur. 64.2. *in fin.*
Gratiæ effectus. 64.2. *in fin.*
Gratiam non dat Deus aliquibus. 132.1
Gratiam nulli Deus denegat. 65.1
Grues cum ex Cilicia deuolant lapides in ore ferunt, vt ab Aquilis caueant. 313.1
Gubernandi pulcherrima forma & ratio. 53.1

H

Hæretici & nefarij homines per Strathiones significantur, qui non possunt volare. 335.1
Hæretici licet scripturam deprauent, nihil contra nos faciunt. 36.1
Hæretici destructores & dissipatores appellantur. 211.2
Hæretici licèt ad scripturam descendant, tanquàm ad piscinam, non tamen sanantur. 45.2
Hæretici multis in locis tantùm à se distant, quantum à nobis. 45.2
Hæretici Ecclesiam frustra conantur euertere. 155.1
Hæreticorum cœtus nauis est gubernaculo destituta. 329.1
Hæreticorum oratio non est oratio. 242.2
Hæreticorum quorundam errores damnati. 64.2
in Hæreticos viris iustis non tribuentes fortitudinem. 112.2
Hæreticorum dogmata carnis libertatem asserentia pestilentissima. 71.2
Hæreticorum dogma per linguam Iericho significatur. 64.2
Hæreticorum diuersitas in hæresibus. 36.1
Hæreticorũ interfectores sunt doctores Catholici. 237.1
in Hæreticos negantes inuocationem sanctorum. 253.2
in Hæreticos dicentes Sanctos non esse inuocandos. 159.2
in Hæreticos dicentes omnes Christianos esse sacerdotes, omnibusque concessam ligandi, & soluendi potestatem. 262.1
in Hæreticos dicentes Ecclesiam tantùm esse congregationem Sanctorum. 259.1
in Hæreticos dicentes nihil esse credendum, nisi quod sit in sacra Scriptura. 46.2
in Hæreticos Ecclesiam non audientes. 45.2
in Hæreticos reprobantes vsum imaginum Sanctorum. 278.1
in Hæreticos dicentes nihil à Christianis debere allegari, nisi sacram Scripturam. 36.2
Hæreticos indicandi Ecclesiam habere potestatem. 237.2
in Hæreticos existimantes sat esse Scripturã citare. 36.1
in Hæreticos, dicentes omnia euenire casu sine diuino numine. 328.1
in Hæreticos asserentes omnia fatalitate euenire. 328.1
in Hæreticos ad Poëtarum fati necessitatem confugientes vt negent liberum arbitrium. 328.2

in Hæbraicos dicentes Christum non esse in Sacramento nisi figuratiua. 284.2
in Hæreticos dicentes omnes Scripturæ libros debere in vulgarem linguam transferri. 126.2
in Hæreticos dicentes, omnes homines in omni opere peccare. 274.1
in Hæreticos qui omnia tribuunt fidei, operibus autem nihil. 9.2
in Hæreticos dicentes castitatem nō posse seruari. 383.1
in Hæreticos pœnitentiam negantes. 100.2
in Hæreticos dicentes Missam non esse sacrificium. 140.2. *aliosque qui eam vocant idololatriam.* 140.2. *in fin.*
Hæreses instrumenta sunt bellica, quibus Ecclesia oppugnatur. 137.1
Hæreses omnes ruituras & deleturas Esaias prædicit. 64.2
Hebræa loca quædam Scripturæ à vero sensu discrepare ostenditur. 346.2
in Hebraïcorum literarum in initio Lamentationum positarum interpretatio. 292.2
Heliopolis ciuitas AEgypti. 93.1. *id est Solis.* *ibid.*
Heliotropium herba circumagitur cum Sole. 136.1
Heluidius Heraſtroto comparatus, qui templum Dianæ combussit. 229.2
Heluidij hæresis, qui virginitatem beatæ Mariæ negauit.
Heptaphonon porticus Olympiæ septies voces emittebat. 156.2. *iniuriosè tractatis comparatur.* *ibid.*
Hericius animal quale. 71.2
Hericius animal setis horrens. 150.1
Herodes vulpes vocatur. 75.1
Herostratus templum Dianæ conflagrauit, vt nomen memoriæ commendaret. 101.2
D. Hieronymus effecit in suis operibus diuina sacraria, & reliquiaria. 140.2
Hierosolyma spiritualis multò sublimior terrestri. 53.1
Hierosolyma cur mons pinguis vocetur. 31.2
Hierosolyma insula vocatur. 94.2
Hierosolyma animi securitatem & quietem significat. 68.1
Hierosolyma cur collum Iudææ dicatur. 41.2
Hierosolyma cur filia Sion appelletur. 5.1
Hierosolyma tritura vocatur. 97.1
Hierosolyma cur vallis visionis appelletur. 100.1
Hierosolyma cur vocetur ciuitas sancta, & mons sanctus. 277.1. *in fin.*
Hierosolymæ cur Insula appelletur. 254.2
Hierosolyma luctuosum excidium describitur. 17.2
Hierosolymæ vastatio prædicitur. 99.2. *vbi captiui comprehensi sunt nonaginta & septem millia, mortui verò per tempus obsidionis vndecies centum millia.* *ibid.*
Hierosolymam cur potius vallem, quàm montem appellet Esaias. 99.1
Hierosolymæ excidium prædicitur. 25.2
Hierusalem pro cœlis & Ecclesia triumphante sumpta. 26.2
Hippon mulier ab honestibus capta in mare se iniecit, vt castitatem seruaret. 283.1
Historia vita memoriæ, teste Cicerone. 157.2
Holocausta in sacrificijs tota in altari cremabantur, non item victimæ. 7.1
Homerus antiquissimus author Reges appellat. 269.2
Homerus tollit apertè fati necessitatem contra Hæreticos. 328.2
Homo ἀ νθρωπος vocatur à Græcis, quasi sursum vergens. 108.2
Homo qui vocandus sit. 171.2
Homo peccato contaminatas cibus diaboli. 2.2
Homo armis destitutus, & nudus, cætera verò animantia munita. 89.1
Homo absque consilio nauis est gubernaculo destituta. 21.1
Homo ex sermone cognoscitur. 91.1
Homo bulla. 172.2
Homo solus erectus & ad cœli quasi domicilij conspectū excitatus. 60.2
Homo fœno comparatur. 172.2
Homo cum serpente comparatur. 122.1
Homuis nomine, qui obscurus est & humili loco natus intelligitur, viri verò nobilis. 16.2
Hominem veterem conteri & corrumpi oportet, vt nouus renouetur. 93.2
Homines in Scriptura animalibus rationis expertibus comparantur. 61.2
inter Hominem & nihil sola terra interiectæ est. 72.2
Homines multos cur noluit Deus creare sicut multa animantia. 89.1
Homines ab vno ab ipso creato cur originem ducere voluit Deus. 89.1
Homines quadrupedum nomine appellati. 75.1
Hominum ætas cum bestiolis Hypanis fluuij, vnum tantum diem viuentibus similis. 235.1
Hominum nomine qui priuatur. 108.2
Hominum genus principatus, ouis perdita. 51.2
Hominibus non esse fidem relicto Deo. 103.2
Hominibus fides non adhibenda. 103.2
Horologium in medio ciuitatis poni debet. 66.1
Humani generis salus non hominem meritis, sed ex Dei amore processit. 53.1
Humanæ res nihil habent soliditatis. 135.1
Humanarum rerum mutationes. 94.2
Humilis vir & abiectus magnus & excelsus. 262.2
Humilis in diuinis literis cœlum appellatur. 246.2
Humiles pauperes appellantur. 263.1
Humilitatis virtus quanta. 74.2
Hypanis fluuius initio dulcis, postea amarus, & venenosus. 224.2. *mundo comparatur.* *ibid.*
in Hymno à Solis ortu Cardine Alphabeti ordo. 292.2
Hypanis fluuij bestiolæ, quæ tantùm vnum diem viuunt. 235.1
Hypocrisis capitalior aperta iniquitate. 54.1
Hypocrisis definitio ex Chrysologo. 54.2. *in med.*
Hypocrisis stanni nomine significatur. 12.1
Hypocritæ quales sint. 249.2

I

Iacob cur præceperit vt in terra sancta sepeliretur. 277.1. *in fin.*
Iani fores nisi in summa pace Romæ claudebantur. 16.1
Ibis auis AEgypti, quæ duplex est. 150.1
Iecur fons sanguinis, in quo vita consistit. 314.1
Iecur effundere apud Hebræos est vitā amittere. 314.1. *ideò iecur rumpere, est occidere.* *ibid.*
יהוה *nomen Hebræum Trinitatem denotat.* 222.1
Iehouah nomen Dei tetragrammaton. 205.2. & 174.1
Iehouah nomen Dei in se altissima mysteria continet Iudæis incognita. 222.1
Iehouah nomen ineffabile tetragrammaton. 221.2
Ieiunium quàm bonum sit. 249.1
Ierico linguam capere quid. 64.2
Ierico Lunam sonans, mundus est. 68.2
Ierico Lunam significat. 64.2
ex Iesse Dauid Rex ortus. 60.1
Idumeus Magus Cabalæ Iudæorum inuentor. 205.1
Idolum adorare ludere est in diuinis literis. 284.1
Idola quibus nominibus appellentur in diuinis literis. 196.2

Idolorum nomine, diuitiæ aliquando notantur. 13.2
Idolorum vanitas irridetur. 18.2
Idolorum cultores irridentur, & obiurgantur. 176.1
Idololatriæ & abominationes Iudæorum. 245.2
Ignis infernj æternus. 111.1
Ignominia. 124.1
Ignorantia & Dei Scientiæ defectus inter ægritudines numeratur. 172.1
Ignorans vir flagitiosus, vt ait Aristoteles. 108.2
Imago Christi miracula faciens. 278.2
Imago virginis Mariæ à D. Luca depicta. 278.2
Imaginem misit Christus faciei suæ Abagaro Edessenorũ Regi, vt testatur Damascenus. 278.1
Imaginis Crucifixi miraculum à D. Athanasio relatum. 278.2
Imagines latria adoratione quæ soli Deo debetur adorare impium. 17.2
Imaginum vsus Concilijs probatur. 278.1
Imaginum vsus probatur testimonio S. Scripturæ, contra Hæreticos. 278.1
de Imaginibus sanctorum quæstio in Concilijs tractata. 278.1
vt Imperent iniqui Deus permittit propter populi scelera. 21.2
Imperare stulteum est cùm quis imperare nõ potest. 122.1
Impius pulueri comparatur. 84.2
Impius vir mari in omnibus similis. 247.2
Impij homines non homines appellandos esse, sed feras. 214.1
Impij per paleas & glumas designantur. 85.2
Impij æternis cruciatibus punendi. 138.2
Impij filij dæmonis dicuntur. 76.1
Impij cadauera, & corpora absque anima appellantur. 288.1
Impij montium nomine significantur. 18.1
Impij omnes silent, quia ad Deum nequaquam clamant. 98.1
Impij & scelerati cur graues iniquitate vocentur. 3.2
Impiorum nomina. 3.2
Impiorum consilia nihil contra nos efficere. 42.1
Impiorum nomina in terra scripta sunt. 26.2
Impiorum defensio inutilis. 77.1
Impiorum vita potius mors dicenda, quàm vita. 263.2
Impiorum consilia & cogitationes ouis aspidum comparantur. 252.2
Impiorum consuetudo, quid secum detrimenti afferat. 35.2
Impy vticis similes 181.1
in Impiorum castigatione gloriam suam ostendit Deus. 201.1
Impiorum quanta sit miseria. 279.1
inter Impios habitare culpa est. 35.2
ab Impijs abesse Deus dicitur. 301.2.*in fin.*
Improba & depranata illustria aliorum facta vitio vertunt. 43.2
Incensum pro holocausto sumitur. 7.2
Inconstantia quot mala hominibus afferat. 91.1
Inconstantiæ incommoda. 101.2.*ex peccatis prouenit.* *ibid.*
Incantationes verbis submissis fiunt. 22.1
Incantatoribus & auguribus Babylon abundans. 201.2
India & Lusitania nostro tempore sua lecta, & ad fidem conuersa. 235.1
Infernus per silentium intelligitur. 98.1
Infernum in medio terræ constituitur. 76.2
Infernus qui Duma sonat apud Hebræos, tacere significat. 98.1
Infernus mors appellatur. 165.2.*& lacus.* *ibid.*
Infernum pro sepulchro. 308.2
Infideles vera intelligentia, sapientiaque destituti. 38.1
Infidelium conuersio prædicta. 240.2.*&* 241.2
ab ingratis gloriam & dignitatem Deus aufert. 83.1
pro Inimicis orandum, exemplo Christi. 233.1
ab Inimicis quas vtilitates possimus capere. 85.2
Iniquitatum multitudine nihil onerosius. 98.2
Iniquus & insipiens idem vocabulum significat. 108.1
Iniqui homines & impij iustis sunt adiumento. 185.2
Iniquos homines aliquando diuinæ iustitiæ ministros. 69.1
Iniuriam qui non repellit à socio, si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit ex D. Ambros. 9.2
Iniurias non dimittentes in extrema vitæ periodo, reprehenduntur. 233.2
Inuicti & reprobati non habent nomina scripta in libro vitæ. 176.2
Iniustitia via obliqua & tortuosa appellatur. 171.2
Iniurias in Deum iactas potius esse deploraturas quàm in nos ipsos. 298.2
Innocentes viri oues & columbæ vocantur. 75.1
Inobedientes quàm grauiter reprehendantur. 101.1
Inobedientes diuinæ voluntati obiurgantur. 41.1
Instabilitas ex peccato orta, & ex ea confusio. 306.1
Institores qui sint. 104.2
Intelligere aliquando ad voluntatem & actionem potius quàm ad intellectum refertur. 225.1
Intellectum præmium fidei dicit D. Augustinus. 38.1
Inuocatio Sanctorum quantoperè vtilis. 255. *Scripturæ testimonijs comprobatur.* *ibid.*
Inutilia molientes. 192.1
D. Ioannis Baptistæ concio erat stimuli & claui, quinui, quibus Herodem increpabat. 249.2
D. Ioannes Baptista mundi contemptum prædicauit. 172
D. Ioannes Baptista cur vox clamantis in deserto vocetur. 170.2.*&* 171.1
D. Ioannes Baptista in ventre D. Matris sanctificatus. 274.1.
Ioannes tertius Lusitaniæ Rex. 212.1
Ioannes R ffensis Martyr Angliæ, aduersus Hæreticos scripsit. 237.1.2
Ionæ mirabilis in Deum fiducia. 8.1
Ionathas fauum mellis comedens præceptum patris fregit. 20.1
Ionathas Chaldaicus vir magni nominis & admirandæ doctrinæ. 81.1
Iordanis Fluuius Euangelij typus. 62.2
Iosaphat oratio. 79.2
Ioseph mundi saluator vocatus. 66.2
Iosepho nihil nocuit consilium fratrum. 42.1
Ioseph sponsus Mariæ Virginis ex ampla, celebrique familia Dauidis ortus. 60.1
Ira Dei torrenti inundantis comparatur. 138.1
Iratorum hominum gestus. 250.1
Iratis figura frequens, quam M. Tullius aposiopesim vocat. 101.2
Isaac hæreditatem paternam fratri abstulit. 3.1
Ismael hæreditate priuatus. 3.1
Israel duplex. 307.2
Iuda filius Ammon in commentarijs in Psalmos ait peccatũ Adami Christo causam mortis præbuisse. 229.1
Iudæa ab Aquilone ad Euphratem terminatur. 124.1
Iudææ totius desolatio. 124.1
Iudæa cur terra Dei appelletur. 75.1
Iudææ totius vastitas ostenditur. 145.2
Iudaicus populus ficus arida. 13.1
Iudaicus populus, Iacob, Israël, & Circuncisio appellatur. 307.1.2
Iudæi quercui sine fructu comparantur. 36.2
Iudæi solebant mortuos consulere, & in eorũ sepulchris ad eos interrogandum habitare. 276.1

Iudæi vsque hodie degant vitam infamem, & ignominiosam. 24.2
Iudei hereditate expulsi & reprobati. 3.1
Iudei audita Blasphemia vestes scindebant antiquitùs. 158.1
Iudei cuiusdam interpretatio diuina de aduentu Christi. 52.1
Iudei Idolorum cultores. 18.1
Iudei non omnes seruati sed eorum reliquiæ tantum superstites. 62.1
Iudei sententiam ferentes in excelso throno sedent. 33.1 *in fin.*
Iudei quare Christum Saluatorem non cognouerunt. 3.2
Iudæi vxores repudiabant. 213.1
Iudæi incurabiles. 4.2
Iudæis Apostolis carentibus nulla gens viuit abiectior. 31.1
Iudei quod dicunt de Cabala falsum esse. 204.2
Iudæi populus diuisus, dilaceratus, sperans humanum auxilium, & direptus. 87.1
Iudei non omnes repulsi. 6.1
Iudæi filij alieni & alienati quonam pacto appellentur. 84.1
Iudeorum sacrificia abrogantur. 188.2
Iudorum Blasphemia & insolentia verba in Christum. 4.1
Iudæorum miseria & calamitas, æternique eorum interitus minæ. 3.2
Iudæorum ebrietas crapula & immodicus luxus notatur. 126.1
Iudæorum ingratitudo. 3.1
Iudæorum falsa opinio de puero nato ab Isaia demonstratur. 41.1
Iudæorum impudentia & fictitia, dicentium Isaiam congressum esse cum vxore coram duobus testibus. 40.2
Iudæorum nomen post Christi necem quàm execrandum. 279.1
Iudæorum ingratitudo & ignorantia brutorum comparatione arguitur. 3.2
Iudæos se puniturum & grauiter afflicturum Deus prædicit. 11.2
in Iudæos Messiam id est Christum negantes. 285.2
in Iudæos notanda hæc verba Isaiæ. Alligemus iustum quoniam inutilis est nobis. 24.2
Iudeos Deo terga vertisse multis locis sacræ Scripturæ ostenditur. 4.1
in Iudæos dicentes Christum non esse Messiam & Saluatorem. 187.1
In Iudæos fingentes vaticinationem Isaiæ, de illis intelligi, non autem de Christo. 233.2
in Iudæos Messiam, id est Iesum Christum esse Deum negantes. 173.2
Iudæis tria beneficia collata, generationis, nutritionis, dignitatis. 3.1
Iudex pauperes non apprimat. 31.2
Iudex etiam minime requisitus veritatem debet inquirere. 79.2
Iudex corruptus mercatori habenti duas mensuras comparatur. 129.1
Iudicis consideratio in eligendis & probandis testibus. 39.2
Iudices iniusti reprehenduntur. 252.2
Iudices & Principes calumniatoribus non faueant. 60.2
Iudices in portis ciuitatis delinquentes arguere solebant 133.2
Iudices prima fronte iudicantes, & non rei substantiam perpendentes, reprehenduntur. 60.2
Iudices iniusti falsæ stateræ similes grauissimè reprehenduntur. 312.2
Iudici bono tres qualitates in omnibus iudicijs obseruandæ. 79.2
Iudicia in portis vrbis solebant Iudæi exercere. 25.2
Iudices quàm accurate rem, id est causam, debeant perpendere. 60.2
Iudices ob munus acceptum nocentibus fauentes, Cerbero comparantur. 147.1
Iudicis qualitates aptissimè recensentur, ex oratione Iosaphat. 79.2
Iudicium significat sæpe actionem qua quis seipsum iudicat. 15.2 *item damnationem.* *ibid.*
Iudicium & iustitia cum simul hæ duæ voces copulantur quid significent. 15.2
Iudicium ob scelera & munerum acceptiones depranatur. 254.1
Iudicium debet esse æquo ordine, & iustitia in mensura. 129.1
Iudicium Dei in quibus demonstretur ad eorum confusionem. 74.2
Iudicium custodire quid. 241.1
in Iudicij die vnusquisque rationem rerum suarum est redditurus. 24.1
ex Iudicij corruptione & depranatione omnia mala proueniunt. 23.2
in Iudicij extremi die cæli magno impetu transituri. 217.1
Iudicij vltimi dies calamitatis, luctus, & miseriæ. 138.2
in Iudicio extremo omnis homo confitebitur Christum Deum esse. 196.2
ad Iudicium venientis Dei verba tremore plenissima. 24.2
Iudicia in portis ciuitatum solebant Hebræi & Iudæi exercere. 75.2
Iudicare non semper est contra aliquem sententiam ferre, sed aliquando pro eo. 15.1
Iugum ne transgrediaris, Pythagoræ præceptum ostenditur. 326.1
Iugum Dei ab ieunte adolescentia flore portandum. 326.1
Iugum Diaboli iugum oneris à Iugo Dei multum differt 50.1.2
Iugum Christi quàm suaue, & onus leue, demonstratur. 50.2
ad Iugum Domini ferendum quæ sint necessaria Christianis. 326.1
Iulius Cæsar fingebat se à Ioue in suprema Imperij dignitate collocatum. 315.1
Iulij Cæsaris numisma, in quo aquila aurea sculpebatur. 315.1
Iulij Cæsaris numisma in quo Caduceum cum Cornucopia insculpebatur. 340.2
Iulij Cæsaris numisma. 310.1
Iustus & pius vir describitur. 118.1
Iustus vir sedes Dei. 281.2
Iustus vir quò immanius ab impiis affligitur, eò amplius crescit. 28.1
Iustus vir speculum in quo impij suas maculas intuentur. 254.1
Iustus afflictus ab impijs rupi fortissimæ comparatur. 42.2
Iustus vir cum arbore fœcunda comparatur. 13.1
Iustus palmæ comparatur. 42.2. *& adamanti.* *ibid.*
Iustus vt palma. 13.2
Iustus etsi tormentis opprimatur, animi tamen pacem

non amittit. 143.2
Iustus vir ligno & arbori iuxta aquas plantato comparatur. 64.2
Iusti viri non habitant in terra, sed in regno calorum. 108.1
Iusti per triticum significantur. 85.2
Iusti silentes etiam clamant. 98.1
Iusti pedibus conculcant terram, iniusti verò conculcantur. 183.2
Iusti viri ex hac vita decedunt tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. 164.2
Iusti viri nubibus atheris appositè comparantur. 30. 2. & 31.1
Iusti præclara epitheta. 3.2
Iusti fructuosis arboribus frutetorum maximè comparantur. 181.1
Iusti viri pulchra descriptio. 284.2
Iusti quo pacto Deum venerentur & colant. 33. 1. *in principio.*
Iusti scintillis splendidis & rutilantibus comparantur. 90.2
Iusti viri quanti æstimandi sunt, siquidem propter eos multa scelera ab hominibus auertit Deus. 271.1
Iusto viro mors acerba & immatura haudquaquam accidit. 279.2
Iustum & pium à nemine ladi & offendi ostenditur. 28.1
Iustorum quanta sit felicitas. 279.1
Iustorum vita abscondita est in Deo. 27.2
Iustos quanti faciat Deus. 252.1
Iustos prius seruat Deus, antequam aliquid euertat. 244.2
Iustitia pacis fundamentum. 143.1
Iustitia pro iustificatione & æquitate accipitur. 15.2
Iustitia finis Principum. 13.2
Iustitia olim iuxta Iouem pingebatur. 121.2
Iustitiæ definitio. 144.1
Iustitia est tribuere vnicuique quod suum est. 144.2
Iustitiam sine æquitate & veritate non posse consistere. 254.1
Iustitiam facere quid. 241.1
In Iustitia exequenda quę diligentia Iudici requiratur. 79.2

L

Lacrymæ piæ sanguini martyrum comparantur. 314.1
Lacrymæ semina sunt gloriæ. 101.1
Lacrymarum piarum laus. 314.1
In Lacrymis mirabile quod foris exeuntes intus lauant, & deorsum cadentes, ascendunt sursum. 261.2
Ladit nemo nisi volentem dicebat Epictetus Socraticus. 146.1
Læditur nemo nisi à seipso sententia D. Chrysostomi. 146.2
Latitia in afflictione, & afflictio in lętitia columna dicitur. 27.2
Lamentationes Hieremiæ non solum ad Iudæos, sed etiam ad totum orbem referuntur. 292.2
Lamia pro venefica sumitur. 340.1
Lamia animal prætendens faciem mulieris, pedes habens equinos. 150.2
Lamia homines deuorant, vt ait Chrysostomus Dion. 339.2
Lamię bestię crudelissimę. 335.1
Lapis limitaris qui. 62.1
Lapides quadrati ad ædificandum apti, non autem rotundi. 83.2
Laus inanis hominum redarguitur. 55.2
Laude dignus quis sit. 74.1
ad Laudem quid illustrius sit. 85.1
Laudibus meliores non sumus. 23.2
Laudari à turpibus turpe ducebat Antisthenes. 24.1
per Leones in basibus sculptos prœsulum fortitudo significatur. 142.1
Leones solent & manè & serò animalia trucidare. 131.1
Leprosi solebant extra ciuitatem proiici & separari. 228.1
Leptis colonia Tyri. 104.2
Leuiathan quid. 121.1
Lex quare data Moysi cum tonitruo & fulgure. 34.2
Lex vetus data fuit in monte Sinai, non autem in monte Sion. 15.1
Lex vetus vmbra. 17.1
Lex omnium mortalium dominatrix regina, ex Pyndaro. 13.1
Lex vetus testudini ex lignis compactæ pro templi aedificio comparata. 7.2
Lex scripta spiritualis, quam ob causam indiget reuelatione. 44.2
Lex quibus constare debeat. 102.1
Lex & testimonium pro eodem sapissimè accipiuntur. 45.1
Legis veteris difficultates in fidei facilitatem esse conuertendam. 172.1
Lex diuina thesaurus admirabiles & pretiosissimus. 341.2
Leges ciuitatum fundamenta. 55.1
Leges bases sunt, in quibus nititur ciuitatis salus & protectio. 55.1
Leges non leges vocari debent quæ populo afferant detrimentum & pernicem. 55.1
Leges imquę capitalius & pernicioſius Reipub. malum. 55.1
Liber vitę, Dei est præscientia & prædestinatio. 26.2
Liber mysteriorum Dei scriptis intus & foris, quid. 44.1.2
Liberi Arbitrij confirmatio. 10. 2. *contra hæreticos. ibid.*
Liberum esse hominum Arbitrium ex Aristotele, Socrate, & Platone. 111.1
Liberare nos qua diligentia & solicitudine Deus cupiat. 29.2
Libertas sola apud Deum est non seruire peccatis. 335.2
Lingua pro termino, siue petra limitari finibus appositio sumitur. 64.1
Libidinosus animus à Socrate, Euripo comparatur. 247.2
Linguæ diuersæ quibus Apostoli loquebantur ab Isaia prædictæ, & à D. Paulo explanatę. 126.2
Linguæ Hierosolymę, Piorum, & lingua Aegypti, impiorum differentia. 92.1
Lingua tenerum membrum, & tamen vix teneri potest, ex D. Bernard. 313.1
Linguæ ratio obiicienda ne temerè diffluet & dilabatur. 313.1
Linguam cur natura verum omnium parens in ore posuerit. 313.1
Linguam in homine pessimum esse dicebat Anacharsis. 313.1
vt Lingua animum præcurreret, non committendum esse dicebat Chilo. 313.1

Lintei D. Petro ostensi vbi diuersitas erat animalium significatio. 61.1.2
Linteamina vestes tenuissimæ ex lino conficiuntur. 25.1
Locus apud Troglodytas sexies in die mutatus. 91.2.
homini insipienti similis. 91.2
Loqui & tacere extra tempus vtrumque peccatum est. 35.1
Loquaces & garruli docti non sunt. 312.2
Loquacitatem non esse multum loqui quando necessaria dicuntur. 313.2
à Loquacitate & nimia verborum abundantia quantoperè Theocritus abhorrebat. 313.1
Loquens homo detegitur qualis sit. 92.1
Loquendo plures in peccatum incidisse, vix quempiam tacendo, ex D. Ambros. 313.1
D. Lucas imagines Virginis Mariæ Dei genitricis propriis manibus depinxit. 278.2
Luctum non esse priuatum, sed omnibus communem. 77.2
Lucifer stella Venus appellata. 73.1.*in fin.*
Lugere terra quando dicatur. 295.2
Lumbos dolore impleri significat imbecillitatem per Hebraism. 96.1
Luna quare licet sit omnibus stellis minor, plus tamen hac inferiora mouet. 142.1
Lunula ornamentum mulierum quale. 25.1
Lupos & agnos simul habitare, quo pacto intelligatur. 61.2
Lusitani terras ignotas & abstrusas penetrarunt, gentesque barbaras ad fidem reduxerunt. 235.1
Lutherus hereticus grauissimè obiurgatus. 14.2
Lutherus hæreses antiquas suscitauit, dicens omnia fatalitate euenire. 328. 1. *grauissimè reprehenditur. ibidem.*
Lutherus grauissimè reprehenditur. 283.2
Lutherus eiusque sequaces reprehenduntur. 45.2
Lutherus pestis ac pernicies totius Germaniæ, & aliarum regionum. 122.2
Lutherus reprehenditur dicens Missam non esse sacrificium. 140.2.*in fin.*
Lutherus quàm perperam locum illum Esaiæ explanet: Suscepit de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis. 170.2
Lutherus reprehenditur dicens non dari gratiam nisi pro peccatis. 170.1
Lutherus reprehenditur, dicens se disponere ad gratiam esse peccatum mortale. 204.1
Lutheri eiusque sequacium doctrina Ecclesiæ ex diametro repugnat. 46.1
Lutheri ridiculum sophisma in argumentando dicentis, Si Christus nihil dixit quod non sit in Scriptur. sic nobis agendum est. 96.2
Lutherus quamuis hæreticus non ausus est vsum imaginum auferre, & reprehendit Carolstadium, imagines damnantem. 278.1
Lutherus reprehenditur. 132.1
Lutherus Germaniam corrupit, & peruertit. 211.2
Lutherus procella patriæ cur nos perturbat. 119.2
Lutheri arrogantia nullos probatos viros audire volentis. 46.2
Lutheri horribilis hæresis dicentis hominem peccare mortaliter quando facit quod in se est. 170.1
Lutheri doctrina lingua aurea Iericho vocatur, & cur. 64.2
in Lutherum dicentem D. Petrum non esse fundamentum Ecclesiæ. 236.2
in Lutherum dicentem mille ab hinc annis non fuisse fidem in Ecclesia. 235.2.& 236.1
in Lutherum negantem liberum arbitrium. 270.1.& *dicentem omnia do necessitate absoluta euenire.* *ibid.*
in Lutherum dicentem omnes Christianos esse sacerdotes. 262.1
in Lutherum dicentem contritionem ante charitatem esse execrabilem. 198.1
in Lutherum asserentem omnes homines quantumuis iustos in omni opere peccare. 237.1.2.& 274.1
Lutherani licèt citent authoritates Scripturæ, non tamẽ sumunt calculum ab altari. 36.1
in Lutheranos. 140.1
in Lutherani sectam. 259.2
in Lutheranos qui sola fide gloriantur, opera verò charitatis reiiciunt. 10.1.2
Lutheranissimus ob incredibilem confusionem Babel potest vocari. 36.2
in Lutheranos. 36.2

M

Machabeorum liber canonicus affirmatur à D. Augustino, & Concilijs. 319.2
Madianitarum historia. 58.1.2
Magdalenæ cor erat Aethna mons ardentissimus. 261.2.
in quibus flammis erat Nilus lacrymarum. *ibid.*
Magi Orientis per fortitudinem siue virtutem intelliguntur. 41.2.*in fin.*
Magici, cùm Iudæi, tùm alij reprehenduntur. 172
Magistratu honorem & commodum recipientes, laborem verò recusantes, reprehenduntur. 309.2
Magna quæ sunt Scriptura Dei appellat. 73.1.*in fin.*
Magnates nubibus comparantur. 117.2
Magnes quis sit. 246.2
Magnates & potentes huius seculi per radicem intelliguntur. 75.2
Magorum trium oblatio ab Esaia prædicitur. 256.2
Mali vbique sunt, præterquàm secum, dicit Seneca. 208.1
Maledicentibus & detractatoribus quo pacto respondendum. 156.2
Manichæus negans Arbitrij libertatem iustè damnatus. 270.1
Manichæi hæresis. 64.2
Manna colligi manè, non vesperi, quomodo intelligatur. 238.1
Manna, hoc est dulcis animæ oblectatio. 9.1
per Manus eleuationem quid significemus per Hebraism. 8.1
Manus pro auxilio diuino capit Hebraismus. 42.2
Manus leuare mos antiquus. 8.1
Manus nomine quid intelligatur. 46.1
Manus pro supplicio. 310.1
Manum extendere quid. 302.1
Manum dicitur dare qui adiuuat. 342.1
Manum extendere super aliquem est eum punire. 118.1
Manum dare, id est, inire fœdus per Hebraismum. 302.1
Manum firmare super aliquem, est illum grauiter percutere. 310.2
Manum mouere, extendere, & ponere, quid. 92.1
per Mane tempus prosperitatis & fortunæ intelligitur. 145.1
Mappe mundi, id est orbis descriptio. 86.1
Marci Agrippæ inscriptio in templo rotundo Romæ. 319.1
Mare quid vocetur. 90.1
Maris Rubri in exitu Israelis de Aegypto allegoria. 218.1

Maria virgo caput perhorrendi dæmonis contriuit. 39. 1.2

Maria virgo campus nec sulcatus vomere, nec defossus sarculo. 60.1

Maria virgo terra dicitur absque via. 229.1. *in fin.*

Maria Virgo virga de radice Iesse propagata. 59. 1. *in fine.*

Maria virgo cum duxerit genus à Dauide cum dicit Isaias eam ortam à Iesse. 59.2. *in fin.*

Maria virgo aduocata peccatorum. 22 .1

Maria virgo terra sanctissima. 193.2

Mariæ Virginis natiuitatem & assumptionem cur Euangelium nobis non explicuerit. 34.1

Mariæ virginis pulchra commendatio. 229.2

Maria Magdalena qua vnitate & desiderio Christum amplectebatur. 89.2

Martyres sancti qui sanguinem fudere, tauri vocantur. 32.1

Martyrum consolatio. 120.2

Martyribus quomodo Deus loquatur. 119.2

Martyrij tempus modicum ad momentum vocatur. 120.1

Mathematici nostri temporis illustres atque celebres. 281.2

D. Matthæus Euangelium suum literis Hebraicis scripsit. 66.1

D. Matthæus mirabiliter in Christum conuersus. 59.2

Matrimonium sacramentum à Deo institutum esse monstratur. 283.1

Medicina amorem & concordiam humorum in corporibus humanis requirit. 89.1

Memoria nihil tenacius complectimur, quàm quod rudibus annis percepimus. 326.1

Medicina non contemnenda. 166.1

Matrimonio copulati absque peccato mouentur ad filios procreandos. 280.2

Memorialis liber qui appelletur. 318.1

Memphis ciuitas Aegypti magicis artibus & incantationibus dedita. 90.2

Memphis à quo condita. 91.1

Menander dicebat, Mores dicentis esse qui persuadeant, non verba. 151.1

Menses per Lunas numerabantur apud Hebræos. 7.1. *& quare.* *ibid.*

Mensis in nouilunio incipiebat apud Hebræos. 7.1. *quod obseruabatur.* *ibid.*

Mareotidis lacus Aegyptijs propter gemmas vtilissimus. 90.1

Messias, id est, Christus, duas habet naturas. 174.1

Messias idem est quod vnctus apud Hebræos. 174.1

Messias seruus vocatur. 215.2

Messias Saluator appellatur. 67.1

Messia tempus dies nouissimi appellantur. 14.1

Messiam ex matre absque patre nasci, concipique de Spiritu sancto absque virili semine collegit Galatinus. 286.2

Miraculi Christi lineæ Apellis egregijs pictoris lineis comparantur. 271.1

Miracula facientes sancti, non suo faciunt nomine, sed sunt brachia quibus Deus operatur. 271.2

Misericordia Dei. 11.2

Misericordia Dei cos ad pœnitentiam vocantis quos eum non audituros scit. 101.1

Misericordia non est à iustitia & vera æquitate separanda. 121

Misericordia Dei est opus. 247.1

Missa nomen Hebraicum significat sacrificium. 140.2. *in fin.*

Militia pro quibus sumatur. 169.2

Militia est vita hominis super terram, huius loci versio. 111.2

Militum exercitus syluæ comparatur. 58.2

Mitra pileus mitratus & corona muliebris. 25.1

Moab pro mundo ponitur. 115.2

Moab nocte vna euersa. 77.1

per Moab qui a patre diabolo sunt, intelliguntur. 76.1

Moab Arabum Prouincia, in qua regnauit Balaac filius Sephor. 76

Moab ex incestu genitus. 76.1

Moabitarum vrbes insignes. 77.2

Moabitarum idolum Camos vocabatur. 77.1

Moabitarum nobiles ciuitates. 77.1

Moabitarum Rex tributarius Regi Israelis. 81.1

Moabitarum vastitatis & dirutionis præcipua causa numeratur. 80.1

Mœror quo animo coloratus conuertitur in oblectationem. 300.1

Mœror noster & afflictio oblectatione aliqua spirituali temperanda. 27.1

Monachorum sanctorum abundantia in tribus potissimum regionibus. 93.2

Monasticam vitam qui profitetur, dicitur aquam miscere vino. 11.2

Mons Sion mons Caluariæ. 81.2

Montes Iudææ cur sancti vocentur. 75.1. *huius rei significatio.* *ibid.*

Montium & vallium nomine quid intelligatur in Scrip. 171.2

Monile ornamentum gutturis. 25.1. *olim ob aliquam egregiam virtutem dabatur.* *ibid.*

Mora cum festinatione coniungenda. 89.2

Moria mons vbi erat collocatum templum Salomonis. 28 .1

Mos antiquorum, qui in luctibus & funeribus citharas pulsabant. 80.2

Mores dicentis esse qui persuadeat, non verba, dicebat Menander. 152.1

Morum nouitas periculosa. 326.2

Mors omnibus certa & determinata tempus autem incertum. 162.2

Mors finis sceleratorum hominum est principium virorum virtute præstantium. 298.1

Mors pro æterna damnatorum pœna capitur. 288.2

Mortis memoria quam sit vtilis. 298.1

per Mortem secundam æterna damnatio intelligitur. 103.2

post Mortem duas asseruit vias Socrates. 285.1

Mortui non sunt ante tempus, licet adolescentes, qui iusti fuerunt. 279.2

Mortui sempiterni, id est damnati. 322.2

Mortui sancti solum in corpore, impij vero corpore, & anima. 122.2

Mortis meditationem vitam Socrates existimabat. 225.1

pro Mortuorum animabus fundere preces ad Deum, quam pium. 319.2

Mortuos consulebant Iudæi. 276.1

Moriens iniquus natus centum annos puer est. 280.1

Moritur qui in terra lata & in via spatiosa versatur. 102.1

Moyses cur pugnantibus Iudæis manus ad cælum attollebat. 8.1

Moyses populum alloquens, cur faciem velo operiebat. 6.2

Moysi nulla alia lex data est prater eam quam scriptam habemus. 205.1

Moysi Canticum vbi prædictum est Iudæos Christum contemptuos. 44.1

Mulier sese in mare proijciens vt castitatem seruaret. 283.1

Mulier quæ instar strigum sanguinem infantium sugit. 150.2
Mulier Samariæ præ fame comedens filium. 317.2
Mulieres voluptati comparantur. 23.1
Mulieres homines vocantur ob fragilitatem. 142.2
Mulieres quando Rempub. gubernent, extrema pernicies. 29.1
Mulierum partus grauissimi dolores. 158.2. *summo periculo & calamitati comparantur.* 158.2
in Multiloquio non deesse peccatum, huius loci interpretatio. 312.2. *in fin.*
Mulieres docentes homines magna ignominia & dedecus. 124.1
Mulieres multæ non solum domi clarè, sed etiam foris admirandæ. 124.2
Mulieres si ornentur moderatè & ad bonum finem non peccant. 25.1
Mulierum nomine qui intelligantur in Scripturis ostenditur. 23.1
Mulieribus vanitatibus & libidinibus deditis supplicium prædicitur. 241.2. *in fin.*
Mundus Hypani fluuio comparatur. 224.1
Mundus habet figuram rotundam. 16.2
Mundus cum arundineto comparatur. 90.2
Mundus quàm malè respondeat hominum desiderio. 194.2
Mundus arenæ horologio comparatur. 66.1. *eius instabilitas.*
Mundus quos laudibus extulit, sæpenumero deprimit. 56.1
Mundus plenus est clamoribus. 70.2
Mundi res appellantur vmbra, ventus, mendacia visa, ac manifesta somnia. 131.2
in Mundo nil firmum ac stabile, ac diuturnum videri potest. 153.1
è Mundo nulla vtilitas emolumentum, aut commodum percipi potest. 90.1
Mundo non fidendum. 94.2
Mundi habitatores & amatores cuius sint conditionis. 71.1
Mundi epitheta. 213.2
Mundi voluptates, & oblectationes quo misero fine terminentur. 97.2
Mundi gloriam qui vident grauissimo somno sepeliuntur. 68.1
in Mundo qui sunt ipsum mundum non vident, vt oculus videre non potest, nisi sit distantia. 68.1
Mundi status puerorum ludis similes. 194.2
Mundus Lunæ comparatur. 64.2
Mundus est Iabel quæ Sisaram hospitio accepit. 239.2
Mundum qui sequuntur, vt Deum deserant, reprehenduntur. 239.2
Mundus vrticæ comparatur. 129.1
Mundum concordia constare dicebat Empedocles. 89.1
Mundus virgam habet, quæ suos grauiter percutit. 51.1
Mundanæ res quàm fluxæ sint momentaneę & incertæ. 115.2
Mundanæ animam qui dicantur. 225.1
Munera accipientes vt veritatem taceant Cerbero similes. 147.1
Musica docet amicitiam & concordiam. 89.1
Musidij numisma. 310.1
Murus pro tutela & defensione in sacra Scriptura sumitur. 77.1
Mutatoria vestium genera quibus humeri, & pectora operiuntur. 25.1
Mysteria multa, quæ plenius silendo, quàm loquendo laudamus. 34.1
Mysteria diuina cùm nostrum excedant intellectum, plus ea silentio, quàm verbis extollimus. 34.1
Mysteria Dei cogitanda. 191.1
Mysteria diuina sublimia. 34.1
ad Mysteriorum arcana quilibet non admittendus. 126.2

Nabuchodonosor tyrannis & superbia. 72.1
Nabuchodonosor cum vrso & Leone comparatur. 323.1
Nabuchodonosor statua. 75.2. *in fin.*
Nabuchodonosor immanitas in captiuos. 74.2
in Naribus spiritum habere, est iratum esse. 18.2
à Natura quod insitum est aliter atque est non assnescit ex Arist. 9.2
Naturæ nostræ fragilitas in rebus secundis & aduersis. 27.1
Naues primò ex papyro construebantur. 86.1
Negotiationes fornicationes ab Esaia appellantur. 101
Neomenia festum Iudæorum. 7.2
Neomeniæ nominis interpretatio. 7.2
Nery folium ouibus & capris venenum, hominibus aduersus veneatum remedium. 308.1
Nilus fluuius de Aethiopia in Aegyptum fluens. 86.1
Nilus inundatione sua campos Aegypti frugiferos reddit. 104.1
Nili ortus in Aethiopia. 86.1
Nilus Aegypti. 62.1
Nili ortus, ex Diodoro Siculo. 86.1
Nilo rigatur tota Aegyptus. 90.1
Nihil opere aut manu factum quod non conficiat & consumat vetustas. 28.1
Nihil firmum ac stabile, & quicquid vides cum tempore corruit. 153.1
Ninus à quo ciuitas Niniue nominata. 107.2
Nobilitatem obscurantes qui sint. 74.2
Nomen Testamentum significat. 76.1
Nomen Domini inuocare quomodo intelligatur, in Hæreticos. 273.1
Nox pro quibus accipiatur. 117.2
Nox in diuinis literis pro culpa accipitur. 294.1. *& pro calamitate.* *ibid.*
Noctis nomine aduersitas intelligitur. 27.1
Noctis tempus ad orandum vtile. 117.2
Nocte quæ fiunt, terribiliora sunt, quàm quæ die. 76.2
Nubere melius quam vri locus Apostoli intelligitur de laicis, non de sacerdotibus. 283.1
Numerum more Pythagoricorum efferentes, & colentes reprehenduntur. 280.2
Numisma Vespasiani, eiusque interpretatio. 89.2
Numismata Imperatorum & aliorum fertilitatem denotantia. 310.2
Numus Athenienſium, ex vna parte figuram Bouis habens, interpretatur. 313.2

O

Ωmega apud Græcos finem significat. 261.2
Obedientia Esaiæ in Deum. 94.1
Obedientia omnium creaturarum creatori, præter hominem. 204.1
Obedire boni Principis proprium. 13.1
Obedientia quibus conueniat. 13.1
Oblectatio mœrore temperanda. 27.1
Obstinati homines nolunt moneri. 18.2
Obstinatio causa obcæcationis. 35.2

Oculus super sceptrum Deum significabat apud Aegyptios omnia intuentem. 132.2
Octaua instrumentum musicum, quo olim solebant canere carmina triumphalia. 198.2
Oecolampadius Hereticus. 45.2
Oecolampadius hæreticus refellitur. 284.2
Og Rex Basan. 18.1
Olea prò arbore capitur, oliua verò pro fructu apud Hebræos. 82.2
Oleum peccatoris adulatorem significat. 23.2
Olei Fons die natiuitatis Iesu Christi in Regione Transliberina. 327.1
Oleo cur Sacerdotes vngebantur. 121.2
Olfactoria fasciculi florum vel odorum mulierum. 25.1
Omias pectauit præceptum Domini Dei confringens. 92.2
Onocentaurus animal monstrosum hominis imaginem repræsentans. 150.2
Onocrotalus quale animal. 150.1
Onus afflictio appellatur. 99.1
Opera nostra quo pacto meritoria fiant. 10.1
Opera bona Deus in nobis operatur. 118.2
Opera in sacra Scriptura commendantur. 10.1
Operum bonorum perfectio in duabus rebus potissimum consistit. 167.1
Opribus nostris bonis quantam fiduciam præstet Deus? 9.2
Orpheus dicebat amorem habere claues omnium rerum. 89.1
Oratio cum lacrymis coniuncta quantum valeat apud Deum. 163.1
Oratio catena aurea comparatur à D. Chrysostomo. 242.2
Oratio in terra habita in cælum ascendit. 158.1
Orationes nostras exaudire Deus dissimulat, vt augeat vtilitatem. 322.2
Orationes viri iusti quanti ponderis sint apud Deum. 254.2
Oratores eloquentes possunt incantatores appellari. 22.1
Orientalis mundi pars anterior appellatur. 17.1. vt Occidentalis posterior. 17.1
Ornatus nimius & lasciuus reprehenditur à Deo. 25.1
in Orando submissiore tono potius quàm acuto, à Deo exaudimur. 9.2
Orandi modus antiquorum in leuandis manibus. 8.1
Orontius Mathematicus. 253.1
Orbis descriptio. 253.1
per Os domini quid intelligatur. 302.2
Osorius Lusitanus de gloria disseruit. 242.2
Otium opprobrium esse, negotium verò minimè dicebat Hesiodus. 98.2
Otium nomine silentij intelligitur. 98.2
Ouium nomen Deus nobis imposuit, vt infirmitatis nostræ nos admoneret. 175.2
Ozias rex. 33.1. in med. initio iustus, posteà lepra percussus. 33.1. in med.

P

Palestini super domos habebant plana tecta, vbi deambulare poterant. 99.1
Palestina maritima. 75.2
Papyrus arbor qualis. 86.1
Panis & aquæ nomine omne alimentum intelligitur. 19.2
Panis à comedere significatione Hbraica descendit. 20.1
Panis nomine Christus intellligitur. 20.1. item & verbum Dei. 20.1
Panis nomine omnis cibus significatur. 26.1
Parady sus eiusque felicitas. 288.2
Parentes quo pacto vitia ex filijs debeant extirpare. 313.2
Parnulos ad petram allidere quid sit. 9.1
Passio Christi à quibusdam Rabbinis Iudæis prædicta. 229.2
Passionis Christi pulchra consideratio. 226.2. & 221.1
Passionis Christi multæ figuræ in veteri Testamento. 229.2
Passionem suam Christus quanta patientia subijt. 228.1
Pastor vocatur non qui dispergit, sed congregat. 191.2
Pastor qui est doctor esse debet. 142.2
Pastores Ecclesiastici non debent dominari, sed seruire. 30.1
Patria nostra vera in cælo est. 164.2
ad Patientiam iusti exhortantur. 120.1
in Patientia homo assuefieri debet. 330.1
Patres quidam Theologi aientes animas sanctorum non esse beatas quo pacto intelligendi. 310.2
Patroclus bellum illaturus, omnia Achillis arma sibi vsurpauit, præter hastam. 314.2
D. Paulus poetas Gentiles citauit, contra dictum hæreticorum. 36.2
Paupertas mundum vincit. 238.2
Paupertas pro calamitate sumitur. 322.1
Paupertatem sanctorum plus Deus diligit, quàm diuitum. 263.1
Paupertate iuxta opinionem nihil infelicius. 284.2. tamen inter beatitudines numeratur. ibid.
de Paupertate mundi opinio quàm sit falsa. 284.1
Pauper interdum pro afflicto sumitur. 322.1
Pauperes non despiciendi. 263.1
Pauperes spiritu qui vocentur. 263.1
Pauperes non contemnendi. 250.1.2
Pauperum primogeniti Iudei. 75.2
Pauperibus qui pecunias renuunt, vitam eis auferunt. 16.2
Pauperibus opem ferre debemus. 9.2
Pax mundana, quæ videlicet in bonis terrenis consistit vera non est. 117.1
Pax animi, εὐτυμία, id est animi tranquillitas. 207.2
Pax vera, dulcis ac celestis quæ sit. 207.2
Pax duplex pax gratiæ in hac vita, & pax gloriæ in altera. 117.1
Pax sine charitate esse non potest. 222.2
Pax quæ fuit tempore Augusti cùm Christus natus est. 16.1
Pax pulchra appellatur. 143.2
Pax spiritualis describitur. 15.2. & 161.1
Pax sine gratia esse non potest. 15.2
Pax est vbi est gratia. 15.2
Pacis fundamentum & radix iustitia. 143.1
Pacis & iustitiæ sese osculantium significatio exprimitur. 143.1
Pace vigente, regnum crescit, & propagatur. 52.2
Pace spirituali gaudent viri iusti afflicti. 15.2
Pacem videre maximum bonum, bellum autem maximum malum dicebat Xenophon. 207.2
Pedes finem denotant, sicut caput principium. 34.1
Pedum nomine quid intelligatur. 297.2. & 298.1
Pelagij hæreses. 64.1
Pelicani amor in filios. 303.2
Procurator terra vocatur. quod scripturis probatur. 2.2

Peccator non potest faciem in Deum intendere, nisi eum Deus respiciat. 83.1. *exemplo speculi.* 83.1.2
Peccator per terram intelligitur. 284.1
Peccator cibus diaboli. 2.2
Peccatores sub nomine peccatorum non inuitantur ad laudandum Deum. 35.2
Peccatores canes ad vomitum reuertentes appellantur. 8.2
Peccatores sine corde esse dicuntur. 197.2
Peccatores quos non exaudiat Deus. 8.1
Peccatores captiui appellantur. 261.1
Peccatores ossa mortuorum in terra prostrata. 124.2
Peccatorum & flagitiosorum hominum nomina. 3.2
Peccatorum oculi terram solùm intuentur. 83.1
Peccatorum superbia demonstratur. 84.2
Peccatorum ædificia ex paleis, terra, & lateribus constituta. 62.2
Peccatum esse vmbram mortis. 50.1
Peccatum onus adeò graue, vt animas in inferos deprimat. 3.2
Peccatum quanta incommoda nobis afferat. 251.1
Peccatum nostrum murus est à Deo nos diuidens & separans. 8.1
Peccatum quid secum ponderis & detrimenti afferat. 8.2
Peccatum per vinculum colligatum intelligitur. 114.1
Peccatum vilis & infamis captiuitas, in qua detenti nudi sunt. 94.1
Peccatum vnum esse pœnam alterius. 132.1
Peccatum nostrum cum nube comparatur. 8.1
Peccatum quo pacto hominem deprimat. 60.2
Peccatum terræ centrum petens, 4.1
Peccati pondus plumbo grauius. 4.1
Peccati miseria & infelicitas. 60.2
Peccati ponderis consideratio. 8.1
Peccati quanta sit deformitas. 7.2
ex Peccato procedit vogatio & inconstantia. 247.1
Peccata esse causam alienationis iudicij. 253.2
Peccata omnia per sordes & sanguinem intelliguntur. 27.1
Peccata non narranda quæ incurabilia videntur. 74.
Peccata causam esse cur Deus tot ciuitates deleuerit. 23.1
Peccata tenebræ appellantur. 115.2. *in fin.*
Peccata hominum inuentiones. 131.2
Peccatorum vulnera lethalia. 263.2
in Peccatis non desperandum, sed animo contrito ad Deũ clamandum. 8.1
Peccare quid sit. 20.1
non Peccare homines in omni opere contra hæreticos. 274.1
Peccandi propositum dolor appellatur. 252.2
Percutere grauiter est exaltare manum iuxta Hebræorum sensum- 218.1
Peregrinandi diuersorium Deus nobis dedit, non habitandi. 164.2
Perisscelides ornamenta muliebria quæ circa crura adhibebant. 25.1
in Periculis Deum non consulentes quàm grauiter peccent. 134.1
in Periculis constituti ad Deum confugimus. 85
Periculosior pars vita quæ ob nimiam securitatem videtur esse tutior. 200.1
Peripatetici & Academici etiam liberum Arbitrium asseruere. 328.2
Perseuerantiæ & constantiæ in omnibus rebus commendatio. 128.2
Perturbatio & anxietas animi quæ sit propulsanda. 314
D. Petrus Christi vicarius Ecclesiæ firmissimam fundamentum. 236.2
Petrus Nonius magister Auctoris mathematicorum doctissimus. 281.2
Phaces Rex Samariæ. 36.2. *in fin.*
Pharisæi & Sadducæi geminina viperarum appellantur. 75.1
Pharisæi fures appellantur. 24.2
Pharisæorum auaritia crudelitas & tyrannis prædicitur. 23.1
Philippus Melanchthon sectarius, & hereticus detestabilis. 14.2
Philo Platonis Dei filium vocat eius imaginem, à quo aut mundum fuisse creatum. 206.2
Philosophi rerum scrutatores. 176.1
Phœnix auis incendio flagratur, vt noua renouetur. 93.1. *ad cuius instar vetus homo debet renouari.* *ibid.*
Phœnix auis vnica. 322.1
Pietas summi Dei qui volens pœnas sumere, prius ingemit ac plorat, contra consuetudinem hominum qui hostium vltione delectantur. 11.2
Pietatis præmium & remuneratio eius quam pulchra. 28.1
inter Pium & impium quæ interfit differentia. 23.1
Pinguedo per fortitudine accipitur. 82.2
Plato dicit omnes virtutes simul iunctas esse vnam virtutem. 144.2
Plato testatus est Arbitrij libertatem. 328.2. *contra Hæreticos.* *ibid.*
Plato animum cupidi vasi perforato comparat. 16.2
Plato dicebat nihil perniciosius esse ciuitati quàm discordiam nihilque vtilius quam vnionem & amicitiam. 89.2
Plato dicebat tres ob causas relinquendam esse ciuitatem. 51.1
Plato personarum distinctionem in Trinitate probauit. 206.1
Plato de animæ immortalitate mirabiliter disseruit. 285.1
Plausus duplex. 215.2
Plorantium consolatio. 261.2
Plotini verba de Trinitate. 206.2
Pluisse in Thebis quasdam guttas pro miraculo narrat Herodotus. 90.1
Plutarchus librum edidit de vtilitate ab inimicis capienda. 85.2
Pœnitentia probatur ex Sacra Scriptura testimonijs. 198.2
Pœnitentia vtilis & salutaris omnibus pœnitentibus. 198.1
Pœnitentiæ signum cinere conspergi, antiquitus erat. 313.2
Pœnitentiæ vis & excellentia. 89.1
Pœnitentiæ commendatio. 158.1
Pœnitentiæ probatio ex sacris Doctoribus. 100. 2. & 101.1
Pœnitentiæ lacrymarum, planctuum, & cilicij probatur. 100.1
Pœnitentiam damnat Lutherus. 198.1
Pœnitentiam differentes reprehenduntur. 249.1
Pœnitentium quorundam Sanctorum conuersio prædicta. 240.2
Poëtarum error clarissime demonstratur. 328.2
Poetarum voces Syrenarum blandiloquo cantu intelliguntur. 71.2
Polus arcticus & antarcticus. 68.2
Pontifex bonus pelicanus est qui filios proprio sanguine reficit, & sustentat. 303.2
Populus corona appellatur. 32.2
Populus errans in culpa non est, sed eius moderator, vt horologium si sit incertum. 5.1

Populus principem imitans vmbræ columnæ similis. 4.2
Populi temeritas carpitur. 314.2
Populi flagitium superioribus adscribitur. 4.2
Petræ nomine operimenti intelliguntur. 100.1
Potestatem qui facit, idem est quod Rex, Hebraismus. 286.1
Præceptores quo pacto vitia ex animis discipulorum secare debeant. 313.2
Prædestinatio. 26.2
Prædicatio Apostolorum linea æquinoctialis. 127.2
Prædicatio vera cum tuba comparatur. 248.1
Prælatio & cura pastoralis claui comparatur. 103.1
Præsides quo pacto vitia è Repub. debeant extirpare. 313.2
Præsidium humanum vbi deest diuinum ostenditur. 37.1
Præsidia humana, & auxilia sine Deo inania. 56.1
Præsul cæcum impetum imperitę multitudinis debet coërcere. 4.2
Præsul debet esse in medio omnibus æqualis. 5.2
Præsul siue Prælatus debet esse sapiens & eruditus. 142.1
Præsul equiti comparatur. 138.1
Præsul quo pacto deligendus. 22.1
Præsul sine scientia animal sine oculis. 142.1
Præsul pater esse debet. 102.1
Præsules basibus domus Salomonis comparantur. 269.2
Præsules iniqui hericiis comparantur, quorum pellis intus est blanda foris hirsuta. 75.1
Præsulis munus & officium. 143.1
Præsules magistri esse debent. 102.2
Pretiosum quid dicatur. 69.2
Precationes iustorum quomodo impij irrideant. 157.2
Preces vere, & orationes sunt in Ecclesia Catholica. 242.2
Primogeniti filij ab hereditate paterna excluſi. 3.1
Princeps non solùm iudicio indiget, sed iustitia. 121.2
Princeps consiliarijs iustis & prudentibus vti debet 12.2
Princeps cæteris, sapientia, & virtute præstare debet. 102.2
Princeps in medio poni debet, exemplo horologij ciuitatis. 66.1
Princeps, aut præsul non solùm caput est, sed etiam chirurgus. 22.2
Princeps & Gubernator iniquus titioni ex vtraque cauda fumigantis comparatur. 37.2
Princeps corruptus pisci putrido capite comparatur. 13.2
Princeps iniustus Leuiathan vocatus. 122.1
Princeps vitare debet Reip. dissensionem, ex Socrate. 66.2
Princeps verus quis legibus subiectus est, ex Biante.
Princeps bonis fauere, malos vero pœnis afficere debet 102.2
Princeps & rector quos viros querere debeat, exemplo nautæ. 20.2
Princeps non debet esse piscatoris arundo. 121.1
Princeps centrum in sphæra medio constitutum. 66.2
Principis proprium obedire. 13.1
Principis inæqualitas ius societatis violat. 66.2
Principe deprauato tota respublica deprauatur. 13.2
Principis boni & mali discrimen. 37.2
Principem debere totum populi pondus sustinere ex Platone. 269.2
Principes existiment se ad labores non ad voluptates esse natos. 5.2
Principes scientia instrui necesse est. 311.1
Principes populum grauibus oneribus opprimentes grauissimè reprehenduntur. 24.2
Principes quales in republica tales ciues, Platonis dictum 4.2
Principes & præsules hirci vocantur, & quare. 57.1.2.
in medio item clypei. *ibid.*
Principes hericiis comparantur. 71.2
Principes mundi lux mundi appellantur. 37.2. *& quare.* *ibid.*
Principes non solùm obsunt, quòd corrumpantur, sed quod alios corrumpunt. 74.2
Principes rempublicam euertentes, qui. 11.2
in Principibus terræ confidere quam momentaneum sit. 131.1
Principes suo populo adesse & præesse tenentur. 142.1
Principatus frænum errores. 138.1
Procellæ flante vento Aphrico insurgunt. 95.2
Promissa mundi vana & falsa. 129.1
Prophetæ vocantur nubes. 30.2.& 31.1
Prophetæ quondam videntes appellabantur. 1.1
Propheta videns appellatur & quare. 126.1
Prophetæ absque diuino lumine vaticinari non possunt. 1.2
Prophetarum habitus populi delicta plangentium. 94.1
de Prophetis quod dicitur de præterito esse aliquando de futuro. 127.1.2
Prophetia visio appellatur. 1.1
Prophetia quæ afflictionem prædicit, onus appellatur. 67.1
Prophetia dono linguarum præstantior. 126.2
Prophetia auditus vocatur. 126.1
Prophetia fortis vocatur, & cur. 46.1.*in fin.*
Prophetia reuelatio quædam impressa similitudo diuinæ præscientiæ. 162.1
Propitiatorium ex quo Deus dabat responsa. 158.2
Propinquitas quantum habeat momenti ad mouendum. 142.1
Propitiatorium Christi figura. 184.1
Prosperitas nimia tam nocet, quàm nimia aduersitas. 27.1
Prosperitas quantum noceat, cùm obliuionem Dei pariat. 245.2
Prosperitatis tempus per mane intelligitur. 145.1
in Prosperitate magnæ & acerbę incidunt rerum perturbationes. 94.2
in Prosperitate recordemur aduersitatis. 200.1
Prosperitate qui abundat, laude dignus non est. 74.1
Protectio diuina quàm secura. 28.2
Protogenes ex sola linea Apellem cognouit. 271.2
sine Prouidentia Dei nihil fieri. 328.1
Prouidentiam diuinam negantes arguuntur. 327.2
Prudentia vtì si alieno consilio vtatur non vilescit, similitudine adamantis auro inclusi. 21.1
Psalmorum author Deus. 2.1
Pseusippus Philosophus Regem definit. 82.2
Pseusippus testatus est Arbitrij libertatem. 328.2
Pudor quidam vitiosus cautè infringendus. 313.2
Pudoris indicium, caput in terram obijcere. 313.2
Pudoris, laus. 314.1. *vitiorum frænum vocatus.* *ibid.*
Puer natus ab Isaia. 20. *annis natus nesciens vocare patrem & matrem à Iudæis fingitur.* 41.1
Pueri nomine Christi humanitas significatur. 51.1
Puerorum insolentia in Republica. 21.2
Pueris Iudæi comparantur, quibus datur præceptum post præceptum. 127.1.2
Pulegium vtile ad morsus serpentium. 303.2
Puluis quid. 85.1
Pulueris proprietas. 84.2
in Puluere os ponere, quid sit. 326.2
Punitiones non dat Deus ex animo, sed quia ita exigunt peccata. 11.2
Puni nos Deus, vt nostri misereatur. 247.1

Punire-

Punire ad perdendum non est Dei opus, sed misereri, & peccata condonare. 327.1
Punire pro manum extendere super aliquem apud Heb. 118.1
Punire non esse proprium Dei opus, sed misereri. 129.1
Puniri à Deo quàm vtile nobis sit & salutare. 203.1
Purgatorium animarum esse illisque suffragia prodesse verissimum. 320.1
Purgatorium probatur ex sanctis Patribus. 320.1
Purgatorium probatur ex sacra Scriptura. 319. 2. & 320.1
in Purgatorio sunt qui Christum colunt, cui genua flectant. 320.1
Pyndarus hominum vmbræ somnium vocauit. 172.1
Pythagoras virtutem harmoniam vocat. 144.2
Pythagoras magni numeros fecit. 280.2
Pythagoræ institutum qui quinquennium silentium indicebat, reprobatur. 313.2
Pythagoræ præceptum, iugum ne transgrediaris. 326.1
Pythagoræ sententia, Dei imaginem non esse in annulo ferendum. 214.2
Pythagoræ sententia, dicentis sub eodem tecto hirundines non esse habendas. 221.1

Q

Quaternarij numeri dignitas. 292.2
per Quaternarium numerum iurabãt Pythagorei. 292.2

R

Rabini quidam mortem Christi prædixerunt. 229.1
Rabbini veteres melius sacram Scripturam exposuerũt quam Hebrai nostri temporis. 173.2
Rabbi Kimhi Hebræorum doctissimus. 278.1
Rapsaces quis. 155.1
quæ Rara in omnibus rebus præstantissima. 322.1
Rationale Sacerdotis in quo DOCTRINA, ET VERITAS *scribebatur.* 175.2
Ratione ablata homo Iumentis insipientibus comparatur. 254.2
Redemptio humana per Christum. 191.2
Redemptionis mysterium indicatur. 220.1
Religiosi stellis comparati, qui à terra separati, cœlo adhærent. 149.2
Religiosi delictum detestabilius, quàm laici in mundo. 118.1
Religio Christi quibus in regionibus potissimum creuit. 93.2
Reliquiæ quæ vocentur. 58.1
Remissio peccatorum non est ex bonis corporis. 170.1
Respub. morum nouitate offendi solet. 326.2
Remora exiguus piscis nauem non sinit moueri. 314.1
Respublica sphæræ comparatur. 66.2
Respub. vt sit permanens concors debet esse. 84.1
Respublica infelix vbi mulieres dominantur. 23.1
Reipub. mali gubernatores titiones sunt, non lucentes, sed comburentes, & fumigantes. 37.2
in Repub. adolescentibus senes misti eos moderãtur. 20.2
Res cum crescunt, & tendunt esse quò magis celeriter crescunt, vt sint, eò magis festinant, vt non sint. 153.1
Rerum mutatio mirabilis. 275.1
Rerum ab vno eodemque elemento productarum diuersitas. 134.1
Resurrectio corporum adhuc differtur vsque ad diem iudicij. 320.2
Resurrectio mortuorum asseritur. 119.2
Resurrectio impiorum non est resurrectio. 118.2
Resurrectio mortuorum, mortis destructio. 114.2
Resurrectionem mortuorum, etiam Ethnici fassi sunt. 285.1
Resurgere stare aut consistere significat. 118.2
Rex superbus pulueri à vento agitato comparatur. 84.2
Rex legi obedire debet. 13.1
Rex iustus quomodo regnet. 144.1
Rex caput vocatur, & Sacerdos cor, velut præcipua membra. 4.2
Rex in iudicando Deum debet imitari. 79.2
Rasin Rex Syriæ. 36.2. *in fin.*
Rex bonus clypeus est populi. 298.2
Rex omnis debet esse Abimelech, id est, pater & rex. 102.1
Rex pulchre ab Pseusippo definitur. 82.2
Rex & gubernator ab antiquis anax appellabatur, id est pharmacum. 22.2
Rex Βάσιλευς *id est populi basis vocatur.* 82.1
Rex cur Græcè Βάσιλευς *appelletur.* 269.2
Regis boni humilitas. 159.1
Regis officium afflictos ac pios homines tueri, & custodire. 144.2
Regis religio victoriam aduersus infideles petentis consideratur. 158.2
Regis iusti pietas & sanctum propositum. 156.2
Regis subditis est mederi. 22.2
Regis excidium regno attribuitur. 74.2
Regi iusto tres qualitates tribuuntur. 79.2
Reges iuuenes & imprudentes eligentes, reprehenduntur. 21.2
Reges pastores appellantur ab Homero. 269.2
Rege cum primùm didiceris regi. 122.1
Reges iniqui naturæ fundamenta peruertunt. 122.1
Reges omnes Palestinæ vocantur Abimelech. 102.1
Reges veritatem audire non refugiant. 135.1
Regiam dignitatem cum cruce coniunctam esse principes intelligant. 51.2
Regnum Iesu Christi cornu salutis. 119.1
Regnum per angulum significatur. 90.1
Regnum cœlorum vim patitur. 113.1. *in fin.*
Regni pernicies ex quibus consletur. 13.2
in Regno bene constituto nec ignorantem, nec fallacem ad regnum promoueri. 142.1
Regnum bene constitutum. 141.2
Regnantibus pueris Reimpub. concidi necesse est. 21.2
Rhetoricã, etiamsi suadendi sit opifex, esse tamen adiutricem, ex Plutarcho. 152.1
Roboam, eiusque dementia in repudiandis senibus. 21.2
Robur quid significet apud Latinos. 29.2
Robusti qui verè sint. 113.1. *in fin.*
Ruinam mundi propter tria minatur Deus. 110.2

S

per Sabbathi obseruationem etiam diuinus cultus & religio intelligitur. 241.2. *in fin.*
Sacrificium sine fide, & charitate reijcitur. 188.2
Sacrificium Iudæorum cur mendax appelletur. 7.2
Sacrificium comprehendit, holocaustum & victimam, siue hostiam. 7.2
Sacrificij vespertini tempus cõstitutũ vocabatur. 305.1
Sacrificia veteris Legis, quo pacto Deo placebant. 6.2
Sacrificia iustitiæ quæ appellentur. 87.1
Sacrificia veteris legis esse abrogata Scriptura probatur. 188.2
Sacrificia vetera cur Deus respuat. 6.2
Sacerdos cor vocatur, velut præcipuum membrum. 4.2
Sacerdos Summus cur vt oleo & sanguine vngeretur præcepit Deus. 102.2
Sacerdos cordi comparatur. 88.2. *medium esse debet inter Deum & populum.* *ibid.*

Sacerdos sine scientia est sol sine luce, & nauis sine gubernaculo. 311.1
Sacerdotes improbi dedecori sunt Ecclesiæ. 102.1
Sacerdotes à Laïcis separantur. 262.1
Sacerdotes quare cor appellantur. 5.1
Sacerdotes casti sint, vt Dei sedes & templum meritò appellentur. 284.2
Sacerdotes veri debent habere scientiam cum virtute copulatam. 311.1
Sacerdotes qui sint. 262.1. *in hæreticos.* ibid.
Sacerdotibus cur connubia prohibita. 284.2. *ex Apostolorum traditione probatur.* 284.2
Sacerdotum copulæ sunt Christianorum virtutes. 262.2
Sacerdotij regalis dignitas. 262.1
Salus generis humani non ex hominum meritis, sed Dei amore processit. 53.1
Salutis primus gradus nos ipsos cognoscere. 197.2
Salutem piorum quanta cura Deus protegat. 46.2. *in fin. & 47.2*
Samaria ciuitas quæ. 15.1
Samaritanus Christo comparatus. 261.1. *idem quod iustos.* ibid.
Sanctus in Scripturis pro vero Christiano accipitur. 26.2
Sancti viri ornamenta sunt & munia quibus Ecclesia decoratur. 211.2
Sancti montibus comparantur. 14.2
Sanctorum imagines quantas vtilitates afferant. 278.1
Sanctorum inuocatio quo pacto præcipiatur, & quàm antiqua sit. 139.2
Sanctorum firmitudo, & constantia. 37.2
Sanctorum inuocatio probatur. 255.2
Sanctorum inuocatio testimonio Scripturarum comprobatur. 162.2. & 161.1
Sanctorum Patrum merita & suffragia. 271.2
Sanctorum imagines quomodo sint venerandæ. 17.2
Sanctorum imagines veneratione prosequamur. 278.1
Sanctorum nullius sua virtute facit miracula, sed est brachium Dei. 271.1
ob Sanctos dicit Deus se bona in viuos esse collaturum. 159.2
Sanguis pro peccato accipitur. 147.1
Sanguinem manuum suarum cur Deus Iudæis obiiciat. 8.2
per Sanguinem multos peccatum in communi intellige-re. 8.2
Sapphirus lapis pretiosus coloris aerij. 235.2
Sapiens vir per aquilam notatur. 338.1
Sapiens vir ac virtutibus septus describitur ab Esaia. 147.1
Sapiens vir nulla vi frangitur aut expugnatur. 101.2
Sapiens homo quadratus vocatur ab Aristotele. 53.2
Sapientum officium vnionem & concordiam procurare. 91.2
Sarcasmus figura rhetorum virulenta irrisio. 42.1
Saturitas pro decenti, & honesta refectione capitur. 105.2
Satyri qui sint. 70.1
Scelera reprehendere munus Dei est. 15.2
Sceleratorum proprium omnes virtute præstantes odio habere. 266.2
Scientia à Deo petenda. 9.2
Sceleratorum quæ dicitur vita, mors est. 23.1
Scientiam custodire quid sit. 311.1
per Scientiam scripturarum cognitio intelligitur. 102.1
Scipia Nasica dicebat, nolle Carthaginem penitùs euersam, vt Romani exercerentur. 119.2
Scriptura sacra auro comparatur. 140.2
Scriptura sacra afflictorum solacium. 45.1
Scripturæ scrutandæ. 346.2
Scriptura sacra in vernaculam linguam non vertenda. 126.2
Scripturæ sacræ explanatio quæ sequenda. 46.1
Scriptura sacra mons altissimus. 70.2
Scripturæ sacræ laudes. 45.1.2
Secretorum scrutatores Philosophi. 176.1
Seditiosi ac turbulenti Reipub. status descriptio. 21.2
Semiramis Babylonem constituxit. 68.1
Senex is est qui longo experimento sapientiam assecutus est. 20.2
erga Senes iuuenum reuerentiam esse, quæ filiorum in parentes, dicebat Chilo. 99.2
Senes Spartæ magna veneratione prosequebantur. 199.2
Senectus non ad annos & ætatem, sed ad virtutum consilium refertur. 20.2
Sententia contra Iudæos indefinita. 33. *in fin.*
Sennacherib exercitus nocte Paschæ occisus. 138.1
Sennacherib milites corpore intus occulto ardore combusti remanentibus vestibus illæsis. 57.1
Sennacherib habebat multa nomina. 93.1.2. *in fin.*
ex Sennacherib exercitu decem tantum euasere, qui cũ Sennacherib in fugam se coniecerunt. 57.2
Sennacherib à Deo percussus. 56.1
Sennacherib eiusque exercitus admirabile exitium. 58.2
Sennacherib puluis appellabatur. 79.2
Sennacherib exercitus nocte vna in fauillam redactus. 57.1
Sepulchrum pro morte Christi sumitur. 62.1
Sepulchrum Christi, licet in medio hostium sit situm, ab ipsis barbaris excolitur. 62.1
Sepulchri Christi cœnobium religiosorum. 62.1
Sepulchrum omnium hominum domicilium. 305.1
Sepulchra gloriosa cur extruantur. 62.1
Sepiæ industria quæ videns se peti atrum sanguinem effundit in aquam, vt eam turbet. 338.1
per Septem oculos super lapidem vnum multæ custodiæ intelliguntur. 26.1
Septem numerus pro incerto ponitur. 26.1
Septies in die cadit iustus, *locus Prouerbior. quo pacto intelligatur.* 26.1. & *illud Psalmi septies in die laudem dixit tibi.* ibid.
Septenarij numeri significatio. 60.1.2
Septuaginta interpretes non ausi sunt scribere, Nomina quæ Isaias recensit, in his verbis, vocabitur, admirabilis, consiliarius, princeps pacis, &c. 52.2. *in prin.*
Seraphin, qui sint. 85.2
Sermo stragulis picturatis similis ex Themistoclis dicto. 92.2
à Serpente morsi, videntes æs candens moriuntur. 278.2
Serpens æneus Crucis Christi typus. 228.2
Seruus Christi quis. 220.2
Seruum dominatum obtinere intolerabile. 342.2
Seruitus spiritualis corporali abiectior est, & deterior. 292.2
Sibylla Lybica soluendam fuisse Legem Mosaicam, his verbis prædixit, Ecce dies venient. 284.1
Sibyllæ liber cuius litera capitales continebant, IESVS CHRISTVS DEI FILIVS, SALVATOR. 67.2. *quem D. Augustinus vidit.* ibid.
Sibyllarum prophetiæ de morte Christi. 228.2. & 229.1
Signum vexillum quo in exercitu duces vtuntur. 86.2
Signum Christianorum amor & concordia. 89.1
Silentes iusti etiam clamant. 98.1
Siloe fons lenis ad radices montis Sion. 41.1
Silentium impiorum quale. 98.1
Silentium aduersarij iram mitigat. 156.2
Silentium non solùm pro taciturnitate, sed etiam pro patientia, & tolerantia. 325.1
Silentium vtilissimum esse, multis sententijs comprobatur. 313.1

Silen-

Silentium quinquennium indicebat Pythagoras. 313.2
Silentij tutum præmium, Prouerbium. 313.2
Silentij laus. 313.1.2
Silentij vtilitatem etiam animalia nobis ostendunt. 313.1
Silentium inutile otium intelligitur ex Salustio. 98.1
Silentio vti aliquando flagitium. 313.2
in Silentio non sunt, qui quamuis sileant, tamen de eorum vita haudquaquam siletur. 98.2
Silentio qui ea quæ dicenda sunt prætereunt, bouem in lingua habere dicuntur. 313.2
Sobna Pontifex homo superbus & elatus. 101.2
Socrates consilium rem sacram vocat. 21.1
Socrates dicit principem magnopere vitare Reipub. dissensionem. 66.2
Socrates ciuitatem omnibus bonis affluentem in tres ordines distribuit, aureum, argenteum, & ferreum. 102.1
Socrates dicebat, tyrannos illum posse occidere, nõ autem posse lædere. 146.1
Socrates asseruit post mortem esse duas vias. 285.2
Socrates testatus est Arbitrij libertatem. 328.2
Socrates cur hominem ἄνθρωπον dici existimat. 100.2
Socrates existimabat mortis meditationem, vitam esse. 225.1
Socrates dicebat stultum imperare, cùm sibi imperare quis non posset. 122.1
Socrates dicebat solos diuites esse, qui essent virtute præditi. 167.1
Socrates ait difficile esse ciuitatem bonis legibus fundari. 55.1
Socratis sententia dicentis otium & silentium vitium esse. 98.2
Sol & animal, animal gignunt, secundùm Phisicos. 9.1
Sol ab AEgyptijs vocatus Osyris, id est multos oculos habens. 243.2
Soli in horologio Achas ad signum sanitatis Ezechiæ retrorsum reuersus. 54.2. *in fin.*
Solis ciuitas quæ appelletur. 93.1
Sol in media planetarum constituto, Christus comparatur. 64.2
Solis eclypsis quando fiat, & quomodo. 111.2
Solem reuersum esse pro sanitate Ezechiæ quo pacto intelligatur. 163.1
Solem pasci aquis amaris, lunam verò dulcibus, fabulæ, eius interpretatio. 4.2
Solon Salaminius dicebat tum regendum cum primùm regi disceremus. 122.1
Somnium viri iusti plus valere, quàm vigiliam impij peccatoris. 43.2
Soporis spiritum in aliquem Deum mittere, & cur. 131.2
Sparta quoddam olim virtutis domicilium. 199.2
Speculatoris Esaiæ verba. 96.2
Spes mundi arundini virenti comparatur. 90.1
Spes hominum quàm fallax sit. 56.2
Spes nostra & fiducia in Deo figenda. 155.2
Spei & Sapientiæ cur templa coniunctim ædificata. 324.1
Sphærica figura pyramidali non quadrat. 16.2
Spina pluribus modis accipitur. 181.1. *in fin.*
Spiritus sanctus virtutum omnium fons atque principium. 60.1
Spiritus sanctus in Ecclesia. 255.2
Spiritus sancti septem charismata. 60.2
Spiritus pro vento accipitur. 254.2
Spiritus qui labia Esaiæ tetigit, qualis ex Damasceno. 45.1
Statera symbolum æquitatis. 326.1
Stateram ne transilias Pythagoræ præceptum. 326.1
Statera iustior, Prouerbium. 326.1
Stellæ militia cæli vocantur. 176.2
D. Stephani concio pungens. 248.2
Stultus quis sis. 142.2
Stultus lacui Troglodytarum comparatus. 91.2
Stultus lunæ comparatus. 4.2
Strutio auis voracissima. 70.2
Struthio auis quæ ferrum digerit. 150.2
Strutionis nomine homines ventri dediti intelliguntur. 70.2
Struthiones aues miræ magnitudinis, sed volare non possunt. 335.1
Substantia virorum tanquam nihilum ante Deum, locus Psal. 2 35.1. vbi subsistentia pro substantia. ibid.
Suffragia digitis dabantur à veteribus. 250.1
Superbi homines quare elatis Cedris Libani comparentur. 18.1
Superbis quantum Deus resistat. 80.1
in Superbos nimium efferri volentes. 74.2
Supplantare arguentem in porta, quid. 334.2
Sydus simile gladio supra Hierusalem stetisse à Iosepho narratur. 111.2
Synagoga mortua & sepulta. 235.1
Synonimis vtitur scriptura. 123.2
Syrenæ monstra marina imaginem quandam mulierum gerentia. 71.1
Syrenæ voluptatibus comparatæ. 71.2
Syrenæ cantus dulcedine nauigantes sopiebant. 71.2

T

Tabernaculum vetus vmbra cælestium. 6.2
Tabernaculum pro templo. 310.2. *item pro sepulchro.* ibid.
Tacere sæpenumero tutissimum. 313.1
Talpas & Vespertiliones Iudæi adorabant. 18.2
Tardiloquentiam quantoperè Seneca commendet. 313.1
Tau litera quæ est in fine Alphabeti, finem rerum significat. 26.1.1
Templum Salomonis tres habebat partes. 299.1
Templum secundum maiorem gloriam habuisse quàm primum quomodo intelligitur. 285.1
in Templo quanta modestia requiratur. 24.2
Templum Salomonis Ecclesiæ figura. 258.2
Tempus nouissimum tempus Messiæ appellatur. 160.1
Tempus pro seculo accipitur. 301.1
Tempus sapientissimum esse dicebat Thales Milesius. 20.2
per Tempus significatur, annus vnus, per tempora, duo anni per dimidium temporis, anni dimidium. 305.1
Tenebrarum nomine ignorantia significatur. 308.1
Tentatio animum percutit. 112.2. *turbini comparatur.* ibid.
Tentatio dies malus appellatur. 254.2
Tentationes quid sint. 254.2
non Tentari non est in potestate nostra. 221.1
Terra globosa est, & rotunda. 176.1
Terra infidelium terra mortuorum appellatur. 164.1.2
Terra vniuersa punctum respectu cœli. 120.2
Terra homines terrenos denotat. 60.1
Terra quæ aurifodinas habet sterilis est. 16.2. *auaro cõparatur.* ibid.
Terra quando pœnas dare dicatur. 110.1
Terræ habitatores iniqui vocantur. 120.2
Terræ sanctæ fertilitas Amaltheæ cornu comparatur. 310.1
Testamentum æternum, lex gratiæ, & Christi Euangelium. 110.2
Testamentum vetus clausum vsque ad Christi aduentum. 44.1

Testamentum Christi nouum & æternum in verbis consecrationis appellatur. 240.2
Testamentum nouum sempiternum appellatur. 240.2
Terram nos esse, & in terram reuersuros. 72.2
Testamentum lex Dei in cordibus & visceribus scripta. 240.2
Testamentum nouum compendiatum. 58.1
Testamentorum proprietas, vt secundum destruat primum. 216.2
Testes integri non sunt qui in ignorantiæ, peccatorumque tenebris versantur. 39.1
Testes quales esse debeant. 39.2
Testes affectu nimio moti tam inquirendi sunt, quàm ij quos accusant. 39.2
Testimonij nomine diuina lex significatur. 311.1
Testimonia Gentilium poetarum citat D. Paulus. 39.2
Thales Milesius tempus sapientissimum esse dicebat. 20.2
Thargum Hierosolymitani paraphrasis in hæc verba. Et ipsa conteret caput tuum. 66.2
Thargum citatur. 286.1.& 270.2
Theocritus quãtoperè à loquacitate & verbositate abhorrebat. 313.1
Themistocles dicebat Sermonem stragulis picturatis similem. 92.2
Theristium vestis genus ex delicatissimo lino confecta. 25.1
Thesaurorum finis non est. 16.2
Timantes egregius pictor eiusque industria in depingendo tristissimo Agamemnone. 34.1
Timoris spiritus, id est reuerentiæ. 60.2
Timere qui debeant. 179.2
Tirrhæus lapis in aquam coniectus integer natat, diuisus mergitur. 89.1. *concordiæ similis.* ibid.
Titulus Crucis, quare voluit Christus vt variis literis scriberetur. 51.2
Titulus Crucis Christi Hierusalem visitur hodierna die. 66.1
in Titulis ac inscriptionibus gloria mundi non est constituenda, sed in virtute. 159.1
Titulus Crucis Christi cur tribus linguis fuerit scriptus. 141.2
Titulus pro monumento, & perpetua rerum gestarum gloria capitur. 92.2
Tomyris Regina Scytharum, aut (secundum alios) Massagetarum Cyrum interfecit. 194.2
Tophet locus quo cadauera proijciebantur, infernus est. 138.2
Torquas colli ornamentum mulierum. 25.1
Finis rerum memoria singulis diebus tenendus & obuersandus 200.2
Trinitas. Filius ob diuinam fortitudinem & robur vocatur. 223.1
Trinitatis actio personarum distinctio à Platone Philosopho probatur. 206.1
Trinitatis mysterium significatur. 35.1
Trinitatis sacramentum ostendit ipsemet Iesus Christus. 206.1
Trinitatis mysterium ab Isaia, significatum, bis verbis Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth. 206.1
Trinitatis versus in Psalmis. Verbo Domini cæli firmati sint, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. 206.1
Trinitatis assertio quam credimus. 226.2
Trinitatis mysterium quo pacto comprehendatur. 206.2
in Trinitate, trium personarum distinctio Patris, & filij & Spiritus sancti. 205.2
in Trinitate vnitas essentiæ ostenditur. 222.1
Trium quid. 77.2. *pro loco frequenti & vsitato sumitur.* ibid.
Turcæ patiuntur sepulchrum Christi in Hierusalem venerari, & cur. 62.1
Turcæ cur totam Græciam terribili clade expugnarint. 119.2
Tutus nemo debet existimari, licèt sit potens & diues. 104.2
Tyrannus in quas miserias & calamitates sua ex causa incidat. 73.2
Tyrannus per Leonem designatus. 77.2. *eius rabies describitur.* ibid.
Tyrannus licet aliquem occidat, non illum occidit, sed seipsum. 140.2
Tyrannus alios lædere volens, accipienti prunas in manibus vt alium comburat similis est. 146.2
Tyranni videntur habere vim insitam homines lædendi, & spoliandi. 322.1
Tyranni serpentes appellantur. 121.1. *item vectes.* ibid.
Tyranni immanissimi animam hostilibus incursibus exagitent. 118.2
Tyrannorum iniuriæ æquo animo ferẽdæ & quàm patienter. 56.1
in Tyrannos. 56.1.2
Tyrannos homines cur Deus puniat & demum seuerè castiget. 118.1
Tyrus ciuitas florentissima Phœniciæ. 103.1
Tyrus à Soldano incensa anno 1290. 130.1
Tyrus ciuitas conchilys abundat. 103.1

V

Valetudo animi quæ dicatur. 113.1
Varietatum rerum consideratio. 72.1
Vaticinatio assumptio appellatur. 2.1
Verbum Dei acutus gladius. 61.1
Verbum Dei spiritus labiorum suorum dicitur. 61.1
Verbum Dei & sacra Scriptura panis est. 20.1. *in refectionem animarum.* ibid.
Verbum Dei animi alimentum omnibus dapibus dulcius, & præstantius. 113.1
Verbum Dei gladius spiritus. 45.2
Verbum caro factum esse intelligitur. 225.2. *huius res interpretatio.* ibid.
Verbum quanta solicitudine retinendum. 113.1. *cibo comparatur.* ibid.
Verba sine operibus somnia sunt inania & mendacia, ait Nazianzenus. 63.1
Verborum nimia vbertas & loquacitas quo tempore & quo loco noceat. 313.1
Verecundia honesta custos, & diligens obseruatrix virtutum. 314.1
Verborum copia quæ improbetur, & potissimùm contra quos. 313.2
Verecundia pudicitiæ comes, Sententia Diui Ambrosij. 314.1
Veritas quàm vtilis sit & necessaria Regibus, ac Principibus. 135.2
Veritas ad quid pertineat. 117.1
Veritas in Ecclesia Catholica in perpetuum permanens. 64.2
Veritas quomodo dicenda sit. 248.1
Vespasiani Imperatoris antiqua numismata, in quibus festina lentè insculpebatur 89.2
Vespasiani Imperatoris Numisma, in quo spicæ ex duabus manibus sculpebantur. 340.2. *Concordiæ symbolum.* ibid.
Vertigo turbo, quæ à Sallustio turbinum motus vocatur. 91.2

Vestæ Virgines castitatem frangentes viuæ sepeliebantur. 283.1

Via Dei & hominum differentia. 171.2

Vetustas omnia consumit conficit, & annihilat. 28.1

Vicia genus leguminis. 130.2

Victoriæ duæ Christi. 52.1.2.*in med.*

Victoria sine humanis armis & absq; vllo præsidio. 50.1

Victoria Christi spiritualis. 40.2

Victoria humana cum tumultu Christi verò pacata. 51.1

Victoria viri iusti in impios gloriosa, & triumphas. 42.1

Victimæ totæ in sacrificijs non cremabantur. 7.2. *huius rei ratio redditur.* *ibid.*

Vincere seipsum fortissima victoria quæ homini possit contingere. 113.2.*in fin.*

Vincere hominem, humanum, at vincere seipsum diuinum est. 207.1

Vindemiare pro affligere sumitur. 304.2

Vineæ nomine quid intelligatur. 24.2.*in fin.*

Vipera exusta & in cineres conuersa, eiusdem morsui medetur. 72.2

Viperæ conceptus. 215.1

Vir bonus quanto honore habendus, & suspiciendus. 245.1

Vir rectus & iustus Soli, qui licet terram radijs contingat, in cœlo tamen residet, comparatur. 20.1

Vir sapiens ac virtutibus circundatus quam pulchrè describatur. 147.1

Vir bonus, odor appellatur. 7.2

Viri præclari cœli appellantur in Sacra scriptura. 2.2

Viri nomine illustris & nobilis intelligitur, hominis verò humilis loci & obscuri. 16.2

Virorum raritas, vt mulieres nequidem vnum possint inuenire. 26.1

per Virgam flagellum & castigatio & punitio intelligitur. 322.1

Virgilius tollit fati necessitatem & fatetur liberum Arbitrium, contra Hæreticos. 328.2

Virgo abscondita, & integra quæ sit. 38. 2. *huius rei significatio.* *ibid.*

Virgines laudibus efferebant antiqui cùm eas parentes in matrimonium collocabant. 301.2

Virginum Vestæ castitas. 283.1

Virtus vera quæ sit. 197.1

Virtus in medio rerum omnium consistit. 66.1.*in principio.*

Virtus non nobiscum nata, sed necesse est, vt eam discamus & comparemus. 9.2

Virtus mons altissimus. 173.1

Virtus murus firmissimus, qui nulla vi potest labefactari. 77.1

Virtus ligno in aquam misso comparatur. 43.2

Virtus harmonia vocatur à Pythagora Philosopho. 144.2

Virtus in infirmitate perficitur. 119.2

Virtus odorem mittit suauissimum. 7.2

Virtus cum doctrina coniuncta mirabiliter adficat. 265.2

Virtutis breues labores aterna voluptas sequitur, Ex Platone. 285.1

Virtute præstans per Solem intelligitur. 4.2. *amaris delectatur.* *ibid.*

Virtutis veræ, & falsæ differentia, quæ est inter naturam & artem. 274.2

Virtutum nobis quædam innatæ semina, vt igniculi. 9.2

Virtutes omnes sunt vna virtus iuxta Platonis opinionem. 144.2

Virtutes per aquas intelliguntur. 147.1

Virtutes pro Angelorum exercitibus in scriptura sumuntur. 150.2

Virtutes morales non à natura, sed consuetudine comparantur. 9.2

Vi non est conficiendum quod prius potest rationibus effici. 9.2

Visio naturalis in quas partes diuidatur. 2. 1. *huius rei significatio.*

Visitatio pro afflictionibus sumitur. 77.2

Visitat Deus homines dupliciter, nimirum prosperâ, & aduersa tribuendo. 55.2

Vitæ hæc hyemi comparatur. 299.2

Vita hominum sapiens Salomon cum hydria comparabat. 58.2

Vita huius seculi Rotæ cisternarum aptissimè comparata. 65.1

Vita omnium hominum non debet esse sessio, sed festinatio. 25.2

Vitæ Christianæ temperata optima & consentiens harmonia. 277.2

Vita iustorum hora vocatur. 120.1

Vita hominum areneæ telæ comparatur. 134.1. *eius vanitas.* *ibid.*

Vita nostræ quasi transitus & cursus diuersorium non habitandi. 151.1

Vita humana cum tela comparatur. 105.1

Vitæ nostræ norma & regula qualis esse debeat. 127.2

Vita hæc comparatione æternitatis punctum est. 235.1

Vitæ breuitas quo pacto significetur. 120.1

Vitam omnium mortalium caducam fumi vmbræ comparauit AEschiles. 172.2

Vitæ felicitatem vnum diem durare dicebat Euripides Philosophus. 172.1

Vitæ omnium mortalium tempus militia appellatur. 169.2

Vitæ liber est Dei præscientia & prædestinatio. 26.2. *in princip.*

Vitam sempiternam scire comparare optima sapientia. 279.2

Vitam hominum caducis arborum foliis comparat Homerus. 172.2

Viuere à vita transire est, ex D. Gregorio. 153

Viuimus punctum est, ex Seneca Philosopho. 120.2. & 235.1

Vitia virtutes obruunt, vt malæ herbæ arbores extinguunt. 30.2

Vitiosus dicitur adolescens. 279.2

Vitiosi homines per terram signantur, quia terram semper spectant. 2.2

Vltio Dei grauissima cùm dimittit hominem in manu sui depranati appetitus. 4.2

Vltionem qui expetunt quàm grauiter reprehenduntur. 126.1

Vlula auis à fletu denominata. 71.1

Vlysses aures suorum sociorum clausit, ne Syrenarum cantus audiret. 71.2

Vnicornis animalis proprietas. 193. 2. *eius mansuetudo.* *ibidem.*

Vnitas & congregatio triplex. 98.1

Vnitas Dei & hominum. 120.1

Voluntas diuina ab humana quantopere discrepet, & distet. 284.1

ad voluntatem nostras potius Deus respicit, quam ad opus. 249.1

Voluptas nostra quid secum afferat detrimenti & incommodi. 249.1

Voluptas correptio iudicij. 23.1

Voluptas omnium malorum causa & propagatio ex Antisthene. 23.2

Voluptas malorum esca, qua homines capiuntur, ex Platone. 23.2

Voluptate dominante, nullus temperantiæ locus relinquitur. 22.2

Voluptates & desideria Sirenis falsa dulcedine decipientibus comparantur. 71.2
Voluptates pestiferæ contemnendæ, si volumus æternam voluptatem adipisci. 23.2
Voluptates tanquàm blandissimæ animum à virtute detorquent. 23.2
Voluptuosi porci in cœno vitiorum se volutantes appellantur. 214.1
Vox Domini quasi malleus conterens petram in Scriptura sacra. 151.1
Vr oppidum in Chaldea. 257.1
Vrbs Ciuitas Regia dicitur, cæteræ eius filiæ dicuntur. 330.2
ad Vsuram accommodare Iudæi pauperibus solebant. 249.2
Vrbs munda ab hominibus, id est, inhabitata & deserta. 25.2
Vtica Colonia Tyri. 104.2
Vuiteleſus in Constantiensi Concilio damnatus. 259.1. *& morte mulctatus.*
Vxores dimittere solebant Iudæi, eisque libellum repudij dare. 213.1

X

Xenocrates Philosophus testatus est Arbitrij libertatem. 328.2
Xenophon dicebat pacem videri maximum hominibus bonum, bellum maximum malum. 207.2
Xenophon inter opes inimicos commumerat, aitque nobis esse adiumento. 85.2

Z

Zabulon & Nephtalim terræ situs descriptio, & locus. 49.2
Zenonis patria. 104.1
Zeuxis insignis pictor, eiusque prudentia in Iunone depingenda. 21.1
Zizania semen diaboli. 332.1
Zonæ nominæ diuina prouidentia intelligitur. 327.2

FINIS.

dé-
.213
214
deq̃
216
.217
218
per
220
.221
nis-
222
224
.225
226
.228
229
231
ago
232
233
234
235
.235
238
.238
240
sese
241
242
244
.245
246
.247
.248
.250
.252
.253
.254
nen-
.255
one,
.257
ostri
.258
260
.262